DANIEL

SAPIENTISSIMVS DEI PROPHETA, QVIA VETVSTIS POLYHISTOR, ID EST MVLTISCIVS EST DICTVS, EXPOSITVS

Homilijs LXVI. quibus non tàm sensus Prophetæ redditur, quàm usus & fructus prophetiæ ostenditur, adeoq; omnibus in Ecclesia docentibus commonstratur, quomodo perspicue, iusto ordine, & cum utilitate, populo Dei, hic Propheta prædicari possit, authore

HEINRYCHO BVLLINGERO Tigurinæ Ecclesiæ ministro.

ACCESSIT HVIC OPERI

EPITOME TEMPORVM ET RERVM AB ORBE CONDITO AD EXCIDIVM vsq; vltimum vrbis Hierosolymorum, sub Imperatore Vespasiano.

Cum duplici Indice.

IESVS

HIC *est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea: ipsum audite.* Matth. 17.

TIGVRI EXCVDEBAT C. FROSCHOVERVS
Mense Martio, M. D. LXXVI.

SEMINARIUM-BIBLIOTHEK-EVANG
IN
HERBORN

AD ECCLESIAE CHRISTI IN ANGLIA PASTORES VIGILANTISS.

PIETATE ET ERVDITIONE CLARIS. VIROS, D. ROBERTum Hornum Episcopum Vintonienſem, D. Ioannem Iuellum Episcopum Sarisberienſem, D. Eduinum Sandum Episcopum Vuigornienſem, D. Ioannem Parkhurſtum Episcopum Noruicenſem, & D. Iacobum Pilchinthonum Episcopum Dunelmenſem, dominos meos colendos, & fratres in Christo chariſſ. Heinrychi Bullingeri in Danielem

PRAEFATIO.

QVINTVS iam completur ferè annus, quando Conciones in Ieremiam prophetam eccleſiaſticas publicaui. Volui eo experiri conatu, quid pij & docti eccleſiarum miniſtri de hoc meo ſcriptionis genere iudicarent. Mox autem plurimis ex locis mittuntur ad me literæ, quibus ſignificatur, optimis quibuſq; labores illos meos adeò non diſplicere, vt hortentur me modis omnibus, reliquos quoque prophetas mihi ſumerem, eo modo interpretandos, quo Ieremiam explanaueram. Laborabat tunc in enarrandis Prophetis minoribus ſymmyſta & affinis plurimùm mihi dilectus, meus Gualtherus. In cuius fide, diligentia eruditioneq; cum nihil deſiderarem, maioribus, quos vocant, prophetis reliquis interpretandis, me inſtruens impendebam, in quibus annis antea quoque aliquot me exercueram. Et quidem ad principium anni 1562. incipiebam eccleſiæ meæ fidei creditæ, pro publica Concione enarrare prophetam ISAIAM, cui anno ſequente 1563. alijs horis atque diebus, adiungebam Danielis prophetiam. Homilias verò in cœtu publico & ſacro habitas, domi poſtea conſignabam in chartas, eorum maximè in gratiam, qui hoc à me maximis efflagitarant obſecrationibus, pollicentes mihi, ex his meis laboribus, fructum non pœnitendum ad fideles, gratos moderatosq; eccleſiæ miniſtros, adeoq; ad vniuerſam Chriſti eccleſiam rediturum. Et certè retinuit illa me ſpes in laboribus cœptis, quos plurima ſubinde ſe ingerentia negotia, caſusq; varij, & aduerſariorum nonnullorum improbitas, quibus reſpondere cogebar, ſæpius intermittere ſuadebant. Pergebam tamen non ſine ſudoribus, & ingenti aliquando cum moleſtia, quam tamen Domini fideliter abſtergebat gratia.

Qua occaſione opus hoc ſcriptum ſit.

Dumq; in vtriſque prophetis aliquouſque eſſem progreſſus, ſequenti anno 1564. corripiuntur plurimi apud nos in eccleſia peſte lethifera, quæ eodem illo anno graſſans, crudeliter alias quoque eccleſias longè lateq; vaſtabat. Acinter primos propè corripit & me lues illa, protinusq; ita affigit lecto, & omnes mihi eripit vires, vt quamuis de futura vita beata, per Dei gratiam, nihil dubitarem, de præſenti tamen parum ſpei habebam amplius. Grauiter tunc dolebat, quòd olim delineata & cœptā quædam opuſcula, ſimul & pro-

Authoris morbus lethalis.

phetarũ horum expositionem non cœpissem maturius, vt iam ante meum ex hoc mundo exitum, absoluissem. Totum me tamen omniaq; mea misericordi Deo liberrimè concredebam. Effundebat tunc quoq; supplices ad Dominum preces ecclesia, pro incolumitate & restitutione mea. Ac Dominus, qui ad miserandũ est procliuis, pepercit uitæ meæ, intraq; septimanas 14. ita me sanitati restituit, vt nonnihil adhuc quidem titubans, rursus tamen ecclesiasticum subirem munus, studiaq; illa mea redintegrare inciperem. Dumq; sensim lectiones illas meas repeto, incido, non forte fortuna, in S. Hieronymi Proœmiũ ad 14. Comment. lib. in Isaiam, vbi ille sic scriptum reliquit, Dominus qui respicit terram & facit eam tremere: qui loquitur in Deuteronomij cantico, Ego occidam, & ego viuificabo, percutiam, & ego sanabo, frequentibus morbis meam quoque terram fecit contremiscere: cui dictum est: Terra es, & in terram ibis: & oblitum conditionis humanæ, crebrò admonet ut hominem & senem, et iam iamq; moriturũ esse me nouerim. De quo scribitur, Quid gloriatur terra & cinis? Vnde qui me subito languore percusserat, incredibili uelocitate sanauit, ut terreret potius, quàm affligeret, & emendaret magis, quàm uerberaret. Itaque sciens, cuius sit omne quod uiuo, & quòd iccirco forsitan mea dormitio differatur, vt cœptum in Prophetas opus expleam, totum me huic trado studio. Et reliqua. Quanquam uerò me nullo cõferam modo, cum uiro tanto, plurimùm tamen uiri doctissimi sanctissimiq; exemplum, adeoq; casus per omnia similis, me commouit. Cogitabam enim me quoque non ocio in hoc seculo seruatum esse, sed ecclesiæ sufferendis ærumnis atq; perpetuis laboribus. Proinde inuocata Dei immensa gratia atq; misericordia, protinus mense Ianuario præsentis anni 1565. iterum & concionando & scribendo in utroq; Propheta pergo. Præterea in manus resumo Epitomen temporum & rerum, &c. quam ante 20. annos et amplius delineare cœperam. Atq; in Isaia aliquo usq; progredior, & ad 53. caput vsq; peruenio. In Daniele verò & Epitome, omnia ita vt in uotis & quidem ardendissimis erat, intra menses plus minus septem, ad finem, iuuante me Dei gratia, perduco.

Dicam ergo primò de Homilijs in Danielem, quid in ijs conscribendis sim sequutus, deinde & de Epitome quædam adferam, in quam alias priuatim sum præfatus. Principio fateor ingenuè, me in hoc meo opere aliorũ opera, cùm ueterum tum neotericorum omnium, quorum quidẽ monumenta assequi potui, vsum esse, adeoq; & plurimùm adiutum. His ergo ut me multum fateor debere, ita illis ipsis minimè ingratus, cõmeritam tribuo laudem, simul & gratiarum actionem. Non enim eorum probo ingenia, qui cum aliorũ profecerint laboribus, malè tamen grati his, uel horum nullam faciunt mentionem honorificam, uel se eorum opera aliquid didicisse dissimulãtes, aliorum se plumis, non sine dedecore, uestiunt, & proinde non immeritò à doctis ἐν ἀντοφώρῳ deprehensi exibilantur. Deinde quo ad lectionem prophetæ collatis pro mea exilitate inter se exemplaribus variijsq; interpretationibus vel translationibus, eam

Author in hoc opere, aliorum vsus est opera.

De translatione Danielis.

eam semper reposui, quæ mihi omnium simplicißima videbatur. Diuersitatem interim translationis obiter commemoraui, causas tamen non recensui. Quòd aliorum diligentia hac in re cupido facilè possit satis facere, nec ex ministris multi multum in linguis sint exercitati, neque videam, quem fructum adferat, si ministri peregrinis loquantur linguis è sacra cathedra ad populum & multa verba faciant de translationis ratione varietate ac proprietate. Ergo omissis illis disputationibus grāmaticis, quantum quidem eius fieri potuit, simplicem lectionem & sensum semper ceu digito ostendo. Sicubi verò vel in lectione, vel in sensu dissentio ab alijs, dico sanè non sine addita ratione, cur ita mihi videatur. Non quod aliorum lectionem vel sententiam ideò contemnam, sed quòd alijs mea dijudicāda proponam, liberum interim vnicuique relinquens, vt sequatur quod maximè genuinum & simplex esse videtur. Nunquam enim placuerunt mihi, qui aliorum omnia reijciunt, sua duntaxat, omnibus obtrudunt.

Cur post tot interpretes Danielis, hic audeo edere interpretationem.

Illis itaq; qui mihi in præsenti obijciunt, quid verò tu post viros tot et tantos Danielis interpretes, tuam quoq; audes interpretationem proferre in medium? Respondeo, ingenuè me fateri multos præclaros uiros in Daniele explanando bonam nauasse operam, quam sanè maximi facio, & gratum me his ecclesiæ doctoribus præstare contendo. Sed quis interim nesciat, vt diuersa sunt Domini Dei dona, ita etiam diuersa esse tempora, benignumq; & diuitem Dominum concedere pro temporum personarumq; & rerum ratione varia cuilibet ætati, & hominibus pro vt ipsi visum est quibusuis, eam in interpretando docendóue gratiam, quam ille nouit quouis tempore & varijs in casibus conducere ædificationi ecclesiæ? Quod dico ipsa rerum experientia verum esse approbat. Interim nemini mea obtrudo, quod libenter repeto, sed desiderantibus mea cognoscere, mea modestè communicans propono, & ea quidem lege propono, vt si in his pia conuenientia utiliaq; & salubria inuenerint, ea retineant, ijsq; bene vtantur, sin aliorum malint vti opera, per me quidem vtantur liberrimè. Libenter enim, quo ad hos, frustra laborasse videri volo.

Aliorum labores interpretationesq; temere nõ sunt impetendæ insolentius.

Et vt significantius, quod dicere cœperam, explicem, Non facio in hac mea Danielis & etiam Isaiæ enarratione, quod nonnulli solent, qui uix suam sententiam dicunt, sed multò copiosius aliorum recitant, & mox in ea confutanda plurimum operæ collocant, vel illam protinus & breuibus conspuunt, suam deinde, non admodùm bene firmatam, omnibus subijciunt recipiendam. Non enim video quæ vtilitas inde redeat ad populum, qui magis offenditur diuersis sententijs & operosis prolixisq; confutationibus ac falsis illis insectationibus. Atqui non oportebat populum alioqui varium & incertum, vel varijs allatis sententijs intricare, vel disputationibus contradictorijs suspicionibusq; inuoluere ac onerare. Doctoris fidelis officium est extricare mentes impexas, & suspicionibus varijs exemptis, certum ali-

quid & firmum inſerere. Et qui olim ſcripturas ſunt interpretati, & nunc quoque quod ſentiunt afferunt, hoc certè attulerunt & afferunt adhuc, quod exiſtimarunt ſuis congruere eccleſijs ædificandis, denique afferunt quod conceſſit eis Dominus, id eſt, quod afferre potuerunt, longè meliora prolaturi in medium haud dubiè, ſi maiorem à Domino gratiam fuiſſent conſequuti. Ergo laboribus illis ſuis pro modulo ſuo prodeſſe omnino uoluerunt eccleſiæ Dei. Cur autem nunc pro hoc ſuo flagellantur beneficio? Si omnia acu non attigerunt, prodeſſe tamen uoluerunt, ac parcendum eis fuerat, ſaltem propter ipſorum bonam in eccleſiam voluntatem. Aut quî fit, quòd alter ille, cui meliora reuelauit Dominus, reuelationem illam ſuam non deponit in medium, abſque aliorum contemptu & inſectatione, iudicium auditori vel lectori liberum relinquens? An non in eccleſia Dei ita verſari docuit Apoſtolus, dicens, Quiſque veſtrum doctrinam habet, linguam habet, reuelationem habet, interpretationem habet, OMNIA AD AEDIFICATIONEM FIANT. Quòd ſi quid alij patefactum fuerit aſſidenti, prior taceat. Poteſtis enim ſigillatim omnes prophetare, vt omnes diſcant, & omnes conſolationem accipiant. Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubijciuntur. Non enim eſt ſeditionis author Deus, ſed pacis, vt in omnibus eccleſijs ſanctorum. Quæ cum ita habeant, cauēdum eſt interpretibus omnibus, ne magis ſe et ſua prædicare, quàm Chriſtum annunciare & eccleſiam Dei fideliter docere, adeoq; quædā ſe inueniſſe, quæ alij nondum viderint, videri velint. Excipio hic loca ſcripturæ quæ confictis & religioni veræ contradicentibus interpretationibus, maximè à manifeſtis eccleſiæ Chriſti hoſtibus adulterata vel corrupta aut obſcurata ac detorta ſunt. Excipio item falſa dogmata & hæreſes. Cur enim non liceat doctori fideli corruptelas, non modò indicare, cum locus res & tempus adeoq; neceſſitas requirit, ſed etiam diligenter confutare, adde & omnia falſa dogmata & pernicioſas hæreſes feruenter inſectari, ſternere atque conterere? Laudatur hoc nomine pia, ſedula & erudita vetuſtas, quæ in hæreſibus ethnicisq; erroribus patefaciendis & refutandis, optimam & ſaluberrimam eccleſiæ nauauit operam. Proinde ſi hodie quoque idem ſtudium inueniatur in ſidorum interpretum lucubrationibus atque ſermonibus eccleſiaſticis, quis hoc ipſum eximiè non laudauerit? Non fecerit ſanè officium ſuum doctor eccleſiæ ac interpres ſcripturæ ſanctæ, ſi hac in parte deſes fuerit vel frigidus.

Canon apoſtolicus quomodo in eccleſia ſcripturæ interpretandæ, & de aliorū ſcriptis iudicandū.

Et cum Homilijs integros explano prophetas, nihil ſanè, ne illud quoque diſſimulem, inſolitum eccleſiæ tento. Certiſſimum eſt enim veteres eccleſiarum antiſtites, eccleſijs ſibi creditis, pro concione publica, integros expoſuiſſe libros canonicos, & hos quidem rebus temporibus locis atque perſonis in ædificationem eccleſiæ, doctrina perpetua, applicauiſſe. Neque dubium eſt nullum doctrinæ genus in mundo mouere mentes hominum vehementius, &

Libros ſcripturæ ſanctæ integros in eccleſia palàm olim expoſitos & nunc exponendos eſſe.

tius, & docere viuidius, quàm si doctor ecclesiasticus ipsomet Dei verbo, non suis verbis, populum instruat & dirigat. Dicebant olim discipuli, qui ipsum audierant ipsis loquentem, & interpretantem scripturas Dominum, Nónne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & cum aperiret nobis scripturas? Experientia nunc quoque eadem de re bene testari potest. Vnde nihil vtilius esse puto, quàm cum doctores eccl siastici omnibus alijs docendi modis sepositis, ipsas populo Dei in ecclesia scripturas solas exponunt, & eas ita proponunt, vt ipsummet verbum Dei populum Dei in causa qualibet doceat, increpet, hortetur, admoneat, confutet, consoletur. Scio quid nobis hic obijciatur à pluribus, plurimas interuenire res, ecclesiæ necessariò exponendas, pro occasione temporum, ad eius conseruationem, quæ tamen, si perpetuò pergamus exponere scripturas sanctas, commodè explicari nequeant. Ergo per selecta & frustillatim resecta loca, per themata item atque quæstionum tractationes, per inuectiuas denique & huius generis sermones consuli ecclesiæ melius, quàm per expositionem scripturarum perpetuam: Sed qui illa nobis opponunt non cogitant, aut cogitare nolunt scripturam sanctam esse eiusmodi vt semper & abunde suppeditet nobis res vel argumenta, pro quauis occasione, pro quouis item loco & tempore, denique pro quauis rerum & personarum ratione, & quidem illa idonea prorsus ad docendum, ad admonendum, ad hortandum, consolandumq; Dei ecclesiam. Vbi sanè locum habent opportunæ Digressiones. Docuit hoc ipsum nos Apostolus in 2. ad Timotheum, dicens, Tu permane in his (obserua autem hîc quod loquitur Apostolus cum doctore ecclesiastico) quæ didicisti, sciens quòd a puero sacras didiceris literas, quæ te possunt sapientem reddere, in salute, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Tota scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, vt perfectus sit homo, ad omne bonum opus perfectè instructus. Quid post hæc tam perspicua & euidentia requiris? Præstat ergo in omni doctrinarum genere idonea scripturæ interpretatio & eiusdem prudens applicatio in ecclesia Christi. Et quidem Homiliæ veterum in sacros libros, quæ extant, commodam ad illa tempora applicationem habent, in quibus viuebant: ita & alia veterum exponendi genera. Neque obscurum est quando vetus illa docendi ratio per scripturas desierit in ecclesijs, & alia paulatim inducta sit, maximè per Monachos sacrificosq; Spermologos & Pistillares, Sermologos dicere volebam & Postillares, quorum improbitate factum est, vt magis atque magis à scripturis rdcedendo, in lacunas illas, imò in barathrum traditionum & doctrinarum humanarum immersa sit ecclesia, vnde ne nunc quidem laboribus maximis extrahi potest.

Cæterùm Homiliæ meæ in Isaiam, & hunc nostrum Danielem, non sunt

quid & firmum inferere. Et qui olim scripturas sunt interpretati, & nunc quoque quod sentiunt afferunt, hoc certè attulerunt & afferunt adhuc, quod existimarunt suis congruere ecclesijs ædificandis, denique afferunt quod concessit eis Dominus, id est, quod afferre potuerunt, longè meliora prolaturi in medium haud dubiè, si maiorem à Domino gratiam fuissent consequuti. Ergo laboribus illis suis pro modulo suo prodesse omnino uoluerunt ecclesiæ Dei. Cur autem nunc pro hoc suo flagellantur beneficio? Si omnia acu non attigerunt, prodesse tamen uoluerunt, ac parcendum eis fuerat, saltem propter ipsorum bonam in ecclesiam voluntatem. Aut quî fit, quòd alter ille, cui meliora reuelauit Dominus, reuelationem illam suam non deponit in medium, absque aliorum contemptu & insectatione, iudicium auditori vel lectori liberum relinquens? An non in ecclesia Dei ita versari docuit Apostolus, dicens, Quisque vestrum doctrinam habet, linguam habet, reuelationem habet, interpretationem habet, OMNIA AD AEDIFICATIONEM FIANT. Quòd si quid alij patefactum fuerit assidenti, prior taceat. Potestis enim sigillatim omnes prophetare, vt omnes discant, & omnes consolationem accipiant. Et spiritus prophetarum prophetis subijciuntur. Non enim est seditionis author Deus, sed pacis, vt in omnibus ecclesijs sanctorum. Quæ cum ita habeant, cauēdum est interpretibus omnibus, ne magis se et sua prædicare, quàm Christum annunciare & ecclesiam Dei fideliter docere, adeoq; quædā se inuenisse, quæ alij nondum viderint, videri velint. Excipio hic loca scripturæ quæ confictis & religioni veræ contradicentibus interpretationibus, maximè à manifestis ecclesiæ Christi hostibus adulterata vel corrupta aut obscurata ac detorta sunt. Excipio item falsa dogmata & hæreses. Cur enim non liceat doctori fideli corruptelas, non modò indicare, cum locus res & tempus adeoq; necessitas requirit, sed etiam diligenter confutare, adde & omnia falsa dogmata & pernicioſas hæreses feruenter insectari, sternere atque conterere? Laudatur hoc nomine pia, sedula & erudita vetustas, quæ in hæresibus ethnicisq; erroribus patefaciendis & refutandis, optimam & saluberrimam ecclesiæ nauauit operam. Proinde si hodie quoque idem studium inueniatur in fidorum interpretum lucubrationibus atque sermonibus ecclesiasticis, quis hoc ipsum eximiè non laudauerit? Non fecerit sanè officium suum doctor ecclesiæ ac interpres scripturæ sanctæ, si hac in parte deses fuerit vel frigidus.

Canon apostolicus quomodo in ecclesia scripturæ interpretandæ, & de aliorū scriptis iudicandū.

Et cum Homilijs integros explano prophetas, nihil sanè, ne illud quoque dissimulem, insolitum ecclesiæ tento. Certissimum est enim veteres ecclesiarum antistites, ecclesijs sibi creditis, pro concione publica, integros exposuisse libros canonicos, & hos quidem rebus temporibus locis atque personis in ædificationem ecclesiæ, doctrina perpetua, applicauisse. Neque dubium est nullum doctrinæ genus in mundo mouere mentes hominum vehementius, &

Libros scripturæ sanctæ integros in ecclesia palàm olim expositos & nunc exponendos esse.

tius, & docere viuidius, quàm si doctor ecclesiasticus ipsomet Dei verbo, non suis verbis, populum instruat & dirigat. Dicebant olim discipuli, qui ipsum audierant ipsis loquentem, & interpretantem scripturas Dominum, Nónne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & cum aperiret nobis scripturas? Experientia nunc quoque eadem de re bene testari potest. Vnde nihil vtilius esse puto, quàm cum doctores ecclesiastici omnibus alijs docendi modis sepositis, ipsas populo Dei in ecclesia scripturas solas exponunt, & eas ita proponunt, vt ipsummet verbum Dei populum Dei in causa qualibet doceat, increpet, hortetur, admoneat, confutet, consoletur. Scio quid nobis hic obijciatur à pluribus, plurimas interuenire res, ecclesiæ necessariò exponendas, pro occasione temporum, ad eius conseruationem, quæ tamen, si perpetuò pergamus exponere scripturas sanctas, commodè explicari nequeant. Ergo per selecta & frustillatim resecta loca, per themata item atque quæstionum tractationes, per inuectiuas denique & huius generis sermones consuli ecclesiæ melius, quàm per expositionem scripturarum perpetuam: Sed qui illa nobis opponunt non cogitant, aut cogitare nolunt scripturam sanctam esse eiusmodi vt semper & abunde suppeditet nobis res vel argumenta, pro quauis occasione, pro quouis item loco & tempore, denique pro quauis rerum & personarum ratione, & quidem illa idonea prorsus ad docendum, ad admonendum, ad hortandum, consolandumq; Dei ecclesiam. Vbi sanè locum habent opportunæ Digressiones. Docuit hoc ipsum nos Apostolus in 2. ad Timotheum, dicens, Tu permane in his (obserua autem hîc quod loquitur Apostolus cum doctore ecclesiastico) quæ didicisti, sciens quòd à puero sacras didiceris literas, quæ te possunt sapientem reddere, in salute, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Tota scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, vt perfectus sit homo, ad omne bonum opus perfectè instructus. Quid post hæc tam perspicua & euidentia requiris? Præstat ergo in omni doctrinarum genere idonea scripturæ interpretatio & eiusdem prudens applicatio in ecclesia Christi. Et quidem Homiliæ veterum in sacros libros, quæ extant, commodam ad illa tempora applicationem habent, in quibus viuebant: ita & alia veterum exponendi genera. Neque obscurum est quando vetus illa docendi ratio per scripturas desierit in ecclesijs, & alia paulatim inducta sit, maximè per Monachos sacrificosq; Spermologos & Pistillares, Sermologos dicere volebam & Postillares, quorum improbitate factum est, vt magis atque magis à scripturis recedendo, in lacunas illas, imò in barathrum traditionum & doctrinarum humanarum immersa sit ecclesia, vnde ne nunc quidem laboribus maximis extrahi potest.

Cæterùm Homiliæ meæ in Isaiam, & hunc nostrum Danielem, non sunt

Quomodo hæ Homiliæ scriptæ sint.

ita copiosæ, ut quondam in ueteri ecclesia scriptæ, sed breuitate quadã accisæ, subindicantes duntaxat ipsas res, id est argumentum, consilium, seriemq; aut cõnexionem ac ordinẽ prophetæ, quibus adieci applicationem aliquam nostris temporibus rebus atq; hominibus accommodam. Nõ enim Homilias totas uerbotim, ita ut eas habui ad populum, descripsi. Omisi exordia ferè, repetitiones item & conclusiones uel epilogos Homiliarum: digressiones quoq;, pro ratione ecclesiæ cui inseruio, habitas, omisi & locorum cõmunium tractationes. Equidem cum diuersæ sint ecclesiæ & diuersi mores ecclesiarum, aliaq; conueniant alijs, in loco sanè & tempore aliquid apud nos dicere potuissem, quod si alius in sua ecclesia proponere pergat, absurdissimam rem faciat. Proinde summas sensus & usus uel applicationis simpliciter & breuiter reddo, quod reliquum est industrijs relinquens pastoribus, ut & ipsi diligenter dispiciant, quibus utantur exordijs, excursionibus aut locis communibus, reliquisq; id genus docendi formis, ita ut omnia suis congruant & utilia sint ecclesijs. Nam debet fidelis ecclesiæ doctor hoc unum spectare ne quid alienum suæ proponat ecclesiæ, sed ut omnia sua ædificationi conseruationiq; ecclesiæ inseruiant.

Citata testimonia in Homilijs, & vberior tractatio.

Adduxi præterea in Homilijs illis meis alicubi testimonia ex libris meis, non quod in concione publica plebem iusserim meos legere libros, sed quòd argumenta in his comprehensa, hoc loco, ordineq; suo recensuerim, Homilijs autem minimè nunc inserere uoluerim, ne nimium excresceret opus, interim tamen lector & doctor ecclesiæ non nesciret, ubi illa copiosius, siquidem cognoscere cuperet, inueniret, ac cognita deinceps suæ ecclesiæ applicaret. Ita nunquam iussi populum legere Tertullianum, Augustinum, Liuium, Iustinum aut alios authores, quorũ nomina in Homilijs recensentur, non alia ratione quàm modò est à me expositum. Scripturas autem sacras indicatis locis, id est, libris capitibusq;, sæpissimè in sacris concionibus, populum legere iubeo. Quòd id maximè utile & necessarium esse uideatur, libriq; sacris uulgari lingua scriptis plerique in populo sint instructi. Porrò eloquio in hoc meo opere, nec lusi, nec redundaui. Nolui enim ostentare quicquam, cum alioqui probè norim quàm hìc præstare possim parum. Satis esse putaui si rem et uerbis & sententijs huiusmodi efferrem, quibus res ipsæ sic exponerentur, ut à quouis possint intelligi. Neque uerò in sacris ingenium est ostentandum, sed potius quærenda Dei gloria & ecclesiæ profectus, ac in primis ut uel à rudissimis intelligaris. Præterea cum iam sim senex, mirum non est si mea illa omnia sicca potius & breuia sint, quàm florida & copiosa. De quibus hæc hactenus.

Stilus.

Epitome chronicorum.

Placuit Homilijs istis Epitomen addere Chronicam, præcipuè quidem ob Danielem, ad quem illustrandum ex parte illa facere uidebatur, tum etiam quòd sperarem me operæpretium facturum in hac edenda. Exponoin ea non tam temporum & rerum rationem, à condito orbe, ad excisam usque urbem Hierosolymorum, quàm seriem perennem uariosq; casus religionis

uel fidei

uel fidei nostræ veræ. Qua expositione pariter authoritatem, ueritatem præstantiamq; sacrarum literarum omnibus commendamus, maximè nostris seculi huius nostri vltimi hominibus, quos ad veritatem fidei recipiendam & retinendam modis omnibus hortamur. Eiusmodi enim sunt vltimi huius seculi nostri tempora, vt huiusmodi argumentum vel tractationem maximopere requirere videantur. Quòd si assequutus sum, quod maximè hoc meo opere volui, gratias ago Deo omnium bonorum authori vnico, sin verò præpeditus humana infirmitate inscitiaq; nõ assequutus sum quod volui, Deum oro, vt quod meis deest, sarciat per alia sua magis idonea organa.

De Dedicatione huius operis.

NVNC ad vos demũ Patres reuerendos & dominos meos colendissimos venio. Quòd vestræ pietati hoc meum opus dedico, non ideo dedico, quòd existimem vos mea indigere institutione. Agnosco quæ sit omnium vestrum fides plena, & eruditio absolutissima, ac sacrarum in primis literarum singularis peritia: sed vt viri boni, celebria vestra nomina videntes operi meo præfixa, maiore in ipsa feruore ferantur cognoscenda. Deinde vt dedicatio hæc testimonium sit publicum meæ erga vos obseruantiæ dilectionisq; fraternæ, in primis autem concordiæ & consensus nostri mutui in vera religione & in amicitia nostra nullis vnquam terminanda sæculis. Sæpius sanè suauiter recordor colloquiorũ dulcium quæ inter nos mutuò conferebamus, dum ante annos aliquot Anglia exules religionis ergò, in Heluetia Tiguri apud nos plus minus triennio viueretis, atque tanta vitæ pietate, animorum & studiorum coniunctione, ærumnarum tollerantia, singularisq; morum suauitate & humanitate inter nos viueretis, vt pace data persequutionibusq; cessantibus, discedentes à nobis, ingens apud nos omnes, vestri reliqueritis desiderium. Gratulabamur quidem vobis, vt par erat, de felici vestro in patriam reditu, & in primis de felicissimis regni auspicijs Serenissimæ reginæ ELISABETHAE, deq; ueritate euangelica, eius patrocinio, in Angliæ regno inclyto, reflorescente, ægerrimè tamen uestro omniũ consortio carebamus iucundissimo. Vetus Treuirorum Galliæ ecclesia plurimùm gloriatur, quòd exul Athanasius, propter Christum cõsubstantialem Dei patris filium, Oriente eiectus, in ipsa aliquandiu delituerit. Gloriantur aliæ quoque nonnullæ ecclesiæ, quòd persequutionis tempore, hospitia præbuerint sanctis Dei confessoribus exulibusq;, ad ipsas tãquam ad asylum profugientibus. Cur ergo non gratularetur sibi plurimùm & Tigurina ecclesia, quòd & ipsa exules uos ueræ religionis gratia, vos inquam uiros tantos, nec tantùm uos, sed alios quoque uobiscum plures pietate & eruditione præstantes homines, hospitio exceperit? Ergo ne uestra hæc eximia uirtus apud posteritatẽ in obliuionẽ abeat, sed hæc potius scripto hoc publico edocta, sciat, nos licet longissimis itineribus ab inuicẽ dissitos, animis tamen in religionis consensu & amoris uinculo indissolubili coniunctissimos fuisse & esse, ipsa quoq; uestro discat exemplo temporibus acerbioribus, cõfiteri Christũ libere, magisq; eligere amara carni exilia, quàm dulcia patriæ cõmoda, discat

item noſtro exemplo exules benignè excipere hoſpitio, diſcat deniq; cum domeſticis pariter & peregrinis, perpetuo fidei & charitatis nexu conglutinari, & in ſanctiſſima illa coniunctione conſtanter in finem vſque vitæ perſeuerare. Has inquam ob cauſas præcipuè dedicaui hoc opus meum veſtræ pietati. Proinde dominos & fratres noſtros omnes, exilij veſtri ſocios fideles & veræ fidei confeſſores D. Richardum Chamberum, Thomam Leuerum, Ioannem Aelmerum, Thomam Samſonem, Laurentiũ Hunfredum, Thomam Spenſerum, Guilhelmum Colum, Michaelem Renningerum, Ioan. Mullinum, Robertum Beamundum, Heinrychũ Kokrofftum, Nicolaum Caruilium, & reliquos, maximè Ioan. Abelum ſalutare dignemini, non tam meo quàm omnium aliorũ, qui hîc ſunt fratrũ nomine, qui vobis omnibus omnia felicia in Chriſto à Deo precantur. DOMINVS IESVS ſeruet vos omnes vnà cum eccleſijs veſtræ fidei creditis, benedicatq; laboribus veſtris, & propitius à cunctis malis cuſtodiat. Reginæ quoque ſereniſſimæ & pijſſimæ concedat ſapientiam, prudentiam, vitam prolixam & felicem, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes & inuictos, ſenatum ſanctum & fidelem, populum probum, & quæcunq; eius vota ſint pia. TIGVRI Auguſti die octaua, Anno à Chriſto ſeruatore noſtro nato,

M. D. LXV.

LOCORVM SCRIPTVRAE

QVI IN HISCE HOMILIIS EXACTIVS EXPLICANtur aut cum Daniele conferuntur, ELENCHVS.

GENESIS 28. De lapide à Iacobo erecto 20
Numeri 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur 42.b
1. Samuelis 15. Victor Israelis non fallit nec pœnitentia ducitur 42.b
Psalmo 56. Fugas meas tu numerasti 56.b
116. Preciosa est in oculis Domini mors sanctorum eius 65
117. Lapis quẽ reprobauerãt ædificãtes 20
Iob 14. Dies hominis exacte præfiniti sunt 56
33. In somnis in viso nocturno, &c. 38.b
Esaiæ 2. Erit postremis temporibus mons domus Domini 21
9. Princeps pacis 102.b
19. De ara extruenda in Aegyptõ 121.b
28. Ponam lapidem in Sion 20
50. Ira Dei stillabit super gentem illam 110
53. Succisus est de terra viuentium 103
Ieremiæ 2. Me dereliquerunt fontem aquarũ, &c. 30
18. Si pœnitentiam egerit gens illa, iam & me pœnitebit, &c. 42.b
26. Nunc igitur bonas facite vias vestras, &c. 42.b
Ezechielis 33. Si dixero impio, Morieris, &c. 42.b
34. Seruus meus Dauid princeps in medio eorum 102.b
Oseæ 14. Reuertere Israel vsq; ad Dominum Deum tuum 47.b
Micheæ 5. Princeps & dominator in Israele 102.b
Ioelis 2. Quis scit si conuertatur & pœniteat 42.b
Zachariæ 3. De lapide in quem omnium oculi sunt intenti 20
Matthæi 2. De Magorum aduentu Hierosolymam, &c. 11
5. Odio habebis inimicum tuum 16
6. Quomodo orandum in occulto 63.b
18. Vbi duo aut tres congregati fuerint, &c. 14
19. Sedebitis & vos super sedes duodecim, &c. 81.b
22. De lapide, &c. 20
24. Cum videritis abominationem desolationis, &c. 109.b
25. Cũ venerit filius hominis in gloria, &c. 82
28. Data est mihi omnis potestas 83
Lucæ 1. Detraxit potentes à sede 40
14. Omnis qui se extollit humiliabitur 37.b
Ioannis 5. Pater non iudicat quenquam 81.b
6. Veniet hora qua omnes qui in monumentis sunt, &c. 135
10. Ego sum pastor bonus 103
Actorum 2. Prima concio Apostolorum 11
4. Lapis, &c. 20
26. Pauli actio coram Agrippa & Festo 11
Romanos 11. Dona Dei & vocatio sunt absq; pœnitentia 42.b
2 Cor. 7. Ne traxeritis iugũ cũ incredulis 65
Galatas 6. Communicet autem qui catechisatur, &c. 23
Ephesios 5. Ne commercium habueritis cum operibus infructuosis 53
Philippenses 2. Este sicut filij Dei inculpabiles in medio nationis prauæ 53
1. Thes. 2. Peruenit autẽ in illos ira in finẽ 110
2. Thess. 2. Effertur aduersus omne quod dicitur Deus 129.b
2. Tim. 2. Sermo Dei non est vinctus 16
Titum 3. De iustificatione 97
Iacobi 1. Sapientiam esse petendam à Deo 14
1. Petri 1. Scrutantes ad quem aut cuiusmodi temporis articulum, &c. 102.b
2. Lapis, &c. 20
3. Superbis resistit Deus 37.b
4. Ne miramini dum per ignem exploramini 129
Apocalypsis 20. Et libri aperti sunt 82

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

ABEDNEGO 5
Abrogatio legis 109
Adargazaræi 25.b
Administratio munerum publicorum quibus committenda 60
Adorare versus templum 63
Aegypti reges 117
Aetates quatuor 17.b
Afflictis condolendum 69
Ala pro templo 109.b
Alexander magnus 86.b
Alexandri mors 88
Alexandri pugnæ cum Dario 87
Alexandri regnum scissum in quatuor partes 117
Ananias 5
Angelus vigil sanctus 39
Angeli an simul sint in cœlis & in terra 98.b
Angeli certant pro populo Dei 115
Angeli cõstare dicantur 134
Angeli sancti vocantur 90

Angelorum ministerium 69.b
Angelorum opera Deus tuetur fideles 114.b
de Antichristo 129.& 130.& 131.&c.
Antichristi descriptio 92.b
Antichristus quomodo dignitatem sit assecutus 124.b
Antichristus quomodo prophanarit ecclesiã 127.b
Antichristus quomodo pugnet 125.b
Antichristus quomodo spoliarit ecclesiã 126
Antichristus vix agnoscitur 129.b
Antichristi interitus 133.b
Antichristi sedes 133.b
Antichristi typus Antiochus 124
Antiochus Deus 117.b
Antiochus Epiphanes 88.b.& 123.b
Antiochus omnia sacra Dei prophanat 127.b
Antiochus Hierax 118.b
Antiochus magnus 119.b.120.b
Antiochi descriptio 92
Antiochi & Antichristi collatio 92.b
Antiochi res cur describantur 121.b
Antiochi bellum cum Romanis 122.b
Antiquus dierum 82
Appendere 56.b
Aquæ populos significant 86.b
Aquila in templũ Hierosolymis illata 109.b
Archimedes 59.b
Arioch quis fuerit 13.b
Aulicum ingenium 16
Authoritas doctorum ecclesiæ 39
Azarias 5

B

Babylonicæ monarchiæ excellentia 18
Babylonia captiuitas 2
Babylonis maiestas 45
Babylonis regnum leoni confertur 75
Balthazar 5
Balthasari regis mores 49.b
Baltheus 113
Bellum sacrum 133
Bella Saracenica & Turcica 132.b
Benedicere 41.b
Benignitatis exemplum 16
Bencochab 110.b
Bernice 117.b
Brachia stare 127
Bestia anonyma 77
Blasphemiæ sunt prohibendæ 35
Blasphemorum pœnæ 35.b
Bonifacius episcopus 132

C

Calumniæ contra veram religionem 27.b
Captiuitas Babylonicæ breuis historia 2
Capris cur conferantur Græci 86.b
Charitatis exemplum 15.b
Childerychus regno deijcitur 79
Christianorum scholæ 3
Christus confert nobis iustitiam 100
Christus cur passus 103.b
Christus dux & princeps suorum 102.b
Christus excisus è terra viuentium 103
Christus iudex est viuorum & mortuorum 82.b
Christus noui testamenti mediator 108.b
Christus prædicabitur per vniuersum orbem 10.b
Christus quando vnctus 102
Christus quomodo mundi regna comminuat 21.b
Christus vnde 20.b
Christi mysterium quomodo sit reuelatũ 12
Christi regnum est æternum 21
Christi typus 68.b. 71.b
Christo data est omnis potestas 83
Ciborum delectus 5.b
Citthim 126
Clarificatio corporum resuscitatorum 135
Clementiæ exemplum 2.b
Cœlum arsit 56
Cogitationes quales esse debeant 16.b
Concludere præuaricationem 100
Concordia & pax 65
Concorditer incumbere in idem multum iuuat 67
de Confessione 63
Confessio religionis non semper odium conciliat 7
Confessio sanctorum qualis esse debeat 28.b
Confessionem sequitur crux 66.b
Confessores suos Deus seruat 70
Confiteri Christum omnibus sensibus oportet 66
Coniugia quare infelicia 19.b
Coniugiorum male contractorum infelicitas 118
Consensus multorum errorem nõ excusat 26
Consilia mala à Deo in bonum finem diriguntur 3.b
Consilia non aspernanda 52
Consolatio sanctorum 81
Constantiæ exemplum 6
Contentiosi non apti ad studia 4.b
Conuiuia 50
Corda hominum sunt in manu Dei 6.b
Cornu paruum 78.b
Corpora exponere pro testamento Dei 34.b
Corpora resuscitatorũ qualia sint futura 135
Creaturis vtitur Deus ad suorum salutem & hostium interitum 31.b
Crucis vtilitas 138
Cruci quare subijciantur pij 129
Cultus Dei vitiatur bifariam 29.b
Cultus electitij & peregrini damnantur 121.b
Curiosis quæstionibus est abstinendũ 137.b
Cyrus cæsus 67

D

Daniel 5
Daniel quandiu præfuerit 9.b
Danielis encomium 38.b

Danielis fides 13.b
Danielis liber 1.b
Danielis librum in ecclesia exponendum esse 1.b
Danielis modestia 16.b
Danielis vita & laudes 1
Darius priscus quis fuerit 94
Darius rex Medorum & Persarum 59
Darius victus à Milciade 76
Dauidiani 65
Decisio 130.b
Dedicatio 25
Dentes ferrei 77.b
Desideriorum vir 98.b
Desolatio 109.b
Dethabraæi 25.b
Deus cœli 14.b
Deus Danielis 72
Deus Mayzim 131.b
Deus patrum 15.& 130.b
Deus Israelis est Deus deorum 22.b
Deus est Deus viuus 72
Deus agit per angelos 69 b
Deus benefacit etiam cum punit 60
Deus dat sapientiam 8
Deus regibus confert regna 5.b
Deus regnum suum per afflictiones promouet. 58.b
Deus seruat 72
Deus seruat cultores suos 69.b
Deus licet omnipotens sit non semper facit quæ potest 29
Deus quomodo blasphemetur 35.b
Dei & deorum imagines distinguuntur 29.b
Dei maiestas prædicatur 15
Dei potentia & bonitas 9
Dei vocem nolle audire est mali omnis initiũ 95.
Deo omnia tribuenda 16.b
Deum quomodo pœniteat & non pœniteat 42.b
Dispersio manus populi Dei 137
Doctores pij sub Antichristo 128.b
Doctorum ecclesiæ auctoritas 39
Doctrinæ propheticæ & Apostolicæ consensus 97
Dolendum ne cum illis qui à Deo puniuntur 41
Domus sceleratorum cur diruantur 11.b
Dona 54

E

EBrietas 50
Ebrij consilio carent 51 b
Ecclesia ædificatur maximis laboribus 102
Ecclesia quas vicissitudines patiatur 112
Ecclesia semper in mundo futura 84.b
Ecclesia seruatur mera Dei gratia 115.b 116
Ecclesiam suam Deus non deserit 128
Ecclesiæ bona non concoquenda 2.b
Examen necessarium 9
Exercitus cœlorum 48
Exitio omnes sumus obnoxij 13.b

F

FAbulæ confictæ à Satana ad eleuandam auctoritatem scripturæ 17.b
Factionum studia perniciosa 121.b
Fama non negligenda 69.b
Fides coniugalis 122.b
Fides cordis an sufficiat 65
Fides Danielis 13.b
Fides piorum est sedula 7.b
Fides quantum possit 70.b
Fidei certitudo 7.b
Fidei præcipua capita 63.b
Fideles inter hostes inculpate viuant 61
Fide vera prædíti aliquando errant 22.b
Fiducia in Deum 34
Filius coæqualis Patri 83
Filius quomodo dicatur accipere 81.b
Fœdus 108.b
Fœdus sanctuarij 115.b
Fœderibus confidere stultum est 121
Forma corporis 4
Fortis facie Hebraismus 92
Fortuna prospera non probat causam esse bonam 89.b

G

GAzerin 16.b
Gedabraæi 25.b
Generis obscuritas nemini improperanda 53
Gentilium libri an legendi 4
Georgiani 55
Græcorum monarchia 87.b
Gratiarum actio 15
Gratia Dei commendatur 33.b

H

HEbdomades 99
Hierosolymorum excidium 197
Hierosolymorum reparatio 102
Homo bulla 47.b
Homines mutantur in feras 41.b
Hostium Dei exitus 92.b
Humanitatis exemplum 7.b
Humilitas 33.& 92
Humiliatos Deus erigit 115

I

IActantia 45.b
Idola edictis regum defenduntur 26
Idola vnde authoritatem habeant 24.b
Idololatria damnatur 55.b
Iesus est Christus 102
Illuminare vultum 96.b
Imagines & earum cultus 36.b
de Imaginum vsu concertatio 79
Imperia cur assimulentur bestijs 74.b
Impietas cum maximè exultat collabitur 74
Impietas dilacerat regna 57
Impietas semetipsam confundit 53.b

Impietas vltimi sæculi & eius causa 138
Impij quò confugiant in periculis 51.b
Impij quomodo afficiantur nũcio iudicij 134
Impiorum excidium repentinum 71
Impœnitentis impij exemplum 51
Ingeniorum delectus in scholis habendus 3.b
Initiatio 25
Inquisitio in fideles 27.b
Intelligentia visionum & somniorum 8.b
Intentio bona 22.b
Interpretationum varietas 103.b
Inuidia 27.& 60
Inuocari super aliquid nomen Dei 97
Ioachimi regis annus tertius eiusdem est vnde cimus 2
Iosiæ filiorum successio 2
Iudaicum bellum 139
Iudææ gentis repudium 110
Iudæi duce Onia in Aegyptum descendunt 121.b
Iudæi Iudæa excluſi 110.b
Iudæorum scholæ 3
Iudicium extremum 85.& 134
Iudicio Dei nos subijcere debemus 40.b
Iudicio Domini nunciato quomodo homines afficiantur 134.b
Iudicia Dei nemo iure culpare potest 48
Iudiciorum Dei æquitas 46.b
Iudiciorum Dei certitudo 51
Iusiurandum 136
Iustitia Dei 96.b.
Iustitia æterna 100..b
Iustitia quomodo tribuatur misericordię 43.b
Iustificamur per Christum 100
Iustificatio per fidem 97
Iuuentutis vitia 6

L

Laetis rebus cur tristia misceantur 86
Lapidis nomine Christus insignitur 20
Leoni confertur regnum Babylonium 75
Leonibus obijci vsitatum olim fuit suppliciũ 68.b
Lex talionis 70.b
Legis abrogatio 109
Legem Deus ipse abrogat 108
Leges quænam rescindi possint 67
Legum abusus 61.b
Legibus impijs sancti se opposuere 64.b
Liberalitas 23
Liberatio duplex 70
Liber vitæ 134.b
Libri gentilium an legendi 4
Liberi puniuntur cum parentibus 71
Lingua vtendum quæ à quam plurimis intelligatur 11.b
Linguæ discendæ 4
Liuor bestia truculentissima 66.b
Loquacitas 40

M

Macedonica monarchia pardus 76.b
Mahumed. 77.b
Magi 11
Magistratus quomodo habeat potestatem occidendi 55
Magistratui honor impendendus 52.b
Magistratui quatenus parendum 64.b
Maiestas Dei prædicatur 15
Mala cur prædicat Dominus 75.b
Malorum breuitas consolatur afflictos 90
Malorum culpa in Deum non reijcienda 95
Manibus decem: Hebraismus 9
in Manum alicuius tradere 2 b
Mare 74 b
Marschalcus vnde dictus 3.b
Matrimonium prohibet Antichristus 130.b
Matrimonij violationem Deus punit 119
Mayzim 131.b
Mesach 5
Michael 114.b.& 134
Michaelis archangeli libra 56.b
Ministri ecclesiæ consulant quid faciendum 42
Miracula Dei 72
Miraculorum vsus 34.b
Misael 5
Misericordia 14.b
Moderatio diuina 41.b
Modestia Danielis 16.b
Modestiæ exemplum 7.b.33
Mons regnum vel ecclesia 21
Montis allegoria 20.b
Mortem martyrum an velit Dominus 65
Mortui dormiunt 134.b
Mulierum opera sæpe Deus vtitur 52
Multitudo errantium 26
Mundus qualis sit 17.b
Munera 12.& 54
Munerum corruptela 114.b
Munera publica quibus committenda 60
Mysteria explicantur petentibus 84

N

Nabuchodonosor qualis fuerit 13
Nabuchodonosor Danielem adorat 22
Nabuchodonosoris sapientia 9
Nehemiæ ætas 105
Nicodemitæ 65
Nitocris 52
Nobiles & liberi olim discebant literas 4
Noctis allegoria 74.b
Nocte cur visiones ostendantur 15
Nominum mutatio 5
Nosse seipsum vera sapientia 37

O

Obedientia & multitudo errantium 26
Obedientia non omnis probanda 34
Obsignare 93
Obsignare librum 135.b
Occasiones peccatorum 45

Oculos eleuare in cœlum 47
Oeconomiæ exemplum 2.b
Oeconomos quales esse conueniat 7
Onias 121.b
Oraculorum Dei interpretatione nobis opus est 84
Oraculorum intellectus à Deo petendus 90.b
Orantes cõfirmant se exemplis operũ Dei 96
de Oratione 62.b
Oratio 14
Oratio fidelium semper efficax 14.b
Oratio fidelium exauditur à Deo 98
Oratio qualis esse debeat 114
Orationis piæ circumstantiæ 94
Orationis syncerę conditiones 97.b
Oratio virum prodit 53
Ordinis præstantia 59.b

P

Pæsah 112
Palmoni 90
Papa cornu paruum 78 b
Papa grandia loquitur 80
Papæ antichristi descriptio 109 110
Papæ bellorum authores 80.b
Parentes quatenus diligendi 65
Parizim 121.b
Patientia & spes 86
Paucitas & multitudo quid valeant in religione 27
Pax 38.& 71 b
Peccatores Deus è manibus suis in manus torrorum tradit 2 b
Peccatores se esse sancti confessi sunt 97.b
Peccatum conficere 100
Peccati medela 44
Peccata lugenda 69
Peculatus multum damni dat rebuspub. 59.b
Persarum princeps 114.b
Persarum regnum 116.b
Persica bella 86.b
Persica monarchia vrsus 75.b
Persequutio grauis 128
Persequutionis tempore quomodo nos geramus 112.b
Persequutionẽ semper patitur vera religio 30
Persequutiones suum finem habent 129
Persequutorum calliditas 67
Persequutoribus pij se non obijciunt 13.b
Perseuerantia 97.b
Perseuerantia in pietate commendatur 139.b
Personarum distinctio in Trinitate 81.b
Personarum respectus 68
Petitiones nostras Deus præuenit 90
Philippi societas cum Antiocho 121
Pipinus rex creatur 79
Pij gratiam hominum amittunt 30.b
Pij quare cruci subijciantur 129
Pij seruant numinis reuerentiam 113
Pij sidera nominantur 89
Pij specie iuris damnantur 66.b
Pœna peccatorum 95.b
Pœnæ sontium cur aliquãdo remittantur 16
Pœnitentia 2.b
Pœnitentia vera 46.& 94.b
Pœnitentiæ veræ exemplum 32.b
Pœnitentis opera 33.b
Pœnitentes quomodo restituantur 48
Pœnitentibus restitutio est necessaria 36
Pontificatus quousq; durabit 80.b
Pontificum astutia & calliditas 79.b
Popilius 126
Porphyrius Danielis librum ab alio post res gestas scriptum existimauit 1.b
Potentia Dei 60
Preces 62.b
Preces prosternere 97
Præscientia futurorũ Dei est non hominũ 11.b
Principes quales sint sub quibus imperia euertuntur 49.b
Principes tuentur legibus 67
Principum est punire sceleratos 71
Prodigia 57
Promissio orationẽ promouet nõ impedit 94.
Promissionis de Christo renouatio 10
Promissionum Dei discrimen 29
Prophetas exponendos esse in ecclesia Christi 1.b
Prophetis qui contradicit, Deo contradicit 94.b. 95.
Prophetiæ diuinitas & certitudo 19.b.& 57
Prophetiæ complentur in Christo 100.b
Prosperitas aliquando est ex ira Dei 130
Prouidentia 6.b & 85.b
Prouidentia Dei omnia in numerato habet 56
Ptolemæus Euergetes 118
Ptolemæus Philadelphus 117
Ptolemæus Philopator 119 b
Purpuræ vsus 53.b

Q

Qvæstionibus curiosis est abstinendũ 137.b
Quiete frui licet 74

R

Regnum Dei incorruptum 71
Regnum gratiæ & gloriæ 21
Regnorum diuisio vnde sit 56.b
Reges prædicent opera Domini 38
Reges secundum quod reges sunt Deo seruire debent 35
Regum est curare scholas 3.b
Remissio peccatorum 99.b
Religio 108.b
Religio vera 36
Religio vera quomodo accusetur 27.b
Religio falsa 24
Religio per afflictiones propagatur 58.b
de Religione quomodo loquendum 6.b
Religionis veræ odium 62
Resurrectio corporum 33.& 134.b
Respondens dixit: Hebraismus 13.b
Romana monarchia 77
Romani quomodo varia regna occuparint 18.b

Romanũ imperium cuferro confertur 18.b
Romanum imperium diuiſum 19

S

Sacrarum literarum lectio 94
Sacrificium iuge tollendum ter dicit Daniel 138.b
Sacrilegium 50
Sadrach 5
Salus non eſt in alio quàm in ſolo Chriſto 64
Salutationes 11.b
Sanctuarium fortitudinis 127
Sanctuarij fœdus 125.b
Sancti adorationem ſui non appetunt 22.b
Sancti pro ſe confeſsi ſunt peccata & orauerunt 97.b
Sancti quomodo ſe iuſtos dicant 70
Sancti quid poſsint 40 b
Sancti quomodo afficiãtur ad eloquia Dei 115
Sancti quomodo iudicent cum Chriſto 81.b
Sancti ſuam innocentiam tuentur 69.b
Sanctorum mors an placeat Domino 65
Sapiẽtia quid, à quo, & quomodo acquiratur 3
Sapientia quomodo conferatur 8
Sapientia vera & falſa 10
Sapientia vera vnde ſit 14.16.b
Sapientia vera falſam ſuperat 11
Sapientiæ humanæ finis mors 13
Sapientum Babylonis vanitas 51.b
Satrapæ 25.b
Scelera populi merentur principes tyrãnos 92
Scholarcham dandum ſcholis 3.b
de Scholis multa 3
Scriptura eſt authentica 136
Scripturæ auctoritas 74.112.b
Scripturæ ſanctæ diuinitas 90 b
Seculum nouiſsimum quod 16.b
Seculi poſtremi homines quales ſint futuri 138
Securitas impiorum 53.b
Seditiones Romanorum 19
Seleucus Callinicus 118
Seleucus Nicanor 117.b
Seleucus Philopator 123.b
Senſuum obiecta ad peccatum incitant 45
Septenarius 99
Septimanarum Danielis ſupputatio 103.b
Septuaginta ſeptimanæ 99
Seruator ſolus Deus eſt 33.b
Serui Dei qui & quæ ipſorum officia 34
Seueritas neceſſaria principi 7
Signei 25.b
Sobritas ſtudioſis ſeruanda 4.b.& 5.b
Somnium 74
Somnia 38.b
Somniorum obſeruatio 8.b
Somnijs antiquitus Deus ſuam voluntatem patefecit 10.b
Spiritualia maximè petenda 96
Superbia 37.b.& 92
Superbia ſemper grauiter punita 46.b
Superſtitio 36
Suſarum vrbs 86
Stellæ 89
Stillare 95.b
Studiorum certum tempus 4.b
Studiorum finis 4.b
Studioſis proſpiciendum 4.b
Studioſi literarum quales eſſe debeant 4
Studioſorum diſpenſatores quales eſſe conueniat 7
Studioſorum intemperantia 6.b

T

Templum euertendum Iudæi non credidere runt 139
Templum ſuum cur Deus paſſus eſt ſpoliari à gentile 2.b
Templorum ornamenta 131.b
Tempus & tempora 80.b
Tempora mutantur à Papa 80
Tempora ſeptem 41.b
Temporis ratio habenda 7.b.8.b
Temulentia 50
Terram diuidere pretio 132.b
Teſtamentum 108 b
Tharſis gemma 113
Thiphtaæi 25 b
Throni iudicum in iudicio Dei 81.b
Timor 68
Torquium vſus 53.b
Tutorum fraudes 124.b
in Typis non omnia congruunt 124

V

Venti 74.b
Verbum mutare: Hebraiſmus 34.b
Verbi Dei auditores quales eſſe debeant 113
Verbo Dei diligenter auſcultandum 91
Veritas 61.b. Veſtis 112.b
Veſtis candida 82
Viciſsitudo in aulis & in eccleſia 25
Victoria à Deo datur 120
Victoria quomodo vtendum 2.b
Victoria aliquando datur peſsimis 120.b
Vigil ſanctus 39
Vindicta Dei celeris 50.b
Vinum bibere culpa vacat 50
Viſiones cur nocte oſtendantur 25
Vitia corporis ſtudia impeditur 4
Vnctionis vſus varius 100.b
Vocatio gentium 108.b
Vuilhelmus Dellius 61.b

X

Xenophon 57.b
Xerxes 116.b
Xerxes à Græcis victus 76

Z

Zaba

FINIS.

INDEX

INDEX PRAECIPVARVM

RERVM QVAE IN HAC EPITOME TEMporum commemorantur.

A

AARON 21
Aaron quando natus 16.b
Abacuk propheta 69.b
Abdias propheta 71
Abdon iudex 29
Abel 5
Abia rex Iuda 60.b
Abigail 41
Abimelech filius Gedeonis & eius res 27.b
Abner 42
Abraham 11
Abraham magno in pretio apud principes 13.b
Abrahami mors 14
Abrahami ingressus in Chananæam, &c. 12.b
Abrahami, promissio, & peregrinationis anni 12
Abrahami vocatio 11.b
Absalonis res 44.b
Achab rex 51.b
Achabi bella 53 b
Achaicum bellum 105
Achaz rex Iuda 67
Acta Apostolorum 112
Actiacum bellum 107
Adam 3
Adami anni 4
Adami doctrina 4.b
Adami lapsus 3.b
Adulterium Dauidis 44
Adulteria à Deo puniuntur 31. 32.b
Aegyptiæ plagæ 18
Aegyptus superstitiosa: studiosa sapientiæ 9.b
Aegypti reges 91.b.& 99.b
Aegyptiorum regnum 9.b
Aegyptij regni variæ vicissitudines 10
Afflictiones sanctorum felicem habent exitum 74.b
Agrippa iunior 113
Ahasias rex Israelis 54
Ahasias rex Iuda 62
Aioth 25.b
Alcimus pontifex 101
Alexander Iamneus rex Iudæorum 102
Alexander magnus 91.b
Alexander rex Syriæ 100
Alexander Sabinæus rex Syriæ 100.b
Alexandra Iudæorum regina 102.b
Alexandria condita 91.b
Amalechiticum bellum 37
Amasias rex Iuda 63
Ambitio turbat res mortalium 93
Amicorum insigne par 39.b
Ammoniticum bellum 36
Amon rex Iuda 69.b
Amos propheta 57
Amri rex Israelis 52
Anarchia 31.b
Ancus Martius 73 b
Anni quantitas ante diluuium 4
Anni Olympiadum 72.b
Anni vrbis conditæ 73.b
Anni 430. quorum in Exodo fit mentio 16.b
Anni 480. ab egressu ex Aegypto ad templi fundamenta iacta 17
Anni septuaginta captiuitatis Babylonicæ 78
Anni regum Iuda & Israelis 59
Anni templi extructi 87.b
Annorum mundi variæ supputationes 23.b
Antigoni mors 92.b
Antiochus Cyzicenus 200.b
Antiochus Epiphanes 100
Antiochus Eupator 100
Antiochus Gryphus 100.b
Antiochus Magnus & eius beneficia in ecclesiam 93
Antiochus Hierosolymam inuitatur 98
Antiochus Sedetes 100
Antiochus Soter 93
Antiochus Soter qui & Pius 100
Antiochus Theos 93
Antiochia condita 92 b
Antiochinum bellum 95
Antipater Herodis pater 103.b
Antipater Idumæus 102. b
Apamea condita 92.b
Aphricanum bellum 106.b
Apocalypsis Iesu Christi exhibita Ioanni 112
Apollonius Antiochi dux 100.b
Apostolorum electio 110.b
Apostolorum epistolæ 112
Apostolorum officium 111
Apostolorum scripta 111
Apries Aegypti rex 80.b
Ararat mons 7
Arbelo primum exhibiti diuini honores 11.b
Arca à Noe extructa 6 b
Arca fœderis quibus locis peregrinata sit 34.
Arcæ abusus 33
Archelaus Herodis filius 113
Aretas Arabs 102.b
Aristobulus primus rex Iudæorum 102
Aristobulus alter Iudæorum rex 102.b
Aristobulus Peripateticus 92.b
Aristonicum bellum 105 b
Arphaxat 7.b
Arphaxat Medorum rex 75
Arsames rex Persarum 88.b
Artaxerxes Longimanus 88
Artaxerxes Mnemon 88
Asa rex Iuda 60.b

Aſcenſio Chriſti in cœlum 110.b
Aſſamonæi 100.b
Aſſaraddon 75
Aſſur 8.b
Aſſyriaca monarchia 8.b
Aſſyriacæ monarchiæ diuiſio 63 b
Aſſyrium regnum non deſinit in Sardanapalo 9
Aſſyriorum regum catalogus 9. 74
Athalia 62.b
Auguſtus 107
Auguſtus Cæſar 113.b
Auguſti res 107
Authoritas noſtræ religionis 11
Azarias propheta 61
Azarias rex Iuda 63

B

BAalis templum euertitur, ſacerdotes occiduntur 56
Baaſa rex Iſraelis 51
Babylon extruitur 8.b
Babylonis reges 74
Babylonica captiuitas 78
Babylonis regnum 80
Bachides Demetrij dux 101.b
Balthaſar rex Babylonis 80
Barac 26
Baruch propheta 70.b
Bellum Amalechiticum 37
Bellum Ammoniticum 36
Bellum Aſſyrium Ezechiæ regis 68
Bellum Beniamiticum 32
Bellum ciuile 42
Bellum contra Chananæos 23.b
Bellum Iudaicum 114.b
Bellum Palæſtinum 33.&36.b
Bellum Palæſtinum Saulis ſecundum 38
Bellum Palæſtinum Saulis tertium 38.b
Bellum Syriacum Nabuchodonoſoris 71.b
Bella Achabi 53
Bella Dauidis 42
Bella gigantea Dauidis 42.b
Bella regum Iſraelis 51
Beniamiticum bellum 32

C

CAeſaris & Pompeij exempla 106.b
Cain 5
Caman 5.b
Caius Cæſar 113.b
Calamitatum veræ cauſæ 60
Cambyſes 87.b
Canonici ſcriptores nulli ab Alexãdro ad Chriſtum 86
Cantabricum bellum 107
Cantica canticorum 46
Captiuitas decem tribuum 58
Captiuitas Hieroſolymorum 77
Carthago quando condita 28
Carthago deletur 105
Caſſander & eius filij 94
Catilinæ coniuratio 106
Ceilanorum perfidia 40.b
Ceremoniales leges 19 b
Ceremoniarum finis & vſus 19
Cethura ſecunda vxor Abrahami 14
Cham maledicitur 7.b
Chananæi delentur 23.b
Charran 11.b
Cherethi & Pelethi 40
Chriſtus filius Abrahami 13.b
Chriſtus verus Deus & homo in vna perſona 109
Chriſtus Germen vocatur 85
Chriſtus ſemen benedictum 4.13.b
Chriſtus quando prædicarit euangelium 110
Chriſtus quandiu prædicarit 110.b
Chriſti genealogia 86.b
Chriſti natiuitas 107.b
Chriſti pueritia 110
Chriſti mors, reſurrectio & aſcenſio in cœlum 110. b
Chriſti typi 22,& 20
Chriſtum ſeruaſſe patres per fidem 5
Chronographorum variæ ſuppurationes 2
Ciphei proditores 40.b
Circunciſio 13
Ciuile bellum Iſraelitarum 51.b
Ciuile bellum Marij 105.b
Ciuile bellum Pompeij & Cæſaris 106.b
Ciuilia bella reparata 107
Ciuitas Dauidis 43
Ciuitas Dei & Diaboli 5
Ciuitas prima in orbe 5.b
Claudius Cæſar 113.b
Clementiæ exemplum 57.b
Cleopatra Aegyptia 100
Communicatio idiomatum 109.b
Concilium Hieroſolymitanum 111.b
Coniugia imparia & prophana 6.b
Conſtantia Moſis 21.b
Corinthus diruta 105
Craſſus occiſus à Parthis 103
Creationis hiſtoria 3
Creticum bellum 106
Crudelitatis exemplum 101,& 99.b
Crux ſanctorum 44.b
Cultus Dei ab Adamo traditus 4.b
Cultus electitij diſplicent Deo 27
Cultum mixtũ humanis traditionibus Deus improbat 58.b
in cultu Dei nihil procraſtinandum 21
Cyrus 87
Cymbricum bellum 105

D

DAlila 30
Danielis hebdomades 87
Danielis liber 79.b
Daniræ Laitas opprimunt 32
Darius Arbelas 88.b
Darius Hyſtaſpis 87.b

Darius Nothus 88
Darius Ochus 88.b
Darius priſcus 87
Dauid vngitur in regem tribus Iuda 41.b
Dauid propheta 43.b
Dauid muſicus 38
Dauidis natales & adoleſcentia 39
Dauidis monomachia 38. 39
Dauidis bella 42
Dauidis perſequutio 40
Dauidis perſequutionum finis 41.b
Dauidis pietas 40
Dauidis virtus & religio 43
Dauidis vxores 43
Dauidis teſtamentum 45.b
Dauidis regnum 59.b
Debora 26
Decalogi expoſitio 19.b
Dedicatio templi 46.b
Demetrius Nicanor 100
Demetrius Soter 100
Demetrius rex Macedonum 94
Deus mouet hominum mentes 84
Deus nunquam vincitur licet impij de eccleſia triumphent 33.b
Deus peccatores reuocat in viam 6.b
Deus quomodo vindicet 69
Dei nomen cœptum inuocari ſub Enos 5.b
Deuteronomium 22.b
Diluuij tempus 7
Diluuij vſus 6.b
Doctrina apoſtolica 111
Doctrinæ Chriſti ſumma 110

E

Ecclesiaſtes Solomonis 46
Eccleſiaſticus 68
Eccleſia apoſtolica 111
Eccleſiæ apoſtolicæ felicitas 112
Eccleſia Dei & diaboli 5
Eccleſia Dei in mundo licet corruptiſsimo 11
Eccleſia qualis fuerit in captiuitate 79.b
Eccleſiæ facies in terris 25.b
Eccleſiæ ſors 69
Eccleſiæ vices 92.b
Eccleſiæ reliquiæ in maxima corruptela populi 25. 99.b
in Eccleſiam irrepſerunt ſectæ 98
Eccleſiæ ſuæ antiſtites dat Deus 86.b
Eccleſiæ Dei vltima corruptela per Chriſtum & Apoſtolos ſublata 99
Eccleſia Dei pace vtitur 86
Eccleſia quomodo reſtituatur 84.b
Eccleſiam ſuam Deus defendit contra tyrannos 39.b
Eccleſiam Deus pro ſua bonitate refocillat 93.b. 97.b. 87.b
Eccleſia afflicta ſimul & refocillata 91
Ehud 25.b
Ela rex Iſraelis 51
Eleazar 98
Elon iudex 29
Enoch 5.b
Enochi translatio cur facta 6
Enos 5.b
Ephod 27
Epiſtolæ canonicæ 112
Epiſtolæ Pauli 112.b
Ephraimitæ mouent ciuile bellum 28.b
Eſau 14
Eſdras 85.b
Eſſeni veriſsimi monachi 99
Ethnica quatenus admiranda 21.b
Euangelia falſo inſcripta 112
Euangelia quatuor 111.b
Euilmerodach rex 80.b
Euſebij ſupputatio expenſa 2.b
Excelſa 20
Exodus 22.b
Ezechias rex Iuda 67.b
Ezechiel propheta 78

F

Fames 45
Fame Samaria obſeſſa 54
Fames tempore Heliæ 52
Fides Abrahæ iuſtificans 13
Fides catholica omnium filiorum Dei 14
Fides Dauidis 43.b
Fides Iacobi Iſraelis 16
Filij Dei gloria varie reuelata 109 b
Filij Dei qui fuerint 6.b
Filij degeneres 93.b
Filij prophetarum 34.b
Fœdus Deus cum Abrahamo reparat 13
Fœdus Dei reparatum cum Iſaaco & Iacobo 14.b
Fœdus quod Deus inijt cum Abrahamo 12.b
Fœderis tabulæ 19
Fœdera cum infidelibus 101.b
Fundamentum æternæ ſalutis 4

G

Galba Cæſar 114
Gallicum bellum 106. 94.b
Gedeon 26.b
Genealogia Chriſti 86.b
Geneſis 22.b
Gentes quoq; populus Dei fuerunt 16
Germani & reges eorum 8.b
Germanicum bellum 107.b
Godolias 77.b
Goliathus 38
Græca monarchia 91.b
Græcorum ſapientes 89

H

Aggæus 84.b
Hagagus rex cæditur 37.b
Hanoch 5.b
Hanochia ciuitas 5.b
Hebdomades Danielis 87
Hebdomadarum Danielis finis 110.b

Heber 8
Heli iudex in Israele 31.b
Heli nimium indulgens 32.b
Heliæ raptus 53
Heliæ res 52
Helisæi miracula 54
Helisæi res 55
Helisæi vocatio 53
Herodes Agrippa 113
Herodes Antipas 113
Herodes magnus 103
Herodes rex Iudæorum creatur à Romanis 103.b
Herodis res gestæ 113
Herodis vxores & liberi 104
Herodotus quando floruerit 31
Heroum filij noxæ 34.b
Hesther historia 79.b
Hierosolymam Dauid extruit 43
Hierosolyma à Babylonijs capitur 77
Hierosolyma capta 115
Hierosolyma capta à Pompeio 102.b
Hierosolymorum excidium 114
Hispanica bella 95.& 105
Homerus quando vixerit 31
Homo conditus à Deo 3
Hominis officium erga creatorem 3
Hominum mentes à Deo mouentur 84
Hosea rex Israelis 58
Hoseas propheta 63.b
Humanitatis exemplum 57.b

I

IAbin rex Chananæorum 26
Iabitæ opprimuntur 32 b
Iacobi res 14.b
Iacobi vaticinium de Christo 15
Iacobi mors & funus 16
Iacobi fratris Domini mors 214.b
Iacobus occisus ab Agrippa 113
Iacobi Epistola 212.b
Iahel 26.b
Iair iudex Israelis 28
Ianna Hyrcanus 86.b
Iared 5 b
Idiomatum communicatio 109.b
Idola confringit Gedeon 26.b
Idololatriæ origo 11
Idololatriæ pœna 48. 50.b. 56. 71
Idumæa vastatur 214.b
Iechonias rex Iuda 72
Iehu propheta 51
Iehu rex Israelis 55.b
Iephte iudicis res 28.b
Ieremias 70.b
Ieremias seruatus capta vrbe 77.b
Iericho corruit 23
Ieroboam primus rex Israelis 50.b
Ieroboamus secundus rex Israelis 57
Ieroboamica religio 49
Ieroboamicæ religionis finis 58
Ierubaal 26.b
Iesabel 51.b
Iesabelis mors 56
Iesus Christus est Messias 109
Iesus pontifex 86.b
Iesus Syrach 86
Ibzan Iudex 29
Illustres viri 89. 95. 107
Illyricum bellum 94.b.106
Imago Dei 3.b
Imperia à Deo esse 10.b
Impietas punitur grauissime 67
Incarnatio filij Dei 109.b
Incestus 13.b 14.b 44.b
Ingratitudo Iudæorum erga Mosem 21.b
Ingratitudinis exemplum 62.b 99 b
Inimici diligendi 40.b
Intentio bona 37.b
Intentionis bonæ fructus 27. 57
Interpretes septuaginta 92
Interregnum 57
Inuentores rerum 5.b
Ioachaz rex Iuda 71
Ioachas rex Israelis 56
Ioachim rex Iuda 71 b
Ioannes Baptista primus prædicat Euangelium 110
Ioannes Euangelista 112
Ioannis Epistolæ 112
Ioannes Hyrcanus 101.b
Ioas rex Israelis 56.b
Ioas rex Iuda 62.b
Iobi historia 16
Ioel propheta 68.b
Ionas propheta 57
Ionathan Israelitarum optimus 37
Ionathan Macchabæus 101.b
Ioram rex Israelis 54
Ioram rex Iuda 62
Iordanis transitus 23
Iosaphat rex Iuda 61
Iosephi res 14.b
Iosephi mors 16 b
Iosephi bellum Iudaicum 214.b
Iosias rex Iuda 69.b
Iosiæ filij 71
Iosue dux populi Dei & eius res 23
Iothan rex Iuda 66.b
Iris 7
Isaac 13.b
Isaaci nuptiæ 14
Isaaci religio & mors 14.b
Isaias propheta 63.b
Isboseth 42
Ischa 3.b
Ischa & Heua 4.b
Ismael pater multarum gentium 13
Israelitarum anarchia 31.b
Israelitarum liberatio ex Aegypto 18
Israelitarum mansiones in deserto 18.b

Israelitis præstita beneficia in deserto 21.b
Israelitarum peccata in deserto 22
Israeliticæ reipublicæ mutatio 35.b
Israelitis terra diuiditur à Iosue 23.b
Israelitarum oppressiones 24.b
Israelitæ seruiunt Syris 24. b 56. b. Moabitis 25.b. Chananæis 26. Madianitis 26.b Ammonitis 28. Palæstinis 29.& 33. 28 Abimelecho filio Gedeonis 27.b
Israelitarum liberatio ex captiuitate 84
Israelis captiuitas 58
Israeliticum imperium 24
Israelis regni initium 48.b
Israelis regnum quandiu floruerit 56
Israelis regnum in duas partes scinditur 38.b
Israelitici regni discissio 48
Israelis reges 50.b
Iudas Machabæus 100 b
Iudæ Epistola 112
Iudææ præsides 114
Iudæa à Babylonio occupatur 71.b
Iudæi Romanis subditi per Pompeium 103
Iudæi vastant Samariam 59
Iudæorum vltima captiuitas 114
Iudæorum miseria sub Herode 105
Iudæorum fœdus cum Romanis 101.b
Iudices Israelis 24
Iudiciales leges 20.b
Iudith historia 75.b
Iugurthinum bellum 105.b
Iulij Cæsaris res 106
Iupiter Belus 9
Iuris gentium origo. 7

L

LAbynetus rex Babylonis 80
Lais capta à Danitis 32
Lamech 6
Lamech alius author polygamiæ 6
Laodicea condita 92.b
Leuiticus 22.b
Leuitæ vxor violata 32
Lex quid 18.b
Lex Dei vbi & quomodo promulgata 18.b
Lex abrogata 20
Legis diuisio 19.b
Legis & euangelij discrimen 110
Legis vsus triplex 20.b
Libertas in dicendo 55
Liberalitatis fidelium exemplum 68
Liberatio populi Dei 84
Libri Regum & Paraleipomenon 77.b
Loth seiungitur ab Abrahamo 12.b
Lothi incestus 13.b
Lucas 112
Lysias Antiochi dux 101

M

MAcedoniæ reges 93.b
Macedonicum bellum 95.94.105.106
Machabæi 100
Machabæorum libri 86
Madianitis seruiunt Israelitæ 26.b
Magistratus dat Deus populo suo 86.b
Magistratus officium 93
Magnanimitas Mosis 28
Magnificentia Solomonis cur describatur 47
Magorum aduentus ex Oriente 109.b
Malachias propheta 85
Malalehel 5.b
Manahem rex Israelis 57.b
Manasses rex Iuda 69
Marcus 112
Mariamne 104
Maria virgo Dauidis filia 43.b
Maria virgo mater Domini 111
Martyria sanctorum 98
Matathias sacerdos 100 b
Matthæus quando euangelium scripserit 112
Mathusalem 6
Melchizedek 12.b
Merodach Baladan 75
Messias orbi præstitus 109
Micheas propheta 66.b
Michæ historia 31.b
Ministris verbi nihil defuturum 54.b
Ministrorum ecclesiæ vicissitudines 69
Miplæzeth priapus 60.b
Miracula Domini 110
Misericordiæ & potentiæ Dei exemplum 84
Moabitis seruiunt Israelitæ 25.b
Monarchia quid 10
Monarchias à Deo esse, & in quem finem 10.b
Monarchia Græca 91.b
Moralis lex 19.b
Moses quando natus 16.b
Mosis infantia 17
Mosis res 17
Mosis libri 22.b
Moses vnde habuerit quæ scripsit 8
Mosis administratio 21
Mosis vocatio 17.b
Mosi auctoritas conciliatur à Deo 19
Moses in Madian philosophatur 17.b
Mosis constantia 21.b
Mosis mors & sepultura 22.b
Mundi corruptio ante diluuium 6.b
Munerum corruptela 54.b
Musæus 31
Musicam Dauid in templum introduxit 45
Mithridaticum bellum 106

N

NAbal 42
Nabonassar 74.b
Nabuchodonosor 75. 80.
Nachor 11
Nadab rex Israelis 50.b
Nahaman Syrus 54.b
Nahum propheta 69
Nehemias 85.b

Nephilim 6.b
Neri 72
Nero Cæsar 113.b
Neutralitas damnatur 32.b
Nimroth 8.b
Niniue vnde dicta 8.b
Niniue euersa 75. 9
Ninus author idololatriæ 9
Noe historia 7
Numa Pompilius 73.b
Numantia excisa 105
Numeri liber Mosis 22.b

O

OBed propheta 57.b
Oceanus Mizraim rex Aegypti 9.b
Oeconomiæ typus 74.b
Olympiadum ratio, & supputatio temporum per illas 72.b
Oraculorum Dei certitudo 55.b
Orbis à Deo conditi summa 3
Orbis diuisio 7
Orpheus 31
Osias rex Iuda 63
Otho Cæsar 114
Othoniel 24.b

P

Pæka rex Israelis 57.b
Pæsah Ezechiæ regis 68
Pæsah Iosiæ regis 70
Palæstini exultantes à Deo deijciuntur 33
Palæstinorum mores 29.b
Paradiso eiecti primi parentes nostri 3.b
Paraleipomenon libri 78
Parthi ab Antigono inducũtur in Iudæã 105.b
Parthicum bellum 103. 106.b
Pascha 18
Patientia Dauidis 44.b
Patres cur olim tot annos vixerint 4
Patres in Christum credidisse 5
Patres per Christum seruati sunt 4.b
Patriarchæ celebres in mundo viginti 6
Patriarchæ postremi an fuerint idololatræ 11
Paulus Apostolus & doctor gentium 111.b
Pauli Epistolæ 112.b
Pax sub Augusto 107.b
Peccata Israelitarum & pœnæ 22
Pekahia rex Israelis 57.b
Persarum reges 87
Persequutiones ecclesiæ 25
Persequutio ecclesiæ sub Cambyse 87.b
Persequutio ecclesiæ sub Ocho 88.b
Perses vltimus Macedonum rex 94
Persicum bellum 94.b
Personalis vnio 109.b
Pestis 45
Petri Epistolæ duæ 112
Phalec 8.b
Pharao 9.b
Pharao mergitur in mari rubro 18
Pharisæi qui 98.b
Phärnaces victus 106.b
Philippus Aridæus 94
Philippus Macedoniæ rex 94
Pietas in parentes 40
Piraticum bellum 106
Plagæ Aegyptiæ 18
Podagra laborauit Asa rex Iuda 61
Pœnitentiæ exemplum 28
Pœnitentiæ fructus 34
Pœnitentia Dauidis 44
Pœnitentia Israelitarum 26.b
Pœnitentia Manasis 69
Pompeius Hierosolymam capit 102.b
Pompeius occisus 106.b
Pontifices Iudæorum post captiuitatem Babyloniam 86.b
Pontifices omnis mali authores Iudæis 97.b
Pontius Pilatus 114
Priapus 60.b
Principes Dij & seruatores 95
Proditorum exempla 40.b
Prometheus 11
Promissio de Christo repetita Abrahamo 13.b
Promissionum Dei veritas 13. 83.b
Promissiones de Christo Dauidi factæ 43.b
Propheta in castris versatur 55
Prophetas excipientibus prœmia proposita 52
Prophetæ multi sub Asa rege 61
Prophetæ in captiuitate Babylonia 79
Prophetæ post captiuitatem 84.b
Prophetiæ authoritas vindicata 54.b
Prouerbia Solomonis 46
Psalterium Dauidis 43.b
Pseudoeuangelia 112
Ptolemæus Alexander 99.b
Ptolemæus Auletes 99.b
Ptolemæus Ceraunus 94
Ptolemæus Dionysius 99.b
Ptolemæus Epiphanes 92.b
Ptolemæus Euergetes 92.b
Ptolemæus Lagi 91.b
Ptolemæus Lathurus 99.b
Ptolemæi Lathuri crudelitas contra Iudæos 102
Ptolemæus Philadelphus 92
Ptolemæus Philometor 92.b
Ptolemæus Philopator 92.b
Ptolemæus Physcon 99.b
Punicum bellum 94.b
Punicum bellum secundum 94.b
Punicum bellum tertium 105
Pyrrhi bellum 94.b

Q

QVintilius Varus 107.b

R

REformatio ecclesiæ facta ab Esdra 85
Reformationis exemplum 61.b, 62.b, 67.b
Regnum Dauidis 59.b
Regni leges 35.b
Regnorum tranquillitas vnde 61.b
Regum libri 77.b

Reipub. Israeliticæ mutatio 53.b
Religio & doctrina patrum & legis 19
Religio variè mutatur 25
Religionis veræ in falsam cõmutationes 24.b
Religionis veræ corruptio 11.b
Religio mutata in Israele 48
Religio qualis in regno Iuda 60
Religio Ieroboamica ad vulgi affectus accommodata 49
Religio Samaritica 58.b
Religio vera omnibus temporibus falsam vincit 33.b
Religionis veræ summa 30.b
Religionis veræ doctrina perpetua est 43.b
Religionis nostræ auctoritas 11. 46.b
Religionis controuersiæ quomodo dijudicandæ 61.b
Religionis reformatio regium opus 61.b
Resurrectio Christi 110.b
Reu 10.b
Roboam rex Iuda 59.b
Romæ etymon 73.b
Roma quo anno condita 73.b
Roma cur Babylon dicta sit 8.b
Roma capta à Gallis 88.b
Romæ reges electi 88.b
Romanorum reges 73.b
Romanorum res 88.b,94.b.105.
Romanum imperium diuisum 107
Romulus 73.b
Ruben 14
Ruth historia 29

S

SAbea regina venit ad Solomonem 47.b
Sacerdotes & Leuitæ 20
Sacramentum pascæ 18
Sacramenta prisc orum 4.b
Sacramenta quomodo administrarint Apostoli 111
Sacrificia 4.b
Sacrificia veterum 20
Sacrificia sumptuosissima Solomonis 46.b
Sacrificari quare Deus vno tantum loco voluerit 21
Sacrificij idolorum interficiuntur 53
Sacri libri conseruati 84.b
Sacri scriptores antiquissimis gentium scriptoribus vetustiores sunt 31
Sadducæorum descriptio 99
Sale 8
Salutis fundamentum 4
Samaria extruitur 51.b
Samaria capitur 58
Samariæ regnum 51.b
Samaritani qui fuerint 58.b
Samsonis res 29.b
Samsonis robur non fuit in capillis 30
Samuelis libri 35
Samuelis res 34
Sanctorum sors 69
Sangar 26
Sapientiæ liber 86
Sapientes ethnicorũ 95.b. 107.b. 80.b. 89
Saræ mors 14 Sardanapalus 9. 63.b
Saruch 10.b
Saturnus Babylonius 8.b
Saul primus rex in Israele 36
Saul Dauidem persequitur 38
Saulini odij contra Dauidem origo 39.b
Saul furiosus 38. Saulis mors 39
Saul prophetat 40
Scholæ 20.b
de Scholis 34.b
Scholam instituit Samuel 34.b
Scortatio Samsonis 30
Scortationes à Deo puniuntur 31.32.b
Seditio Absalonica 44.b
Seditio Sebæ 45
Sectæ in ecclesia 98
Seleucia condita 92.b
Seleucus Callinicus 93
Seleucus Ceraunus 93
Seleucus Cyziceni filius 100.b
Seleucus Nicanor 92.b
Seleucus Philopator 93.b
Sellum rex Israelis 57.b
Sem irrefragabilis doctor orbis 7.b
Semeias propheta 60
Semen benedictum Christus 4.13.b
Seminis benedicti an mentio fiat in decalogo 20.b
Semiramis 9 Senacheribus 74.b
Senes ineptissimi amatores 47.b
Septuaginta interpretes & veterum de illis iudicia 92
Serpens æneus deijcitur & conteritur 68
Seron Syriæ præfectus 100.b
Sertorianum bellum 106
Seruile bellum 106
Seruius Tullius 74
Seth 5
Siloh ex quo & quando nasciturus 15
Siloh est Christus 15.b
Simeon iustus 109.b
Simeon iustus Hillelis filius 99.b
Simon Machabæus 101.b
Simus Abrahæ 14
Sisara 26.b
Sociale bellum 105.b
Societas cum impijs damnatur 61.b
Sodomæ conflagratio 13
Solomon coronatur rex 45
Solomonis libri 46
Solomonis iudicium 46
Solomonis magnificentia 47
Solomonis religio 45.b
Solomonis sapientia 86
Solomonis vxores 47.b
Solomonis peccatum 47.b
Solomonis mors 48
Sophonias propheta 71
Spiritus sancti missio 111

Stephani martyris mors 114.b
Studiosis pietatis nihil vnquã defuturũ 54.b
Successio continua doctorum 34.b
Superbiæ exemplum 63
Superbia punita 102
Suppurationum diuersitas vnde nascatur 2.b
Supputationum diuersitate pij non offenduntur 2.b
Syracides 86
Syriæ reges 92.b.& 100

T

TAbernaculum Domino extruxit Dauid 43
Tabulæ legis 18 b
Tabulæ fœderis repositæ in arca 19
Tabulæ chronicæ prima 64.b. secunda 75 tertia 81. quarta 89. quinta 95.sexta 109
Tarquinius priscus 74
Tarquinius superbus 74
Templi extructio 46.b
Templi initiatio 46.b
Templum secundum quot annis extructum 87.b
Templum extructum ab Herode 104.b
Templum purgatur à Iuda Machabæo 101
Templum Heliopolitanum 92.b
Temporum series vnde petenda 3.b
Temporibus Noe nostra tempora similia 6.b
Thare 11
Thermutis 17
Thibni 51.b
Thola iudex Israelis 27.b
Threni Ieremiæ 70.b
Tiberius Cæsar 113.b
Tigurum quando & à quo conditum 12
Titus Vespasiani filius 114.b
Tentatio grauis populi Dei 79
Terram diuisit Noe filijs suis 7
Testamentum Dauidis 45.b
Testamenti noui populus quibus legibus viuat 111
Testaménti vetteris & noui libri in fine Malachiæ connectuntur
Tobiæ historia 74.b
Traditio per manus tradita 8
Traditio vitia primorum patrum 4
Traditionis patrum mutatio 11.b
Traditiones hominum 98.b
Tranquillitas ex vera religione 61.b
Translationes Bibliorum 92
Treueris à quo & quando condita 12
Triumuiri 107
Troia quando capta 30.b
Tryphon rex Syriæ 100
Tullus Hostilius 73.b
Typi Christi 22
Tyranni quomodo à Deo sint 10.b
Tyrus quando extructa 27.b
Tytea vxor Noe 7

V

VAticinium de Christo 67
Vaticinium Iacobi de Christo 15
Verbum Dei non audire maximũ scelus 37.b
Victoriæ Israelitarum 22
Vindicta numinis tarda 69
Vini inuentio 7
Viri illustres 107.89
Viriathinum bellum 105
Viridomarus 94.b
Vitellius Cæsar 114
Vocatio gentium 111
Votum Iephte 28.b
Vr 11.b
Vrias propheta 71.b

X

XErxes 88

Z

ZAcharias rex Israelis 57 b
Zacharias propheta 85
Zacharias occiditur 62.b
Zedechias rex Iuda 77
Zera Aethiops bellum infert Asæ 60.b
Ziclag diripitur 41.b
Zimri rex Israelis 51.b
Zorobabel 86.b

FINIS.

IN SAPIENTISSIMI PROPHETAE DANIELIS LIBRVM HOMILIAE, AVTHORE HEINRICO Bullingero.

HOMILIA PRIMA.

DE VITA ET OPERE DANIELIS.

DICENDVM videtur ante expositionem verborum sancti Danielis, quis fuerit Daniel ille, quid scripserit, & qualenam scripti genus sit, & quòd in Ecclesia Christi sit exponẽdum.

Daniel fuit ex tribu Iuda prognatus, semine, vt ipsemet testatur regio, sicuti & Isaias fuisse traditur. Nomen illi Danielis inditum est singulari Dei prouidentia. Nam Daniel significat Dei iudicium vel iudex meus Deus. Atqui annunciata sunt per hunc hominem, non modò iudicia Dei, sed insuper iudex præsentissimus assertor & defensor fuit Deus. Id quod ipsa nobis explicabit eius historia. Puer in literis bonis ac sacris institutus esse videtur. Certè religiosum à cunis fuisse apparet, religionisq; studiosissimũ. Vidit & audiuit Ieremiam prophetã, cuius ipse honorificam facit mentionẽ cap. 9. Fortasis 12. annorum aut circiter adolescens in Babylonẽ captiuus est abductus in captiua familia regia. Porrò rege Babyloniorũ iubente ipse vnà cum sodalibus suis contribulibus, in Babylonicũ collegium studiosorũ est allectus, ibidẽq; in linguis & artibus uel disciplinis optimis institutus, omnes suos coæquales eruditione & sapientia superauit. Profectus enim eius fuit singularis & excellentissimus, sobrietas eius timorq; Dei admirabilis. Vnde & regi egregiè charus, gubernationi regni præfectus est, non postremus inter regni proceres factus. Ac dubium non est, quin toto tempore regni Nabuchod. magna fuerit autoritate conspicuus, & fortè etiam sub regno Euilmerodachi principis non praui. Neglectum autem appareat sub regno Balthazaris, vt qui pluris faciebat potatores & cupediarios, meretrices atq; voluptuarios, quàm sapientes, doctos, atq; religiosos homines. Amantissimus fuit bonorum Principum Daniel, & fidelissimum eis obsequium præstitit. Erga Balthazarem verò Regem erat durus, sed non immeritò. Dario rursus Medo charis. eiusq; rursus obseruantis. fuit. Sub hoc rege, Principũ expertus odia grauissima, ad Leones est damnatus atque proiectus, sed liberauit ipsum Dominus, non tam à Leonibus hominibus, quàm à bestijs. Ad Cyri vsq; regnum vixit, (cuius anno 3. sibi visionem exhibitam esse testatur, cap. 10.) fortè supra annos 80. aut plures. Isidorus Hispalen. in opusculo suo de vita & obitu sanctorum, Daniel vir fuit ait gloriosus, aspectu decorus, mente humilis, corpore castus, perfectus in fide, egregius in opere, in virtute summus, in prodigijs clarus atq; terribilis, insignis cognitor secretorum cœlestium, præscius futurorum, visionum interpres, &c. Addit hic vixisse illum annos vitæ 110.

Daniel quis

Daniel.

Semper fuit in Ecclesia Dei maximæ authoritatis Daniel. Sapientissimus nuncupatur ab Ezechiele in cap. 29. numeratur ab eodem medius inter sanctissimos Dei amicos Noe & Iob, cap. 14. Et archangelus Gabriel nominat ipsum virum desideriorum, Danielis 9. cap. Ampliora & præstantiora vix in alio quopiam inuenias.

Authoritas Danielis maxima.

De libro Danielis.

Scripsit autem librum hunc partim Hebraicè, partim Chaldaicè, breuem quidem illum, habentem capita 12. & folia fortè 7. sed breuitate illa sua admiranda, comprehendit copiosissimam orbis & multorum seculorum historiam, & maxima Dei mysteria. Oratio eius est grauis, euidens, perspicua & elegantissima: nuncupatur & rectè quidem ab Hieronymo πολυΐστωρ, vt qui multiscius est & multa commemorat, adeoq; χρονικὰ vel epitome mundi mirificè contexit, incipiens à regno Babylonico & deducens res vsq; ad finem mundi: ea potissimum tractans, quæ pertinent ad populum Dei, vel ad Ecclesiam, disserens de eius sorte deq; persequutionibus atq; salute eiusdem. Certissima sunt autem omnia, quæ hic adferuntur, quia profecta sunt ex veracissimi Dei cunctaq; gubernantis reuelatione. Porphyrius Tyrius turpis nebulo, falsò existimauit hæc scripta esse, non à Daniele sed ab alio aliquo post res gestas, ac veluti historiam peractam, non vt prophetiam, prædixisse futuram: sed confutarunt ipsius blasphemiam Eusebius & alij viri Ecclesiastici sancti & docti, sicuti commemorat S. Hieronymus.

Partitio libri.

Diuidemus hunc librum Danielis in partes duas. Prior pars absoluetur capitibus prioribus sex, comprehendens actus celebres sex, plenos eruditionis vtilitatisq;. De singulis suo loco dicetur ordine. Posterior pars habet & ipsa cap. 6. Quibus exponuntur visiones de monarchijs & regnis aliquot mundi, de Christi quoq; deq; Antichristi regno & fine seculi. De quibus iterum suo dicetur tempore & loco.

Exponendus in Ecclesia liber Danielis.

Porrò Danielis hunc librum in Ecclesia Christi exponendum esse prædicandumq; Christiano populo, negant illi, quibus persuasum est, post Euangelium Christi & doctrinam Apostolicam, nihil prædicandum vel enarrandum in Ecclesia esse Christiano populo. Excludunt ergo doctrinam propheticam, quæ tamen testimonium habet in Euangelio & doctrina Apostolorum, & perfrequenter adducitur in medium ab Apostolis Domini. Errant ergo turpiter quotquot in Ecclesia Christi nolunt prædicari aut exponi prophetas. Nemo negabit, opinor, illud in Ecclesia Christi vrgendum esse maximè, quod regnum Christi illustrat, & mundum hunc & regnum eius contemptibile reddit. Atqui Daniel Christi regnum prædicat & ornat, regna verò mundi uana atq; caduca esse ostendit. Rursus prędicanda sunt populo Dei, quę fidem veram fouent, consolantur in casibus tristibus, & erigunt animos piorum depressos. Cum verò Daniel exponit semper in casibus difficillimis seruatam esse Dei Ecclesiam, adeoq; exciso templo Hierosolymitano, tum demum maximè creuisse inter gentes Dei gloriam & cultum, quid aliud docuit, quàm quod fideles in tentationibus confirmat in veritate? Certè vt post Christi aduentum Paulus missus est gentibus Apostolus, ita Daniel gentium quodāmodo fuit doctor suo seculo. Latius certè & splendidius propagata est gloria Dei per mundum, dispersо Dei populo & afflicto, quàm regnante atq; agente in pace. Quòd si exēpla aliquot singularia proferri possunt ad eruditionem Ecclesiæ Dei, quis oro prohibeat exempla ex historijs mundi propè vniuersi proposita à Daniele, Ecclesiæ Dei accommodare? Quid quod ipse Christus Dominus lectionem nobis Danielis commendat apud Matth. 24? Licet enim loqui videatur de excidio vrbis duntaxat, constat tamen differere Dominum & de fine seculi: de quo & Daniel disputat significantissimè & vtilissimè. S. quoq; Petrus Apostolus non prohibuit nobis Danielis lectionem & prædicationem, cum testatur in ipso fuisse spiritum Christi, & ipsum de aduentu Christi diligenter perquisiuisse & docuisse, certè in utilitatem Christianæ Ecclesiæ. Quod si prodest Ecclesiæ admonitio diligens, caueat ne Antichristi truculētia superetur vel artibus eius decipia-

decipiatur, cur non prodesset Danielis exemplo Ecclesiæ plurimum, quæ mirifica est in huiusmodi admonitione: Nunc ergo inuocato Dei auxilio, ipsum Danielis librum enarrabimus, cuius initium ita habet.

PRIMA PARS OPERIS DANIELIS.

CAPVT I.

ANno tertio regni Ioachim regis Iuda venit rex Babylonis Nabuchodonosor ad Hierusalem, & obsedit eam: tradiditq; Dominus in eius potestatem & Regem Iuda Ioachim, & aliquot vasa domus Dei, quæ auexit in terram Sinear, in domum Deorum suorũ, intulitq; Gazophylacio Deorum suorum.

PRIMVS actus Prophetæ primo exponitur capite, ac scriptus est de uera sapientia, adeoq; de scholis vel collegijs, de educatione & disciplina iuuentutis, adeoq; de vera introductione ad veram sapientiam, deniq; de singulari Dei gratia vel donis excellentibus, quæ Deus confert hominibus ad conseruationem regnorum, rerum publicarum & veræ religionis. Locus hic est memorabilis admodum & vtilis. Tractat autem hunc sub exemplo regis Babylonis, qui in Babylone Scholam instituerat, & in ea præclara fouebat ingenia. In numerum hunc studiosorum allectus erat & Daniel, qui mox ab initio sui operis exponit, qua occasione in Babylonem uenerit, nimirum per captiuitatem. *Actus primus est de vera sapien:*

A tempore itaq; auspicatur, à tertio anno Ioachim regis Iuda. Variè is locus exponitur. Dicam breuiter, quid mihi videatur, absq; tamen omnium aliorum præiudicio. Sequatur quisq; quod maximè purum verum & simplex esse videtur. Reliquit Iosias rex filios aliquot post se, ex quibus Ioachimum rex Nechao Ægypti, Iudæis præfecit, ipse in Ægyptum descendit. At quarto anno huius Ioachim,)id est sub finem anni 4. Ioachim, ut quinti principiũ & finis 4. Ioachim & primus Nabuch. concurrant) regno Babylonico inauguratus est Nabuchod ille qui ex rebus magnis feliciter gestis, magni nomen sortitus est. Hic mox ab initio regni sui parauit se ad bellum Ægyptiorum regi inferendum: ac intulit etiam, & vicit tandem. Quarto itaq; anno regni sui Nabuchod. qui erat annus Ioachimi octauus, nimirum circa finem anni, quo ab Ægyptio inauguratus erat, in deditionem accepit & Ioachimum regnumq; ei iterum cõcessit. Quod ille retinuit per annos 3. Sic enim legimus in 4. lib. Reg. cap. 24. Ascendit rex Babyloniorum Nabuchod. cui seruus factus est Ioachim tribus annis, sed conuersus defecit ab eo. Daniel ergo numerans annos regni Ioachim ab eo, quo impositus erat throno à rege Babyloniorum, nõ quo impositus erat à rege Ægyptiorum, ait tertio Ioachim anno, qui alioqui regni Ioachimici vndecimus erat, in potestatem ueniſſe Nabuchodonosoris, qui propter defectionem ad Ægyptium ipsi bellum intulit. Concurrunt autem 11. Ioachim & 7. Nabuchodonosoris. Vnde quos numerat Ieremias cap. vlt. ab vrbe per Babylonium abductos esse anno septimo, nimirũ Nabuchodonosoris, illi ipsi sunt, qui cum Ioachimo abducti sunt. nempe 3023. Abstulit eodem tempore & partem uasorum templi sicuti in præsenti dicit Daniel. Instituit autem regem Iudæis filium Ioachimi, Iechoniam, qui & Ioachin per N non per M dicitur, sed intra paucos menses mutato consilio redit, urbem obsedit, & Iechoniam in de- *Tertius annus Ioachim eiusdem est vndecimus.*

ditionem accepit, captiuumq; abduxit in Babylonem, anno regni sui octauo. Cuius rei diligens fit mentio 4. Reg. 24. Inde verò videtur auspicanda esse captiuitas Babylonica, ut incipiamus 70. annos numerare ab 8. año regni Nabuch. uel à captiuitate patris Ioachim & filij Iechoniæ. Alij incipiunt ab exusto templo & Zedechia capto, ab anno Nabuchod. 18. Cæterùm huic supputationi videtur repugnare Ezechiel in cap. 1. & 40, sed & Ieremias in cap. 25. 24. 29. Sed sequatur quisq; etiam hac in parte quod videbitur maximè verò esse consentaneum. Nam vt illa tempora fuerunt turbulentissima: ita & temporum ratio ac supputatio est satis implexa.

Dominus tradit peccatores è manibus suis in manus tortorum.

Obseruandum verò illud est in primis, quod propheta dicit Dominum tradidisse & regem & vasa domus Domini in manus Babylonij. Inde enim quiuis colligit in manu Dei esse, & nos & res nostras omnes, Dominumq; illa gubernare & conseruare æquissima sua prouidentia: rursus eundem Deum & nos & res nostras ex suis manibus velut abijcere, & tradere in manus tortorum nostrorum. Cur autem hoc faciat, populumque suum & res etiam sacras populi sui tradiderit Deus in manus Babylonij, in promptu causa est, conscelerati huius populi. Ita enim manifestè testatur scriptura 2. Paral. vlt. & Danielis 9. denique propheta Ieremias maximè in 22. cap. Sicut ergo illud quod in manu Dei sumus, nos consolatur: ita quod impœnitentes tradit in manus tyrannorum, territat nos suadetq; pœnitentiam. Quod verò Babylonius partem modò vasorum auehit in terram Senaar, cuius terræ mentio fit & Gene. 11. significatur principem illum clementer vsum esse victoria: docetq; moderationem seruare omnes principes, & vt victorijs non abutantur ad vastandas res omnes, sed ad res melius constituendas. Euertit templum & scholas Hierosolymis quidem Nabuchod. sed in Babylone rationem habet cultus & scholarum. Ad œconomiam illud pertinet, quod spolia non prodigit, nec in scorta & inutiles homines distribuit, vt in milites aut luxu perditos, sed in gazophylacium ad futuras necessitates recondit. Vtinam huius ethnici hominis exemplo discerent patres illi spirituales, bona ecclesiæ non turpiter concoquere. Abusus est Balthazar hisce opibus ab auo asseruatis, & perijt ilico. Pereũt ergo peribuntq; quotquot negligentius res curant domesticas, in primis autem publicas & maximè ecclesiasticas. Sicut autem miraculo quodam asseruata sunt in captiuitate per tot annos vasa illa sacra, quæ restitui postea à Cyro potuerunt: ita neminem offendere debet, quòd vasa sacra, & à gentile rapta sunt, & recondita in templum vel gazophylacium Deorum Babyloniorum. Nam & arca Dei capta est à Palestinis, & collocata in Phanum Dagonis, sed vt Palestini illam suo detrimento restituere coacti sunt: ita interijt rex Balthazar, & euersa est Babylon, instrumentaq; sacra Hierosolymam sunt remissa. Dixi hac de re nonnihil Concione in Ierem. 169.

Babylonius clementer utitur victoria.

DE VERA ET FALSA SAPIENTIA.

HOMILIA II.

Et dixit rex Aspenaz magistro Palatij, vt ex Israelitis de semine regio & principum introduceret pueros, in quibus nulla esset macula, & decoros aspectu, & intelligentes in omni sapientia, & scientes scientiam, & intelligentes eruditionem, quiq; fa cultatem haberent standi in palatio regis, quos doceret literas & linguam

linguam Chaldæorum. Et constituit eis rex demensum per singulos dies, de cibo regis, & de vino potus sui, vt educaret eos tribus annis, vt aliqui eorum starent coram rege. Inter qnos etiam de filijs Iuda fuerunt, Daniel, Hanania, Misael et Azaria, quibus imposuit magister Palatij nomina, Danielem vocauit Balthazar, Hananiam, Sadrach, Misaelem, Mesach, & Azariam Abednego.

PRimus locus quem Daniel tractat est sapientia. Ea est diuinarum humanarumq; rerum cognitio, huiusq; cognitionis uerus usus & recta applicatio rebus humanis quibuslibet, siue ecclesiasticis, siue politicis, siue item priuatis siue publicis, ad conseruandas eas in statu optimo. Datur illa à solo Deo, à quo & continuis & ardentissimis petenda est precibus. Id quod nos Solomonis exemplum docet. Idem quoq; testatur Prouerb. 2. acquiri & inueniri sapientiam, si quæratur instar auri & argenti. Quærũtur hæc maximis curis atq; laboribus. Requirit ergo à nobis Deus accuratã diligentiã, quam ipse interim (cum ex nobis ipsis nihil boni habeamus) suppeditat, ac per media hanc confert laborantibus & perpetuò nitentibus ad sapientiam. Media sunt post diligentem dicentis perquisitionem, institutio doctorum, exercitatio ac libri, adeoq; scholæ in quibus hæc omnia exercentur, per sapientes, doctos & idoneos homines. Posset sanè Deus sapientiam conferre citra media: sed ordine & per media communiter Deus agit. *Sapientia.*

Est autem scholarum institutio antiquissima, quibus nullæ gentes alioqui celebres caruerunt. De Palestinis gentibus alioqui bellicosis, tradit in primo libro suo Samuel, quod in rebus difficilibus suos consuluerint sacerdotes, qui planè non fuerunt sine scholis. Græci non paucas habuere. Notissimæ sunt omnibus Athenæ, sed & Indorum Gymnosophistæ, Persarum Magi, Romanorum quoq; collegia augurum atq; Pontificum. Strabo multa scribit de Ægyptiorum Sacerdotibus lib. Geograph. 17. ac constat Platonem in Ægyptum descendisse, ut scholas frequentaret Ægyptiorum. Fuit & Moses institutus in omnibus Ægyptiorum disciplinis. Scholas ipse Dominus Deus noster instituit in populo Iudaico, & quidem singulas in urbibus Leuitarum 48. Instituerunt ipsi quoq; Iudæi scholas inter gentes, ad quas dispersi fuerant. Scriptura manifestè testatur Samuelem Heliam & Helisæum diligentissimam habuisse scholarum rationem. Insidiose conatus est Antiochus ille populi Dei hostis scholas dissipare Iudæorum, & Græcas ad corrumpendam iuuentutem substituere. Fuerunt scholæ plurimæ à temporibus Christi Iudæis, quod ipse testatur Apostolus Iacobus Actor. 15. cap. Sed & Antiochena Ecclesia Scholam habuisse uidetur, in qua profitebantur uiri graues, & inde mittebantur Apostoli ad prædicandum inter gentes Christi Euangelium. Eusebius Eccles. hist. lib. 5. author est, insignem fuisse scholam in urbe omnium maxima Alexandria. Sunt in collegiatis Ecclesijs, & in quibusdam uetustioribus cœnobijs monachorum non obscurã eximiarum Scholarum, quæ quondam ibi fuerunt, indicia atq; uestigia. Quid quod in præsenti audimus monarcham Babyloniorum Nabuchod. excellentissimam habuisse academiam uel studiosorum collegium? De Scholis hæc breuiter delibauimus, copiosiora quondam dedimus de his in lib. nostro de Instit. & funct. episcoporum cap. 4. &c. Sunt hę templa consecrata sapientiæ: ac in præsenti per Danielem ita describuntur, vt quælibet Ecclesia hinc petere queat optimam instituendarum gubernandarumq; scholarum formam. *Scholarum institutio uetustissima.*

Rex ipse scholam curat.

Insigne autem illud est, quod mox ab initio significat Daniel, Regi Scholam curæ fuisse. Præcepta enim dat de rebus scholicis præfecto prætorio. In Lege iubet Deus im manibus suis Regem tenere librum legis, & secundum hunc omnia regni sui dirigere, Deut. 17. Proinde regum ac principum est dare populo doctores & administratores, adeoq; singulariter curare scholas. Hoc si Ethnicus fecit Nabuchod. qui lege scripta caruit, cur hoc ipsum non faciant Principes & Magistratus Christiani, qui tot legibus atq; exemplis sunt septi? Fateor quidem Regem Nabuchod. ista omnia fecisse ad promouendam superstitionem suam & ad conseruandas res suas: interim tamen Deus in bonum finem, sua bonitate, hæc Regis alioqui in malum finem destinata dirigit reflectitq; consilia: sicuti quondam proditoria parricidalia q; filiorum Israelis consilia, contra fratrem Iosephum concepta, dirigit longe in alium finem, quàm ipsi instituerant. Cessit & ipsimet Regi ad bonum ingens, cum his doctoribus tandem peruenerit ad cognitionem veritatis. Ea est immensa Dei bonitas erga homines peccatores, vt malum ipsorum conuertat in bonum. Bonum nihilominus erat quod rex tanta diligentia de erudienda iuuentute cogitat, licet in modo & fine nonnihil aberret: Quem errorem vt iam dictum est corrigit misericors Deus.

Scholarcham dandum scholis

Cum verò Reges multis variisq; negocijs distineantur atq; distrahantur, adeò vt se scholicis negocijs totos nequeant impendere, prudenter deligunt quibus eam demandent curam. Nos scholarcham aut præfectum studiorum studiosorumq; nuncupamus. Porrò prudens Nabuchod. non cuiuis eam curam demandat, non abiectæ sortis alicui nullaq; prædito authoritate, non ignauo aut temerario alicui homini, sed primario primæq; authoritatis in tota aula regia viro, Aspenas, præfecto, vt Hebræi loquuntur, eunuchorum, id est aulicorum. Videtur hic ille esse, quem aliàs vocamus Grandem magistrum, Granmeter, vel magistrum Palatij, aut præfectum prætorio. Quidam arbitrantur hunc apud ueteres nominari Marschalcum, id est maiorem Salæ, Maior enim is est, quem alij vocant rectorem, Germanice Meier. Sed & Germanis Sala aula est. Appellatus idem aliquando videtur Maior domus, nimirũ regiæ. Quicquid sit, apparet sanè viro magno in aula regis curam Scholæ fuisse commissam. Reprehendendi ergo sunt, qui scholas, veluti rem non magni momenti, ignauis, indoctis crassisq; monachis, aut hominibus alioqui nihili & indiligentibus, committunt. Non leuiter sanè de scholis iudicauit rex, qui eas præfecto vel magistro aulæ commendauit.

Maior domus & Marschalcus.

In scholis habendus ingeniorum delectus.

Præcipuè verò habendus est ingeniorum delectus, si modò ex scholis aliquem volumus sperare fructum. Nunc uerò citra delectum quoslibet recipiunt in scholas parum prudentes: quinimò obtruduntur scholarum rectoribus inepti ad res quaslibet, qui stolidè, vt non dicam impiè, existimantur ad huc idonei satis esse ad ministerium Ecclesiæ. Qualem verò delectum haberi conueniat, ipse rex prudenter exponit, Introducas, inquit, in scholam ex Israelitis de semine regio & optimatum liberis. Tametsi genus ad artes discendas nihil videatur peculiariter promouere, quia tamen honestis liberalibusq; prognati parentibus, ferè honestis & liberalibus ingenijs sunt præditi: multumq; refert, qualibus prognati sint maioribus, qui præficiendi sunt publicis muneribus siue Ecclesiasticis siue Politicis, ne maiores obscuri, authoritatem imminuant personæ publicæ, prudentissimè rex vult deligi sibi in scholam suam, non nisi præstantissimis, prognatos parentibus, fit tamen non rarò vt obscuris orti natalibus, præclaris sese nobilitent uirtutibus: nihilominus tamen propter

pter exempla aliquot certa, delectus non erit negligendus. Et cum ad literas discendas deliguntur primæ nobilitatis pueri, apparet palàm rectius de nobilitate & literis antiquitatem iudicasse, quàm hodie apud multos nobiles & potentes iudicetur, quibus ignominiosum propè videtur esse, si in familia sua habeant aliquem vel doctum vel operam dantem literis, quem ipsimet per contumeliam pfaffum nuncupant. Quondam eruditio erat potentum nobiliumq; laus prima, nec admittebantur facilè ad discendas literas præterquam nobiles, nisi fortè excellentiora ingenia eximiam de se spem pollicerentur. Ex eruditione certè solida laus gloriaq; paratur quibuslibet excellentissima, vt mirum sit quosdam tam peruerso esse iudicio, superariq; multis modis à rege hoc Babyloniorum barbaro: qui ita nuncupatur quidem à pluribus, sed reuera cultissimo fuit ingenio. *Nobiles & liberi olim discebant literas.*

Deinde ad delectum illud maximè facit, ne qui recipiantur, qui vitium habeant aut maculam, sed facie sint ingenua & honesta, siue vultu decoro. Licet enim non rarò optima ingenia in deformissimis sese exeruerint corporibus, fit tamen perfrequenter, vt vitia corporis, indicia sint certa distorti & corruptissimi ingenij; vulgo dici solet, *ye Krümmer/ye tümmer*. Vitia quæ studia impediunt varia sunt. Ad ista enim parum idonei sunt surdastri, luscioſi, vel qui sunt oculis morbidis ac caligantibus, aut humoribus nimijs vel debilitati, vel fracti viribus, & maximè memoria destituti, denicq; qui linguæ sunt impeditæ, & eloquio obscuro atq; incondito, &c. *Studioſi carent omni vitio.*

Istis omnibus adiungitur quod in studioſis ante omnia requiritur, vt sint intelligentes in omni sapientia, & scientes scientiam, denicq; intelligentes מדע madda, id est, id quod scire facit. Id quod alij verterunt, tenentes artium principia. Alij, diserte exprimentes cognitionem. Alij, pollentes intellectu. Videtur autem rex requirere non eos qui iam absoluti sint in omni doctrinarum genere. Alioqui enim cur iubet eos tradi magistris, in schola vel academia? aut cur vult illos discere? Proinde requirit vt ijs sint præditi ingenijs instructicq; facultatibus, quibus percipere possint scientiam, sapientiã, cognitionemq; & omnem eruditionem, id est omne id quod pertinere videtur ad solidam & absolutam sapientiam. *Studioſi polleant ingenio vt discere possint.*

Et adhuc clarius quid discant studioſi exprimit, literas eas nimirum quæ continent sapientiam, & linguam Chaldæam, qua possint eloqui cum vtilitate quod didicerunt. Proinde linguæ & bonæ literæ discendæ & docendæ sunt in scholis. De linguis discendis alij plurima scripserunt. Ac illæ potissimum videntur discendæ, quibus scripti sunt optimorum authorum libri: qualis est Græca & Latina, & Theologis in primis necessaria Hebræa: deinde discendæ sunt illæ etiam linguæ quibus loquuntur isti, quibus inseruire & quibus cum agere debes, vt sunt lingua Germanica, Gallica, Italica, Turcica, &c. Literæ comprehendunt bonas artes & disciplinas. Nos hodie habemus Philosophiam, Theologiam, Medicam, Iuris prudentiam, &c. Rogas, an licuerit Danieli & sociis discere disciplinas Chaldaicas? Didicit has nimirum vt Ægyptiacas quondam Moses. Quod in his bonum fuit, retinuit, prauum abiecit. Legimus Christiani libros gentilium, Poetarum videlicet Philosophorumq;, sed cum iudicio, retinentes bonum, prauum verò reijcientes. Scripserunt veteres Ecclesiæ doctores nonnulla de eo, quatenus legendi Christianis libri gentilium. Extat apud S. Hieronymum elegantissima epistola ad Magnum Oratorem Romanum, qua ostendit cur libris Ecclesiasticis admisceat literas gentilium, quorum exemplo hoc fecerit, & quatenus id liceat. *Quid discant studioſi.*

Studia dirigantur in certum finem.

Porrò neceſſe eſt ſtudia ſua in certum finem dirigant ſtudioſi, in quem vniuerſo ſtudij ſui curſu oculos intendant. Vnde rex in præſenti, Quibus ſint vires, inquit, in palatio Regis ſtandi. Stare verò vſurpatur pro miniſtrare. Proinde ſtudioſis non eſt conſeneſcendũ perpetuo in diſcendo, vt diſcant perpetuò & verſentur in ſpeculatiua vel theorica, ſed doceant etiã aliquando alios quod didicerunt & progrediantur in practicam, inſeruientes vel Eccleſiæ vel politiæ. Reijciendi itaq; ſunt phantaſtici, moroſiq; homines, ceruicoſi atq; ſuperbi contentioſiq;, minime apti vel Eccleſiæ vel Reipublicæ miniſterijs. Verum quoniam admittunt vt tales ad gubernationem rerũ, ideo inuoluuntur omnia contentionibus, & gubernantur res pro faſtuoſorum hominum libidine.

Proſpiciendum eſt ſtudioſis.

Suis verò illis ſtudioſis abunde proſpexit rex. Nam æquiſsimum eſt, vt illi qui deſtinantur munijs publicis, & Eccleſiæ vel Reipub. inſeruiunt, & vt in ſeruire poſsint educantur, publicis etiam alantur è vectigalibus. Neq; vtile eſt ſtudioſos, literis & linguis diſcendis addictos, occupari & diſtrahi circa ea, quæ pertinent ad victum vel ad curam corporis. Proſpexit in lege ſua Deus ſuis miniſtris & ſcholis, vt videre licet in libro Numerorum. S. Paulus multis oſtendit ex miniſterio, vel ex Eccleſia viuere debere, eos qui Eccleſiæ miniſtrant. Locus apertus eſt in 1. ad Corinth. 9. cap. Sed & rex Pharao Sacerdotibus Ægyptijs liberaliter amplum decreuit ſtipendium, & ædes inſtructas. Author eſt Strabo lib. Geographiæ 17. Certè ſub Ioſepho Ægypti adminiſtratore, Sacerdotes ſua habuerunt priuilegia, tempore famis. Et certè principum magiſtratuumq; liberalitas ingenia egregia acuit, & doctos viros auget. Non obſcura eſt illa vulgaris ſententia, Sint Mecœnates, non deerunt Flacci Marones. Cum verò tempore Heliæ eſurierunt Prophetæ Dei, ex menſa verò Iezabelis lautè & ſplendidè vixerunt Baalitæ, contra iuſtam Dei ordinationem inſana idololatria & libido petulantiſsimæ fœminæ ferocijt, bonamq; Dei legem calcauit. Quod tandem peſsimæ ceſsit miſeræ & infeliciſsimæ. Maximam meretur laudem quod rex non malignè ſuppeditauit ſtudioſis ſuis victum, ſed de ſua potius menſa adminiſtrari hunc iuſsit, illosq; cenſeri inter ſuos commenſales voluit. Licet verò rex liberaliſsimè de ſua menſa ali vellet ſtudijs conſecratos bonis, modum tamen voluit etiam ſeruari in adminiſtrando cibo & potu. Immodicus enim cibus & potus ingenia bona & recta turbat, debilitat atque euertit. Proinde demenſum ſeu portionem certam, quantum videlicet ſtudioſis neceſſarium ac vtile eſſe videbatur, ſingulis diebus ſuppeditari curauit. Itaque dieta & recta ſobrietas ſtudioſis eſt ſeruanda, rectè vulgo dicitur, Venter, pluma, Venus, laudem fugienda ſequenti. Sed hac de re dicetur paulò poſt copioſius. Cogitent tamen hic etiam pueri ſtudioſi ignauos operarios, mercedem operis accipientes, merito accuſari propter ſuam pigritiem & improbitatem, iccirco iuſtiſsimè & ſtudioſos inertes accuſari poſſe propter ignauiam fraudis & furti. Adhibeant ergo omnem diligentiam, ne inutiles in ipſos fiant ſumptus impenſæq; pereant.

Studia nõ ſunt perpetua ſed ſuum tempus habent. Daniel.

Præterea conſtituitur ſtudijs ipſorum tempus certum, ne ſemper diſcant, nunquam ad frugem ſtudia ipſorum perueniant. Iuſsit enim educari eos annis tribus, nimirum vt exactis his, periculum fieret, quid profeciſſent in literis & linguis. Sapienter verò repetitur ſtudiorum finis, qui in diſcendo ſtudendoq; eſt potiſsimus. Vt aliqui eorum ſtarent coram rege. Ergo finis ſtudiorum eſt inſeruire aut miniſtrare, vel in Eccleſia, vel in regno aut repub.

Excellentiſſ. in ſchola Babylonica Daniel & ſocij.

Dubium non eſt, quin plures imò infiniti propemodum adoleſcentes ſtudijs fuerint tunc per vniuerſum regnum conſecrati. Ampliſsimum enim fuit regnum, vnde & innumera propè officia habuiſſe videtur, quibus rex prudens præfi

præfici voluit sapientes viros. Per hos enim conseruantur regna, dissipantur per stolidos & imprudẽtes. Inter hos verò quos alebat regis liberalitas, Daniel semetipsum & tres socios eius ex captiuitate Iudaica numerat singulariter, non quòd superbia quadam deceptus se & res suorum euehere amplius quàm deceat instituerit, sed quòd ita Dei gloriam voluerit celebrare. Eximia enim Dei potentia erat, quæ captiuos hac ratione euehebat in summum regni cacumen: sed & eximia singularia q̃ quædam Deus per hos operatus est, sicuti paulò post in 2. & 3. cap. audiemus. Est autem prædicanda Dei gloria quam prouehit per homines, quorum dicta factaq̃ minimè sunt tacenda. Præterea modestè semper de rebus suis loquuntur sancti, & in omnibus suis rebus omnem perpetuò tribuunt Deo gloriam.

Nomina his in scholam receptis immutauit. Vel quòd moris fuerit victores deuictis imponere nomina quæ volunt, in testimonium victoriæ, & quòd deuicti cum audiunt sua nomina, cogitent se deditícios & seruos eorum esse qui ista sibi nomina imposuerunt, ijsq̃ inseruiant fideliter. Vel quòd Hebræa nomina Babylonijs exosa fuerunt, non tam propter gentem, quam gentilitio quodam odio oderunt, quàm propter religionem veram quam persequebantur. Ergo vt suis illis, quos suo destinabat ministerio, inter Babylonios, odium leniret, adeoq̃ occasionem Babylonijs adimeret contemnendi & persequendi, quos ipsa nomina indicabant Iudæos esse & cultores Dei Israelis, prudenter alia ipsis indidit nomina, & quidem Babylonica vel Chaldæa. *Nomina receptis in scholam mutantur.*

De his varia traduntur. Ego quæ maximè simplicia videntur, sequor. Daniel sonat iudex Deus meus, vel iudicium Dei mei: Maluit ergo rex ipsum porrò nuncupari non à Deo Israelis, sed Baltazar, id est, insignis thesauri custos. Ananias illum significat qui habet Dei fauorem, aut qui est in gratia Dei. Maluit ergo & hunc alio nuncupari nomine rex, & dici, Sadrach, quod exponunt delicatus, zart. Alij mamilla tenera, aut ager delicatus. Misael significat eum, qui aliquid à Deo petit, aut qui Deum inuocat. Pro hoc nomine aliud dedit, Mesach, id est, preciosus aut qui est in precio, Köstlich Kleinot/herrlich. Porrò Azarias significat eum qui Deum habet adiutorem vel Dei auxilium. At iubet magister Palatij, ita dictante rege, appellari hunc, Abed Nego, id est, seruus Veneris, cuius stella nominatur Nego. Alij legunt Abednago, id est, seruus claritatis, vel illustris, durchlüchtig. Alij putant legendum, Abed Nebò seruus Dei Babylonici, qui apud Isaiam nuncupatur Nebo. Denominationes hæ non nocuerunt à vera pietate nihil deficientibus: perinde vt ne vestis quidem detracta à corpore idololatræ alicuius, tibiq̃ induta, nihil mutanti tuam religionem aut committenti, quod pugnet cum vera religione, quicquam nocet. Dominus custodiat nos ab omni pollutione, Amen. *Interpretatio nominum.*

HOMILIA. III.

Daniel autem posuit super cor suum ne coinquinaretur cibo regis aut vino potus eius: & rogauit magistrum palatij ne coinquinaretur. Et dedit Dominus Danieli ut beneficio & miserante vteretur magistro Palatij. Et dixit magister Palatij ad Danielem, Timeo dominum meum regem, qui constituit cibum vestrum & potum vestrum. Nam si facies vestras cerneret magis tetricas quàm puerorum æqualium vestrorum, capitali

ſententiæ regis me obnoxium redderetis, Itaq; Daniel dixit ad Melzar, quem magiſter Palatij Danieli, Hananiæ, Miſaeli, et Azariæ præfecerat, fac quæſo in ſeruis tuis periculum decem diebus, & dent nobis legumina quæ comedamus, & aquas quas bibamus. Cumq; ſpectatæ tibi fuerint formæ noſtræ, & forma puerorum, qui veſcuntur cibo regio, age cum ſeruis tuis, vt tibi viſum fuerit. Obtemperauit autem eis in hac re, fecitq; periculum decem diebus. Et exactis decem diebus, apparuerunt formoſiores atq; habitiores omnibus pueris ueſcentibus cibo regio. Quare Melzar auferebat cibum eorum & vinum, quod biberent, dedítq; illis legumina.

Sobrij ſint pueri ſtudioſi.

PORrò proponitur nobis in Danielis & ſociorum eius exemplo, quomodo ſe pueri ſtudioſi gerant dum aluntur impenſis publicis, ſobriè vtiq; in abſtinentia temperata & ſancta. Niſi enim animo & corpore ſobrij temperantesq; ſint ſtudioſi pueri, non video quis ex comedonibus, potatoribus & voluptatibus deditis expectandus ſit fructus. Tales potius ablegandi ſunt procul à collegio ſtudioſorum. Peccatur hodie in ſcholis turpiſsimè, dum ſcholarum magiſtri vel rectores comeſſationes & perpotationes ſeriò non abominantur, & potatores procul & maturè arcent à ſcholis atq; turba ſtudioſorum. Vtinam verò non ipſimet profeſſorum plericq; vino & temulentiæ ſint dediti. Requiret hoc in his Deus aliquando. & grauiter puniet ſcholaſticorum temulentiam, intemperantiam & corruptionem planè pudendam. Cogitate vos potius in quibus reſtat adhuc aliqua honeſtas & pietas, cogitate inquã ſeriò quomodo huic peſti paſsim graſſanti in ſcholis Chriſtianorum occurratur medicina iuſta, ne ira Dei tandem & ſcholas & ſcholaſticos & ſcholarchas cum magiſtris vel rectoribus profeſſoribusq; & doctoribus euertat funditus. Certiſsimè enim ſecuris ad radicem arborum eſt poſita, nec feret diu diuina iuſtitia intemperantiam & impudentiam illam execrabilem ſcholarum.

Daniel cauet ne polluatur.

Sunt in Danielis & ſociorum eius exemplo plurima conſideranda. Propoſuit is firmiter in corde ſuo nolle regio pollui cibo. Nullam hoc ſuo propoſito ſpectauit traditionem humanam, ſed legem Dei, quæ Leuit. 11. plures aues & aliquot quadrupedia animantia ſuo populo Iudaico prohibet, quæ habentur in Principum aulis in delitijs, & quotidie menſis inferuntur regum. Cibus quidem per ſe non eſt immundus, ſed ſi accedat prohibitio Dei, certas ob cauſas, & quia Deo ſic viſum eſt, cuius voluntas ſemper bona eſt, immundus fit ſumenti cibus propter inobedientiã. Apparet hoc ipſum in vetito pomo paradiſi, quod prohibuerat Deus, ideoq; vſus eius lethalis factus eſt propter infidelitatem inobedientiamq; ſumentium atq; vſurpantium. Proinde ſicut Eleazar 2. Machab. 6. noluit ſuilla veſci carne: & S. Petrus Acto. 10. religioſe dicebat, ſe nihil vnquam commune deguſtaſſe, ita Daniel cum ſocijs noluit veſci de cibo regio, quòd conſtaret prohibita lege parari & proponi menſę plurima. A temporibus Chriſti abrogata eſt illa lex de ciborum delectu. Libertate ea nunc fruimur Chriſtiani, quam contulit Dominus, iuxta doctrinam Apoſtolicam, quæ vetat iudicari quenquam in cibo vel in potu: munda enim mundis eſſe omnia. Ergo quæ hinc Papiſtæ, & qui Magicam exercent, de ieiunijs & ciborum delectu educunt argumenta, infirma imò nulla ſunt. Daniel enim habuit legem Dei manifeſtam, ad quam reſpexit: iſti nullum verbum Dei habent,

Rom. 14. Coloſſ. 2.

ſed

ſed traditiones hominum, quinimò condemnationem habent magicam exercentes, & manifestè abutuntur Danielis exemplo. Neq; verò putandum est Danielem ideò abhorruisse â cibo regio, quòd ministerio Babyloniorum infidelium fuerit paratus aut coctus: ita enim polluissent ipsum & legumina, quæ ex manibus Babyloniorum etiam administrabantur eis. Quinimò fame eis moriendum fuisset. Superstitiosi ergo non fuerunt. Huius generis quædam piè excutiuntur à S. Augustino epistola ad Publicolam 154.

Discunt ex hoc Danielis exemplo studiosi pueri adeoq; iuuentus vniuersa: principio quidem firmo concipiendum animo nihil ab eis committendum quòd pugnet palàm cum lege Domini. Dico autem firmum oportere esse propositum animi non dubium, inconstans, fluxum, quod à quouis vaniloquo aut blandiloquo possit auerti aut etiam subuerti. Constantiam talem confert bonus Dei spiritus, pro quo supplicandum est iuuentuti. Nobile est hoc Danielis exemplum firmissimæ in lege Dei constantiæ. Commemorat & Euseb. Eccles. hist. lib. 6. cap. 2. egregium Origenis adhuc adolescentis exemplum, qui ita animo suo infixerat veræ adhærere doctrinæ, vt nullo modo sustineret venire ad colloquium cum Paulo Antiocheno, qui tametsi haberetur ab omnibus magno in precio, quia tamen constabat ipsum hæreses tradere, execrabilis Origeni fuit eius vel mentio. Firmi itaq; in pietate sint animi studiosorum adolescentum, & non sinant se reflecti vlla eloquentia, vllis muneribus aut dignitatibus, à summa religionis & pietatis. Ac certissimum est Danielem multò minus passum fuisse se pollui idolis aut idololatria Babylonica, quàm cibo Babylonico. Quàm ergo miseri imò execrabiles sunt, qui dum monachi alicuius opulenti conuiuio aut mensæ adhibentur, propter offam & carnium nidorem, audire sustinent conuitia in euangelium & viros euangelicos, cui ne verbulo quidem contradicere audent, qui denique propter commoda aliqua temporaria, veram religionem negligunt & violant? Non potuit Daniel cum suis tantillum amoueri gratia aut mensa opibusq; tanti principis, quo non erat alius in orbe præstantior: & isti euertuntur vili viliſsimorum hominum edulio. Idumæi ergo verius sunt quàm Christiani, quorũ patriarcha permutauit benedictionem cum coctione rufa, homo planè prophanus.

Studiosi pueri firmo cõcipere debent animo nolle se facere contra legem Dei.

Delicata mensa multos auertit à veritate.

Ac sunt quidem duo vitia quibus obnoxia est perditurq; ferè iuuentus, si non sedulò & in timore Dei cum Daniele & sociis eius inuigilet atq; occasiones omnes vitans, sathanæ suggestionibus fortiter repugnet, intemperantia vi delicet in cibo ac potu, & libido quę se exerit in fornicatione per immunditiam atq; amorem Venereum. Discant autem Danielis exemplo sociorumq; & Iosephi, honesti iuuenis, omnem vitare immunditiam, rarissimo vti vino, in quo, vt Paulus ait, est luxuria, cibos sumere non delicatos, sed salubres & necessarios, ei qui est studijs literarum consecratus. Non legant spurca poemata, non audiant obscœnas narrationes amantium, fugiant conspectum scortorum, fugiant colloquia & conuiuia & nuntia impura. Cogitent in impuro corde non habitare spiritum sapientiæ, & animũ distractum & corruptum amoribus puellarum arq; cupedijs & illecebris mundi varijs, minimè aptũ esse ad res graues, honestas, & vtiles percipiendas. Tales animi sterquilinio similiores sunt quàm habitaculo sapientiæ & honestatis. Vigilent ergo hic pueri studiosi, & studeant munda retinere corda, expectorare omnem immunditiam, locumq; spiritui sancto cedere. Hoc enim est officium studiosorum iuuenum. Si qui tamen infirmitate & incuria carnis labantur, videant vt maturè per gratiam Dei erigantur & redeant in viam, studentes porrò sanctimoniæ. Parum sanè videtur fructus allatura eruditio ecclesiæ & reipub. nisi coniuncta fuerit cum probita-

Iuuentus duobus maximè vitijs infestatur.

te & sanctimonia, sine qua, vt & apostolus testatur, nemo videbit Dominum.

Reprehenditur studiosorũ iuuenum intemperantia.

Pudeat autem hic pueros studiosos, qui audiunt Danielem regio cretum semine recusasse delitias regias, & tamen cum ipsi non sint regio creti sanguine, sed obscuris nati maioribus, & victum quidem habẽt parabilem sufficiẽtemq;, nihilominus tamen audent petere mensam splendidiorẽ, delitias & vestes pretiosiores. Ac ferè solent infimo nati loco insolentiores esse meliore loco natis. Siue verò hi siue illi sint studijs consecrati, cogitent vtrinq; se mediocri mẽsa & veste honesta contentos esse debere: ac causam iustam esse abdicationis, si mediocritate non contenti splendidiora expetant, & queruli sint. Tales enim manent ventres pigri, & nunquam eò peruenient vt numerentur inter præclara ingenia.

Apertè & libere, modestè tamen loquendũ de rebus religionis nostræ.

Obseruanda est etiam in Daniele libertas loquendi coniuncta cum modestia, & libera confessio religionis, cuius ipsum nullo modo, licet captiuus esset, puduit. Vocat enim cibum regium coram aulæ magistro Babylonio, cibũ immundum, certè iuxta suam religionem & iuxta iudicium legis diuinæ. Modestè tamen & prudenter proponit hoc. Non enim cõuitiando prouocat ad iram Principem, sed supplicat ei humiliter, & supplicando suam confitetur religionem, quæ tradebat quibusdam animantibus abstinendum esse, nisi quis pollui velit. Hoc iam commodis sed disertis tamen verbis, neq; enim aliter debuit aut potuit, principi significat, & hunc orat, benignè efficiat ne cogatur cõtra suam religionem prohibitis vesci. Non enim licere ipsi citra pollutionẽ vesci ex mensa regia quibuslibet. Vnde discimus omnes, semper confitendam esse fidem nostram, quouis inquam loco, quouis tempore. & apud quoslibet, cùm ipsa flagitat res. Et quidem delectus ciborum pertinuit ad ceremonialia, nihilominus in ea lege custodienda tam diligens fuit Daniel. Quo diligentiores nos esse conuenit in ipsa fidei substantia & in primis fidei articulis confitendis. Discant ergo studiosi iuuenes sui officij esse, synceros & disertos se semper in vera fidei confessione præstare coram Deo & hominibus. Discamus præterea prudẽtiam & moderationem in proponendis rebus. Nihil tacet aut dissimulat in hac sua necessitate Daniel, sed nihilominus supplex fit principi, obsecrat ipsum, & commodè proponit quod petit, nihil exasperans quantum quidem fieri potuit, principis animum. Nisi verò dixisset pollui se cibo, videri potuisset sine causa & petulanter refragari & cibum regium deprecari. Adducit ergo hanc vt causam grauem, quam nullo modo dissimulare possit.

Corda hominũ sunt in manu Dei, qui ea flectit quò vult.

At dicat hic aliquis, Quî factum est quod ad mentionem pollutionis princeps Danieli tam benignè respondit? Nam qui dixit se polluendum cibo regio, videtur nõ modò contempsisse mensam regis, id est, ingens sibi beneficium oblatum, sed insuper maledictis impetijsse regis munificentiam. Potuisset magister aulæ non absre indignari huic ingratitudini & contumaciæ. Alius certè dixisset, Tu ne putas regis nostri cibum esse immundum? ergóne Rex noster, res nostræ, & religio nostra impura est? Túne solus & cum tua religione purus? Declaras hac in re ingenium, verè Iudaicum, pertinax & rebelle. Committendum ergo non est, vt rex te & contumaces tuos socios, regio suo cibo alat ex mensa sua, & rebus vos destinet maximis, sed aliquò vos ableget, vel ad porcos vel ad coruos. Ita sanè hodie multi liberum Danielis sermonem accepissent & interpretati fuissent, qui etsi Christiani videri velint, gentiles tamen illos principes decuplo aut millecuplo clementiores & minus irritabiles fuisse videmus. Sed quæ huius potissimum rei causa fuit?

Deus, inquit Daniel, Danieli dedit vt magister aulæ ipsum amaret & miserationibus erga ipsum vteretur. Conciliauit ergo Danieli Deus spiritu suo animum

mum magistri aulæ, vt Danieli indignari non posset, sed dictum eius liberũ boni consuleret, beneq; interpretaretur, & proculdubiò probaret huiusmodi constantiam iuuenis in sua religione. Equidem viri fortes non probant adulationem & inconstantiam in ijs, quos sciunt loqui & facere contra decorum & animi sui sententiam, ad gratiam vel obsequium eorum coram quibus consistunt. Colligunt enim cum corruptos in religione se præbent, in omnibus alijs rebus ipsos infideles futuros quibuslibet. Etenim qui sibi ipsi, & Deo suo in primis, infidelis est, cui oro fidelis esse posset? Duo autem ex hoc Danielis loco discuntur, Alterum, Deum animos hominum regere & gubernare pro sua bona & sancta voluntate, dareq; gratiam hominibus, prout videre licet hic in Daniele & socijs, quibus fauet, Deo sic disponente, præfectus prætorio. Idem cernere est alibi in Iosepho & Mose, quibus impensè fauit, ita volente Deo, rex Pharao. Sic Nehemiæ insignem dedit gratiam Deus apud regem Persarum. Exasperantur quoq; nonnunquam ex aduerso in nos animi hominum, idq; iusto Dei contra nos iudicio, quo sic nos punit propter peccata. Alterum, ingenuam confessionem religionis veræ, nonnunquam & gratiam apud aduersarios cõciliare, non semper odium, vt in præsentiarum fit.

Porrò in magistro aulę exemplum nobis proponitur quales esse conueniat dispensatores, œconomos, & curatores studiosorum, fideles vtiq; & humanos, qui quod dandum est, fideliter, liberaliter, benignè, maturè, vel suo tempore, & sic omnino dent, sicut dare conuenit, aut constitutum est. Quia magister aulæ affirmat sibi non licere quicquam detrahere portioni regis, destinatæ studiosis. Reprehenduntur itaque hoc exemplo gentilis œconomi, qui cum volunt esse Christiani, per auaritiam detrahunt expẽdendis, aut alioqui soluunt malignè, & ijs asperos durosq; se præbent, quibus cum habent negotium. Verùm huius rei culpa recidit reuera in principes, qui cum quales sint intelligunt, sordidi inquam & asperi, nihilominus tamen erga tales œconomos, nullam exercent seueritatem iustam. Maximum fuisse principem hunc magistrum aulæ, dubium non est. At hic metuit sibi à rege ne intendatur ipsi actio capitalis, si negotium sibi commissum, ita vt commissum erat à rege, nõ expediat. Turpissimum ergo est, si illis, qui tanti principes non sunt, sed ex vulgo viles homines & maligni, parcatur. Oportet enim iustam principum seueritatem officijs præfectos retinere in officio. Dilabuntur res regnorum & rerum publicarum, si non valeant leges, si non seuerè animaduertatur in officiales & quosuis legum bonarum transgressores. Cæterùm si princeps hic tantoperè metuit Regem suum, quòd nouit illum non parcere fidem non seruantibus & officium suum non facientibus: quanto magis metuendus erit nobis Deus noster rex regũ & Dominus dominantium, qui minatur se non parsurum infidelibus & inobsequentibus? Grauissima verò fuit tentatio Danielis, qui audiuit capitale fore principi tãto, nisi per omnia Regi obtemperaret. Inde enim facilè colligere potuit, Quid ergo misero captiuo tibi vsu veniet, nisi obedias regi, & edas quod cõstituit edendum? Verùm nihil hac re mouetur, sed constanter pergit in proposito cordis sui, relinquens nobis exemplum constantiæ in vera religione & numinis obseruantia. Si enim metuendus est rex terrenus & potens, quanto magis metuendus est rex cœlestis omnipotens?

Quales esse cõueniat dispensatores studiosorum.

Quoniam verò per negotia maxima & plurima aulæ, magister aulæ singularem curam puerorum studiosorum habere non potuit, procurando ea quæ ad victum subministrandum & ad corpora eorum curanda pertinent, substituit ea in re sibi hominem admodùm fidelem, prudentem, & humanum Melzarem. Oportet enim huiusmodi commodos curatores dari studiosis iuuenibus.

Oeconomus præficitur collegio uel studiosis.

Et quia Danieli quod tentarat apud magistrum aulæ, non successerat, cernens Daniel humanissimum ipsis præfectum esse virum, aliâ iam tentat obtinere, ne regium cibum accipiat, eoq; se polluat. Qua in re uides officiosam & laboriosam diligentissimamq; esse fidem, quærentem sedulò puritatem, necubi labascat aut euertatur. Est fides illa prudens etiam. Euidentem enim Curatori rationem proponit, per quam quod petit impetret. Orat enim sibi dari Daniel decem modò dies, quibus non vescatur regio cibo, sed leguminibus uel cibo facili & minimè delicato, aut à Deo ipsis prohibito. Hisce verò decem diebus sperat nullo negocio deprehendi posse, num usus leguminũ fraudi sit futurus Curatori apud regem. Metuebat enim hic quoq; sicut magister aulæ, ne fortè ex victu parabili forma puerorum redderetur magis tetra, quàm aliorũ puerorum, qui saginabantur ex mensa regia, indeq; rex colligeret subduci eis victum constitutum, ac propterea animaduerteret in Curatorem. Dicit itaq; Si uideris nos macilentiores factos ex leguminibus, agè, quod tibi quidem videbitur facias licebit: Non quòd cogitaret animi mutare propositum, sed quòd firma fide crederet, Deum suis non defuturum.

Fides piorum est sedula.

Quod Melzar non repudiat rationem non ineptam, & durius agit cũ pueris, dicens, se nolle huius rei periculum facere, pueros potius debere à sua patria superstitione deficere, & liberalitate munificentiaq; principis vti, & ipsum Dei est donum & mutatio dextræ excelsi, deniq; exemplum est humanitatis & modestiæ, grauiter reprehendens hodie quorundam officialium morositatem & asperitatem, qui nullas audiunt rationes, nec patiuntur quicquã sibi obijci, sed præfracta ceruice perrumpunt, & quod semel instituerunt perficere, pertinaciter absoluũt. Diligentiæ porrò illud est, quod Melzar non negligenter elabi sinit decimã condictam diem: sed tempus obseruat. Nisi enim temporis diligentem habuerimus rationem, ne quid eius nobis prætereat imò pereat, nihil egregij perficiemus.

Exemplum humanitatis & modestiæ.

Ad effectum verò fidei illud pertinet, quod Daniel ac socij decem diebus exactis, multò habitiores corporibus & forma elegantiore apparebant, quàm pueri erant regia mensa vsi. Fides ergo non fallit, nec deserit Deus constanter inhærentes verbo Dei. Apparet hinc quoque hominem non viuere pane tantùm, sed omni verbo quod procedit ex ore Domini. Et virtus Domini efficacem fecit cibum horum puerorum, vilem alioqui & coram mundo inefficacem. Præterea cernimus hodie quoque pueros quibus legumina suppeditantur & modico parabiliq; victu aluntur, ijs esse habitiores corporibus & specie, qui à tenera ætate asuescunt vino & aromatibus atq; delitijs. Pallent enim hi amiseruntq; vigorẽ, & viribus sunt propè confractis, antequã vires se exerant in iuuentute. De his copiosè scripserunt, qui libellos edidere de educãda iuuentute: à quibus licebit petere copiosiora.

Certitudo fidei

Melzar non reluctatur diuinæ ordinationi atq; potentiæ, sed dum videt pueros sibi commissos, alijs esse corpulentiores ac formosiores, non adobruit eos cibis regijs, sed facilem eis cibum administrat, ne hac quidem in re, id quod suum erat quærens, sed operationi Domini inseruiens atq; cedens. Quod exemplum in rebus non dissimilibus sequi vtile est. Domino Deo nostro sit laus & gloria. Amen.

Oeconomus nõ est morosus.

HOMILIA IIII.

Contulit autem Deus quatuor istis pueris cognitionem & intelligentiam in omni literatura & sapientia, Danieli præterea intel-

intelligentiam omnium uisionum & somniorum. Exactis autè diebus post quos rex præceperat eos adducere, adduxit eos magister palatij ante Nabuchodonosorem. Et loquutus est cum eis rex: neq; inuẽti sunt inter uniuersos Danieli, Hananiæ, Misaeli & Azariæ pares. Et ministrarunt regi. Et omne uerbum sapientiæ & cognitionis quod quæsiuit ab eis rex, reperit eos decuplo excellentiores omnibus magis & sophis, qui fuerunt in eius regno. Et fuit Daniel usq; ad annum primum regis Cyri.

SEquitur vltima pars huius primi Actus, in qua breuibus exponitur, quo modo studiosi pueri profecerint, & vnde fuerit eorum profectus, quàm feliciter item responderint ab ipso rege examinati, omnesq; suos excelluerint coæquales, vnde & in ministerium regis sint recepti. Ex quibus utilia nos discemus plurima. *Argumentum huius loci.*

Ab initio mox, Deus, inquit, dedit cognitionem & intelligentiam in omni literatura & sapientia, præsertim autem Danieli concessit intelligentiam omnium visionum & somniorum. Per cognitionem intelligo scientiam, per intelligentiam verò vsum & applicationem scientiæ. Et literatura videtur complecti bonas artes linguarumq; peritiam. Per sapientiam fortassis intelligit disciplinas reconditiores, tum ipsam quoq; scientiam Mathematices, Physices, rerum item œconomicarum & politicarum ac iurisprudentiam. Testatur autem hic locus omnes scientias omnemq; sapientiam & profectum in sapientia conferri â Deo hominibus: idq; ad conseruationem Ecclesiarum & rerumpublicarum, quod & Solomonis exemplum & plurima alia scripturæ testimonia confirmant. Certè gentes singulis artibus suos præfecerunt Deos, ea re significantes has conferri & proficisci à Deo. Papistæ nominibus duntaxat mutatis eandem illam cum Ethnicis superstitionem & idololatriam restaurarunt: quæ per Dei gratiam nunc prædicatione Euangelica conuulsa ferè iacet. Dat autem Dominus scientiam & sapientiam nõ æquali modo & ratione. Aliquando confert immediatè per miraculum, nulla per media: sicuti in die Pentecostes instruxit Apostolos & linguarum & omnium rerum necessariarum ad salutem peritia, doctrinaq; absolutissima: ferè tamen & communi modo confert sapientiam & eruditionem per intermedia, per doctores, per studia accurata & labores assiduos, perq; orationes ad Dominum feruentes: sicuti cernimus hic pueris nostris collatam absolutissimam scientiam atq; sapientiam. Incitent hæc adolescentes studiosos ad preces & ad studia assidua. Et sapientia quam confert Dominus suis, modesta est, humilis, pacifica, non contentiosa, non quærẽs quę sua sunt, sed publici boni studiosa: sicuti & Iacobus nos docuit in epist. sua, cap. 3. Quotquot abutuntur illa ad quæstũ, ad fastum, & ad rixas, uehementer offendunt Deum. Nec interim confertur sapientia omnibus æqualiter, sed cuilibet dat Deus pro bona sua uoluntate, quantum ipse vult, & pro modulo, pro ratione utilitateq; cuiusq;, sicut & Apostolus docuit in 1. ad Corint. 12. capite. Ac in præsenti confertur amplius quiddam Danieli quàm socijs: & socij alios studiosos decuplo excellunt. Qui verò consequuti sunt ampliora, ideò non efferuntur insolentius, aut aspernantur alios non tanta consequutos. Rursus hi non inuident istis sua dona, neq; iurgantur cum Domino, expostulanes cum ipso, quòd ampliora alijs, ipsis exilioracontulerit. Suã enim sorte sunt contenti. Hæc moderatio seruata est inter Danielem & socios, seruariq; debet adhuc ab omnibus inæqualia sortitis dona. Nam ista exempla proponuntur, non tan- *Deus dat sapientiam.* *Daniel.* *Quomodo conferatur scientia uel sapientia.* *Qualis sapientia.* *Non eadem quantitate omnibus confertur sapientia.*

tũm ſtudioſis, ſed omnibus hominibus piis cuilibet pro ſua vocatione imitanda.

Intelligentia uiſionum & ſomniorum.

Porrò inſigne donum eſt intelligentia & explicatio omnium viſionum & ſomniorum, quod & Ioſephum filium Iſraelis habuiſſe teſtatur hiſtoria ſacra. Viſiones & ſomnia Numeri 12. & Ioelis 2. eiusmodi eſſe dicũtur, per quæ Deus ſuis ſuam voluntatem reuelat. Ergo cum Leuit. 19. & Deut. 18. prohibetur ne quis obſeruet ſomnia, de aliis loquitur lex ſomniis, quàm illa ſint priora, diuina vtiq; & ſine ſuperſtitione, ad finem reuelata bonum. Hæc ſuperſtitioſa ſunt, & tendunt ad res prohibitas, ſuntq; conficta ab hominibus, non reuelata à Deo. Attigi hoc negotium ſomniorum nonnihil in cap. 23. Ierem. Concione 81. & alibi quoq;. Sequentur in ipſo opere Danielis exempla ſomniorum & viſionum plurima, quæ omnia pertinent ad ſolius Dei gloriam propagandam. Ergo proſectus iſtorum quatuor puerorum in omni genere ſcientiarum fuit maximus, idq; ex gratia Dei illuminãtis eos & benedicentis eorum ſtudiis. Sint ergo religioſi & timentes Deum, quotquot ſtudioſi cupiunt excellere in omni ſcientiarum genere, & prodeſſe aliquando reipublicæ. In maleuolam animam non introibit ſpiritus ſapientiæ.

Profectus ſtudiorum.

Ratio habenda temporis exactiſſima.

Cum autem rex certum ſtudiis puerorum tempus conſtituiſſet, non præteritur hoc, ſed obſeruatur diligentiſsimè à Magiſtro palatij, qui cùm ſcholarcha conſtitutus eſſet, nihil prorſus negligit. Potuiſſet varia & multa prætexere negotia, quæ impediuerint, quò minus potuiſſet rebus ſe impendere ſcholicis: ſed nihil huius auditur vel à Magiſtro Palatij, vel ab ipſomet rege. At cum orbis propè vn iuerſus his paruerit, negotia, ſi qui alij, prætexere potuiſſent iure optimo, ac tempus præterire conſtitutum. Pudeat ergo cunctatores, imò negligentes rerum bonarum prætextus inanis. Diſcant hinc omnes quotquot cupiunt res adminiſtrare feliciter, rationem habendam eſſe temporis accuratiſsimam. Veriſsimè enim dicitur, iactura temporis nihil precioſius, nihil eſſe quod amiſſum minus poſsit recuperari: nihil deniq; eſſe quod iucundius ſit & res quaſuis amplius promoueat, quàm ſi quæuis à nobis ſuo tempore & loco fiant. In tempore veni, inquit Comicus, quod rerum omnium eſt primum. Et Pindarus in Pythiis, ὁδὶ καιρὸς ὁμοίως παντὸσ ἔχει κορυφὰν, id eſt, Tẽpus, inquit, pariter in omni re faſtigium obtinet. Plinius iunior de Seniore auunculo ſuo loquens, ad Cæcilium Marcum, Memini quendam ex amicis, inquit, cum lector quædam pronunciaſſet perperam, reuocaſſe & repeti coegiſſe. Huic auunculum meum dixiſſe, Intellexeras nempe? cum ille annuiſſet, cur ergo reuocabas? decem amplius verſus hac tua interpellatione perdidimus. Tantam vir ille tantus temporis rationem habuit. Vbi ſunt ergo Iuuenes, qui inter ſtudioſos quidem numerari uolũt, ſed tot interim bonas horas ſuo ignauo, imò noxio perdunt ocio, & qui nunquam quicquam ferè ſuo tempore faciunt? Non expendunt apud ſe ſtolidi, quid ſit illud, quod inter Græciæ 7. ſapientum celebratur apohthegmatibus γνῶθι καιρόν, Noſce tempus: & quod vulgò iactatur, Fronte capillata poſt eſt occaſio calua. Certè qui neglecto tempore temporiſq; opportunitate horas bonas & vigorem iuuentutis malè collocant, nihil retinebunt in virili ætate ſenioq;, quàm pœnitentiam & ignominiam.

Bonum tempus non male eſt perdendum.

Diſpiciendum diligenter, ne frustra laboretur & impenſæ fiant.

Ergo dum conſtitutum opportunumq; adeſſet tempus, adducuntur per magiſtrum Palatij ad regem iuuenes ſtudioſi ad colloquium, ex quo rex de ipſorum profectu in ſtudiis iudicaret, quidq; de eis ſtatueret diſpiceret: ne fruſtra fierent ſumptus, & bonum tempus malè periret, labor deniq; ſuo fine & fructu careret. Vbi hæc veniunt obſeruanda, Principio examina in ſcholis vel Collegiis admodùm eſſe neceſſaria & vtilia. Experientia enim conuincit

ſbi

ibi doctissimos esse pueros, vbi sunt examina diligentia & frequentia. Exosa sunt quidem illa iuuentuti, sed vt reliqua, quæ ipsi sunt saluberrima. Neq; verò aliud quicquam est, quod rectius doceat quàm examen. Deinde oportuit sanè hunc principem fuisse doctissimum, & philosophum summum, qui in omni scientia atq; sapientia explorare potuit ingenia versatorum in omni literatura. Tales olim fuerunt Dauid, Solomon, & alij quidam reges Iudæorum, Alexander quoq; Macedo, Scipio Aphricanus, Iulius Cæsar, & plurimi inter Christianos imperatores & reges. Magnates nonnulli vsq; adeò desipiunt, vt existiment sibi dedecori esse, si docti videantur, & literati vocentur. Verùm contemptus sapientiæ in illis se vlciscitur egregiè, dum imperiti rerum, passim impingunt in gubernatione, sed & ludibrio sunt sapientioribus. Ac mirum est profectò Nabuchodonosorem, alioqui bellatorem maximum, in omni literatura adeò excelluisse, & tam accuratam studiorum et scholarum rationem habuisse. Quod tamen hic maxima cum eius laude commemoratur. Postremò obseruandum est illud in primis, quòd rex non existimauit derogari quicquam regiæ suæ maiestati, si ipsemet examinaret studiosos suos. Longè ergo melior fuit nostris Abbatibus atq; Episcopis, quorum non pauci procul dubiò arbitrantur se dedecere puerilia illa, quæ ipsi vocant schuuen wercke. Vtinam verò in maioribus iusta & idonea instituerent examina, & non tantùm requirerent ab examinandis bene legere, cõstruere, canere, & practicare: sed quid præstare queãt in bonis artibus vel disciplinis, in linguis, in sacris literis, vel in theologia, & in Ecclesiæ ministerio vel gubernatione. Iudicabit haud dubiè Nabuchodonosor in extremo iudicio istos sicuti Dominus Niniuitas & reginã Saba iudicaturos dixit incredulam & obstinatam gentem Iudaicam.

Examen necessarium et utile.

Rex doctiss. & summus philosophus.

Examinat studiosos ipse rex.

Videamus porrò quales in examine inuenti sint pueri captiui Iudæi. In omni verbo sapientiæ & cognitionis, inquit scriptura, quod quæsiuit ab eis rex, reperit eos decem manibus (ita loquitur sua phrasi scriptura, pro eo quod est decem partibus, vel decuplo), excellentiores alijs in regno suo omnibus Magis atq; sophis. Omne verbum sapientiæ & cognitionis vocat omne id, quod pertinet ad veram sapientiam vel Philosophiam, adeoq; ad absolutam eruditionem. In hac superarunt hi quatuor omnes alios Babyloniorum sapientes. Quæ sanè laus est eximia, & singularis in eo Dei gratia & potentia relucet. Captiui dudum hi fuerunt & contempti, nunc propter virtutes & dona eximia admirationi fiunt regi & omnibus Chaldæorum Principibus. Parauit ita illis Deus iustam authoritatem. Nam per hos voluit vniuerso prodesse captiuo populo. Potens est ergo Dominus, qui suos vehementer deiectos euehit in sublimitatem. Bonus est Dominus, qui afflictos non collidit penitus, sed consolatur & sustentat, seruans eos rebus melioribus. Sic contulit Deus Iosepho sapientiam, vt per eam à fame seruaret non tantùm domum Israelis religiosam, sed passim in regnis furientes etiam peccatores. Curent ergo studiosi pueri, hoc docti & commoti Danielis suorumq; exemplo, vt in examinibus excellant, vt aliquã do Ecclesiæ & reipublicæ vtiles esse possint. Daniel in præsenti duobus utitur vocabulis, חשתם החרטמים, variè hæc interpretantur expositores. Alij enim dicunt Physicos & Astrologos, alij magos & incantatores. Hieronymus vulgatam nescio quam versionem citat, quę legat Sophistas & Philosophos. LXX. habent, ἐπαοιδοὺς καὶ μάγους, incantatores & magos. Videntur Harthummim illi, fuisse rerum naturalium & arcanarum periti: sed Assaphim sapientes in rebus gubernandis. Vel utraq; hæc vocabula ponuntur pro sapientibus omni genere sapientiæ excellentissimis, quos tamen omnes hi quatuor superauerunt. Locus hic testatur humanam sapientiam superari à diuina infinitis partibus.

Quales inuenti in examine

Potentia & bonitas Dei.

Finis ſtudiorũ ac ſtudioſorum

Poſtremo loco indicatur etiam finis ſtudiorum: Et ſteterunt ante regem, id eſt aſciti ſunt in aulam, vt miniſtrarent regi, conſulendo & gubernando. In hoc ergo operam dant ſtudioſi linguis, artibus & Philoſophiæ, Theologiæ & Iurisprudentiæ, vt aliquando inſeruiant vtiliter Eccleſiæ vel reipublicæ. Oportet enim ſtudia certum habere ſcopum finemq;. De qua re etiam antea dictum eſt.

Daniel permãſit ad primum uſq; Cyri annum.

Adijcitur præterea his omnibus, Et fuit, id eſt permanſit Daniel vſque ad annum primum regis Cyri. Quibus uerbis non recitat aut numerat annos vitę Danielis. Poſtea enim audiemus ipſum 3. Cyri anno viſionem habuiſſe: ergo ſignificat Danielem in authoritate & gubernatione fuiſſe tantiſper, dum dura uerit monarchia Babylonica, quæ per Cyrum & Darium eſt infracta translataq; ad Medos atq; Perſas. Ita verò voluit Deus captiuis ſuis, pro miſericordia ſua ineffabili per Danielem cõſulere, & obiter indicare quis det magiſtratum, & quis nam ei authoritatem conciliet, eumq; conſeruet. Ad minimũ certè præfuit Daniel, ſupra annos 60. ad 70. vſq;, in Monarchia Babylonica: præfuit poſtea & in Monarchia Medica & Perſica aliquot annis. Labores itaq; non abhorruit etiam in ſenio, & fit exemplum in magiſtratu conſtitutis & officio cuilibet innexis, vt & ipſi ſint patientes, fideles & laborioſi in ſuo munere, & quidem in finem vſq; vitæ ſuæ.

Atq; hic primus eſt Actus huius operis Danielis, de vera ſapientia & ſcholis, &c. Quæ quidẽ tractatio admodùm eſt vtilis & neceſſaria. Faxit Chriſtus Dominus vt principes Chriſtiani ſcholas curent, honeſta & bona ſtudia foueant, & ſtudioſi iuuenes ſuum quoq; officium faciant, vt eccleſiæ & respublicæ paſſim floreant. Amen.

CAPVT II.

HOMILIA V.

ANno ſecundo regni Nabuchodonozoris, habuit Nabuchodonoſor ſomnia, & animus eius cõſternatus eſt, & ſomnus eius deſtituit ipſum. Et iußit rex vocare magos & ſophos & diuinos & Chaldæos qui regi ſua referrent ſomnia. Et venientes ſteterunt ante regem. Dixit autem illis rex, Vidi ſomnium & animus meus conſternatus eſt, ſcire cupiens ſomnium. Et Chaldæi regẽ alloquuti ſunt lingua Syriaca, Rex æternũ viue: narra ſeruis tuis, & nos reddemus interpretationem. Et reſpondit rex Chaldæis, & dixit, Res mihi excidit: niſi verò indicaueritis mihi ſomnium & eius interpretationem, fruſtillatim conſcindemini, domuſq; veſtræ deteſtabiles reddentur: Sin expoſueritis mihi ſomnium & eius interpretationem, à me accipietis munera & dona & magnum honorẽ: proinde exponite mihi ſomnium & eius interpretationem. Reſponderunt iterum, dicentes, Rex narret ſomnium ſuum, & nos interpretationem reddemus. Reſpondit autem Rex & dixit. Reuera intelligo, quòd tempus redimitis, cum cernatis

cernatis rem excidisse mihi. Nisi (uerò) somnium mihi indicaueritis, una de vobis stat sententia, quòd proposueritis sermonem falsum & corruptum ante me dicere, donec immutetur tempus: proinde narrate mihi somnium, vt inde conijciam quòd eius interpretationem mihi indicare possitis. Et responderunt Chaldæi coram rege, & dixerunt, Non est homo in terris qui negotium regis exponere possit: nec est rex vllus princeps aut potestas, qui eiusmodi rem postulet ab vllo mago aut sopho aut Chaldæo. Et negotium, quod interrogat rex, graue est, neq; poterit quisquam alius regi exponere quā Dij, qui tamen cum carne non habitant.

SVBIVNGITVR primo actui secundus, qui est eiusdem argumenti & materiæ, prioreḿq; absoluit plenius. Nam significantius exponitur, quid & qualis sit vera sapientia, & quis sit fructus ex verè sapientibus vel æducationis ad sapientiam, cui opponitur ex aduerso falsa sapientia, vt illa ex collatione illustrior nobiśq; commendatior reddatur. Et quidem vera sapientia oritur non ex carne aut mundo, sed ex cœlo, authore Deo, & est Dei omnia gubernantis, Christíq; eius seruatoris nostri & regni huius æterni cognitio. Intellígit hæc omnia regna mundi gubernare Deum, & ipsa quidem fluxa esse & peritura, solius Christi regnum esse sempiternum. In eo regno qui sunt, vnicè in Christum respiciunt, ex vno salutem expectant, honestè & sanctè hic in hoc nimirum seculo viuunt, & in futuro seculo æternum viuent beati & fœlices. Hæc inquam vera & diuina est sapientia, somnio Nabuchod. proposita, & sapienter per Danielem ex spiritu Dei significantissimè exposita. Ergo veram hanc sapientiam profitetur Daniel homo peregrinus in Babylone, in mundo contemptus & captiuus. Quales fuerunt & Euangelí pręcones: quod quidem Euangelium eam ipsam profitetur & docet sapientiam, quam hic Daniel tractat. Legatur apostolus Paulus in 1. ad Corinth. cap. 1. & fiat cum his Danielis collatio, apparebit́q; vtrobíq; eandem doceri sapientiā. Porrò veræ huic & diuinæ sapientiæ opponitur falsa & humana sapientia, quæ existit ex carne & mundo, ideóq; ea sapit, quæ sunt mundi, eadem innititur rebus momentaneis ac fallitur, quærit carnalia & inflata est prorsus: & propterea confunditur ac perit. Professores sunt huius sapientes Babylonis, magi, sophi, diuini vel philosophi, coram mundo magnifici & in existimatione maxima. Quales fuerunt pharisæi quóq; & scribæ Christi temporibus, & sacerdotes deorum apud Romanos, magi, aruspices & diuini apostolorum ętate, ac hodie Doctores & Magistri nostri Papistici.

Argumentum actus secundi.

Vera sapientia

Falsa sapientia

Pertinet autem hæc doctrina de Deo gubernante omnia & Christo eiuśq; regno æterno vitáq; & salute fidelium: principio quidem ad confirmationem promissionis diuinæ, qua orbi Christus est promissus seruator, deníq; ad consolationem afflictissimi populi Iudaici iam in Babylone captiui. Quia enim reges & principes vnà cum prophetis & populo Dei captiui erant ducti, vrbs verò cum templo inflammata, & cultus Dei sublatus è medio, terráq; promissa patribus, populo alteri data, videri sanè poterat Deus suarum oblitus promissionum, nolle amplius vel populum hunc pro suo agnoscere, vel liberatorem mittere. Proinde per initia captiuitatis Babylonicæ renouat Deus vniuersam de Christo promissionem, & quidem magnificentissimè, opera regis Nabuchodonosoris, consolatuŕq; tentationibus afflictos. Sub finem captiuitatis, vt appare-

Quorsum pertineat hæc tractatio.

bit cap. 9. amplissimè exponit totum redemptionis per Christum arcanum. Ita testatur historia sacra difficilibus rebus temporibusq; & in magnis rerum mutationibus motibusq;, Christi promissionem semper fuisse renouatam & inculcatam. Non est enim vlla salus aut consolatio extra Christum. In Christo autem est vita, lux, & salus omnium hominum, qui vnquam fuerũt, aut futuri sunt; vt verè sapientes sint qui ipsum cognoscunt & in ipsum credunt, stulti autem qui ipsum nec cognoscunt nec credunt in ipsum. Et quidem si vspiam laudatur & cõmendatur nobis Christianismus, in hoc actu secũdo prædicatur amplissimè.

Prædicabitur Christus per vniuersum mundum.

Deinde significauit Deus hoc actu secundo, diuinam sapientiam vel prædicationem aut cognitionem de Christo spargendã fore per vniuersum orbem, in omnes gentes: id quod factum est per prædicationem apostolorum. Etenim orbis monarcha erat Nabuchodonosor. Sparsit idem hoc mirificum suum somnium per vniuersum mundum.

Omnia autem quæ hic dicuntur de vera & falsa sapientia & mystico regis potentissimi somnio, proponũtur sanè historico & ordine pulcherrimo, vt ipse tradendi modus & ipsa descriptio omnes nos attrahat in sui perquisitionem & admirationem. Et quidem hic actus 2. habet certa & distincta capita: quorum

Quo tempore reuelatum hoc somnium.

primum est Somnium, quod Regi obuenit. Annotat autem Daniel ab initio tempus, quo reuelatum est regi somniũ, secundo vtiq; anno regni Nabuchod. Facit hoc ad certitudinem & confirmationem veritatis historiæ, adeoq; ipsius rei quæ narratur. Disceptatur autem ab expositoribus, de hoc secundo anno. Hieronymus verò optimè exposuisse videtur, qui sic scriptum reliquit, Si post tres annos pueri ingressi sunt in conspectum Regis, vt ipse præceperat, quomodo nunc secundo anno regni sui somnium vidisse narratur? Quod ita soluunt Hebræi, secundum hic annum dici regni eius omnium gentium barbararum, non Iudęæ tantùm & Chaldæorum, sed Assyriorum quoq; & Ægyptiorum & Moabitarum & reliquarum nationum, quas Domino concedente superarat. Vnde & Iosephus in 10. Antiquit. scribit lib. Post annum secundum Ægyptiacæ vastitatis Rex Nabuchod. vidit mirabile somnium, & conterritus est spiritus eius, & somnus eius fugit ab ipso. Hæc ille. Simul autem eodem hoc capite continetur & initium & finis monarchiæ Babylonicæ. Vnde intelligimus nihil in orbe firmum esse ac beatum.

Nabuchodonosori diuinitus proponitur somnium.

Deligitur autem ad hanc sapientiam vniuerso mundo promulgandam proponendamq;, Rex in orbe inter monarchas omnium clarissimus Nabuch. Hic enim appellari meretur Caput aureum. Ac reuelatur ipsi sapiẽtia hæc cœlestis, non vulgari modo, sed maximè insigni & celebri, per somnium videlicet. Nam hæc ratio aperiendi mysteria & voluntatem Dei, antiquitus à Deo legitur vsurpata reuelataq; non vulgaribus hominibus, sed regibus potentiss. Abimelecho enim Regi Deus pœnam denunciat grauem, nisi patriarchæ suam restituat vxorem, Genesis 20. Pharaoni quoq; Ægyptiorum regi, aperit Deus per somnium salutare vniuerso mundo negocium, quod & per Iosephum ipsi curauit interpretari. In nouo Testamento per somnium visionemq; Paulo significatur in Macedoniã transeat, atq; toti Græciæ, nationi sub sole nobilissimæ, annunciet euangelium Christi. Plurima alia maxima arcana per somnia pijs sunt reuelata hominibus. Nemini itaq; fordeat, quòd vera sapientia reuelatur hic per somnium. Sed & varijs modis eademvera Dei sapiẽtia hominibus est reuelata, ijsq; omnium præstantissimis, vt reuelationis modus neminem debeat offendere.

Deus vrget ad perquisitionẽ somnij.

Et Deus Regi immittit non tantùm somnium, sed & terrorem maximum, quo impellitur ad indagationem somnij. Nam animus Regis, inquit scriptura contritus, cõturbatus, adeoq; fractus est, & somnus eum destituit. Colligamus

hinc

hinc quam turpe ſit, ſi nulla nos cura tangat aut animi ſolicitudo angat indagandi verbi Dei veritatem & dogmata ſalutaria, de ſalute noſtra & gloria Dei.

Secundum caput huius ſecundi actus habet Conuocationem omnium ſapientum, & veluti Synodum in mundo doctiſsimorum hominũ, & Regis colloquium cum ſapientibus. Sic autem, more planè tragico, in lucẽ maximo cum apparatu profertur Regis ſomnium, in quo occultatur vera ſapientia. Iubet enim Rex omnes regni ſapientes conuocari, à quibus ſomnium vnà cum ſomnij interpretatione requirit. Serium autem colloquium Regis cum ſapientibus, & ſupplicium, quod iubente Rege ſumptum eſt de ſapientibus, hoc negocium quàm latiſsimè ſpargit per vniuerſum regnum vel orbem. Deus enim hoc omnibus voluit maxima cum gloria innoteſcere. De vocabulis ſapientum non eſt quod de nouo dicamus. Nam ſub finem capitis 1. de primis illis dictum eſt. De poſterioribus ſic ſcribit beatus Hieronymus hunc locum interpretans. In Chaldæis γενεθλιαλόγους ſignificari puto, quos vulgus mathematicos vocat. Conſuetudo autem & ſermo communis magos (quos nos hic diuinos interpretati ſumus) pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem ſuam, eò quod ſint Philoſophi Chaldæorum, & ad artis huius ſcientiam reges quoq; & Principes eiuſdem gentis omnia faciunt. Vnde & in natiuitate Domini Saluatoris ipſi primi ortum eius intellexerunt, & venientes in ſanctam Bethlehem adorauerunt puerum, ſtella deſuper oſtendente, &c.

Quomodo reuelatum ſomnium.

Magi.

Quemadmodum verò in præſenti committitur vera ſapientia cœleſtis, cum falſa mundana, ita quidem ſæpè aliàs eſt cõmiſſa, & victoriam ſemper vera reportauit, ſicuti & hic reportat. Notiſsimum eſt certamen ſuſceptum inter Moſen & Magos Ægyptij regis. At in maximis celebribuſq; cœtibus myſterium filij Dei reuelatum eſt: ſicuti & hic coram maximo rege & ſapientibus principibuſq; reuelatur. Apud Matth. in cap. 2. reuelatur Chriſtus inter maximos orbis homines, in cœtu omnium celeberrimo. Veniunt enim Magi ab Oriente. Quærunt in clariſsima Orientis vrbe Hieroſolyma, Vbi nam ſit ille nuper prognatus Meſsias? Concutitur vrbs. Conuocat rex ille magnus Herodes, omnes Iſraelis ſapientes: qui Bethlehem oſtendunt Meſsiæ patriam. En quanta cum celebritate coeuntibus Ethnicis & Iſraeliticis ſapientibus ſub magno illo Herode, reueletur Chriſti myſterium? Quo nimirum referri poteſt caput Acto. 26. in quo exponitur Paulum Apoſtolum Chriſti myſterium expoſuiſſe in cœtu celeberrimo, in quo collecti erant cum rege Agrippa & regina Bernice, proceres Syriæ, procoſs. Feſtus Romanorum vnà cum Iudęorum magnatibus & doctoribus, Romanorum item conſiliarijs & militibus, aut ſaltem militiæ tribunis & proceribus. Hæc omnia commendant nobis & Chriſtum & glorioſum Chriſti Euangelium, quod etſi in mundo apud reprobos faſtidiatur, habet tamen coram electis ſuam gloriam etiam in mundo ampliſsimam. Sicut enim lex Dei non in angulo aliquo mundi, ſed in aperta luce & cœtu populi maximè reuelata eſt, ita & euangelium maxima cum gloria & ſplendore mundo innotuit. Quo & 2. cap. Act. pertinet: vbi inter pręſtantiſsimos vniuerſi orbis homines Apoſtoli Euangeliũ prædicare incipiũt, nec ſine fructu eximio.

Reuelatur myſterium Chriſti inceleberrimis cœtibus.

Cæterùm colloquium Regis & Philoſophorum Babylonicorum deſcribitur à Daniele quàm diligentiſsimè: nimirum vt palàm videamus deprehendamuſq; artes, fallacias, falſitatemue & confuſionem humanæ Philoſophiæ. In artibus quidem & diſciplinis multum, imò ſuum illud meritò tribuimus Philoſophiæ, ſed quantum attinet ad veram felicitatem, circa quam verſatur vera ſapientia, inanis vanaq; eſt Philoſophia, cui reuera ſtultitia videtur, quæ reuera eſt ſapientia & quidem vnica.

Salutationes.

Salutant Philosophi regem officiosissimè. Sapientes enim huius seculi instructi sunt salutationibus, adulationibus, loquentia, officiositate, & omnibus rebus quibus hic mundus & Principes mundi delectantur. In his excellũt. Rex, inquiunt, æternum viuito, Regi vticp imprecantes perpetuam felicitatem. Salutat & sapientia Christiana, & alios honore præuenire contendit: sed moderationem adhibet, omnem adulationem remouet, non nimium cuiquam tribuit, sed quod æquum est. Alioqui modis omnibus sunt improbandi, qui prætextu humilitatis & religionis, nemini ne magistratui quidem aut senibus debitum impendunt honorem, & cum senibus proceribuscp ita loquuntur vulgariter & abiectè, vt abiectius non possint. Verè dixit Satyricus, Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Qua lingua vsi sapientes coram Rege.

Lingua in colloquio cum rege vtuntur Aramica, hoc est, Syriaca, quòd ea maximè tum esset vulgaris. Eandem vocat S. Hieronymus & Chaldæam. Alij diuersas illas fuisse contendunt, quamuis dicant multum illas inter se cognationis habuisse, veluti hodie Latinus sermo vicinus sit Italico & Hispanico. Vtcunch autem ea res habeat, videntur non sine prouidentia Dei, ea vsi lingua, quæ tunc nota fuit plerisch. Ita cum in mundo obtineret postea Græca lingua, propter Græcorum imperium, factum est, vt Biblia sint translata in Græcam linguam, sub Rege Ptolemæo Philadelpho, & ipsi Apostoli sua illa scripta exarauerint Græca lingua, quò legi possent & cognosci à pluribus. Et Imperat. Iustinianus Constit. in Nouell. 123. mandat Episcopis & Ecclesiarum ministris lingua vtantur in administratione Baptismi & Cœnæ, quæ intelligatur à celebrantibus Sacramenta. Tantum abest vt probari possint, qui & preces & omnia sacra sub peregrina lingua Romana vel Latina peragi contendunt, sed & sacra Biblia non omnibus Laicis promiscuè, ad legendum concedenda affirmant.

Falsa sapientia præsumptuosa & iactabunda.

Liberaliter autem pollicentur Regi sapientes Babylonis, iubentes Regem reddere aut recitare somnium, tunc enim se interpretationem mox subiuncturos. At Dei interim authoris omnis veræ sapientiæ, nullam faciunt mentionem: quia Philosophia vel mundi sapientia non è spiritu Dei, sed ex carne oritur, & carne inflatur, & carnem quærit, adeocp tota constat carne, & viribus hominis omnia tribuit, præsumptuosa denicp est ac iactabunda, verùm audiemus mox hanc sapientiam coram Rege confundi, & deprehendi prorsus inanem. Sicuti semper inanis adeocp hæretica & Pelagiana deprehensa est illa doctrina, quæ præterita Dei gratia & fide, innixa est viribus virtutibuscp humanis.

Rex cum sapientibus seueriter & rursus benignè agit.

Rex seuerè ac rursus benignè admodùm agit cum eis. Ignaris enim aut indoctis mortem interminatur: peritis iterum ampla præmia pollicetur. Conscindam vos, inquit, in frusta, nisi somnium pariter cum expositione eius reddideritis. Volunt alij Regem dissimulasse somnium, quod quidem quale erat, sciuerit, reddere autem illis noluerit, vt faceret periculum verósne sapientes haberet an impostores. Verisimilius est excidisse ei somniũ per Dei dispositionem, & interim in animo absque quiete exagitatum fuisse ad perquisitionem somnij: fortassis vt hac ratione aliquando etiam meritas darent pœnas sophi, qui multis modis sceleribuscp horrenda meruerant iam dudum supplicia. Et horrenda est pœna hodie adhuc, & quidem patriæ proditoribus debita, concisio in quatuor partes. Turcis hodie quoch in vsu est concisio corporis humani in partes. Vulgo vocatur **Seblen**. Addit his, Domus vestræ reddentur detestabiles. Alij conuertent, Domus vestræ vertentur in sterquilinium vel latrinam. Et hodie quoch leges antiquæ habentur, iubentes hominibus singulariter sceleratis, diruere ædes, vt hoc sit testimoniũ apud posteros, habitasse

aliquando

aliquando ibi homines indignos publica societate ciuiũ, deteſtabiles vtiq; con ſceleratos, impoſtores & intolerabiles. Hac ſeueritate extorſiſſet, ſi vel mica fuiſſet veræ ſapientiæ reliqua in ipſis Babylonis ſapientibus. Teſtantur ergo hæc humanam ſapientiam reuera in receſſu habere nihil, & indignam eſſe, quę appelletur ſapientia. Addit præterea Rex, quo plurimùm Sophi, ſi quid præ- *Munera.* ſtare potuiſſent, permoti fuiſſent, ampliſsima præmia honoresq;, vel dignitates excellentiſsimas. Et Balaam ille Orientalis vates, Moabitici regis muneribus victus, contra animi ſui ſententiam fecit. Quod vel hodie faciunt plurimi muneribus principum faſcinati. Ac ſciuit Rex Sophos illos ſuos (ſicuti ne hodie quidem faſtidiuntur à doctulis) nulla re magis quàm muneribus commoueri, adeoq; munera apud eos omnia poſſe. Sed ne ſic quidem ipſi tantillum poſſunt. Vnde iterum & quidem manifeſtè produnt, ſe omni vacuos eſſe ſapientia, & humanam ſapientiam eſſe vanam.

Perſtant illi quidem in ſua audacia, pollicentes Regi amplè ſatis, ſe enarra- *Falſa ſapientia fingit ſe ſcire omnia.* re poſſe ſomnium, ſiquidem ipſe hoc narret. Falſa enim ſapientia omnia ſe ſcire iactat, cum nihil norit. Rex ſubolfacit ſe alere iactabũdos impoſtores, qui etiam vafricie ſuam diſsimulare ſciãt inſcitiã. Grauiter itaq; increpans illos, Reuera, inquit, intelligo vos nihil earum rerum mihi poſſe præſtare, quæ liberaliter pollicemini. Ne tamen videamini rerum omnium ignari, redimitis tempus, atq; in aliud tempus hęc mea quoquo modo differri cupitis, cum me iam cernatis non poſſe ſomnium narrare, quod excidit. Speratis enim aliquid regiorum negociorum interea dum ceſſo interuenturum, quo abſtractus ab his meis cogitationibus, aliis me cogar magis fortè arduis impendere, & vos ita liberati hac ſolicitudine, neq; ſomnium mihi, neq; expoſitionem eius reddere cogamini. Ego verò hac de re & de vobis ita apud me conſtituo: quòd ſi ſomnium mihi qualenam fuerit referre nõ poteſtis, pro vera eius interpretatione vos nugas veſtras tranſlationesq; allaturos, tantiſper dum aliud tempus, alia negocia expedienda attulerit, & vos liberemini hac neceſsitate præſenti. Proinde ſi vultis vt credam vos ſyncerè poſſe ſomnium illud meum interpretari, ipſum mihi prius ſomnium, quale fuerit narrate, vt cum video hoc vos poſſe mihi reddere, inde colligam vos etiam expoſitionem eius poſſe referre. Alioqui enim ſi illud non præſtiteritis, inde ne hoc quidem præſtare vos poſſe, colligam. Ac ſapiens hic Regis ſermo grauiter redarguit ſtultitię & inſcitiæ humanam ſapientiã, quę poſt faſtum, tumorem, iactantiam, promiſſa vana & inania verba, nihil habet ſolidi ac veri.

Tandem verò redacti in anguſtias à Rege ſapientes, fatentur vtcunq; ſuam *Falſa ſapientia excuſat & occultat ſuam ignorantiam.* ignorantiam, ſed eandem rurſus excuſant & ornant putridis verbis, talibusq; conantur medicari morbidæ cauſæ malagmatis, qualibus vſuros ipſe Rex præuidit atq; iam prædixit. Negant enim quenquam in terris viuere hominem, qui arcanum hoc poſsit exponere Regi, ne dum ipſi. Manifeſtè ergo confitentur ſuam ignorantiam. Et verè dicunt veram ſapientiam non poſſe exponi ab homine, nimirum cœlitus nondum illuminato. Cæca eſt itaq; vniuerſa philoſophia, & veram ſapientiam ſola tradit religio Chriſtiana. Verùm ne cum pudore coram Rege viderentur ſuam fateri ignorantiam, in Regem reiiciunt culpam, ſi qua hic in aliquem caſura videatur. Tu, inquiunt, Domine Rex, petis à nobis, quod nullus vnquam princeps à ſuis poſtulauit ſapientibus. Petis ergo rem nec poſsibilem nec à ſapiente petendam rege. Quo ſimul Regem pungunt, ne ipſorum videlicet laboraret authoritas. Atq; ita ſolent philoſophi. Addunt euidentiora his, quibus ſe omnino excuſatos exiſtimant. Res inquiunt, quam poſtulas à nobis, res eſt abſcondita vel arcana, grauis ac inexplicabilis, quam non poterunt niſi Dij exponere regi. Cum autem Dij in carne & inter homines non ha

bitent, iniquè illa à nobis postulas (qui Dij non sumus, sed homines) quæ à Deo sunt expectanda. Ita verò solet sapientia humana in rebus seriis, & cum dicendum erat in quo versetur sapientia, quis eius finis, & quæ sit vera sapientia, aut quis eius vsus, nugari res esse supercœlestes, inexplicabiles, & supra hominum captum, & nescio quæ huius generis alia. Breuiter ignorat sophistica veram sapientiam Christum, & tamen ne quid videatur nescire, mira prætexit & nugatur. S. Hieronymus ex hac sapientum confessione colligit Christianam veritatem & dicit, Confitentur magi, confitentur harioli & omniscientia sæcularis literaturæ, præscientiam futurorum non esse hominum, sed Dei. Ex quo probatur prophetas spiritu Dei locutos, qui futura cecinerunt. Hæc ille.

Multa hic falsa dicũt Sophistæ.

Porrò in pauculis hisce verbis suis multa simul falsa Regi suo proposuerũt hi sophistæ. Principiò enim aiunt, Non est homo in terris qui hãc rem Regi exponere possit. At Daniel viuebat in terris, qui Regi omnia exactè & plenè exposuit licet nõ ex semetipso vel ex carne & mundo, sed ex reuelatione cœlesti. Deinde, Non, inquiũt, vllus vnquam Rex fuit, qui à suis sapientibus tale quid postularit. At Pharao Gen. 41. somnũ sui mysterium postulauit à suis sapientibus, licet ipse interim somnium exposuerit. Postremò affirmant Deum cum carne non habitare. Quæ quidem summa est sapientia sæcularis sapientiæ, negare Deum rebus misceri humanis, Deum curare res mortalium, Deum affici rebus hominum, Deum incarnatum esse, nobiscum Dei filiũ in carne versatum, eundem cruci affixum esse, dolores sustinuisse, resurrexisse ex mortuis, cum vero corpore in cœlos ascendisse, sedere ad dextram Dei, inde venturum in iudicium, ac in hoc resuscitandam fore carnem nostram, & quæ alia sunt nostræ religionis capita, quæ omnia non tantũ negat humana Philosophia, sed etiam oppugnat atque irridet. Atqui constat certò Deum habitare cum suis in terra, & pios esse templa Dei, Deum incarnatum habitasse in nobis. Hæc nobis credenda sunt & confitenda. In his enim est vera salus nostra: in philosophia humana est pernicies & exitium. Christo seruatori nostro, qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia & sanctificatio, sit laus & gloria in secula. Amen.

HOMILIA VI.

Inter hæc magna ira & furore percitus Rex, præcepit omnes sapientes Babylonis interfici. Et sententia egressa est, & sapientes occisi sunt, Danielem quoq; & sodales eius quæsiuerunt, ut interficerentur. Tunc Daniel sciscitatus est de consilio & edicto apud Arioch præfectum militum Regis, qui egressus fuerat ad interficiendum sapientes Babylonis. Respondens autem dixit ad Arioch præfectum Regis, Ad quid ita festinat edictũ à conspectu Regis? Et Arioch exposuit rem Danieli. Ideò Daniel introgressus rogauit Regem, vt ei tempus permitteret ad indicandum Regi interpretationem. Tũc Daniel domum profectus, Hananiæ, Mizaeli, & Azariæ sodalibus suis rem indicauit, vt misericordia peteretur à Deo cæli super hoc arcano, vt non interficiantur Daniel & sodales eius cum sapientibus Babylonis.

Finis humanæ sapientiæ est certissimus interitus.

TErtio capite huius actus exponitur cruenta Regis contrà sapientes sententia & exequutio eius per Ariochum. In hac autem expositione eleganter ostenditur

oſtenditur finis humanæ ſapientiæ, qui eſt mors & interitus certiſsimus, tum & inopinatus. Dum vocarẽtur ad Regem, nihil ſanè minus expectarunt quàm mortem. Et philoſophia vel humana ſapiẽtia ſibi diuturnam vitam pollicetur. nec admodùm metuit interitum, à quo ſe alienam putat. Cæterùm ſcriptura, Morieris, inquit, ea hora qua minimè putaſſes. Item: Qui credit in filium Dei, mortem non videbit in æternum. Ac niſi crediderítis Ieſum eſſe Chriſtum, moriemini in peccatis veſtris. Et iterum: Qui credit in eum, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, ſed de morte tranſiuit in vitam, qui verò non credit, ira Dei manet ſuper ipſum, ac periit totus: quia non credit in nomen vnigeniti filij Dei. Proinde nemo quærat ex ſophis & ſapientia huius mundi vitam: quia & ipſi intereunt, & ſapientia ipſorum non viuificat, imò occidit: at in ſolo Dei euangelio, ſapientia cœleſti, quæ vitam in ſolo Chriſto oſtendit, vita per fidem inuenitur & poſsidetur.

Cædem iſtam ſophiſtarum tribuunt nonnulli Regis furori, non rationi, & Regem tyrannidis crudelitatisq; accuſant: alijs aliud viſum eſt. Ac in vniuerſum vituperant multi Nabuchodonoſorem, ceu omnium ſceleratiſsimum hominem. Nec ſanè diſsimulari poteſt, Azariam in ſua illa confeſsione, apud Theodotionem, palàm dicere, Tradidiſti nos in manus iniquorum & peſsimorum, & regi iniuſto, atq; omniũ qui ſunt in terra peſsimo. Etenim nemo hactenus plus hoc rege nocuerat populo Dei, quem in Babylonem abduxerat captiuum, ac vrbem direptam templumq; ipſum exhauſtum penitus, igni combuſſerat. Cæterùm negari viciſsim non poteſt, eundem principem & maxima habuiſſe Dei dona, hisq; non malè vſum. Erexit quidem poſtea quoq; idolum, faſtu item elatus intollerando grauem Dei manum ſenſit: verùm idem pœnitentiam quoque egit, fidem in Deum habuit, Dei gloriam promouit, blaſphemiasq; prohibuit. Vnde non temerè apud theologos eximios inter principes bonos locum inuenit: quem tamen fatendum eſt, maxima ſua habuiſſe vitia. Inueniuntur multi principes non mali, nec illaudati in pluribus, qui tamen næuos ſuos etiam habent, propter quos non in vniuerſum conijciuntur recenſenturq; inter peſſimos, etiamſi in quibuſdam peſsimi fuiſſe dicantur. Ac vt redeamus ad locum præſentem, peccauit ſanè Rex contra ſophos ſuos aſperrima ira furens, affectuiq; ſuo indulgens nimium, meruiſſe tamen ſophiſtas hoc ſubdi ſupplicio, quo ſubiecti & interempti ſunt, dubium non eſt. Sæpe Deus concedit in aulis principum, ſapientibus conſiliarijs & ſacerdotibus magnam authoritatem vel exiſtimationem, fauorem item principis, opes, voluptates & dignitates, quibus cum ipſi abutuntur, & ſunt ſuperbi, inſolentes, auari, luxurioſi, iniuſti, crudeles & impij in Deum, qui nec ſibi ipſis, nec regno aut reipub. vel eccleſiæ bene conſulunt, peccatis his ſuis iratum ſibi Deum faciunt, qui mox ſpoliatos omnibus bonis, excarnificandos obijcit ſæuiſsimis ultoribus. Et quidem videntur hi ſophiſtæ Babylonici fuiſſe auariſsimi, ambitioſiſſimi, inſolentiſsimiq; homines, qui populo Dei & religioni veræ inſultando fuerunt moleſtiſsimi, iactatores ethnicarum cõtra fidem veram victoriarum, & encomiaſtæ idolorum ſuperſtitionisq; Babylonicæ, inſuper & ſitientiſsimi bellorum ſanguinisq; innoxij & fidelium. Nunc itaq; adeſt tempus, quo Deo viſum eſt ſupplicium ſumere de ſanguinarijs ſceleratiſsimisq; ne quis putet iuſtam Dei, diutius quàm æquum uideatur, dormitare vindictam. Simile iudicium exercuit quondam Deus per Heliam ſub rege Achab, in ſacerdotes Baal, & in reliquias eorundem per Iehu regem. Vniuerſi enim gladio conciſi ſunt. Et Galerius Maximinus imperator, apud Euſeb. eccleſ. hiſt. lib. 9. cap. 9. victus à Licinio, ſæuit in ſacerdotes idolorum tanquam in ſeductores: ſicuti in præſenti Nabuchod.

Interficiuntur ſapientes Babylonis merito.

tolli iubet, tanquam impostores, sophistas suos, diu à se magnis sumptibus frustra, sed tamen molliter & delicatè habitos & honoribus euectos in sublime. Nemo ergo despondeat animum, & iniquius sentiat de iustitia Dei aut etiam de doctrina euangelij, & de religione vera, si videat in aulis regum, in magna regum existimatione esse felicissimos q̃ videri, deterrimos ueræ fidei hostes. Nisi enim agant pœnitentiam, aderit aliquando tempus, quo inquiret in ipsos Dominus, & asseret veritatem, vindicabit q̃ sanguinem innoxium.

Omnes obnoxij sumus exitio.

Sequitur 4. caput huius actus intercessio Danielis & oratio eius ad Deum cum reuelatione totius mysterij, & gratiarum actione eius pro reuelatione. Etenim inuoluitur eodem periculo interitus, cum sapientibus Chaldæorum Daniel vnà cum sodalibus. Nam quotquot ex Adamo sumus prognati, eidem mortis interitus q̃ sententiæ subiacemus, nec q̃ ex illa eximimur, nisi diuina gratia per gratuitam electionem & fidem: sicuti & his liberatus hic cernitur Daniel.

Robusta Danielis fides.

Etenim fides eius insignis hic relucet & robur animi coniunctum cum prudentia. Non concidit animus eius, quòd videret edictum Regis esse vulgatũ, quòd sapientum præstantissimi quique iam cecidissent, quòd ipse esset captiuus & de gente Iudæorum Babylonijs exosa, deniq̃ quòd miles barbarus Arioch, non videretur preces eius facilè admissurus, perstat in his nihilominus erecta fide in Deum, sperans de eius gratia & potentia. Ergo Ariochum adoritur intrepidè (loquutionis enim genus est in Euangelica historia quoq̃ peruulgatum, Respondens dixit ad Arioch. Non fuit interrogatus, ergo respondens ponitur pro alloquutus est Ariochum, & ait) & hunc diligenter interrogat, quo consilio tam sæuum edictum promulgarit rex, & quid causæ sit, quòd ita festinetur (quod obiter vel oblique videtur taxasse) in cæde eorum, qui nondum erant auditi, & quibus nulla dum causa erat exposita, ob quã cædendi erant. Eiusdẽ fidei & roboris est, quòd intellecta causa, ipsummet Regem accedere audet, ipsum q̃ rogare, tantillum concedat temporis & respirationis, donec precari, & somnium referre & interpretari liceret. Nihil iactat, aut insolentius pollicetur Regi, neque plus æquo aut insidiosè procrastinat, sed confisus de misericordia Dei & modicum sibi temporis concedi postulans, modestè coram Rege loquitur. Et hi quidem sunt mores & ea est modestia veræ sapientiæ. Colligimus hinc quoque pios non se suis prosternere persequutoribus, & temerè aut inconsultè caput obiectare periclis, sed tueri vitam quoad licet, & quantum quidem rationibus æquis licet. Seruat ergo nos spe quidem in Deum plenos, sed non sine solicitudine & laboribus vera fides. Asserimur gratia Dei, sed vt interim inertes minimè simus.

Arioch quis in aula?

Disputatur ab interpretibus quis fuerit hic Arioch, & qualẽnam sustinerit in aula Regis officium. Alij putant fuisse magistrum suppliciorum, vel præfectum rerum capitalium. Alij supremum in militia imperatorem: item satellitum vel speculatorum præfectum. Sunt qui vocent magistrum coquorum: quòd quemadmodum coqui omnia altilia & pecora mactant: ita milites eos quos Regis damnauit sententia, perdant. Fortassis qui in bello militiæ præfuerunt, illi ipsi in pace ductores fuerunt militum stipatorum Regis, exercentes etiam iudiciũ Regis in damnatos. Quos nos vocamus magistros campi & capitaneos regiæ guardiæ **Feldherren/vnd Guardy hauptlüth**. Nomen huius Arioch leoninum aliquid sonat, ac videtur omnino Arioch hic vir fuisse sæuus & militaris: quò magis mirandum est, quòd erga Danielem hominem Iudæum & captiuum, tam benignus fuit, nec vrsit Regis edictum, dicendo sibi omnino & festinanter exequendum esse Regis mandatum, adeò vt non liceat spacium concedere Danieli Regem adeundi, id quod præterea Ariocho iram Regis

grauem

grauem conciliare posset, quòd non rectà pergat cædere eos, quos regis damnarat sententia. Verùm corda regum adeoq; omnium hominum sunt in manu Dei, qui ipsa quo vult reflectit. Idem sperantes in se non deserit, conciliatq; eis etiam hostium & sæuissimorum hominum animos. Interim commendanda est nihilominus eximia humanitas & modestia Arioch: tum & Regis Nabuchodonosoris clementia, concedentis spacium cogitandi de re proposita, & utcunq; retractantis aut differentis latam sententiam illam capitalem. Iudicabunt hi homines ethnici Episcopos & inquisitores Monachos, apud quos nulla clementia erga semel accusatos fideles, locum habet, &c. Trahunt & protrudunt hi ad necem eos etiam, quorum causam nunquam cognouerunt, aut rectè excusserunt.

Quomodo ignorarit Daniel sententiam regis.

At quæri hic solet, cum Daniel etiam fuerit inter sapientes: id quod vel inde colligi potest, quòd quæritur ad necem, iuxta sententiam pronunciatam contra sapientes, quî factum sit, quòd ipse nescierit illa omnia, quæ facta sunt coram Rege cum sapientibus? Sed facilis est solutio. Vocati enim sapientes ad Regem, festinarunt seniores præsumptuosi, & qui sibi videbantur præstantiores, soli & posse omnia, relictis alijs vilioris notæ discipulis, veluti ijs, qui explicare minimè possent, quod magistri, qui sibi ipsis lumina mundi videbantur, nondum intelligerent, aut expedire valerent. S. Hieronymus hanc quæstionem sic explicat, Quærunt Hebræi, inquit, cur Daniel & tres pueri non sint ingressi ad Regem cum alijs sapientibus, & prolata sententia iubeantur perire cum cæteris? Quod ita ediserunt, vt eo tempore, quo rex præmia & dona & honores maximos promittebat, ire noluerint, ne impudenter diuitias & dignitatem Chaldaicam viderentur appetere: Aut certè ipsi Chaldæi inuidentes gloriæ eorum & scientiæ, soli ingressi sunt, quasi soli præmia perceptur: & postea in periculo voluerunt habere consortes, quos in spe gloriæ refutauerant. Item, Scientes inquit, Chaldæi, quòd decuplum super cunctos hariolos & magos qui erant in vniuersa Chaldæa, Daniel & tres pueri saperent & intelligerent, celauerunt eos interrogationem Regis, ne præferrentur sibi in interpretatione somnij. Hæc ille.

Vnde sit uerâ sapientia & quod à Deo sit è precibus petenda.

Sequitur modò locus planè memorabilis, docens vnde sit vera sapientia, ni mirum à solo Deo, & quòd ab hoc sit petenda impetrandaq; precibus. Exemplo hæc discimus Danielis & sociorum. Sophistæ Babyloniorum nec Deũ orarũt, nec vllarum precum apud Regem vel aliàs meminerunt. Orationibus postulauit & Solomon sapientiam ac impetrauit. Vnde Iacobus apostolus sapientiam mandat postulare à Domino. Circa hunc locum hæc veniunt considerandа.

Oraturus Daniel abit in domum suam.

1. Danielem festinare in domum suam, vbi à Rege tempus impetrasset, non vt ibi figuram cœli erigeret, astra inspiceret, necromanciámue vel aliam curiosam artem exerceret, aut disputationibus & librorum assidua euolutione, id quod ab eo quærebatur, disceret, sed vt Dominum Deum oraret, & ab ipso arcani reuelationem postularet. Non licuit illi templum ingredi, quippe quod iam dudum erat euersum & combustum. Idolea horruit meritò. Non erat tunc alius sacer cœtus, cui se adiungeret. Ergo sicut in Euangelio dicit Dominus, Tu cum orare vis, introito in conclaue tuum, &c. ita Daniel recipit se in domum suam oraturus: quo oratorio etiam vsus legitur cap. huius libri 6. 2. Et in domum suam colligit cœtum, quem tum quidem habere potuit. Vocat enim socios suos tres, Hananiam, Mizaelem & Azariam. Nemo autem cœtum hunc exiguum contemnat: quia in euangelio iterum dicit Dominus, Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio illorum. Vi ergo multitudinis ex fide precantium, ait Tertull. delectari & permoueri Deum. Certè apostolus Pau-

lus passim implorat fidelium pro se preces, &c. Quod & singuli facere iubemur, ut fidem nobis Deus concedat, augeat atq; confirmet. 3. Iametiam diligenter monet scriptura quis sit orandus, & à quo petenda sapientia & fides, vtiq; à Deo cœli. Sunt quidem Dij plurimi & creaturæ excellentes innumeræ: verùm ab his nihil est petendum, qui non sunt omniscij, omnipotentes & vbiq; præsentes, hominumq; amantissimi, sicuti est solus ille Deus noster. Qui ideò Deus Cœli hic nuncupatur, quòd cœlum condidit, regit, atq; conseruat, quòd cœlum inhabitat, licet vniuersa impleat, & in cœlis se suis fruendum exhibet, denicq; è cœlis se mirificis reuelat operibus & beneficijs, in genus hominũ effusis, ac quòd solus hic hoc nominis iure optimo obtinet, cùm omnes Dij qui sunt et unquam fuerunt, Dij terreni potius quàm Dij cœli appellari mereantur, nõ quòd terram condiderint regant aut conseruent, sed quòd prognati in terra, è terra orti, & in terram sint resoluti. At quales obsecro sunt tales Dij? Cernitur hac vna in re hominum stultitia, qua huiusmodi Dij sunt fabricati. 4. Porrò preces suas non in vlla sua merita, sed in misericordias Dei fundant, innitentes gratiæ Dei. Et quidem si homo se respiciat, nihil inueniet, cuius respectu exaudiri debeat à Deo. Bonitas potius veritasq; promittentis est oraturis attendenda. Rectissimè itaq; Daniel misericordias, id est misericordiam, cuius neq; modus ullus neq; numerus certus est, sed quæ super omnia opera Dei est, respiciendã monet. Quod singuli nobis quoq;, quoties orare volumus, dictum putabimus. 5. Exprimitur præterea quid petatur: principiò quidem huius arcani reuelatio, deinde ne cum impijs & stultis sapientibus interficiantur. Nobis ergo in primis petenda fides veraq; cognitio Dei & Christi eius, qui huius somnij summa & caput est, & ne cum stolida sapientia & cum incredulo mundo condemnemur. Proinde præcipuũ quod hoc Danielis loco didicimus illud est, quòd uera sapientia, Dei cognitio vel fides vera, reuelatur & datur è cœlo, pro qua sedulò est orandum, oratione fideli assidua, & quæ innitatur in misericordiã Dei. Cui laus & gloria.

Deus cœli.

HOMILIA VII.

Tunc Danieli arcanum patefactum est per visum nocturnum. Quamobrem Daniel benedixit Deum cœli. Dixit autem, Sit nomen Domini benedictum à seculo vsq; in seculum, cuius est sapientia & potentia. Ipse est qui mutat tempora & occasiones temporis, qui deponit reges & instituit reges, qui confert sapientiam sapientibus, & scientiam ijs qui habent scientiam. Ipse reuelat profunda & abscondita, & nouit quæ sunt in tenebris, & lux cum eo habitat. Tibi Deus patrum meorum confiteor & te laudo, qui sapientiam & vires mihi contulisti, & modò mihi ostendisti quod abs te rogauimus, quippe qui regis negotium nobis indicauisti.

Oratio fidelium semper efficax

CVm exauditæ dicuntur preces Danielis & sociorum eius, manifestè ostẽditur efficaces esse preces in ecclesia fidelium: quos etsi Deus non semper exaudit in ijs quæ petunt ab eo, alia tamen eis longè vtiliora concedit, atque ita semper sunt efficaces. Nam petunt aliquando pij, quæ si concederẽtur, obessent magis quã prodessent. Petiuerunt pueri cũ Daniele reuelationẽ arcani Regis: & assequuntur quod postulauerunt. Faciebat enim hoc ad gloriam Dei propagandam,

gandam, & ad seruandos orantes. Ergo exaudiri nos semper credamus, si postu-
lauerimus quæ faciunt ad gloriam Dei, & salutem nostram aliorũq; fidelium,
quibuscunq; tandem ambagibus aut vijs ad ipsam perueniatur. Per noctẽ au-
tem dicitur exhibitam esse visionem Danieli, qua & somnium & interpretatio
somnij Regis fuerit explicata. Licet enim multa sit in mundo nox & tenebræ
crassæ, nihilominus tamen bonitas Dei reuelat mysterium salutis ad illuminati
onem suorum electorum.

Gratißimus Deo pro beneficijs acceptis.

Porrò exponitur quomodo se post acceptam reuelationem gesserit Daniel
vnà cum socijs, vt eorum exemplo discamus etiam nos quid faciamus post ac-
cepta beneficia à Deo. Deo non sunt ingrati, sed benedicunt ipsi, & quidem
non alij, sed ipsi Deo cœli, vero inquam, viuo, & æterno. Proinde gratię semper
agendæ sunt Deo pro omnibus beneficijs ab ipsius liberalitate acceptis. Sed &
formula apponitur qua ipse cum suis benedixerit Deo. Vtitur autem formula

Formula gratias agendi.

communi, petita nimirum ex precibus sanctorum, ex Psal. 113. vbi eadem ver-
ba leguntur, Sit Domini nomen benedictum, ex hoc nunc & usq; in seculum.
Ac reuera agnoscamus oportet, nunquam nos pro beneficijs dignas satis gra-
tias Deo referre posse. Votis ergo ardentibus & spiritu liberali prosequendus
est Deus & eius benficia collata nobis.

Prædicatur maiestas Dei.

Interim amplissimè prædicat Deum Daniel, vt suam ipsius & omnium fi-
delium mentem excitet ad laudandum & inuocandum Deum, & ad fiduciam
omnem in ipsum collocandum, & in omnibus ad ipsum solum respiciendum.
Et Principio quidem tribuit ei sapientiam & potentiam: vt enim est omniscius,
ita est omnipotens & Deus vniuersorum. Consolatur hoc hominem validè,
cum credit Deum nosse res hominum, uidere hominem, curare omnia eius, de
niq; omnia posse & uelle quæ sunt ex salute hominis Deum inuocantis. Dein-
de prædicat in Deo alia plurima & maxima, inter alia, quòd mutat tempora
& occasiones temporis. Moderatur enim mirificè quatuor anni partes, Ver,
Æstatem, Autumnum & Hyemem, denicq; tempora felicia & infelicia, & tem-
porum articulos vel occasiones: sicuti patebit in statua, quæ præcipuorum
mundi regnorum & uicissitudinem vel mutationis eius typum exhibet ad-
mirandum.

Idem Deus qui omnia in mundo moderatur, Reges quoq; deijcit, & alios
in dejectorum locum euehit: id quod iterum mirificè in mutatione monarchia
rum apparet, clarissimè verò in historia Saulis & Dauidis, in historia Ieroboa-
mi & aliorum Regum Israelis & Iuda, maximè in Ioachimo, Iechonia & Ze-
dechia. Idem Dominus confert sapientiam sapientibus & scientiam scienti-
bus. Pulchrè verò interpretes, Sapientia, inquiunt, est doctorum, scientia verò
discipulorum. Quicquid ergo solidæ sapientiæ & scientiæ in mundo est, id
vniuersum à Deo est, & non à Dijs aut vllis rebus alijs. **Wer etwas rächts
kan/der hat es von Gott.** Idem reuelat profunda, id est absconditа à cogni-
tione hominum mysteria, retegit idem occulta sæpissimè consilia. Quia quæ in
tenebris sunt abstrusa ipse cernit. Lux enim est & lucem inhabitat, & tenebræ
apud ipsum lux sunt: sicuti & Dauid Psal. 139. cecinit, Si dicã tenebræ me con-
tegent, etiam nox ipsa lux coram te. Ac ne tenebræ quidem aliquid tibi occul-
tant: tenebræ apud te sunt veluti lux. Nemo ergo sibi blandiatur & polliceatur,
quasi vel ipse vel cogitationes & opera eius Deum latere possint. Omnia sunt
hominum acutis Dei exposita oculis, ac penetrat omnia Deus.

Deus patrum.

Postquam verò laudes Dei, ad hunc quem audiuimus modum prædicauit,
iterum redit ad id vnde digressus fuerat, & iterum sicut cœperat, Deo agit gra-
tias. Compellat autem singulari fidei ardore Deum, quem nuncupat Deum

patrum ſuorum, quibus nimirum liberaliter promiſit, quæ iam ipſi liberaliter quoq; præſtitit. Et obſeruandum eſt, quòd non patres pro Deo, aut cum Deo, inuocat, & illis gratias agit, ſed ſoli Deo, quem vt patrum, ita ſuum quoque Deum agnoſcit. Eſt ergo illa fides vetus & patrum & glorioſa, quæ Deum inuocat, non patres, imò Deum quoq; patrum pariter & filiorum. Dicit enim Deus ſe futurum Deum Abrahæ & ſeminis eius in ſeculum.

Cur autem gratias agat Deo & hunc laudet, ſubijcit mox, Quia ſapientiam & robur mihi contuliſti, veram utiq; fidem, qua robuſtus factus, auſus fuit progredi in conſpectum Regis, deinde ex eadem fide petere ſapientiam arcani Regis. Subijcitur enim quod hæc illuſtrius explicet, Et modò mihi oſtendiſti, &c. Et quamuis vni Danieli obtigiſſet reuelatio myſterij, non inuident tamen illi hoc bonum tantum, ſocij eius, non æmulantur, ſed vnà cum ipſo gratias agunt Deo. Quod & apud nos in æqualibus donis fieri debet.

Totus autem hic locus docet nos æternas Deo noſtro gratias agere pro reuelato nobis euangelio, doctrina ſalutis noſtræ certiſsima, quæ Chriſtum nobis prædicat & in ipſo omnem plenitudinem. Cui ſit laus & gloria in ſecula.

HOMILIA VIII

Poſtea Daniel ingreſſus eſt ad Arioch, quem Rex ordinauerat ad interficiendum ſapientes, & ita loquutus eſt ei, Sapientes Babylonicos ne interfeceris, ſed ducas me ad Regem, & indicabo Regi interpretationem. Tunc Arioch celerrimè duxit Danielem ad Regem, & dixit, Reperi virum ex captiuis Iudæis, qui Regi interpretationem exponet. Rex autem alloquens Danielem, cui nomen erat Baltazar, dixit, Num poteris tu mihi ſomnium indicare quod habui & eius interpretationem? Et Daniel reſpondens Regi, dixit, Arcanum quod poſtulauit Rex non potuerunt intelligentes, ſapientes, magi & fatidici explicare Regi: verùm eſt in cælo Deus, aperiens arcana, qui oſtendit Regi Nabuchodonoſor quid in nouiſsimo dierum ſit futurum. Ac ſomnium tuum & viſa capitis tui in lecto tuo hæc ſunt, Tu Rex cum eſſes in lecto tuo, voluebas cogitationes in animo, qu' poſthac futurum ſit: et qui aperit arcana, oſtendit Regi quid futurum ſit. Et mihi quidem arcanum iſtud reuelatum eſt, non per ſapientiam, qua omnes viuos ſuperem, ſed eam ob rem, vt Regi oſtendatur interpretatio, & tu intelligas cordis tui cogitationes.

Colloquium Regis & Danielis.

QVinto loco huius capitis producitur Daniel ad Regem, & deſcribitur colloquium eius cum rege. Quam primùm enim arcanum ſomnio inuolutum, bonitate Dei ipſi eſſet reuelatum, abſq; mora feſtinat ad magiſtrum ſupplicíorum Ariochum,, & petit, ne pergat ſapientes, ita vt cœperat, cædere: ſed ſe potius ad Regem adducat: expoſiturum enim ſe Regi, & ſomnium, & ſomnij interpretationem. Qua re præſtantiſſimum nobis præfert exemplum ſyncerę charitatis, quæ non modò diligit & beneficijs afficit bene meritos, ſed & hoſtes & perſequutores. Quo animo in Danielem ſocioſq; eius, imò erga vniuerſos Iudæos, affecti fuerint ſapientes Babylonij, licet ex ijs quæ antea dicta ſunt colligere.

Syncerę charitatis ingenium

colligere. Si Danielem in discrimen mortis præcipitem dare potuissent, non pepercissent vel laboribus vel sumptibus. Ipse verò causam ipsorum prauam (vt par pari rependeret) non facit deteriorem, sed residuos in vita conseruare tatagit. Sic sanè docuit nos etiam Christus, benefacere videlicet inimicis. Docuit hoc ipsum & apostolus Paulus Rom. 12. Deuterotarũ ergo, non veterum prophetarum erat illa doctrina, quam confutauit seruator noster apud Matth. 5. quæ erat, Odio habebis inimicum. Sed & alij fideles, vt Abraham, Iacob, Dauid, & similes dilexerunt suos inimicos.

De loco Matt. 5. Odio habebis inimicum.

At videri poterat Daniel non rectè fecisse, qui interruperit cœptã Dei contra nepharios seductores Babylonis vindictam, quam si ad finẽ properare permisisset, sublata simul fuisset cum impostoribus magia & quicquid erat superstitiosarum artium. Cæterùm videtur Daniel non interrupisse iustæ Dei vindictæ cursum. Hactenus enim illa progressa erat, & sublati iam erãt nocentiores. Sunt autem iudicia Dei æqua, plus habentia clementiæ quàm seueritatis. Voluit ergo parci aliquibus: ad quam rem perficiendam vsus erat opera Danielis, qui nihil peccauit, dum eos ab impendente morte liberauit, quibus parcere voluit diuina clementia, vt admoniti cede sodalium suorum ipsi resipiscerẽt. Dum enim eximit diuina bonitas aliquot ex commerita pœna, in hoc eximit, ne ipsis desit tempus & occasio pœnitentiæ. Proinde nõ parsum est sapientibus, vt magiam & superstitiosas artes porrò exercerent, sed vt authore Daniele, in vera sapientia proficerent. Alioqui non tollitur in vniuersum hac benignitate Danielis, pœna, quæ sumi debet de impostoribus magis & maleficis à magistratu, sed moderatio commendatur. Huc pertinet, quod legimus omnes viros fortes clementer vsos esse victoria. Iusta persoluit splendidissimus Hannibal, miles alioqui Barbarus, M. Marcello, cũ Carolus Martellus in persequendis hostibus nimis seueriter semper acclamaret suis militibus, Tutti tutti, mandans suis ad vnum & quidem funditus excindere hostem, nulli parcere. Ergo qui abusi sunt ad sæuitiam victoria, non diu felices extiterunt. Vitio vicissim datur nimia & præpostera clementia. De qua re iam non est vt disseramus copiosius.

An rectà conseruarit in vita magos et deceptores Daniel.

Arioch homo sanè diligens & benignus, absq; mora (quidam legunt cum trepidatione) Danielem ducit ad Regem. Et quidem laudandum est, quòd non morosius aut pertinacius vrgens semel promulgatam Regis sententiam, pergit residuos mactare sapientes: sed admittit Danielis mandatum vel consilium potius. Discant hoc exemplo non spernere bona consilia, ea quoq; quæ dantur à despectis alioqui, qui in regum aulis seruiunt. Laudi verò tribui non potest Ariocho, quod sibi tribuit, quasi sua inuenerit industria virum qui Regi aperiat arcanum. Sed ea est sors, vel miseria, hoc ingenium hominum, vt faciant quidem multa laude digna, interim verò committant non pauca manifestè vituperanda. Ac aulici solent se ad hunc modum insinuare in amicitiam principum, ea sibi vsurpando, quæ aliorum sunt inuenta, aut aliorum laboribus facta. Vnde ille apud Augustum Imp. canebat, Hos ego versiculos feci, tulit alter honores, &c. D. Hieronymus, Dei gratiam, ait, ad suam refert diligentiam, & inuenisse se dicit, cum Daniel vltrò se obtulerit, vt introduceretur ad Regem. In quo ἦθος ostenditur nunciorum, qui cum bona nunciant, sua videri volunt, &c. Cum verò inter alia dicit interpretem esse ex numero captiuorum, subindicatur obiter infirma mundi, fortissimis esse robustiora. Vnde & Apostolus dixit se quidem esse captiuum, sed Euangelium non esse captiuum.

Benignitas Arioch.

Aulicũ aliquid sapit interim Arioch.

2. Timoth. 2.

Subiungitur istis colloquium Regis & Danielis, non multis, sed paucis comprehensum. Et dum Rex non sine admiratione interrogaret, num ipse posset præstare quod viri sapientes tot & tanti non potuerunt: commendatur sanè

diuina ſapientia & præfertur meritò multis modis ſapientiæ mundanæ. Ac re-

Reſponſio Danielis Regi data comprehendit multa.

ſponſio Danielis plurima habet obſeruatione digniſsima, Principiò aliena eſt ab omni adulatione, nihil habens commune cum blandiloquentia ſapientum Babylonis: ſed rurſus habet ſuum decorum ſuamq; grauitatem. In primis verò teſtatur humanam ſapientiam non poſſe myſterium ſalutis & veræ ſapientiæ explicare. Quanquam enim perſonis ſapientum parci cuperet, tamen ſapientiam ipſorum planè & diſertè reprobat. Vnde diſcimus non probare falſam religionem, tametſi non prorſus abhorreamus à falſa religione imbutis. Recenſet ordine omnes ſapientum gradus. Diuerſitatem nominum iſtorum ſuperius explicauimus: reſtat vnum genus, quod vocat Syriacè מְגַזְּרִין magazerin, quos Hieronymus vertit aruſpices, reuera ſunt fatidici, diuini, **waarſager**. Perinde verò eſt ac ſi nunc dicat aliquis, Neque Stoici, neque Peripatetici, neq; Epicurei, neq; Academici vel Pythagorei aut Sceptici veram vobis reddere poſſunt ſapientiam. Nam & Apoſtolus teſtatus, Animalis homo, dixit, non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, &c.

Vnde vera ſapientia.

Non tacet autem vnde ſit vera ſapientia, à Deo, nec abs quolibet quidem Deo, plures enim colebant Deos Babylonij, ſed à Deo vero cœli, qui videlicet vnus & verus Deus eſt, cœlum inhabitans. Is, inquit, aperit arcana: is illuminat intellectum, & inſpirat hominibus veram ſapientiam. Ab eo petenda eſt.

Summa huius ſomnij.

Mox ſummam vel finem totius myſterij explicat breuibus, Et tibi quidem Regi Nabuchodonoſori, hoc arcano ſignificare voluit Deus, quid in nouiſsimo dierum, id eſt, in extremo ſeculo futurum ſit: in quo videlicet verſatur vera ſapientia. Nouiſsimum ſeculum nuncuparunt Prophetæ & Apoſtoli, potiſsimùm Chriſti tempora & regnum eius æternum. Nam omnes prophetæ in hoc, veluti in vnicum finem intendunt, neq; vllius amplius alterius ſeculi aut regni mentionem faciunt. Sed & ſomnium incumbit & finit in myſterio Chriſti ſeruatoris. Interea non nego poſtrema tempora etiam illa ſignificare tempora, quæ ſibi mutuò ſucceſſerunt in finem vſq; rerum: quæ quidem ſingula & ordine attinguntur in ſomnio.

Exactiſsima ſomnij narratio cum omnibus circunſtantijs.

Et ne quid deeſſet expoſitioni abſolutiſsimæ, præmittit Daniel quoq; qua occaſione & quo loco oblatum ſit Regi ſomnium. Cogitabas, inquit, in lecto tuo, quid futurum ſit poſt tempora tua, qualisq; futura & regnorum & regum ſucceſsio, denicq; quid tandem futurum, & quis finis omnium. Laudandum verò eſt, quòd non totam noctem princeps tantus dormiuit ſecurus, ſed quòd cogitationes habuit de rebus futuris, & de poſteritate, non autem crapula proſtratus & quaſi præfocatus vino excors iacuit. Qui de rebus vtilibus ſedulò cogitant, habent Deum doctorem fidelem. Et quid mirum ſi porci ſomno vinoq; ſepulti, pariter & diuina & humana neſciant, & vmbræ verius hominum ſint quàm homines, & omnem negligant adeoq; perdant poſteritatem?

Danielis ingẽs modeſtia.

Repetit iterum, quod iam ſæpè dixit, vnde ſit ſapientia, vt inculcet arcana reuelari cœlitus à Domino. Repetit & finem huius ſomnij, Oſtendit tibi quid futurum ſit. Inter hæc admiranda modeſtia, etiamſi Deus per ipſum aperuit myſterium Regi, nihil tamen ſibi ipſi vult tribui. Non de mea hic gloria agitur, inquit, quaſi mihi diuinitus arcanum hoc ſit reuelatum, vt ego habear, inter omnes huius mundi ſapientes, omnium ſapientiſsimus: ſed agitur de ſalute Regis & poſterorum vel publica, Regi enim & poſteris vult oſtendere Deus ſeriem ſeculorum, quòd ipſe cuncta moderetur, quòd filium mundo donet, ſolusq; ſalus ſit credentium. Hæc hactenus præfatus eſt Daniel de Somnio & ſomnij interpretatione.

Omnia tribuenda Deo.

Diſcamus hinc omnes Deo & publicæ ſaluti omnia tribuere, tametſi noſtra

opera

opera vtatur in propagatione sapientiæ, & scientiæ, & salutis. Non propter nos sua reuelat mysteria, vt nos habeamur sapientes & magni fiamus, sed vt veritas propagetur & multi saluí fiant. Ergo propter Ecclesiam reuelatur veritas, & quidem à solo Deo, non ab vlla carne. Stultissimi ergo sunt, qui gloriantur, de donis, & superbiunt contra donantem Dominum. Hic orandus est pro reuelatione mysteriorum eius, & pro vera humilitate. Ipsi sit gloria.

HOMILIA. IX.

Tu Rex contemplabaris, & ecce grandis quædam imago, simulachrũ ingens & eximia forma et terrifica specie stabat ante te. Cuius simulachri caput de auro bono pectus eius & brachia eius argentea: venter eius & latera eius ærea: crura eius ferrea: pedes eius partim ferrei, partim fictiles. Spectabas donec lapis reuulsus est absq; manibus, qui contudit imaginis pedes ferreos atq; fictiles, eosq; comminuit. Et in minutißimas particulas abierunt simul ferrum, lutum, æs, argentum, & aurum, & fuerunt veluti palea in area, quæ abstulit ventus, vt ne locus quidem eorum inuentus sit. Lapis verò qui contudit imaginem, factus est mons ingens, & impleuit totam terram. Hoc somnium est: nũc etiam eius interpretationem coram rege exponam, Tu Rex es rex regum, in quem Deus cæli regnum, potentiam, robur & gloriam contulit: omniaq; loca in quibus degunt homines, feræ & volucres cæli posuit in manum tuam, & te omnium istorum dominum fecit, tu ergo es caput illud aureum. Tibi autem succedet regnum aliud minus te: & aliud regnum æreum, quod imperitabit terræ vniuersæ.

SExto loco huius actionis secundæ, in colloquio Regis & Danielis, significantius tractatur ipsa causa de qua agitur. Primò enim habet hæc tractatio expositionem somnij per se, quale nam in seipso fuerit oblatum Regi. Secundo loco subiungitur eius interpretatio, quid nam illo sit significatum. Somnium verò ipsum hisce absoluitur partibus. Principiò narrat Regi oblatã esse in somnio imaginem: ergo exponit qualis fuerit imago, hominis videlicet referens figuram capite, pectore, brachijs, lateribus, ventre, cruribus pedibusq; : & his quidem constantibus auro, argento, ære & ferro. Addit deinde cõminui illam minutatim per quendam lapidem. Et exponit mox, Vnde lapis ille sit, & quòd futurus sit mons magnus. Subiungit huic expositioni interpretationẽ somnij, Respõdet autem his partibus ipsa somnij per Danielem interpretatio. Et in his est vera sapientia adumbrata expositaq; euidentissimè. *Daniel Regi exponit somnium.*

Docetur enim in his, Regna à Deo constitui gubernarique, & quidem ad salutem hominum. Ideò enim monarchiæ mundi suffigurantur per speciem corporis humani. Sicut enim membra omnia concorditer sibi mutua præbent auxilia ad conseruationem corporis : sic regna instituta sunt à Deo ad hominum incolumitatem. Quòd si ad perniciem tendunt, primæ institutioni non respondent. Et quamuis regna, quæ hic figurãtur, varia & sibi aduersa fuerint, omnia tamen vnius corporis figura comprehenduntur. Monarchia enim ipsius est *Vera sapientia in hoc somnio proposita.*

Dei, & Deus est monarcha solus, qui vnum condidit mundum, & vnicum illum ipse regit. Vnum est itaq; corpus statuæ, diuersis temporibus diuersa habens membra. Et regnum vel respub. consociatio hominum est (vt modò dixi) quæ se tuetur vt tutò & ordine iusto viuat. Eadem commonstratur ordo temporum successioq; regnorum, & qualia hæc sint futura. Exponuntur hęc ad institutionem consolationemq; populi Dei, qui victurus erat sub gubernatione regnorum istorum, nimirum vt præmoniti patientius ferrent acerbiora, nec de sperarent vnquam de diuino auxilio. Tandem enim omnia illa terminanda fore affirmat, & testificatur adducendum Christum redemptorẽ seruatoremq;, in quo salus sit & vita fidelium, cuiusq; regnum duret in sæcula sæculorum, ac regnaturos cum Christo in gloria omnes electos. In his inquam est vera sapientia salusq;.

Qualis sit mundus.

Videamus autem singula ordine suo. Et quidem in genere & à principio proponitur nobis notis quibusdam, qualis sit per se mundus. Imago est, & nihil aliud quàm imago, atq; adeò veluti somnij somnium. Nam & sapiens pronunciauit, Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Imagini tamen huic tribuuntur magnitudo, splendor vel gloria, dignitasq; & terror. Nam mundus & mundi regna ampla sunt, splendorem & pompam suam habent, & terrẽt sua potentia, maximè autẽ tyrannide. Fossilibus quoq; mineris adsimilatur, auro, argento, æri ferroq;, &c. Subinde enim seipso temporis progressu redditur deterior: sicut illa etiam tempora posterioribus sunt præstantiora, aurum argento, & æs ferro, ferrum testa. Vnde & Horatij illud profertur in medium,

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Nil ergo in mundo regnisq; eius solidum vel firmum est & stabile, sed fluxa eius omnia, & posteriora semper prioribus peiora sunt. Perit item & instar pulueris per ventum dispersi, dissipatur, vt sui nihil relinquat vestigij. Stulti ergo sunt, qui nituntur mundo, & rebus huius sæculi: sapientes, qui vtuntur quidem mundo vt re fallaci & peritura, sed nihil ei fidunt, omnem autem spem figunt in Deum, & in hunc vnicè respiciunt, & vera fide & spe ab ipso solo pendent, pompam verò mundi prorsus despiciunt.

Dubium verò non est vulgus poetarum omnem hinc mutuasse de ætatibus mundi quatuor garriendi materiam. Quis enim nesciat alioqui non inelegantia Ouidij hac de re carmina?

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,
Sponte sua, sine lege fidem rectumq; colebat.
Postquam Saturno tenebrosa in tartara misso,
Sub Ioue mundus erat, subijtq; argentea proles,
Auro deterior fuluo, preciosior ære.
Tertia post illam successit ænea proles,
Sæuior ingenijs, & ad horrida promptior arma:
Non scelerata tamen.
Protinus irrupit venæ peioris in æuum
Omne nephas, fugêre pudor, verumq;, fideq;:
In quorum subiere locum fraudesq;, doliq;,
Insidiæq;, & vis, & amor sceleratus habendi.

Non desunt tamen viri præclari, qui suspicantur artificem mendaciorum sathanam, qui nunquam non vias domini euertere & manifestam veritatẽ in dubium vertere conatur, plurima sacrarum literarum mysteria & certissima pronunciata

nunciata fabulis inuoluiſſe poeticis. Cuius quidem generis eſſe putant, quæ etiam finguntur de Hercule, nonnulla & de Arione alijsq; pluribus, quibus veterator ille videatur ludere ſuggillareq; Samſonis & Ionæ hiſtoriam. Ego tamen ea de re in præſenti nihil diſputare volo, ſed redire ad inſtitutum meum. Satis eſt hæc monuiſſe, vt iuniores in legendis prophanis ſcriptoribus ſint circumſpecti, &c.

Iam verò partes huius imaginis contemplabimur, quæ quidem prima eſt pars ſomnij, proponens nobis quatuor mundi ſibi mutuò ſuccedentes monarchias, ſub ſpecie partium vel membrorum corporis humani. Sumemus autem Danielis interpretationem, quæ nobis explicat: principiò quidem quid per caput imaginis aureum intelligamus, ipſam inquam Babylonicam monarchiã, & in primis Regem Nabuchod. Nam dicit, Tu es rex regum. Dominabatur enim multis regnis, & præſtantiſsimus erat regũ multis nominibus. Caput autem nuncupatur, quia Babylonica monarchia inter 4. prima eſt, & Nabuch. monarcha primus. Aureum verò caput nuncupatur, quia inſigni ſapientia, fortitudine, iuſtitia vereq; heroicis virtutibus erat præditus: in primis verò pacificum ſibi & poſteris parauit per annos plurimos regnum. Demus enim ipſum bella contra varios totius orbis populos ſuſcepta perfeciſſe, & gentes ſibi ſubiugaſſe, quas ſubiugaturum prædixit Ieremias, in cap. 25. iam reſtant adhuc anni regni eius 20. quibus ſi coniungas filij eius Euilmerodach annos 30 (totidem enim regnauit Euilmerodach) habebis annos 50. quibus altiſsima pace vſi ſunt Babylonij, ſuperantes aliquot annis pacifici regis Solomonis annos. Iure itaq; Nabuchodonoſor dicitur caput aureum. Quando verò Daniel addit, Deum Nabuchod. dediſſe potentiam, robur, gloriam & regnum, admonet prudenter, ne quid ſibi Rex tribuat aut ſuperbiat in titulo ampliſsimo Regis regum. Sed & amplius potentiam eius illuſtrans, addit, Omniaq; loca in quibus degunt homines, &c. Manifeſtiſsimè autem alluſit ad vaticinium Ieremiæ, quod copioſe hac de re expoſitum legitur Ierem. 27. Cæterùm vbi mortuo patri Euilmerodacho, nepos Nabuchod ſucceſsiſſet Baltazar, euanuit pax, ſubijt diſcordia, bellum, omnisq; infelicitas: quia impius erat in Deum & iniurius in homines. Periit ergo monarchia Babylonica ſub hoc nebulone: ſicuti copioſe exponitur ab ipſo Daniele cap. huius operis 5.

Aureum caput ſtatuæ.

Succedit Babylonicæ monarchiæ Medorum & Perſarum monarchia, ſuffigurata per pectus & brachia argentea. De qua Daniel, Tibi autem ſuccedet, inquit, regnum minus vel inferius te. Eſt quidem argentum præſtans vel precioſum, ſed tamen inferius auro. Ita potentiſsima & eximia fuit monarchia Perſica, ſed Babylonica aliquanto inferior. Habuit Reges decem. Regnarunt annis circiter 228. ſed plerunq; grauiſsimis infelicibusq; bellis fuerunt impliciti. Alexander tandem vicit & occidit Darium regem Perſarum vltimum, & monarchiam ad Græcos tranſtulit.

Pectus argenteum.

Sequitur ergo monarchia tertia ſignificata per æreũ ventrem & latera ærea. Sicut enim æs argento eſt ignobilius, ita & Græcorum monarchia, Perſica fuit inferior. Propheta autem dicit, quòd vniuerſæ terræ ſit imperaturum. Potiſsimas enim habitati orbis partes Alexander occupauit, & regnum reliquit moriens ſuis ducibus, Philippo Aridæo, qui tenuit Macedoniam, Ptolemæo Lagi filio, qui regnauit Alexandriæ in Ægypto, Antigono qui Aſiæ præfuit, & Seleuco Nicanori, qui Syriam recepit, mox etiam Aſiam deditione accepit, & regnum Græcorum, cuius liber meminit Machabeorum, conſtituit. M. Cicero in Oratione pro Licinio Archia poeta ait, Græca legi in omnibus penè gentibus, Latina ſuis finibus, exiguis ſanè contineri, &c. Cæterùm Romani oppreſsis

Venter & latera ærea.

regnis illis omnibus, monarchiam tandem ad seipsos rapuerunt, principibus passim deuictis partim, partim verò interfectis. Sed sequetur in ipso Daniele de Babylonis interitu, de Persarum & Græcorum Regibus. Videmus autem in his omnibus miram inconstantiam rerum mundanarum. Beatus ergo qui spreto mundo fragili & inconstantissimo, Deo vero & æterno fidit. Huic sit laus & gloria. Amen.

HOMILIA X.

Regnum autem quartum erit robustum sicut ferrum: et sicut ferrum omnia comminuit & domat, vtq; ferrũ atterit: ita omnia hæc atteret atq; cõminuet. Quod autem vidisti pedes & digitos, partim è testa figuli & partim ferreos, regnum diuisum erit, & de firmitate ferrea quiddam habiturũ, quemadmodum vidisti ferrum mixtum testæ luteæ. Et digiti pedum partim ferrei, partim testacei, erit regnum partim robustum, partim fragile. Quod verò vidisti luteæ testæ mixtum ferrum (significat) miscendos inter se humano semine, verùm non cohæsuros mutuum, quemadmodum ferrum non cohæret cum luto.

Cur copiosius de Romana monarchia differat.

COpiosius porrò describit monarchiam quartam, has maximè ob causas. Principiò quòd hæc monarchia præ cæteris afflixit populum Dei: imò & vrbem templumq; excidit, & populum per totum terrarum orbem dispersit. Deinde quòd sub Romanorum regno Christus est orbi exhibitus, qui primas obtinet in hoc somnio.

Romanum imperium ferrũ.

Quatuor autem singularia commemorat de Romano imperio. Simpliciter autem dicit tibias istas longas ferreas denotare Regnum quartum, nimirũ Romanum, quod longa serie temporum succreuit. Ferrum vilius est auro, argento atque ære. Ac Romanum regnum non accreuit bonitate, licet & superiora illa corrupta admodùm fuerint. Mundus enim subinde seipso deterior est factus. Ergo non frustra suffiguratur per ferrum, in 7. cap. per bestiam horrendam. Auaritia enim inexplebiles, truculentia crudeles, & libidinibus fœdissimi fuerunt Romani. Habuit quidem Romana respub. viros aliquot virtutibus præstantes: sed quàm facilè numeres illos? Notissima est omnibus verissima illa Regis Mithridatis sententia, Non temerè iactare Romanos suos illos conditores, lupæ vberibus alitos. Omnes enim luporum animos habere inexplebiles sanguinis atq; imperij, diuitiarũq; auidos, atq; ieiunos. Quod videre licet apud Iustinum historicum lib. 38. Sicut autem ferrum forte ac durum est, quod omnia comminuit atque domat: ita Romanum regnum oppressit ac perdidit regna mundi omnia. Quæ enim est natio sub Sole, quam non vexarint arma Romanorum? Orbis regna potentissima & amplissima armis suis subegere, pauca acceperunt à quibusdam Principibus item & per testamenta. Omnia certè illa de quibus hactenus loquutus est Daniel, Babylonium, Persicum, & Alexandrinum occuparunt. Dissectum est Alexandri regnum in regnum Macedonicum, Syriacum vel Asiaticum ac Orientis, & Ægyptiacum. Cæterùm Paulus Æmilius deuictis Macedonibus Regem ipsorum Persen vnà cum filijs Philippo & Alexandro duxit in triumpho & regnum subiecit Romanis. Factum id constat circa tempora Iudæ Machabæi, cum is iam imperitare inciperet. Lucullus verò & Pompeius deuictis regibus Orientis potentissimis, Mithridate

Romani auari, crudeles, &c.

Romanum imperium omnia regna subiugat & abolet.

Mithridate & Tigrane, Syriacum quoq; vel Orientis regnum subdidere Romanis. Nota sunt quæ Plinius de triumpho Pompei commemorat lib. 7. ca. 26. Cn. Pompeius Magnus Imperator, bello XXX. annorum confecto, fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum centies vicies semel LXXXIII. M. depressis aut captis nauibus DCCCXLVI. oppidis, castellis M. D. XXXVIII. in fidem receptis, terris à Meotis lacu ad rubrum mare subactis, votum merito Mineruæ. Et iterum: Cum oram maritimam à prædonibus liberasset, & imperium maris populo Romano restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudæis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, & super hæc de regibus, Mithridate & Tigrane triumphauit, &c. Facta hæc sunt cum paulò ante Hierosolymorum vrbem cœpisset, de qua re & Iosephus testatur. Cæterùm regnum Lagidarum vel Ægypti occupauit Augustus Cæsar superata cum Antonio ad Actiacum promontorium, Cleopatra, vltima ex familia Lagidarum Ægypti regina, Ægyptumq; redegit in prouinciam. Quod factum constat circa tempora, quibus ante annos tres Herodes ille magnus cœperat regnare super Iudæos. Ita verò Romanum regnum omnia orbis regna comminuit atq; contriuit. Vnde rursus constat miram esse rerum in mundo vicissitudinem, & stabile atq; firmum nihil. Nam & ipsum Romanum imperium, licet robustissimum & maximum esset, miserabiliter tamen laceratum atq; discerptum est tandem.

Pompei de Oriente triumphus.

Secundum quod Daniel de Romano regno dicit, illud est. Quod vidisti pedes & digitos pedum partim constare è testa figuli, vel luto, partim verò è ferro, id quidem significat, regnum hoc diuisum fore, & tamen retenturum de ferreo robore aliquid, quemadmodum vidisti testæ vel luto mixtum esse ferrum. Equidem vt pes vnus in digitos pedis varios distinguitur: ita Romana Respub. vna quidem fuit, sed scissa est sæpius in factiones, per seditiones & bella ciuilia. Alij quidem hæc interpretantur de decem cornibus vel regnis, in quæ Romanum imperium fuit diuisum. De qua re dicetur cap. 7. Cæterùm verisimilius est, loqui Prophetam de seditionibus bellisq; ciuilibus, quibus tamen non redacti sunt in lutum penitus, sed retinuerunt nonnihil ferri in se, hoc est firmitatis. Subinde enim vires recuperarunt, & compositionibus factis redierunt in concordiam. Ab initio mox conditæ Romæ fraterno maduerunt sanguine muri. Regnarunt ab initio reges ordine sex, septimum eiecerunt ciues, crearuntq; Consules. Variæ fuerunt in populo seditiones, & cum Senatu & inter sese mutuum. Catilina commouit bellum intestinum grauissimum. Quod vel ex Sallustio est notissimum. Sertorius author fuit belli seruilis. Quanto vniuersæ Reipub. detrimento, ciuili bello inter se exarserint, conflixerint, & se mutuum laniarint Marius et Sylla, Iulius Cæsar & Pompeius Magnus, Augustus item & Antonius, deniq; Otho, Galba, Vitellius, & Vespasianus, loquuntur historiæ. Proinde lutei prorsus fœdiq; fuerunt Romani, retinentes interim ferreum aliquid, id est, vires regniq; integritatem.

Diuisum Romanum imperium

Tertium quod de Romano imperio recitat Daniel, illud est. Et quod digiti pedum partim sunt ferrei, partim lutei, id quidem significat, quòd regnum partim erit robustum, partim fragile. Etenim nunc victores fuêre, nunc verò victi. Galli Sennones vsq; ad ipsum irruperunt Capitolium. Pyrrhus Epirotarum rex graui bello Romanos afflixit. Eos ad Trebiam, & Trasimenum fudit fugauitq; Hannibal, & ad Cannas propemodùm excidit atq; euertit Romam. Cymbricum bellum, ait Orosius, plus terroris incussisse Romæ, quàm ipsamet bella Punica. Crassus victus est à Parthis, deletæ legiones, & Aquilæ Romanæ direptæ. Ita Quintilius Varus, sub Augusto Cæsare, cum tribus legio-

Romanum regnum partim forte, partim fragile.

nibus ad internecionem cæsus atq; extinctus est. Et hac ratione fragile erat imperium, quia grauiter afflictum, rursus tamen ferreum firmumq;, quia has calamitates superauit, & sese ex cœno iterum erexit.

Copulantur Romani affinitatibus, sed non cohærent.

Quartum quod Daniel de Romano regno vaticinatur, illud est. Quod vidisti luteæ testæ mixtum ferrum, significat miscendos vel copulandos inter se humano semine, nimirùm cõnubijs affinitatibusq; principes eius regni viros, sed non cohęsuros mutuùm, quemadmodum ne ferrum quidem ita potest cum luto aut testa feruminari, vt mutuùm cohæreant. Id quod alij exponunt, Erunt alij alijs affines: & mutua illa coniunctio valere quidem debuerat ad fouendam amicitiam, sed non foucbit nec cohærebunt. Malo autem exponere de Cn. Pompeio & Iulio Cæs. deniq; de Octauio Augusto & M. Antonio. Sequitur enim protinùs, Porrò temporibus regum istorum, En regũ istorum ait. &c. Certum est autem Christum dominum natum esse sub Cæs. Augusto. Cæterũ Cæs. Iulius Iuliam filiam suam in matrimonium collocauit Cn. Pompeio, & vt Suetonius in Cæsare refert, ad retinendam necessitudinem & voluntatẽ Pompeij, mortua non ita pridem Iulia, Octauiam sororis suæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, illi detulit, sibiq; filiam eius in matrimonium petijt, Fausto Syllæ destinatam. Atqui vinculum hoc non hæsit, sed ruptum est. Nam Cæs. victo Pompeio in campis Pharsalicis, fugientem persequi prius non desijt, quàm iugulatus esset. Et Plutarchus in Vita M. Antonij refert Octauiam Augusti Cęs. sororem, M. Antonio copulatam esse matrimonio, vt amicitia inter ipsos retineretur integra. Sed non diu incolumis mansit inter eos affinitas illa, quòd lutei fœdiq; mores istorum hominum defœdarent omnia. Ergo Octauiam fœminam optimam repudiauit Antonius, reginam verò Ægypti Cleopatram duxit vxorem, & bellum Augusto denunciauit. Victus autem ab Augusto ad Actiacũ, victori imperium integrum reliquit, vnà cum vniuerso Ægypti regno & orbis totius monarchia.

Scriptura à spiritu Dei inspirata.

Pulchrè hæc omnia congruunt cum prophetia Danielis, & Danielis prophetia omnia ista eleganter proponit spectanda, quæ gesta sunt post aliquot demùm sæcula à Romanis. Vnde manifestè nobis ostenditur & verbi Dei certitudo, & diuinitas quædã prophetiæ. Nisi enim spiritus Dei impulisset & animum & stilum prophetarum, nunquam potuissent tanta euidẽtia, prædicere futura. Verè ergo dixit beatus Petrus, prophetiam allatam esse non hominum voluntate, sed spiritu Dei impulsos Dei homines esse loquutos. Ostendit hic quoq; locus coniugia non iniri feliciter, nisi solum Deum respiciamus, honestatẽ, pietatem & salutẽ quæramus. Ideoq; cernimus permultas affinitates non cohærere, sed erumpere in grauissimas inimicitias, quòd alia potius quærant in coniugijs homines, quàm Dei gloriam animarumq; & corporum salutem.

HOMILIA XI.

In diebus autem regum istorum Deus cæli regnum suscitabit, quod æternis temporibus non destruetur, & regnum istud alteri populo non relinquetur, ipsum comminuet ac finiet omnia ista regna, ipsum verò æternùm stabit: quemadmodum vidisti, quòd lapis de monte reuulsus absq; manibus comminuit ferrum, æs, testam, argentum et aurum. Itaq; Deus magnus regi ostendit, quid futurum sit posteris temporibus. Et verum est somnium, & fidelis eius interpretatio.

Somnium

SOmnium Regis non confusum est, nec exponitur temerè, nullo obseruato ordine: sed distinctũ est serie præclara. Principiò enim exhibet Regi imaginem, quę continet omnia corporis humani membra, caput, pectus, uentrem, tibias vel crura, & pedes: Singula hæc singulis constant materijs, vtpote auro, argento, &c. Deinde coniungitur cum hoc corpore aliud quiddam quod extra corpus est, corpus autem vel corporis illius imaginem afficit, ac deinceps & ipsum peculiare quiddam habet, nempe Lapis, qui comminuit quidem imaginem varia ex materia compacti corporis, sed deinde euadit ipse in montẽ magnum, qui vniuersam opplet terram. Quemadmodum verò Daniel pręclarè & pulcherrimo ordine priorem partem somnij de varijs membris corporis illius Regi exposuit, & interpretatus est: ita iam secundo loco non minus eleganter ea quæ ante de Lapide commemorauit suo loco in somnio, nunc significantissimè exponit: in qua parte primum & maximum continetur mysterium, propter quod totum somnium Regi à Deo est reuelatum. In ea quoq; versatur uera sapientiæ cognitio præcipua. Vnde videtur ea quidem pars, quàm diligentissimè explicanda, & quidem perspicuitatis gratia per partes.

Ordo somnij & interpretationis eius.

Ante omnia considerandum quid alibi quoq; de Lapide, cuius hic meminit Daniel, dicat scriptura sancta, vt ex collatione insignium locorum vel testimoniorum eluceſcat huius loci dignitas atq; præstantia. Dubium autem nulli est, vel mediocriter versato in scripturis, Lapidem & Petram in verbo Dei singularibus in quibusdã testimonijs significare Christum redemptorẽ nostrum, propterea quod quemadmodum petra dura est, & ædificantes in petram ędificia extruunt firma, sic qui Christo nititur, nõ confundatur sed æternum permaneat, cùm Christus sit certa salus, firma & immota spes vitæ æternæ omnium fidelium. Cuius quidem rei aliquot tantùm testimonia adducemus ac perstringemus. Erexit Iacob patriarcha Geneſis 28. cap. lapidem, quem & oleo perfudit, uocauitq; domum Dei, & portam cœli; tunc cum Deus illi promissionem de semine benedicto renouasset, & fœdus cum patribus ictum cum ipso reparasset, intellexit inde Deum mundo daturum suum filium, in quo vt omnis plenitudo Dei corporaliter inhabitat, ita etiam diuinitatem nobis communicat & perficit nos, adducitq; ad patrem: sicuti ipse docuit apud Ioan. in cap. 1. & 14. In figuram eius (veteribus enim per figuras obtigerunt quæ nobis reipsa communicata sunt) erexit Iacob lapidem, quem & vnxit. Vnctus est enim Christus Dominus noster, & ideò ab vnctione Christus appellatus, per quẽ & nos vngimur chrismate sancti spiritus perfundimurq; omnigena gratia. Propter hunc autem typum vetustissimum, nuncupatus est Christus posterioribus ætatibus lapis. Nota est enim prophetia Dauidis ex Psal. 117. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quæ verba de Christo (à Iudęorum quidem doctoribus reiecto, à Deo autem in supremam gloriam assumpto) interpretantur cum ipso Christo domino apostoli. Videre hoc licet Matth. 22. Actorum 4. & 1. Petri 2. Iam & Isaias propter has præcedentes prophetias, & ipse Lapidis meminit. Inducit enim cap. 28. Deum dicentem, quòd in Zion uelit collocare lapidem precioſum, & quidem fundamenti lapidem, vt omnis qui in ipsum extruat, & ei innitatur, firmissimè consistat, & nullatenus fallatur, neq; unquam confundatur aut pereat. Sed & Dominus ipse in euangelio affirmans dicit, Super hanc petram (quam videlicet Petrus erat confessus, nempe Iesum Christum esse filium Dei verum & vnicum redemptorem) ædificabo ecclesiam meam. Et apostolus, Petra, inquit, erat Christus. Et fundamentum aliud poni non potest, quàm quod positum est, Christus Iesus. Id quod & Petrus asserit 1. Petri 2. Accedit his omnibus Zacharias propheta, qui & ipse meminit lapidis

Lapidis nomine scriptura in signit Christũ.

Lapis Iacob.

Lapis Dauidis.

Lapis Isaiæ.

Lapis Zachariæ.

à Deo positi coram Iesu pontifice, in quem intenti sunt oculi omnium fidelium, & qui apertus (scimus autem latus Domini perfossum fudisse aquam & sanguinem Ioannis 19.) vna die vniuerso terrarum orbi paret plenissimam omniũ peccatorum expiationem. Id quod Paulus ad Hebræos manifestè de Christo prædicat. Ergo sermo factus est & prædicatum est de lapide salutis nostræ Christo ante legẽ, & sub ipsa quoq; lege, non à vulgaribus, sed maximè illustribus Dei seruis, à Iacobo Israele, à Dauide rege, à celeberrimo prophetarum Isaia. Quibus accinunt interpretes, ipsi quoq; Apostoli, & ipse ante omnia seruator Christus dominus. In captiuitate populi Dei prædicat de lapide hoc Daniel. A captiuitate repetit prædicationẽ de lapide salutis Zacharias. Ergo omnibus temporibus innotuit præclarus lapis Christus dominus, firma & certa stabilisq; & æterna ac indubitata salus credentium: vt mirum non sit Danielem quoq; dissertantem de salute hominum vera, veraq; sapientia, lapidis ænigmate contegere ac proponere Christum. Mira est item concordia interpretum omnium, qui omnes loca commemorata de Christo interpretanda affirmant. Constat ergo iam certissimè, lapidem hunc, cuius Daniel meminit, Christum esse & regnum eius firmum & perpetuum.

Lapis Danielis

Vnde sit lapis ille.

Vnde verò est lapis ille? Spectabas, inquit ad Regem Daniel, donec absq; manibus reuulsus ex monte lapis, &c. Ex monte est itaq; lapis. Cum autẽ Christus geminæ sit naturæ, verus Deus & homo verus, sicuti clarè affirmat Micheas in cap. 5. & Ioan. in cap. 1. rectè intelligimus per montem: partim quidem locum excelsum ipsum inquam cœlum. Quia Dominus noster Iesus Christus cœlo descendit: partim verò populum Dei, è quo sumpsit carnem, natus ex Maria virgine filia Abrahæ atq; Dauidis. Mox autẽ audiemus montẽ esse ipsum Christi regnum. Constat hoc cœtu populi sui. Dicitur & Isaiæ 51. populus excisus è petra, prognatus vtiq; ex Abrahamo iam effœto. Ideoq; & hic lapis reuulsus dicitur, & quidem reuulsus siue excisus, nimirum vi quapiã magna. Nam Dei filius in mundum diuina potentia missus atq; prognatus est. Ideoq; & sine manibus hominum reuulsus dicitur è monte, natus inquam secundum carnem è virgine, & conceptus è spiritu sancto. Præterea absq; hominum manibus reuulsus è monte, id est datus nobis ex mera Dei gratia, nullo nostro merito.

Quando lapis hic cœlo descenderit.

Iam etiam tempus notatur, quando Christus cœlo venerit in mundum, regum constituturus. In diebus ait Daniel regum istorum. Reges sanè fuerunt Romanorum primores, quorum præterita homilia mentionem fecimus: Iulius Antonius & Augustus. Medius inter hos postremos ascendit Herodes ex curia senatoria in capitolium, Diis sacrificaturus, quòd Rex esset creatus à Rom. Senatu & proceribus. Narrat hoc Iosephus lib. Antiq. 14. cap. 15. Tum etiam implebatur prophetia Iacobi Geneseos 49. Sceptrum enim ablatum à Iuda datum erat alienigenæ. Et Antonio deuicto Augustus solus regnauit, sub cuius imperio refertur à Luca cap. 2. natus esse Christus, Augusti anno 42. Proinde negari non potest, Christum venisse sub Romana illa monarchia ferrea: vt stupidissimi sint Iudæi, qui alium expectent Messiam, cum dudum monarchia illa confracta sit.

Lapis fit mons ingens.

Quod verò potissimum est in hoc lapide Christo Domino nostro, iam sequitur. Lapis hic factus est, inquit Daniel, mons ingens, & impleuit totam terram. Quod perinde est, ac si dixisset: Cõstituit Christus Dei filius amplissimum regnum per vniuersum terrarum orbem, quod & æternum est, huius quidem & illius sempiterni seculi. Nã in interpretatione ita dicit Daniel, Deus cœli regnum condet, quod æternis temporibus non corrumpetur, & regnum hoc alteri populo non relinquetur, &c.

Expende-

Expendemus hæc paulò diligentius. Per montes regna significari in scriptura, vel ex hoc Isaiæ testimonio potest colligi: Erit in postremis temporibus mons domus domini cunctis collibus excelsior, & confluent ad eũ omnes gentes, multíq; populi venientes dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, ad domum Dei Iacob. Is docebit nos vias suas. Isaiæ 2. Cæterùm ecclesia regnum est Christi: ecclesia illa per vniuersum terrarum orbem expanditur, nec ulli est affixa aut concluſa loco. Dicit enim pater filio in carmine mystico, Postula à me & dabo gentes in hæreditatem tuam, & terminos terræ in possessionem tuam. Et hoc est, quod Daniel in præsenti dixit, Implebit totam terrã. Scimus autem regnum Christi distingui pro conditione eorum qui sunt in regno Christi, & pro temporis ratione. Rectè enim dicitur Regnũ Christi, etsi vnum & idem sit, dici tamen & Gratiæ in terris & Gloriæ in cœlo. Gratiæ est in præsenti sæculo, ipsa Christi ecclesia, gratia Dei subnixa & conseruata, donec viuit in hoc seculo, in humilitate & pietatis exercitio. Regnat in his Christus per spiritum & verbum. Gloriæ verò regnum perpetua cœlestisq; est beatitudo, in quã recipiuntur, qui in fide Christi hinc migrant ac sunt in corpore ecclesiæ. Regnum hoc & in mundo & in cœlo, Deus cœli, verus inquam Deus, condidit generi mortalium adeoq; electis suis fidelibus. Non enim paratur vlla vi humana aut cõsilijs carnis, sed à Deo cœli. Regnum hoc æternis temporibus non destruetur, sed æternùm stabit. Et ad exprimendam significantissimè hanc regni Christi perpetuitatem, addit istis et hoc, Et regnum istud alteri populo non relinquetur, vel, Non transibit successione ad alium populum: sicut vidimus regnum Babyloniorum ad Medos esse translatum & ad Persas, Persarum ad Græcos, Græcorum verò ad Romanos: Christianorum ergo regnum non ita vt illa vel mutabitur vel transferetur. Manebit perpetuum semper sibi simile, vnum habens caput Christũ & vnicum corpus ecclesiam inquã sanctorũ communionem per omnia secula. Ergo nulla vis humana destruet hoc regnum Christi vel in mundo vel in cœlo.

Mons regnum vel ecclesia.

Regnum Christi.

Regnum Christi est æternum.

Quantum enim attinet ad regnum gratiæ, id est ad ecclesiam, quam militantem vocant vulgo, viuentem sub rege & pontifice Christo in hisce terris, affligi quidem ipsa potest, aboleri penitùs non potest. Semper enim erit in terris numerus inuocantium nomen Dei per Christum, & refugientium idola & falsos cultus, adhærentiumq; Christo in vera fide & cultu religioso. Cum aliquando Helias existimaret excisam esse ecclesiam & se solum esse relictum, audit, Reliqui mihi septem millia virorum, &c. Quod olim potuit, id ipsum etiam hodie potest Dominus, sibi inquam seruare in medijs huius mundi furoribus blasphemijsq; puram ecclesiam. Quod sanè omnibus temporibus factum vidimus, & adhuc fieri cernimus. Quantum verò attinet ad regnum gloriæ, non potest hoc vlla vi humana infirmari nedum destrui. Præterea erit hoc sine fine, viuentq; in hoc, id est, in cœlis fideles coram Deo & Christo eius in secula seculorum. Quo loco rectissime monet fidelis & doctus interpres Philippus Melanchton, totam euangelij prædicationem in hoc Danielis vaticinio cõprehendi. Si enim beati & redempti Christi æternùm regnabunt vel viuent, oportet sanè mortem esse eneruatam, illudq; quod mortis est causa vel virtus, ipsum inquam peccatum, expiatum: oportet præterea resuscitari corpora mortua, si modò viuere & regnare cum Christo debent homines in sempiternum. Proinde Daniel differens de æterno Christi regno, intelligit imò asserit fore in mundo peccatorum remissionem & corporum resurrectionem, idq; ex regeneret redemptore Christo: qui moriendo peccatum expiauit, & ita mortem quoq; exarmauit: resurgendo autem ex mortuis vitam, vel immortalitatem reduxit & contulit, vt omnes per

Totaeuangelij prædicatio continetur in hoc Danielis vaticinio.

vniuersum mundum in Christum credentes, in Christo viuamus & resurgamus, purgati à peccatis, & idonei facti ad percipienda gaudia sempiterna. Et hæc quidem intelligere & credere est sapientia vera, vera inquã Dei & Christi eius cognitio, quæ hoc somnio & somnij interpretatione docetur.

Lapis omnia mundi regna comminuit.

Præter hæc dicit propheta & aliud quiddam de hoc lapide, nempe Comminuet ille finietq; omnia illa regna, quorum videlicet hactenus facta est mentio. Et iterum, Lapis contudit, ait Daniel, imaginis pedes ferreos & luteos, prorsusq; comminuit. Nam ferrum, lutum, æs, argentum & aurum abierunt in minutissimas particulas, & fuerunt ceu palea in area in æstate, abstulitq; illa vẽtus, vt ne locus quidem eorum sit inuentus. Qua loquutione innuitur regna penitus esse sublata, ne reliquijs quidem vllis relictis. Nemo autem hũc locum interpretabitur, quasi Christus aduentu suo in mundum & doctrina Euangelij condemnarit, aboleueritq; regna & magistratum in hoc seculo. Scimus enim quid docuerit in Euangelio, vtiq; Cæsari dandum esse quod est Cæsaris, & Deo danda esse, quæ sunt Dei. Nota est & Apostolica doctrina, Rom. 12. & Titum 3. Significauit ergo propheta Christum fore petram contritionis omnibus illis regnis. Quoniam enim sese opposuerunt sanæ doctrinæ regna ista, eamq; opprimere instituerunt, obtrudere volentia mundo & ipsis Dei filijs idola, & falsos in mundo cultus retinere, iusto perierunt iudicio Dei: sicuti & propheta Zacharias dixit in cap. 12. loquens de lapide quodam oneris, qui omnes Ecclesiæ aut veritatis Dei hostes sit perditurus. Tale quid ipse quoque Dominus Iesus Christus innuit in euangelio cum ait, Qui ceciderit super lapidẽ istum aut qui impegerit in eum, confringetur, super quem verò ceciderit, conteret eum. Alio qui enim audiuimus de Romana monarchia, Ferrum atteret atq; comminuet omnia regna illa. Quod autem antea comminutum est, postea non poterit comminui. Vnde hunc locum ita intelligere oportet, sicuti modò dixi, Omnia illa regna, etiam Romanum, propter impietatem contra Christum interijsse. De qua re aliàs copiosissimè est dictum. Præterea significatur apertissimè, omnem mundi gloriam esse vanam, pulueri & paleis similem, quæ ita disijcit ventus, vt de eis nihil sit residuum, imò ne locus quidem eorum appareat. Docuit hoc ipsum Isaias, cum præclarè dixit: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos graminis, &c. Hoc sanè postremum non est in vera sapientia, intelligere omnem mundi pompam esse vanissimam, ideoq; stolidos esse qui ipsam sectantur, stolidiores qui ei innituntur. Accedit his omnibus quæ dicta sunt de contritione imaginis mundi, quòd Christus Dominus in fine huius sæculi omnia illa regna mundi conteret. Scriptum est enim quòd omnis potestas subijcietur ei, & omnes hostes eius subijcientur scabellum pedum eius, &c.

Christus imperia non sustulit sed stabiliuit.

Omnis gloria mundi vana.

Epilogus & assseueratio.

His expositis colligit vela Daniel, eaq; quæ dixit, asserit, obsignat, atq; confirmat dicens, Ad hunc modum Deus magnus, Regi monstrauit quid posteris temporibus sit futurum. Est autem hæc repetitio status & epilogus. Ad assertionem autem illud pertinet quod sequitur, Et verum est somnium, & fidelis vel certa eius interpretatio. Non est sanè somnium quod videri poterat inane somnium, sed res vera magni momenti & salutaris. Interpretatio quoq; certa est non dubia, arbitraria vel coniecturalis. Testari hoc nos possumus liquidè qui vidimus omnia illa esse completa exactissimè, ita vt historiam vel compendium historiarum videatur contexuisse Daniel. Confirmatur his quoq; veritas religionis Christianæ, & commendatur vniuerso mundo pro compertissima, et pro verissimo Dei oraculo. Deo sit laus & gloria.

HOMILIA XII.

Tunc rex Nabuchodonosor procidit in faciem suam, & adorauit Danielem, eiq; præcepit oblationem & odores fieri. Deniq; rex Danielem compellans, dixit, Verum vtiq; est, quòd Deus vester Deus Deorum est, & Dominus regum, atq; arcanorum reuelator, cum tu potueris hoc arcanum mihi aperire. Inde rex amplificauit Danielem, eiq; multa & magna dona contulit, dominariq; fecit super omnes prouincias Babylonis, creauit quoq; magistrum super præcipuos & omnes sapientes Babylonis. Præterea Daniele postulãte rex præfecit Sadrach, Mesach & Abednego administrationi regionis Babylonitæ. Daniel autem erat in porta Regis.

Finis sapientiæ

SEptimo & vltimo loco huius Actus secundi exponitur perspicuè & breuiter, quomodo adfectus sit Rex erga diuinam illam arcanorum veræ sapientiq; reuelationem, & quàm gratus fuerit sermo Dei aperientis mysteria Danieli. In quibus diuersus planè conspicitur finis veræ sapientiæ à falsa, quæ cædibus compensatur horrendis Sophistarum. Daniel contra cumulatur honoribus amplissimis atq; muneribus splendidissimis, vt interim nõ dicam, quod tamen primum & maximũ est, conseruari vera sapientia animas, conferriq; illa æterna bona. Verissimè ergo dixit in sententijs suis Solomon, sapientia ornari & conseruari homines, & bona conferri ex ea immensa & innumera. Contra verò stultitia euerti & deturpari homines vrbes & regna.

Procidit in faciem rex & adorat Danielẽ.

Sunt autem in rege quædam laudanda, quædam verò non laudanda. Nam plurima in præsenti de Rege scribuntur, Principiò audita expositione cum interpretatione somnij sui à propheta, ex qua miram didicit regnorũ mutationem, ac prouidentiam Dei iustissimam, & regnum Christi solum perstiturum in sempiternũ, procidit coram Daniele in faciem, ac adorat Danielẽ. Hoc si fecit Rex more gẽtis Orientalis, quæ ante honoratas personas procidebat, & adorabat, id est, honorem debitum vel patrium exhibebat: sicuti & de Nathan propheta legitur quòd Dauidem adorauerit, nihil peccasse videtur. Apparet autem eum id totum fecisse animo, superstitione ex ethnicismo imbuto & corrupto. Sequitur enim, Et iussit Danieli offerri oblationẽ & thymiamata vel odores, quod vulgò vocant thurificare. Hoc autem vt gentilitium, in rege minimè est probandum. Solebant gentes hominibus tanquam Dijs diuinos impendere honores. Quod hodie quoq; cõtra veram religionem faciunt Diuis cœlitibus papistæ. Sicut autem Nabuchodon. factum parantis erigentisq; ad cultum grande idolum, nemo pius imitandum censet: ita hoc eius factum sacrificantis homini & adorantis hominem, hoc est, diuinum honorem impendentis Danieli, licet viro Dei, prophetæ, & homini sanctissimo, nemo pius vel probabit vt iustum aut rectum, vel imitabitur. Et quamuis scriptura nõ exprimat Danielem hunc repudiasse cultum, & Regem docuisse, solum Deum esse adorandum & colendum, ethnicos mores esse superstitiosos, fugiendos, & abominandos Deo, colligere tamen licet ex anteactis, & ex ijs quæ in 6. cap. sequuntur de Daniele, nequaquam illum istã à Rege recepisse. Nam ante dictum est, quàm diligenter cauerit ne pollueretur vetito cibo. Postea verò audiemus, ipsum contra Regium edictum adorauisse Dominum. Quantò ergo minus credendum est passurum se adorari à Rege, aut oblationem & odores sibi

Daniel non recepit diuinos sibi honores oblatos.

offerri à Rege, quos sciebat soli Deo competere? Quod si recepisset aulica consuetudine corruptus, quod tamen mihi non fit verisimile, profectò factum hoc eius, neq; laudandum esset, neq; imitandum, sicuti & in alijs sanctis ea nemo imitanda arbitratur, quæ cum aperto Dei mandato pugnant. Sed & alij illustres loci scripturæ docent nos, sanctos Dei seruos, minimè appetere huiusmodi honores: Sæpe quidem eos ipsis esse oblatos, sed tamen repudiatos perpetuò, cum inculcatione doctrinæ synceræ de adorando & colendo vnico, vero & æterno Deo. Exempla extant, ne quis nesciat, in Actis Apostolorum cap. 10. & 14. vbi & Lystrenses diuinos honores Paulo & Barnabæ (quemadmodum in præsenti Daniel Nabuchod.) impendere nitebantur, sed refutabantur à seruis Dei. Quò etiam pertinere videtur quod commemoratur in Apocalypsi de Angelo & Ioanne Euangelista in cap. 14. & 22. Proinde nimius fuit in honoribus impendendis Danieli Rex Nabuchod. Sicuti Reges quoq; & Principes quidam pij, nimij fuerunt in extruendis templis martyribus, & alijs honoribus diuinis impensis seruis Christi. Sub extructione enim templorum intelligo etiam alios illicitos cultus impensos Diuis. Fecerunt quidem Nabuchod. & alij Principes ista omnia bona intentione, sed tamen non secundùm scientiam & verbi Dei regulam. Proinde intentio bona non reddit opus contra verbum Dei bonum.

Confessio Regis pijssima & pulcherrima.

Cæterùm confessio Regis quæ sequitur, modis omnibus est laudanda vel approbanda. Colligimus ex ipsa regem agnouisse Deum verum, & glorificasse & hactenus imitandum esse. Neq; verò potuit hęc confessio admodùm illustris fieri absq; fide in Deum, cui tanta tribuit. Neq; impedit, quò minus fide in Deum vera imbutus fuerit rex, quòd interim more gētilitio prophetam prosequi vult honore diuino, & quòd postea rursus ex bona intentione idolū erigit. Legimus enim in euangelio, Petrum propter fidei confessionē synceram beatum ab ipso seruatore nuncupatum esse: rursus eundem mox ab eodem propter errorem contumacem & intentionem bonam, appellatum esse sathanam. Sed & reliqui apostoli peccarunt contra Dominum non rarò nec leuiter, qui tamen vera in Deum fide erant præditi. Confessio Nabuchod. multa comprehendit.

Deus Israelis est Deus deorū

Principiò enim ex πληροφορίᾳ & indubitata certitudine animi, ingenuè dicit, In veritate certò & absq; omni dubio Deus Israelis, est Deus verus, adeoq; Deus deorū, id est omnes Deos excellens, solusq; Deus verus, summus, optimus, maximus. Qui hoc ex animo confitetur, omnes alios Deos prætereundo fastidit. Nam qui agnoscit vnum æternum & summè bonum Deum, supra quem & extra quem nullus alius talis Deus est, nullum certè alium quàm hunc vnum sibi colendum proponit, nulli alij innititur aut fidit, sed omnia vitæ & salutis in ipso quærit & collocat. Deinde agnoscit Rex Deum hunc Deorum etiam esse Dominum & regem. Huic ergo se subijcit, vt domino tanquam vasallus. Hunc agnoscit esse dominum & gubernatorem omnium regnorum, qui prouidentia sua omnia regat & summa temperet æquitate. Eundem mox confitetur esse arcanorum reuelatorem. Agnoscit ergo in eo summam sapientiam, & præscientiam infallibilem. Quę quidem omnia si & nos tribuerimus Deo, rectè ipsum confitebimur. Et hic est vsus huius loci, vt exemplo Nabuchod. docti, audita doctrina veritatis, Deum syncerè confiteamur, & toto in ipsum credamus pectore. Colligit autem Deum esse arcanorum reuelatorem ex eo, quòd Daniel inspiratus à Deo potuit arcana Regi aperire. Et antea dixerat Daniel ad Regem, Est Deus in cœlo qui aperit arcana. Isaias hoc quoq; argumento, quòd futurorum ignari sunt Dij gentium, collegit ipsos non esse Deos.

Vera confessio

Non odio prosequitur prophetam Rex.

In primis verò celebranda est hæc fides & confessio Regis, quòd cum audiret,

diret regnum Babylonium, quod tantis laboribus parauerat, periturum, non indignabatur, & prophetã prosequebatur odio: sicuti fecit Pharao contra Mosen, & Saul contra Samuelem. Subijcit se humiliter Deo, & hunc amplissimè celebrat. Longè ergo melior est quibusdam nostri sæculi principibus, quibus si quid prædicetur ex euangelio de iustitia & iudicio Dei, mox furore velut incitati, incipiunt & Deum eiusq; veritatem blasphemare, & prędicatores infensissimis persequi animis. Sed iudicabit in die illa iudicij hos hic noster Nabuchodonosor, qui cum semel audisset mysteria Dei sibi fideliter exponi, resipuit, & gloriam Deo dedit: isti tot annis & post tot conciones nihil proficiunt. Potuisset colore aliquo fastidire captiui Iudæi doctrinam, si nostris fuisset similis, nũc verò summo habet in precio. Ac operatur hic Deus potentia sua ingens miraculum, vt victor omnium gẽtium, & triumphator omnium glorioſissimus, sese prosternat coram victo atq; captiuo, illumq; confitetur Deum verũ esse Deum, cuius templum combusit & sacra omnia dissipauit. Hæc est dextera excelsi, ac noua ratio triumphandi de victoribus omnium celeberrimis. Ira non rarò triumphauit ecclesia in tormentis, cæde, & truculentissimis mortibus sanctorum martyrum. Christus enim etiam in humilitate & tribulatione vincit. *Victi iam triũphant.*

Refertur porrò aliud de Rege, nempe veritas, liberalitas, & munifica gratitudo in Danielem doctorem. Promiserat Rex ac dixerat, Si exposueritis mihi somnium & eius interpretationẽ, accipietis à me munera donaq; & magnum honorem. Regum autem vel principum est seruare veritatẽ. Proinde Nabuch. præstat nunc abundantissimè quę promisit: & commendat fidem & veritatem omnibus principibus, vt eam seruent inuiolatam. Potuisset tergiuersando dicere, Captiuus ille Iudæus aliâs hoc officij quod præstitit, mihi debuit, vt nihil ei sit rependendum. Ego meis Babylonijs dignitates & munera, non captiuis Iudæis promiseram. Laudanda est hic etiam regis liberalitas. Non enim aliquibus honorat Danielem donis & honoribus, sed scriptura dicit: Contulit ei multa & magna dona. Addit præterea, Rex amplificauit Danielem. Nam amplissimos in eum contulit honores. Principiò enim dominari fecit eum super omnes prouincias Babylonis, vt quemadmodum Ioseph legitur in Ægypto amplissimo regno secundus à rege creatus: ita iam Daniel proximus à rege vniuersæ mundi monarchiæ præfectus est. Turcarum, Indorum, Æthiopum & Christianorum reges & imperatores non tam latè imperitarunt, tantaq; potentia regnarunt vnquam, quanta in præsenti Daniel. Maxima ergo hic se exerit Dei potentia etiam vsq; ad miraculum, quòd captiuus fit orbis dominus. Hęc opponas licet scandalo captiuitatis Babylonicę, & excidio vrbis & templi Dei Israelis. Deinde præfecit rex Danielem, vel creauit principem aut magistrum super סגנין singulares vel præcipuos & excellentes, nimirum super omnes sapientes Babylonis. Fuit ergo antistes consiliariorum & omnium sapientum Babylonis. Sic inquam amplificauit Deus Danielem captiuum per victorem Nabuchodon. vt dubitem an amplior possit excogitari honor, dignitas, præstantia atq; maiestas. Et fiunt hæc omnia in ipsa captiuitate, ad consolationem captiuorum fidelium. Eodem Dei consilio euectus est & sub Asuero in summam dignitatem, in regno Medico, Mardochæus. *Veritas & liberalis gratitudo regis.* *Ampliſſimi & ſummi honores in Danielem collati.*

Duo hinc discimus omnes, Alterum, Deum nec consilio nec potentia destitui, quin si velit oppressam ecclesiam, & erigere & consolari possit. Alterum verò, omnes qui acceperunt beneficia, his à quibus acceperunt, gratos esse debere, maximè doctos suis doctoribus. Vnde & apostolus hoc sæpe suis inculcauit: & inter alia ad Galat dixit, Communicet autem qui catechizatur sermone, ei, qui se catechizat omnibus bonis. Et iterum ad Titum, Zenam legisperitum *Quæ hinc diſcantur.*

inquit,& Apollo ſtudioſè deducito,ne quid illis deſit. Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe ad neceſſarios vſus, vt non ſint infrugiferi. Vituperandi ergo ſunt inuidi maligni & ingrati homines, qui & veram ſapientiam aſpernantur, & ſi inſtituantur flocci faciunt, inuidentq; doctoribus, ſi alij in ipſos ſint liberales. Non inſtituam hic diſputationem de muneribus accipiendis,quando hoc licitum vel illicitum ſit. Dixi huius quædam in 29. Concione in Ieremiam.Hoc tantùm repeto breuibus. Nō omnia accipienda,nec paſsim, nec ab omnibus. Et quòd miniſtros Eccleſiarum terrere debet Giezi auaritia, & Balaami impudentia. Cum periculo ferè coniuncta ſunt munera. Sufficiat nobis quod Paulus hic nobis ſuggerit. 1.Timoth.6. Habentes victum & amictum,his contenti ſumus,&c.

Daniel non obliuiſcitur ſocio rum.

Cæterùm in incredibili ſua fortuna non obliuiſcitur Daniel (quod tamen vulgò ferè fit)ſociorum ſuorum, ſed petit his à Rege munifico ac liberali functiones & adminiſtrationes. Non facit hæc vlla ex ambitione,ſed ex neceſsitate & prudentia ſibi diuinitus inſpirata. Nam rectè vti voluit opportunitate & regis beneuolentia,quam fortè alio tempore non ita promptam inueniſſet. Voluit præterea ſuis paſsim captiuis,hoc eſt, genti Iudaicæ nunc hac ratione conſulere.His enim præfectis plus habere potuerunt Iudæi captiui pacis ſecuritatisq;. Ergo non priuatum hic quærit commodum, ſed bonum publicum,ſemper in oculis ſuis gerens eccleſiæ Dei incolumitatem vtilitatemq;. Proinde qui conſtituti ſunt in honoribus & opibus,hoc Danielis exemplo admoniti,paria faciant:non ſua quærant.

Tres ſocij aula diſcedunt in prouincias, manet Daniel.

Quoniam verò tres Danielis ſocij ſatrapias vel præfecturas cōſequuti ſunt, ad eas gubernandas relicta aula emigrarunt, Daniel verò manſit in porta Regis,hoc eſt,in ipſa aula Regis.Alij interpretantur,Fuit eo loco apud regem,vt nemo Regem accedere poſſet,niſi illo conſulto & admittente. Ego ſimpliciter arbitror hanc ſentētiam,Daniel autem erat in regia,vel in porta,hoc eſt in conſilio & iudicio regis,adeoq; in aula apud regem,opponi ei narrationi qua audiuimus ſocios Danielis ſatrapas factos,ideoq; ex aula in ſatrapias emigraſſe.

Hæc dixi hactenus qua potui breuitate & perſpicuitate, de vera & falſa ſapientia.Domino Deo noſtro ſit laus & gloria in ſæcula.Amen.

DE VERA ET FALSA RELIGIONE.

CAPVT III.

HOMILIA XIII.

REx Nabuchodonoſor fecit aureum ſimulachrum altitudine ſexaginta cubitorum,craſsitudine ſex cubitorum,quod collocauit in campo Dura regionis Babylonicæ. Miſitq; Rex Nabuchodonoſor congregatum ſatrapas, duces,præſides prouinciarum,nomophylaces,quæſtores,iuriſconſultos,iuſtitiæ exequutores,& omnes prouinciarum principes,ut uenirent ad dedicationem ſimulachri,quod rex Nabuchodonoſor erexerat. Tunc congregati ſunt ſatrapæ,duces,prouinciarum præſides,nomophylaces,quæſtores,iuriſcōſulti,iuſtitiæ exequutores,et omnes prouinciarum principes ad dedicationem ſimulachri, quod Rex Na-

Nabucho-

buchodonosor erexerat: et stabant ante simulachrum quod erexerat Nabuchodonosor. Et proclamauit præco alta voce, Vobis populis, nationibus, & linguis edicitur, quamprimùm audieritis sonum cornu, tubæ, citharæ, fidiculæ, psalterij, chelis & omniũ instrumentorũ musicorum, procidetis & adorabitis simulachrum aureum, quod rex Nabuchodonosor erexit. Quisquis autem non prociderit & adorauerit, ea hora proijcietur in ardentem fornacem ignis. Quamobrem statim vt omnes populi audiuerunt sonum cornu, tubæ, citharæ, fidiculæ, psalterij & omnium instrumentorum musicorũ, omnes populi nationes & linguæ adorauerunt aureum simulachrũ quod erexerat Nabuchodonosor Rex.

PRIMVS & secundus actus huius operis descripserunt nobis veram & falsam sapientiam, ac poterat, vtcunque ad eundem locum referri etiam Actus hic tertius, qui conscriptus est de vera & falsa religione. Quisquis enim rectè interstinguere nouit inter veram falsamq; religionem, ac verè religiosus est, ille idem verè sapiens est. *Ad sapientiam hunc quoq; actum referri posse.*

Habet hic Actus prophetæ Danielis 3. capita sex, & exhibet nobis memorabile spectaculum, elegãs, eximium, visu ac auditu iucundum, saluberrimisq; doctrinis refertissimũ. Coràm enim inspiciemus qualis sit religio vera & falsa, & quantum sit inter has religiones discrimen atq; certamen, & quibus vtraq; nitatur & defendatur aut commendetur. Discemus præterea veritatem confitendam esse etiam summo certissimoq; capitis discrimine: discemus item alia huius generis complurima, quæ suo ordine & loco tractabuntur. *Quid hic actus contineat ac exhibeat.*

Et quidem primo capite huius Actus 3. proponitur nobis veluti in theatro quodã spectanda religio falsa, qualis illa sit. Exponitur hoc ipsum & per quasdam partes. Falsa religio simulachra sibi extruit, habet, colit. Ergo rex Nabuch. erigit sibi suisq; idolum colendum. Cumq; Daniel non sit verborum prodigus, tamen sexies inculcat hanc statuam factam & erectam esse à rege Nabuchod. Voluit ita significare, profectum esse idolum hoc & hunc cultũ, non à Deo, vel ex mandato verbi Dei, sed ex mero inuento hominis Nabuchodonosoris. Etenim vt Deus semper odio prosequutus est imagines & imaginum cultum, ita apertissimè & sæpissimè in verbo suo eas facere, habere, colere prohibuit & districtè quidem prohibuit. Extat lex secunda in tabula legis diuinæ prima, admodùm diserta, clara, atq; seuera. Lactàntius lib. Instit. 2. apertissimè pronũciauit, vbicunq; colatur simulachrum, ibi nullam esse veram religionem. Ergo falsa religio potissimas partes tribuit idolis & idolorum cultui. De origine idolorum & idololatriæ aliàs dictum est. Constat idololatriam esse vetustissimam. Nam Geneseos 31. legimus Rahelem patri subduxisse idola: Et Iacobum in Bethel sub quercu sepeliuisse idola Syriaca. Multa de idololatriæ inuentoribus scribit Epiphanius in sua Panaria, & Cyrillus contra Iulianum. *Falsa religio.*

Non exprimitur autem à Daniele, cui nam erexerit hoc aureum idolũ rex. Hieronymus arbitratur quòd sibijpsi erexerit: quod tamen certas ob causas verisimile non est. Alij putant collocatum hunc colossum portentosum Deo Belo Babylonio. Alij alteri cuipiã nescio cui Deo, aut Dijs ethnicis, propterea quòd Martyres postea dicant, Deos tuos non colimus, neq; adorabimus aureũ illud tuum simulachrum. Videri poterat forsan à rege erectum & consecratum fuisse hoc simulachrum Deo vero, qui ipsi arcana per statuæ visionem aperuerat, *Cui nam erexerit statuã Rex.*

vt ita voluerit Dei ſapientiſsimi memoriam inter homines retinere, ac ita fortaſſis Deum verum colere, vt interim cultum Deorum ſuorum Babyloniorum ſimul retinere voluerit. Quod ſi verum eſt, hoc ipſum hunc regem quoq; feciſſe videmus, quod quidam Chriſtiani fecerunt. Dum enim in ſcripturis legunt viſiones Dei, vt Iſa. 6. Ezech. 1. Danielis 7. exhibitas prophetis, poſuerunt & ipſi Deo imagines, ad retinendam Dei inter homines memoriam. Siue verò Deo vero, ſiue alteri cuipiam conſecrarit hanc imaginem rex, certum eſt tamen, ſe Deum longè in alium finem prophetis & ipſi quoq; regi Nabuchod. in viſione videndum exhibuiſſe, quàm vt formam daret quam exprimerent aut imitarentur ſtatuarij & pictores. Certè Daniel manifeſtè edicit regi in quem finem apparuerit ipſi ſtatua illa, ad ſignificandum videlicet quid ſit futurum ſeculis poſteris, &c. Ipſe ergo rex ex gentilitio errore & ſua intentione, nullo ex mandato aut exemplo Dei, ſtatuam hanc auream erexit.

Vnde authoritatem habeant idola.

In præſenti verò videmus, vnde apud homines ſuperſtitioſos in hoc ſeculo authoritatem accipiant idola: principiò à ſuis fundatoribus, regibus inquam & perſonis eximijs vel illuſtribus. Deinde à materia, ex qua fiunt, vt ex auro: ſicut hæc ſtatua multis ob auri præſtantiam miraculo fuit. Et tamen cum tanti eſſet precij, nihilominus conflata erat ex ſpolijs comportatis ex toto terrarum orbe. Si verò ars artificum idolis accedat excellens, excellentiora videntur idola. Ita ſi conſtituantur in locis amœnis & celebrioribus, amplius ad ſe homines inuitant, quemadmodum hoc erectum eſt in campo Dura, amœno & ſingulari loco. Hieronymus author eſt LXX. pro Dura repoſuiſſe περίβολον, quod nos inquit, viuarium (ein thiergarten) vel concluſum locum poſſumus interpretari. Vnde apparet (vt hoc obiter annotemus) verſionem, quam nos Danielis Græcam habemus, non eſſe LXX. interpretum, ſed Theodotionis, Ieroboam quoq; templum ſuum in Berſaba, loco celebri & memoria rerũ veterum ſacro poſuit, quò plus authoritatis & reuerentiæ apud vulgus haberet. Non aliam ob cauſam lucos plantauit vetuſtas ſuperſtitioſa. Hodie ſanè noſtra ſimulachra ijſdem ex rebus trahunt aliquam apud vulgus reuerentiam, quam tamen pij omnes nullam alioqui eſſe agnoſcunt.

In quem finem erecta ſit ſtatua

Nec exprimitur in quem finem rex poſuerit ſtatuam, nos putamus erectam & memoriæ & religionis ergò, quemadmodum adorationem palàm requirit. Varij quidem ſunt fines ob quos conduntur conſecranturq; imagines. Alij maiorum ſuorum memoriam ita retinere voluerunt inter homines. Ieroboam cultum Dei prætexebat, ſed regnum ſibi ſuisq; retinere cupiebat. Proinde perdidit ipſum Dominus. Alij opes idololatria colligere cogitant. Alij alia ſpectant. Ferè tamen ſemper prætexitur Dei cultus, cum tamen Deus nunquam voluerit coli in idolis & per ſimulachra, perdideritq; omnibus ſeculis idololatras.

Nabuchodonoſor peccauit cõtra Deum.

Peccauit ergo hac re grauiter Nabuchodonoſor, qui tamen antea egregiam de Deo fecit confeſsionem. Idem enim homo quatenus bonum Dei ſpiritum & verbum Dei ſequitur, & Deum glorificat, rectè facit, quatenus verò deſerta diuina regula impetum animi ſui & bonam ſuam intentionem ſequitur, peccat: ſicut in Dauide arcam deducente, & in eodem adulterium perpetrante cernitur. Multi quoq; reges in Iſraele & Iuda Deum quidem coluerunt eamq; ob rem merentur laudem, ſed interim excelſa non ſuſtulerunt, eaq; re peccarunt & vituperantur. Et Reges principesq; Chriſtiani complures fuerunt religioſi, munifici in res eccleſiæ, in ſtudia bona, & in pauperes liberaliſsimi, quare commendandi ſunt maximè, verùm peccarunt & ipſi, cum deſerta verbi Dei regula, ex bona intentione & ſecundum traditiones hominum coluerunt diuos cœlites, ac templa ijs extruxerunt, ſtatuasq; eis conſecrarunt, & coram his adorarunt,

adorarunt, aliosq; adorare suo & exemplo & mandato impulerunt: qua re pec carunt sanè grauiter. Qui huiusmodi vel hodie sunt, discant ab hoc Nabucho donosore resipiscentiam. De qua dicetur suo loco. Discimus hinc quoque non omnia Principum facta simpliciter esse probanda & imitanda, sed delectum ha bendum, omniaq; probanda esse ad normam diuinæ legis, & ea duntaxat am plexanda esse quæ diuinæ legis sunt. Errant enim & perfrequenter quidem er rant aberrantes à verbo Dei personæ illustres, & alios secum in errorem pertrahunt.

In primis verò cernere in hac historia licet, quanta sit in aulis principum vicissitudo felicitatisq; instabilitas. Qui enim paulò ante in precio summo ha biti fuerant Danielis socij, hi propter spretum idolum hoc, nunc execrabiles ha bebũtur. Ergo qui in aulis Principũ modò fueras acceptus, & charus principi, ideoq; in fastigio rerũ constitutus, mox inuisus eidem reddêris, præcepsq; rues in ipsum cœnũ deiectus, etiã ob causam aliquam leuissimam. Cernitur & in Ec clesia nõ minor rerũ immutatio & vicissitudo. Quantũ enim gaudiũ in populo Dei captiuo obortũ existimas, ob confessionem illam Regis factã de vero Deo amplissimã, deniq; ob euectos in summã dignitatem honorumq; fastigiũ veros Dei cultores? Peruagabatur iam rumor per vniuersum regnum, Regem agno uisse Deum Israelis, & spem esse breui religionem Iudaicam, hoc est, veram veræ & sanctæ Ecclesiæ, hactenus despectæ & oppressæ, triumphaturam inter gentes. Sed ecce cum hæc omnium in ore non sine miraculo voluuntur, nun ciatur omnibus à Rege, quod summa tristitia affecit omnes credentes, inq; lu ctum maximum coniecit, Regem erexisse idolum, ac velle vt hoc adorent vniuersi. Vicissitudo hæc infelix est, fuitq; ferè perpetua populo & Ecclesiæ Dei. Nam vt ex multis pauca commemorem, ex historia veteri, an non feliciter habuerunt res religionis & Ecclesiæ sub pijs illis regibus Iosaphato, Ezechia & Iosia? At diuturnum illud non fuit, quod pace sub istis usi sunt pij, & floruit religio vera. Sequuti enim mox demortuos patres religiosos filij superstitiosi & impij Ioram, Manasses, Ioachim & Zedechias, omnemq; euerterunt religionem veram, idololatriam verò restituerunt, & puræ religionis sectatores crudeliter persequuti sunt, & trucidarunt. In primitiua quoq; Ecclesia multi recipientes fidem Christi sunt baptisati, sicut S. Lucas commemorat in Actis apost. magnaq; erat tunc gloria ecclesiæ, mox tamẽ oborta est persequutio grauis, in qua cecidit lapidibus adobrutus Stephanus, & sęuijt contra ecclesias furiose Paulus, qui tamen conuersus dissipatã ecclesiam rursus recolligens ædificauit, & quidem diligentiùs & validiùs, quàm antea destruxerat. Cædebatur item Iacobus gladio Herodis, & conijciebatur in vincula Petrus, mox tamẽ mi raculose liberatur Petrus ab angelo, percutiturq; Herodes & horribiliter perit, restituiturq; pax ecclesiæ. Huius generis exempla innumera occurrunt in hi storia Ecclesiastica. Quid ergo mirum tibi videatur, si hodie quoq; nunc videa tur euangelium triumphaturum & triumphare, etiam in mœrorem & despera tionem coniectis omnibus hostibus, mox tamen reuiuiscentibus iterum euan gelij hostibus, videantur hi omnes ecclesias cum ipsa prædicatione euangelij radicitùs euulsuri? Gubernantur hæc potenti manu Domini, & prudenter inq; salutem ecclesiæ Dei gubernantur. Ergo qualis qualis sit sors & species eccle siæ, pij semper respicientes ad verbum Dei, per patientiam & fidem perseuerãt in vera religione.

Vicißitudo in aulis principũ.

Vicißitudo in ecclesia Dei.

Act. 2. 3. 4 & 5.

Rex initiationem vel dedicationem instituit idolo suo, festum inquam & ce lebritatem maximam. Initiatio est rei alicuius primus usus. Eadem dicitur De dicatio. Nam primo vsu dedicatur ei res qua iam vti incipimus, cui erit desti-

De dedicatione uel initiatione.

nata. Ita dedicatum est Deo tabernaculum Exodi 40 & Templum Salomonis, Domino 3. Reg. 8. quando videlicet Moses & Solomon vnà cum populo Dei vniuerso cœperunt orare & sacrificare siue sacra peragere in tabernaculo & templo. In hunc enim finem illa extruxerant. Germanicè vocamus wychen vnd wyche, quasi tu dicas cedere & cessio. Quæ enim prophana hactenus fuerunt, vt locus aliquis & instrumenta vel res, illa iam per sacrum vsum dedicantur Deo, & cedunt ab vsu prophano, transeuntq; in sacrum. Instituit ergo Nabuch. dedicationem idolo suo, qua initiaret vel dedicaret idolum usui sacro, sacrificijs inquam adorationi, cantui & sacris, vt omnes posthac agnoscerent imaginem illam non esse vulgarem imaginem, sed Dei imaginem, adeoq; & quodam modo deificatam, quæ haberet diuini aliquid in se. Rectè quidem vsi sunt Moses & Solomon dedicationibus, iubente has Deo celebrare. Et rectè vel hodie initiarentur Deo & Christo templa, quæ hactenus fuissent prophana. Dedicarentur autem non affuso oleo aqua & sale, aut igne excitato, sed primo vsu sacro per preces, per prædicationem verbi Dei, & sacramentorum celebrationem. Non rectè autem dedicationem instituit idolo suo Nabuchod. Nam idolum contra voluntatem Dei extruxit, nec verbum Dei habet quod iubeat statuam dedicare. Ita non rectè apud Papistas celebrantur dedicationes. Quin habent illæ, quæ nec ab ijs probari possunt qui licet sint superstitiosissimi, honestatem tamen amant, aut saltem loco aliquo habent. Nam quid videas aliud ferè in dedicationibus istorum, quàm dissolutionem omnis disciplinæ? Exercetur enim in ferijs illis non vulgaris superbia, editur imò voratur, potatur, luditur, saltatur, & despumant illa demum in libidinem, in fornicationem, in adulteria, & in omnem lasciuiam & impudentiam. Dedicantur ergo homines diabolo, & peragitur à stolidis non Deo sed sathanæ festum: vt iam de superstitionibus nihil dicam.

Conuocantur ad dedicationē principes.

Cæterùm quando authoritas omnibus ferè rebus accedit ex eo, si hoc vsurpetur aut honoretur à pluribus, & maximè à principibus & sapientibus, curat Nabuch. conuocari ad dedicationem idoli sui omnes suos principes, omnesq; regni sui sapientes ac gubernatores. Recensentur hi ordine suo & nominibus suis. Variant in interpretandis ijs vocabulis interpretes, omnium autem diligentissimè & doctissimè singula explicat & excutit pijssimus & doctissimus prophetarum interpres, & Basilien. ecclesiæ antistes quondam, D Ioan. Oecolampadius. Satrapę sunt post regem primi & potentissimi principes, aliorumq; magnatum præfecti. Signei singulares excellentesq; sunt in aulis regum imperatores exercituum vel duces militum, qui regem cingunt & prohibent, ne vel seditiones in regno oriantur, vel exteri hostes subditos vexent, in bellis ducunt exercitum, & pro regno exponunt animas suas. LXX verterunt στρατηγοὺς. Præsides prouinciarum, præfecti sunt prouincijs. Adargazaræi sunt exactores, vel νομοφύλακες, legum inquam custodes, qui dispiciunt atq; vrgent, ne quid legum regiarum negligatur & transgrediatur. Apud Lacedæmonios nuncupabātur ἔφοροι. Sine talibus mortuæ sunt leges. Gedabraæi thesaurarij sunt, vel quæstores & dispensatores. telones quoq; & telonum principes. Dethabraæi iurisconsulti, sunt consiliarij & cancellarij, quorum opera reges vtuntur in iudicijs & gubernatione. Tiphraæi sunt custodes, speculatores, carcerarij & lictores, exequutores iustitiæ. Sicut autem 1. Regum 10. cap. regina Saba ex pulcherrimo ordine officialium ac ministrorum Solomonis, colligit sapientiam Solomonis eximiam, ita laudandum est in Nabuchod. quòd regnum habuit pulcherrimè instructum gubernatoribus & officialibus haud dubiè sapientissimis appositissimisq;. Vituperandum tamen in eodem, quòd ijs abutitur ad idololatriam

triam & exercendam & confirmandam. Hodie quoq; receptum est, idola & cultus exoticos ornare & roborare magnificis hominum titulis. Dicitur enim religionem illam receptam vsurpari à regibus, imperatoribus, archiducibus, ducibus, Marchionibus Lãdtgrauijs, comitibus, baronibus, denicq; à patriarchis, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, à Doctoribus in omni facultate insignibus, ab vniuersitatibus & academijs, & nescio à quibus alijs. Nihil hic audias humile, omnia horum sunt turgida, summa, & maxima: cum interim reprobentur omnia à Deo, sicuti & apud Danielem manifestè reprobata sunt huius generis Nabuchodonosoris omnia.

Subiungitur istis prompta Principum magnatumq; omnium obedientia. Rursus enim magna cum pompa suis recensentur titulis omnes regni ordines principes atq; magnates, repetitur finis propter quem venerint, nempe ad dedicationem simulachri. Et adijcitur, Stabãtq; ante simulachrum, prompti vide licet facere iussa regis sui. Ac admirandum profectò est in tanta turba sapientum potentumq; hominum, nullos inuentos esse, qui humanæ dignitatis memores dixerint, Cur homines ad imaginem Dei conditi viui atq; rationales, adoraremus mutum & insensibile simulachrum, quod oculos habet & non videt, aures habet & non audit, os habet & non loquitur? Cur Dominus rerum omnium turpiter se demitteret ante metallum erutum è terra? Nunc verò cùm nemo omnium communi errori contradicit, sed concordes vnà omnes se prouoluunt volutãtq; in cœno fœdissimi erroris, mirandum porrò non est, quòd in Comitijs imperialibus aut regnorum, & in Synodis aut Concilijs ecclesiastis eis absq; contradictione, manifesti & putidi errores recepti sunt & promulgati, quietiámnum defenduntur acerrimè. Non tamen porrò valebit apud prudentes (quod tamen interim multos retinet in errore) quod vulgo obijcitur, In comitijs regum & in Concilijs pontificum hoc & illud esse constitutum: Verisimile non esse tot illustres errare personas. Atqui erratur in præsenti in generali Concilio, & in Comitijs regni maximis, à maxima hominum adeoq; sapientum multitudine. Fundit & Aaron vitulum aureum & proponit populo Dei colendum, nec inuẽtus est vllus in tot millibus hominum qui se opposuerit fœdissimo errori. Consensus principum & multitudo hominum cõfirmabant idololatriam, quam & hodie confirmant. Verùm non ideò approbatur à Deo. Nihil itaq; multitudo, nihil cõsensus multitudinis, & principum quoq; hominum, nihil Comitia illustrium virorum, nihil concilia vniuersalia episcoporũ & sanctorum in ecclesia hominum probabunt porrò, si ea quæ constituerunt aut fecerunt, pugnant cum Deo & lege eius.

Obedientia & multitudo errãtium.

Sicut autem idololatria ab initio commendata est à multitudine sequentium idola, item à consensu personarum illustrium, qui approbauerint idololatriam & cultum Dei illegitimum: ita sanè permultum authoritatis accessit semper ex Decretis vel mandatis regum ac principum, mandantium colere idola & sequi falsos cultus. Simpliciores certè arbitrantur se rectè facere, si simpliciter obsequantur regijs edictis. Ipsi, inquiunt, viderint, si mihi mandant Deo displicentia, ego per meam obedientiam liberabor. Verùm dixit olim Dominus, Si cæcus cæcum duxerit, ambo cadunt in foueam. Non ergo excusantur seducti, nec impunè ferent imprudentem illam suam imò irreligiosam obedientiam. Regum quoq; edicta obedientiã ferè minis extorquent. Vnde in præsenti per præconẽ promulgare iubet Rex viuum cõcremandum igni quisquis idolũ venerari detrectet. Ac summo cum imperio omnib. populis linguis & nationibus, neminem excipiens, obedientiam hanc idololatricã mandat. An verò alia hodie audiuntur? Eduntur edicta horrida truculenta & fumantia pro

Edicto regio sub pœna mortis mandatur idololatria.

papiſmo, comburendum nempe & trucidandum eſſe abſque miſericordia omnem, qui ſe Romanæ rebellem obiecerit eccleſiæ. Ac combuſti ſunt innumeri: comburuntur adhuc plurimi. His verò modis & hac principum tyrannide retinetur populus vnà cum magnatibus in obedientia pontificia, & in idololatria ac cultibus illegittimis.

Adoratur concorditer idolũ.

Ac in præſenti Danielis loco mox ſequitur, quapropter ſtatim vt auditus eſt cornuum taratantaræq; ſtrepitus, muſicus concentus, corruerunt omnes ante idolum, & venerati ſunt quod rex venerandum propoſuerat. Minis etiam hodie multi adacti venerantur, quod abſque minis ſupplicijſq; faſtidirent penitus.

Cultus idolo exhibitus qualis?

Simul exponitur qua re coluerint idolum, nimirum crepitu cornuum, taratantaræ iubilo, concentuq; muſico & adoratione: nec vero diſſimile eſt oblata eſſe ratione & ritu communi etiam ſacrificia. His nimirum externis & coram mundo ſplendidis, quod & Lactantius lib. 2. cap. 2. & 7. monuit, colebant olim omnes gentes, & inter Chriſtianos coluntur etiam hodie à ſuis cultoribus ſimulachra Dei & ſanctorum: multumq; inſumitur in muſicos, hominum genus ferè libidinoſum & leue. Nolo hic operoſius diſſerere contra muſicam illam theatricam, oſtendereq; quàm noxia ſit eccleſiæ Dei. Alibi enim hoc oſtenſum eſt. Nolo de ſingulis inſtrumentis muſicis, qualia fuerint, diſputare: cum ob vetuſtatem vix acu poſſint attingi ſingula, interpretesq; varient in his explicandis. Didicimus ex his, quæ hactenus audiuimus, qualis ſit falſa religio, quibusq; rebus nitatur & ornetur aut commendetur hominibus. Vera religio multum ab hac differt. Nam horret ab idolis & ab idololatria. Deum autem verum colit ſpiritu & veritate, offerens ei preces, gratiarum actiones, & cor fidele. Domino ſit laus & gloria.

HOMILIA XIIII.

Eodem autem tempore viri Chaldæi, accedentes accuſarunt detrahentes Iudæis illis. Reſponderunt enim & dixerũt regi Nabuchodonoſori, Rex æternùm viuito. Tu quidem Rex decretum feciſti, vt omnis homo audito ſonu cornu, tubæ, citharæ, fidiculæ, pſalterij, chelis & omnium inſtrumentorum muſicorum procidens adoraret ſimulachrum aureum. Et qui non procidens adorauerit, conijciatur in ardentem fornacem ignis. Sunt autẽ viri Iudæi quos præfeciſti adminiſtrationi prouinciæ Babylonis, Sadrach, Meſach & Abednego, qui viri non poſuerunt ſuper te, ô Rex rationem, neq; Deos tuos colunt, neque ſimulachrum aureum, quod erexiſti, adorant. Tunc Nabuchodonoſor in furore et æſtu iußit adduci Sadrach, Meſach & Abednego. Et confeſtim ante regem adducti ſunt viri illi, quos alloquens Nabuchodonoſor dixit, Eſt ne verum Sadrach, Meſach & Abednego, quòd vos Deum meum non colatis, neque ſimulachrum aureum quod erexi adoretis? Nunc verò an non (adhuc) parati eſtis adorare ſimulachrum quod feci, cum audieritis ſonum cornu, tubæ, citharæ, fidiculæ, pſalterij, chelis & omnium muſicorum inſtrumento-

rum?

rum? Quòd si nõ adoraueritis, eadem hora proijciemini in ardentem fornacem ignis. Et quis est ille Deus, qui vos eripiat è manu mea? Respondentes Sadrach, Mesach & Abednego Regi Nabuchodonosori dixerunt, Non soliciti sumus vt respondeamus tibi super hac re. Ecce Deus noster quem colimus, potest nos eruere de fornace ignis ardentis, & de manu tua eruet nos ô Rex. Quòd si non, notum sit tibi Rex, quòd Deos tuos non colimus, & simulachrum quod erexisti non adorabimus.

SEcundo capite spectandum porrò proponitur acerrimum certamen veræ & falsę religionis, visu dignissimum, & auditu saluberrimum. Cõmittuntur viri tres & cum Rege ipso, & cum vniuersa multitudine sapientum ac potentũ vniuersi regni Babylonici. Errat turpiter hæc vniuersa multitudo vnà cum monarcha orbis. Veritatem habent à sua parte & defendunt viri illi tres Iudæi. Vnde nullo negotio colligitur, veritatem nõ probari multitudinis patrocinio. Alioqui melior fuisset Babyloniorum causa, quàm martyrum Dei. Non itaq; sic colligendum conceditur, Sequuntur illam doctrinam plures, adhærent huic pauciores, ergo hæc falsa est, illa autem vera. Duo duntaxat erant Iosue & Caleb, qui se opposuerunt vniuerso populo Israelitico Numeri 14. Vnus Moses deiecit vitulum aureum, obiurgauit Aaronem, & oppositus se vniuerso Israelitarum populo. Ac plures erant sacerdotes & prophetæ, qui contradicebant singulis prophetis nempe Heliæ & Micheæ in historia lib. Regum. Verùm veritas stabat à parte paucorum: sicuti & temporibus Christi & apostolorũ factum videmus. Ac in præsenti quoq; tres duntaxat inueniuntur viri, qui veram retinent religionem, omnes alij falsam sequuntur.

Certamen admirandum ueræ & falsæ religionis.

Pauci multis opponuntur.

Hos deferunt apud regem, & quidẽ acerbissimè accusant idololatræ Chaldæi. Vbi obiter videre licet inuidiam regnare in regum aulis, & delationibus optimum quemq; vexari, denicq; honores & dignitates consequi pericula ingentia. Sed quid dico de principum aulis, cum etiam in pauperum caulis casisq; inuidia disturbet omnia, & delationibus inter se committantur concordes alioqui? Grande hoc malum est, adeoq; abominatio est (quod testatur Solomon in Prouerb. cap. 6.) in oculis Dei. Cauendum itaq; pijs, ne his malis irretiantur à sathana.

Deferuntur sancti apud regum tribunalia

Lectio vel versio hic nonnihil variat. Vertunt enim alij. Accusauerunt accusationes eorum Iudæorum. Alij, Accusauerunt detrahentes Iudæis illis. Alij Viri Chaldæi Iudæorum æmuli, adeuntes regem, detulerunt eos, &c. Verùm sensus idem subinde manet. Ab initio adulantes regi dicunt, vt & sophistæ in cap. 2. Rex æternùm viuito. Mox edictum regis (cui vnicè innituntur) repetũt. Cui illico inferunt: quo omnis eorum tendit oratio, tres illos viros, quorũ edunt nomina, legem regis non modò violasse, sed & regem ipsum contempsisse, ideò que eos teneri reos crimine læsæ maiestatis & contemptionis sacratissimarum legum. Addunt quæ accusatos aggrauent, inuidiam moueant, & causam ipsorum omni regis gratia, vel clementia spolient. Sunt, inquiunt, viri illi Iudæi, hostes & captiui huc adducti, per tuam verò clementiam & beneficentiam prę fecti prouincijs Babylonis, qui nunc hanc tibi referunt gratiam. Tam bene scilicet collocantur beneficia, quæ conferuntur in homines, cùm natione tum religione peregrinos. Decretum tuum ô Rex, minimè curant. Vel vt verbũ penè verbo reddamus, non posuerũt super te ô Rex rationem. Germanicè, Sy haben

bend din kein rächnung / sy setzend es nüt zů hertzen / vnd fragend dir äben gnot vnd gar nüt nach. Loquutio enim despectum refert extremum. At nihil est quod principes ferant indignius impatientiusq; quàm si à subditis suis, ijs maximè quibus clementes fuerunt, & ipsi & edicta ipsorum vilipendantur.

Hac parte historiæ euidenter significatur ecclesiam, & veram in ecclesia religionem, nunquam carituram delatoribus & accusatoribus. Quòd si veterem ecclesiasticam historiam inspiciamus, deniq; obseruemus quæ hodie fiunt ab hostibus euangelij, paria cum his per omnem modum deprehendemus. Accusantur enim omnibus temporibus cultores Christi, rebellionis, inobedientiæ, seditionis, perturbationis omnis veritatis, vnitatis, religionis, & consuetudinis. Homines isti, inquiunt, omnes præ se contemnunt, imò reges & principes, cardinales & episcopos despiciunt & irrident, sanctorum patrum decreta, & consuetudines antiquas & laudabiles, deniq; consensum omnium veterum conciliorum reijcientes, prorsus vilipendunt ac etiam probris contumelijsq; afficiunt. Ingrati ergo & impij sunt contra Deum & homines. Nam donis à Deo acceptis, & beneficijs affecti ab hominibus, & abutuntur, & malam gratiam referunt suis benefactoribus, conturbantes vituperātesq; hos, & omnem vnitatem disrumpentes, dissidijsq;, odijs, rixis, & turbis omnes & omnia inuoluunt, &c. Et sicut isti repetendo diligenter commemorant musica instrumēta: sic hodie audias, Contemnitur ab euangelicis istis musica sacra, inuident Deo cōcentum fidelium deuotum. Ideoq; ab eis nil legitur, vel canitur in tēplis, &c. His & similibus querelis & accusationibus fallæ religionis cultores omnibus sæculis persequuti sunt & oppugnant etiam hodie veram religionem & pietatis studiosos. Inspiciantur Acta apostolica, & in his obseruent studiosi, quæ contra apostolum Paulum hostes euangelij protulerint, cap. 16. apud Philippenses, & 17. cap. apud Thessalonicenses, & 18. apud Corinthios, & 19. apud Ephesios, & 21. apud Hierosolymitanos, & 24. coram Felice præside in iudicio apud Cæsaream. Innumera huius generis leguntur & in ecclesiastica historia, & in Apologijs episcoporum, audiuntur deniq; horrenda & hodie, quæ ab hostibus nostris contra nos diuulgantur viua voce & scriptis.

Inquisitio in fideles per iuridicū processum

Sequitur modò huius Actus caput 3. quo describitur iuridicus processus & in fideles inquisitio. Cui parti adijcitur mox martyrum Dei responsio & veræ religionis liberrima confessio. Vocantur ergo à Rege accusati ad examen & iudicium. Vbi apparet primùm quidem Regis laudanda æquitas & iustitia. Non enim facit, quod multi solent principes, qui audita delatione & collectis clancularijs testibus atq; testimonijs suspectis, accusatum amplius audire dedignantur, sed rectà duci iubent ad supplicium capitis. Nabuchodonosor enim vocat in iudicium accusatos, ipse eos examinat, ipse respondentes pro se audit liberaliter. Quod in ipso imitari debent omnes boni & æqui Principes. Peccabunt enim grauiter, si turpiter obliuiscantur peruulgatæ & omnibus curijs inscriptæ huius sententiæ, Audi & alteram partem. Deinde admiranda celerrimaq; hic obedientia ministrorum, absq; mora martyres ad tribunal regis trahentium, annotatur in historia, quæ habet, Et confestim ante Regem adducti sunt viri illi. Inueniuntur enim inter ministros semper, qui huiusmodi impijs edictis, & principibus commendare volunt. Sed non semper bene cedunt ministris huiusmodi impia obsequia. Nā audiemus mox ministros impios flamma ignis esse extinctos: sed & ministri Ochosię regis, missi vt Heliam captum regi adducerent, cœlesti flamma consumpti sunt. Vtinam verò plerique tam expediti essent ad faciendam iustitiam, quàm sunt prompti ad perpetrandam iniquitatem. Inquisitio Regis diligenter describitur, vt ex ea intelligamus, quomodo

Celerrima ministrorum obedientia.

4. Reg. 1.

quouis

quouis ſeculo vera religio impetatur à falſa. In primis verò regia perſona plurimum hic authoritatis habet, ad flectendos in falſam religionem hominum animos. Vnde perpetuò partes inquirendi traduntur ſedulis & honoratis perſonis, quò facilius abducantur à vera religione ad falſam ſimplices. In dubium autem videtur rex ponere iſtorum inobedientiam, quam acceperat ex delatorum relatione. Quaſi dixerit: Vix credere poſſum vera eſſe quæ dicuntur de vobis, ſolos vos tres opponere vos edicto regio, cum videamini viri eſſe ſapientes & religioſi, qui intelligant edictum meum nihil habere impium, ſed vniuerſum ad Dei cultum pertinere. Iam etiam locum concedit emendationi, & quodammodo gratiam ſuam obſequentibus adhuc offert. An non adhuc, inquit, parati eſtis cultum exhibere aureæ ſtatuæ, cum inflarint tubas cornicines, ac ſignum dederint procumbendum eſſe? Adorabitis, pro veſtra ſapientia, & obſequentes vos exhibebitis mihi, ſat ſcio. Sic hodie quoq; blandiloquentia, liberali gratia, promiſsionibusq; amplis tentatur fides Chriſti martyrum. Sed & perſonæ in medium honoratæ producuntur, quæ & ipſæ ſua authoritate ſimpliciores pertrahant ad obſequium impium. Præterea adduntur minæ à Rege, ne quid deſideretur quod flectere poſsit. Si non parueritis, abſq; mora & miſericordia, iuxta edicti mei ſententiam, proijciemini in fornacẽ candentẽ, & comburemini viui. Horrendum ſanè hoc eſt ſupplicium: quod hodie quoq; protinus ſuſtinendum, ſubeundumq; proponitur Euangelij Chriſti confeſſoribus. Vel agnoſce, inquiunt, Romanam eccleſiam non errare in omnibus ad religionem pertinentibus, & matrem dominamq; eſſe eccleſiarum, ideoq; ſolam eſſe ſequendam, vel morere. Qui enim diuerſum ſentit à Romana eccleſia, hæreticus eſt. Hæreticus autem iuxta leges Imperatorum, regum atq; pontificum, incendio perimendus eſt. Quòd ſi quis inquiſitionis in fideles modum ſeuerum Papæ cognoſcere vult, legat appendicem Concilij Conſtantienſis, De erroribus Ioannis Vuicklef, &c.

Eleuatur fides martyrum in Dei.

Illud autem grauiſsimum meritò fidelibus eſſe videtur, quod in inquiſitione & ipſorum diuexatione, eleuatur ac irridetur tanquam inanis eorum fides & expectatio. Certè Nabuchod. horum fidem ac ſpem extenuans, Quis eſt ille Deus, inquit, qui vos queat ex manu mea & vi ignis liberare? Germanicè, **Jch wil gern ſehen wer der Gott ſye/der üch helffen werde.** Quaſi dicat, Nullus eſt Deus, qui eripere vos poſsit. Nam contra Deum veſtra impia rebellione pugnatis. Fruſtra itaq; ſperatis in Deum. Rapſakes quoq; dux exercitus Aſſyriaci, miſſus à Senacherib, fidem Ezechiæ & populi Hieroſolymitani ad eundem modum irridens conatur euertere. Sed Ezechias aſcendens in templum Domini, intollerandam illam blaſphemiam explicat coram Domino, à quo & conſolationem accepit, peritq; cum duce & exercitu ſuo vniuerſo Senacherib. Captiuis Euangelicis ad ſupplicium capitis iam ducendis, non diſſimilia à Pontificijs inculcantur, Quid ſpei vobis eſt reliquum, cum extra Eccleſiam non ſit ſalus, vos autem defeceritis ab Eccleſia, & ſitis veluti palmites à vite reſecti? Deus non poterit liberare vos, niſi ſemetipſum negauerit. Dixit autem, Qui Eccleſiam nõ audiuerit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus, &c. Cæterùm nõ ſequitur eum à Chriſtiana defeciſſe Eccleſia, qui pontificiam deſeruit, aut reſectum eſſe à capite Chriſto membrum, qui non agnoſcit Rom. pontif. Nam vt cultor Dei ſolidè poſsit adhærere Chriſto, defecit à pont. à quo fugere præcepit verbum Dei, Apoc. 18.

Reſponſio & Confeſsio martyrum prudẽs & libera.

Sequitur quod in hoc capite & in tota hac actione poſtremum non eſt, reſponſio prudens, religioſa & fortis, confeſsioq; martyrum Dei perſpicua, ſimplex & liberrima. Reſpondent, Non ſoliciti ſumus vt reſpondeamus tibi ſuper

hac re. Id quod alij verterunt, Non oportet nos de hac re respondere tibi. Alij, Non est nobis curæ vt hac de re tibi demus responsum. Alij, Non admodùm necesse est hac de re respondere tibi. Sensus est, Negotium nostrum ita est expeditum, & religio nostra adeò certa & firma, animiq; nostri sic cõpositi, vt nihil soliciti simus de purgatione vel responsione nostra. Nam & in Euangelio dixit Dominus, Cum steteritis ante Reges & Præsides, ne sitis soliciti quomodo aut quid loquimini. Dabitur vobis illa hora quid loquamini. Perinde ergo martyres loquuntur, ac si quis nostra lingua dicat, **wir habend deß kein sorg was wir dir hierüber antwortind.** Res hæc apud nos & certa & cõstituta est. Non ergo petimus dilationem, non postulamus nobis cum alijs dari consultandi tempus. Breuibus sententiam nostram super quæstione tua exponemus. Pro fectò nihil nobis est certius, quàm Deum illum verũ, quem colimus, nullo negotio posse nos eripere & de manibus tuis ô Rex, & de incendio feruentis fornacis: siquidem vult. Nam est omnipotens, Deus vtiq; super omnes creaturas. Quòd si non vult scilicet liberare nos in præsenti: hoc tibi rex candidè confitemur, quòd tanti non fit apud nos vel ira tua vel gratia tua, vel ignis vehementia, vt à religione nostra desciscamus, colamusq; Deos tuos, aut adoremus imaginem à te positam. Semel enim animis nostris fixum stat, malle nos omnia experiri tormenta, quàm semel inclinare idolo tuo genua nostra.

Matth. 10. Lucæ 21.

Confessio sanctorũ sit aperta non obscura & flexiloqua.

Hæc est forma ingenuæ & veræ confessionis, quam oportet esse perspicuam, certam, non ancipitem aut lubricam, quæ possit rapi in varias sentẽtias, & exponi pro cuiusq; religionis opinione. Vera enim confessio confitetur quod verum est apertè & intrepidè, negat quod falsum est apertè & intrepidè. Ita confitebantur veteres quondã Christiani, Credo in Christum Dei filium, in alios Deos non credo. Deum in spiritu adoro, idola nec adoro nec colo. Nostra religio è cœlo est, & indubitata est. Vestra religio imò superstitio potius ex diabolo est, nec certi aut boni quicquam habet. Huiusmodi confessiones inueniuntur in Actis martyrum in historia Eccles. & apud Prudentium in lib. cui titulum fecit Peri stephanõn.

Confessiones sinceræ & figuratæ.

Si quorundam hominum flexiloquentiam & lubricitatem imitari voluissent hi nostri martyres, quantam oro habuissent elabendi opportunitatem? Dixissent enim, Nabuchod. est Rex noster. Regem nobis Deus dedit, & huic nos subdidit, cur itaq; illi refragaremur? Obedientia illa nostra, secundum verbum Dei, iubentis obedire regibus, formata, excusabit nos. Si quid peccati est in hoc præsenti cultu numinis, Rex certè, qui hunc mandat, dependet. Cumq; Rex hic noster tantis nos cumularit beneficijs, impium omnino esset, huic nos ingratos exhibere. Neq; verò temeritate probrosa careret factũ hoc nostrum, si vellemus soli sapere videri. Omnes ex vniuerso regno viri prudentes & potentes adsunt. Omnes se regijs mandatis subijciunt, cur vos soli refragaremini? Non est verisimile tot tantosq; errare viros, aut ex his nullos esse Dei amicos ac seruatum iri. Quòd si rebellione nostra pertinaciter nos Regi restiterimus, ab officijs & administratione nostra dejciemur. Qua re non tantùm iacturam honoris dignitatisq; faciemus, sed aperiemus locum ethnicis in præfecturas prouinciarum subeundi, quibus ita occasionem suppeditabimus insultandi consortibus religionis nostræ Iudæis. Quinimò pertinacia hac nostra commouebimus omnibus Dei cultoribus odium inuidiamq; in vniuerso regno. Omnes enim clamabunt, ex nobis facilè æstimari posse, quàm rebellis, duræ inuictæq; pertinaciæ, superbiæ, ingratitudinisq; sit gens Iudaica, quæ iccirco ex vniuerso regno sit extirpanda. Quid verò vtilitatis consequetur quisquam ex morte nostra? Quæ gloria Deo accederet ex nostro sanguine? Prohibet ille cædes, neq;

placet

placet ei, si quis semetipsum perdat cum seipsum seruare queat. At seruare nosmetipsos nunc planè, si volumus, possumus. Vulgatam illam omnium sapientum sententiam nemo non sequitur, Inter duo mala minus malum est eligendum. Quibus accedit, quòd etsi idolo inflectamus genua, animus tamen purus retineri Deo potest. Quin referemus omnem cultum neq; ad Deos, neq; ad idola, sed ad ipsum Deum, qui corda requirit & inspicit, externa illa nihil moratur, &c. Cæterùm nihil huius subijt in animos martyrum, & si quid subijt, oppresserunt tamen ea vera fide, & fidei confessionem ingenuam fecerunt. Id quod in eis commendauit Apostolus ad Hebræos 11. cap. Et Dominus quoque noster apud Matt. in 10. cap. similem confessionem, simplicem videlicet & apertam ac minimè inuolutam requirit. Quod ex historia hac ante omnia discere, & fortes, candidos atq; cõstantes nos in persequutionibus examinibusq;, Deo sistere debemus, rogantes assiduis precibus Deum, vt spiritu suo nobis adsit, & roboret corda nostra contra omnem metum & contra omnem vim humanam, & contra omnia tormenta, ne negantes Christum & Euangelium eius, non agnoscamur vicissim à Christo in die illa.

Deus licet sit omnipotens, tamen non vult semper facere quæ potest.

Discimus præterea ex hac historia Deum quidem esse omnipotentem: sed illum non semper exerere omnipotentiæ suæ vires, id est, non facere semper quod potest. Sed ideò non esse impotentem, nec illos negare omnipotentiam, qui non largiuntur Deum omnia facere quæ potest. Scimus, inquiunt martyres, Deum nostrum esse omnipotentem, & ideò ipsum nos liberare posse. An autem in præsenti velit nos liberare, non affirmamus temerè, sed illi relinquimus liberum, vt hic faciat quod vult. Volet ille procul dubiò quod nobis vtile, & ipsi glorioſum erit. Certè si non vult nos liberare, ita sanè conuenit, & ita vtile est, ideoq; nos mendacij illum nõ arguemus, & nihilominus statuam tuam non honorabimus.

Discernendum inter promissiones Dei.

Discernendum ergo est inter promissiones Dei. quibus spiritualia, æterna adeoq; gratiam suam nobis promittit, & inter promissiones beneficiorum corporalium ac temporalium. Eleganter enim & religiosè monet hic interpres Danielis Phil. Melanch. promissiones Dei omnes requirere, vt credamus Deũ & posse & velle nobis opitulari: interim verò de voluntate Dei esse discrimẽ. Nam promissionẽ gratiæ postulare, vt expressè credamus id nobis tribuendũ à Deo quod nobis promisit, misericordiam videlicet, remissionem peccatorum, & vitam æternam. De his enim Deum disertè suam expressisse voluntatem, ideoq; illa simpliciter & petenda & exspectanda esse, absq; vlla conditione. Apertè enim dici ab ipso Domino, Qui credit in me, habet vitam æternam. Addit his, Hanc fidem semper debere præcedere & gubernare expectationem corporalium Dei beneficiorum. Tametsi verò promissiones corporaliũ beneficiorum & ipsæ fidem requirant, quæ credat Deum & posse & velle iuuare, addere tamen conditionẽ, si videlicet Deo placeat, & pertineat ad Dei gloriã nostramq; vtilitatem. Certè in scripturis sanctis extant huius rei exempla illustria. Cum enim fugeret Dauid Absolonem filium persequentem, ac sacerdotes arcã Domini portantes, Dauidem sequerentur, redire eos iubet, ac addit, Si Dominus volet, reducet me, si nolit, fiat voluntas Domini. Sed & Ioab aciẽ instruẽs contra validas & immensas Syrorum copias, Abisai fratri suo magna cum fiducia dicit, Sis fortis, & pugnemus fortiter pro populo nostro, & pro ciuitatibus Dei nostri Cæterùm Dominus faciat quod bonum est in oculis eius. Et seruator noster petit in monte oliuarum, vt calix ab ipso transferatur: verùm addit, Non mea tamen, sed tua voluntas fiat. Proinde his exemplis scripturæ, tum & præsenti martyrum exemplo, docemur nos & nostra omnia semper subijcere Deo

& ſanctæ eius voluntati, credereq; indubitatè illum omnes ſuas promiſsiones nobis factas, ſeruare poſſe & velle, eaq; dare ſemper quæ vtilia ſunt. Ergo ſi promiſſa nobis corporalia beneficia petamus, nec accipiamus, ideò certè non accipimus, quia voluntas Dei moderatrix promiſsionum, melius quidpiam quàm nos nunc intelligamus, inſtituit, quod videlicet datum nobis eſt vtilius, quo fidem promiſsionis ſuæ Deus ſemper & quidem liberaliter ſeruat. Impij ergo in Deum ſunt, qui cum non ſtatim aut etiam nunquam accipiunt ea, quæ ſibi promiſſa arbitrantes, poſtularunt, mox Deum inconſtantiæ arguunt, cõtra Deum murmurant, & omnes Dei promiſsiones in dubium vocant, & vt liberentur è periculo, ex quo liberari poſtularunt, nec liberati ſunt, faciunt, quod prohibuit Deus. Non ita fecerunt hi noſtri martyres, diſertè dicentes, Deum quidem poſſe liberare, ſed ſi nolit, ipſos tamen contra verbum eius non adoraturos coram idolo. Verax eſt itaq; Deus in omnibus verbis ſuis, & fidelis & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Et quamuis verus Dei cultor in aliquo conſtitutus periculo petat liberari ex eo, interim mox non liberetur, ideò tamen non deficit à Deo, recipitq; impia contra verbum Dei auxilia, ſed perſeuerat in fide verbiq; obedientia, expectans Dei auxilium, quo vel liberetur à malo, vel ſi non liberetur, ſaltem ſibi conferatur robur & patientia, qua malo feliciter defungatur, ac in beatas ſedes recipiatur, quod ſanè omnium Dei promiſsionum compendium eſt, cùm certiſsimum tum firmiſsimum, abſolutiſsimam exhibens felicitatem.

Martyres diſtinguunt inter Deos & deorũ imagines.

Poſtremò videtur non oſcitanter nobis prætereundum, quod ſancti martyres noſtri pulchrè diſtinguunt inter ipſos Deos, & inter Deorum ſimulachra, diſtincteq; & diſertè fatentur, ſe neque Deos velle colere Nabuchodonoſoris, neq; ſimulachrum eius adorare. Diſtinxerunt autẽ & prudentiores apud gentes omnes inter ipſos Deos & deorum imagines, quæ & ipſæ tamen, per tropum, nomen rei ſignificatæ attribuerunt imagini vel ſigno. Quemadmodum & hodie fieri videmus inter pontificios, qui ſtatuam S. Petri & S. Iacobi, appellãt nomine S. Petri & S. Iacobi, ipſam imaginem nuncupantes S. Petrum & S. Iacobum. Non quod exiſtiment materiã è qua imago ſculpta aut picta eſt, ipſum eſſe S. Petrum aut Iacobum, ſed horũ ſimulachra repræſentantia aliquo modo ipſos ſanctos. Ad eundem enim modum & gentes arbitrabantur Deos ſuos, quos colebant, ſuperiùs in cœlo agere, quorum imagines inferiùs venerabantur in terris, in honorem habitantium (vt ipſi credebant) in cœlis. Diſcimus autem doctrina & exemplo adeoq; confeſsione ſanctorum noſtrorum martyrum, neq; Deos alienos vllos eſſe colendos fidelibus, neq; vllam imaginem Dei vel deorum eſſe adorandam vel venerandam. Nam vtrunq; expreſſè explicantes, dicunt, Notum ſit tibi rex, quòd Deos tuos non colimus, & ſimulachrum quod erexiſti non adorabimus. Ac cum negant ſe nolle Nabuchodonoſoris Deos colere, videntur ſanè reſpexiſſe ad omnes Deos illos, quos tum colebant vulgò Babylonij per regnum ſuum, Belum videlicet, Nebonem & ſimiles deos falſos. Siue verò his Dijs Babylonijs, ſiue Deo vero, qui ipſi per ſtatuam reuelarat arcana, hanc ſuam ſtatuam vel imaginem poſuerit Nabuchod. minimè coram ipſo adorare debuerunt. Nam ſicut alienorum Deorum cultus eſt prohibitus, ita nephas eſt eorum imagines venerari. Et quemadmodum Deus verus nulla vult repræſentari imagine, ita etiam in nulla vult adorari. Præterea docet nos ſcriptura tripliciter ab hominibus peccari in cultu Dei. Principiò quidem quando relicto vero Deo coluntur dij falſi, qui dij non ſunt. Id quod omnes gentes fecerunt, eligentes ſibi Deos, vel ab alijs, vt maioribus ſuis electos & fictos, colentes. Impingit populo Iudaico hoc ipſum ſcelus, beatus Ieremias, cum di-

Nolunt martyres colere Deos Babylonios.

Tripliciter peccatur ab hominibus in cultu Dei.

cit, Me

cit, Me dereliquerunt fontem aquarum viuentium, & foderunt sibi cisternas, &c. Ierem 2. Hos falsos suos Deos expressérunt gentes idolis, quæ venerabantur in honorem Deorum. Sed quia hi non erant dij, sed nihil aliud quàm inane hominum figmentum, inspiratum à sathana, verè pronunciat scriptura, gentes adorauisse lignum, & lapides, & dæmonia, & non vllos deos. Deinde peccatur in Dei cultu, quando colitur quidem Deus, sed non solus, sed simul cum ipso Dij alij. Quemadmodum Israelitæ Deum coluerunt, & Baal quoq; sicut Samaritani etiam fecerunt: cuius sceleris aperta fit mentio in 2. Regum lib. cap. 17. Atqui non probatur Deo hic cultus, Helia clamante ac dicente, Si dominus est Deus, sequimini illum, si Baal est Deus, sequimini eum. Quousq; claudicatis vtroq; pede? Reprobatur hic cultus & in historia Regum, loco quem modò adduxi, & ab August. lib. de Conf. euang. lib. 1. cap. 18. Postremò peccant contra Deum & verbum eius cultu suo, quotquot Deum quidem verum & solum colunt, sed non eo modo, quem ipse instituit aut mandauit, sed illo potiùs, quem ipsi Deo, pro sua voluntate bonaq; intentione, affingunt. Sic legitur Micha in lib. Iudicum cap. 17. Deo Iehouah sacellum, aram & imaginem posuisse. Quod scriptura reprehendit: sicuti & cultum Regis Ieroboam, qui Deum quidem Israelis coluit, colendumq; populo x. tribuum proposuit, sed abiectis ritibus in Lege traditis à Deo, & nouis ritibus à semetipso confictis, in locum reiectorum, substitutis. Grauissimè eam ob rem vituperatur in scriptura, repetiturq; creberrimè, Ieroboamum peccasse, & Israelem seduxisse. Proinde etiamsi Deo vero erexit hanc statuam rex Nabuchodonosor ad cultum Dei veri, falsus tamen hic fuit cultus & quidem cultus alieni Dei, ideoq; fecerunt pijssimè martyres, qui renuerunt coram ipso adorare. Talem fidem & constantiam simplicemq; & liberam veræ fidei confessionem, largiatur nobis omnibus clemens & misericors pater, per dilectum filium suum Iesum Christum, Dominum & seruatorem nostrum. Amen.

HOMILIA. XV.

Tunc Nabuchodonosor repletus est ira & vultus eius immutatus est contra Sadrach, Mesach & Abednego, & præcepit fornacem septuplo magis succendi, quã succendi consueuerat. Mandauitq; viris in suo exercitu validissimis, ut Sadrach, Mesach & Abednego vinctos proijcerẽt in ardentem fornacem ignis. Et cõfestim illi viri sunt vincti cum saraballis suis, tibialibus suis, & tiaris suis, & vestibus suis, ac proiecti in ardentem fornacem ignis. Nam regis iussio vrgebat, & fornax supra modum succensa erat, flãmaq; ignis occidit viros, qui adduxerũt Sadrach, Mesach & Abednego. Tres autem illi viri Sadrach, Mesach & Abednego vincti ceciderunt in ardentem fornacem ignis.

CONfessionem liberam & synceram sequitur quarto loco supplicij horrendi, quo afficiuntur cõstantes Dei confessores ac martyres, descriptio. Apparebit hac parte veram religionẽ premi perpetuò à falsa, persequutionibusq; & tormentis exerceri. Et hoc quidem ab initio hucusq; factum esse, testãtur historiæ veteris & noui Testamenti. Sed & Apostolus ad Galatas, Quemadmodum is, inquit, qui secundùm carnem natus erat, persequebatur eum qui natus erat secundùm spiritum, ita & nunc fit. Et idem iterum ad Timoth. Omnes, in- *Supplicij horrendi descriptio.*

quit, qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persequutionem patientur. Sed consideremus per partes, quibus maximè exerceantur veri religionis cultores tribulationibus, hoc est, quales se tyranni defensores prauæ religionis exhibeant confessoribus veræ & synceræ fidei. Inde verò discemus non offendi, cum talia non tantùm oculis nostris videre, sed & dispendio omnium rerum nostrarum vitæ deniq; experire cogimur, sed fortiter potiùs & constanter perstare in confessione synceræ veritatis.

Gratia hominum amittitur

Principiò enim excidunt gratia regis Nabuch. martyres nostri, & indignationem eius grauissimam incurrunt. Daniel enim dicit, Regem audita confessione liberrima martyrum excanduisse totum, vultumq; eius planè mutatũ fuisse contra martyres. Studium ergo veræ religionis facit, vt potentum amittamus gratiam vel fauorem, & omnium odio nos exponamus. Odio ergo & indignatione mundi diuexantur martyres vel Dei confessores. Quod cum multis graue sit, sustinere odium, nolintq; potentum & amicorum amittere fauorem, vel figuratè confitentur veritatem, vel abnegant in gratiam hostium veritatis, veritatem penitus. Atqui martyrum horum exemplum aliud nos docet. Pluris hi faciunt Dei gratiam & iram, quàm Regis Nabuch. Certè stultissimi mortalium esse videntur, qui malunt numinis æterni quàm hominis mortalis facere iacturam.

Instructiora tormenta parantur pijs quã sceleratis.

Cæterùm Rex furore iam percitus contra martyres, septuplò vehementiùs iubet succendi fornacem, quàm hucusq;, cum supplicia sumerentur de nepharijs, fieri consueuerat. Et hodie clamant aduersarij nostri, pyram ampliorem instructioremq; parandam esse hæreticis, quàm alijs nepharijs hominibus, quorum flagitia incendio aut flammis puniuntur. Ac in passione Domini nostri Iesu Christi cernimus nullam quidem commiserationem, sed omnium ordinum atrocissimam crudelitatem insultationemq;. Imponitur in ipsius humeros crux baiulanda ad locum supplicij, vbi & in maximis doloribus innoxio condolet nemo: deniq; potatur felle & aceto, cum latrones, parricidæ, blasphemi & Sodomitæ, dum ducuntur, & de ipsis sumitur supplicium commeritum, longè clementiores experiantur homines. Qua re admoniti fideles, non meliora sibi polliceantur, quàm vident obuenisse seruatori Domino, ideoq; summam ab hostibus expectent crudelitatem, qua in ipsos confessionis ergò inuehantur ac sæuiant.

Fortißimi quisque deliguntur qui pios vexẽt ac perdant.

Delegit præterea Rex ex vniuerso suo exercitu vel satellitio, fortissimos quosq;, qui martyres in pyram vel fornacem præcipites adigant. Veteres enim Principes supplicia sumere solebant de noxijs, per milites suos corporisq; custodes vel satellites: non enim fouebant vnum aliquem carnificem. Quod passim cernere licet etiam per sacram historiam. Studiò autem fortissimos quosq; delegit, ne qua vlla pateret effugij spes martyribus, & vt his incuteretur terror, deniq; ab omnibus intelligeretur Principis contra rebelles zelus vehementissimus. Ac videmus manifestè in historia omnium temporum, res fidelium semper fuisse tenues atq; imbecilles, aduersariorum verò coram mundo instructissimas & robore suo terribiles. His inquam hostes pietatis territant confessores veritatis, & ad defectionẽ retrahere moliuntur. Discant autem hi exemplo horum martyrum, constantiam.

Sumitur horrendum de pijs supplicium.

Iam ergo iussu regis vinciuntur à satellitibus sancti martyres, & vnà cum vestibus, quibus expoliati non sunt, præcipites adiguntur in fornacem, imò in medium fornacem. Additur quo plenius exprimatur horribile supplicium, Et ceciderunt tres illi viri vincti in medium fornacis ardentis. Quin adijcitur his & mira celeritas, qua hæc omnia sunt perfecta. Nam ita vrgente Rege, &

flammas

flammas ebulliente euomenteq; succensa fornace, absque omni mora in ipsam proiecti sunt martyres. Persequutores enim, vtpote feruidi, moras nectere nesciunt, sed celerrimè accelerant pedes ipsorum ad effundendum sanguinem innoxium. Horrendum sanè erat hoc spectaculum nullis crudelitatis horridæ partibus destitutum. Fornax enim, quæ, visu tremendum, flammas in cœlum euoluebat furentes, per se territabat. Ligabantur præterea nulla cum com miseratione viri illi in conspectu totius cœtus: ac ita cum vinctis festinabatur ad incendium, vt militaris auaritia non prius, quod tamen vulgo fieri solet, ex poliarit preciosis vestibus cremandos. Superabat enim auaritiam truculentia, tum & regis anhela festinatio. Vel certè adeò videbantur cremandi execrabiles, vt arbitrarentur ex ipsis nihil planè vel relinquendum vel reseruādum esse, sed vnà cum ipsis execrandis hæreticis exuuias quoq; imò omnia quę ipsorum erant tanquam maledicta penitus comburenda. Iam etiam pronũciebantur non in extremitatem aliquam fornacis, sed in medium fornacis ardẽtis. Nihil ergo deerat crudelitati omnium extremæ. Possent eiusdem crudelitatis sumæ exempla non pauca, et quidem hodierna, in medium proferri, nisi notiora essent quã recitari debeant. Ista omnia huc pertinent vt gratia Dei inuocata, obduremus animos nostros contra huiusmodi supplicia, cogitemusq; inferni illa æterna tormenta lõge esse horribiliora, ideoq; propter temporales illos cruciatus, non negandum esse Deum, non veritatem eius, verbo ipsius traditam. Memineri-mus eundem hunc Danielem prædixisse cap. 11. fore in postremis temporibus, vt profitentes pietatem sint comburendi, ac ita probandi dealbandiq;, &c.

Non exuebantur cremandi suis uestibus.

De genere vestium martyrum nostrorum, & qualis earum vel materia vel forma fuerit, nemo expectabit à me operosam disputationem. Variant in ijs explicandis interpretes. Arbitror ego vetustatem, & quòd cum tempore singulæ propè regiones & singulis vel peculiaribus vestibus vtuntur, & frequentissimè eas mutant, non admittere vt certi hic aliquid adferatur: certum interim & satis illud nobis sit, quòd intelligimus ipsos in ignem proiectos esse vnà cum omnibus ipsorũ vestibus, cùm exterioribus tùm interioribus, hoc est cum ijs quæ arctius astringunt corpus, vt sunt tibialia cum diploide, & cum ijs quę exterius superinijciuntur, vt est chlamys vel toga, & tiara vel pileus.

Quales martyrum vestes.

Et hactenus quidem videtur Dei virtus sopita & auxilium eius cessare prorsus, imò videtur planè Deus suos negligere cultores: contra quos impij possunt atq; perficiunt quod volunt. Licet enim his quod libet. Cæterùm verax fidelisq; Deus nusquam dormitat, semper pro suis vigilat, & pro sancta eius bonaq; voluntate in summa necessitate adest suis atque succurrit, & quidem in tempore. Suis ergo cultoribus reddit ignem innoxium, sicut mox audiemus, hostibus verò Dei & fidelium, noxium relinquit. Exiliens enim flamma in sceleratos illos regis ministros, confecit consumpsitq; omnes. In eo apparet iam Deus vltor & vindex iustus. In eodem facto obseruandum iam venit, neminem excusari sua illa impia & scelerata obedientia. Obedientiam sanè Regi suo præstiterunt hi milites, sed quia obedierunt in re scelerata, puniuntur manifestè à domino: sicuti & milites illi quondam puniebantur à Deo, qui contra Heliam emittebãtur ab Ochosia rege 4. Regum 1. cap. Sed & Dominus in euangelio dixit, Si cęcus duxerit cæcum, ambo cadunt in foueam. Ambo inquit, non dux dantaxat. Rectissimè ergo pronunciauit S. Petrus, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Quãuis verò nõ semper huiusmodi miraculum edat contra persequutores piorum Dominus, certissimũ est tamẽ persequutores omnes ęternis flammis torquendos fore, si non prius egerint pœnitentiam, quàm ex hoc mundo decesserint, sicuti fecit Paulus, &c.

Comburuntur sceleris ministri.

Dominus vtitur creaturis ſuis ad ſalutem ſuorum & ad interitum hoſtium ſuorum.

Deinde illud quoque obſeruandum eſt ſingulariter, Dominum Deum noſtrum vti creaturis ſuis pro vt vult, & his quidem propter ſuos electos mutare ſuam naturam, iſdemq; propter hoſtes ſuos puniendos naturam non mutare. Ergò in præſenti ignis martyres Dei planè non adurit, & idem ignis perſequutores martyrum prorſus comburit. Sicuti olim aqua diluuij, ſublatain altum arca, Noe cum ſuis ſeruauit, impios verò, eadem aqua præfocauit. Sic & aqua maris rubri contra aquæ naturam tranſitum ſtrauit Iſraelitis, & hos à vi Ægyptiorum defendit, Ægyptios verò ad ingenium redeundo, ſubmerſit atque perdidit. Et cap. 6. audiemus leones, famelicos & feros Danieli in lacum leonum proiecto nihil nocuiſſe, hoſtes autem Danielis confeſtim diſcerpſiſſe atque deuoraſſe. Hæc ſunt admiranda Dei opera & iudicia iuſta, ex quibus diſcemus ipſum & eius potentiam agnoſcere, et ipſi per omnem vitam noſtram & in omnibus periculis noſtris confidere, ipſi relinquentes vindictam, quòd ſolus ipſe poſsit ſuos, quando opportunum fuerit, de omnibus vindicare hoſtibus noſtris.

Additio huius hiſtoriæ in Latinis exemplaribus, ex Theodotione.

Poſt iſta ſequitur in Latinis exemplaribus, quod petitum eſt ex Theodotionis editione Græca, quod tamen in Hebraica veritate non legitur: primùm quidem confeſſio Azariæ vel Sadrachi, deinde verò copioſiſſimus trium martyrum hymnus in laudem Dei ac gratitudinis ergò, decãtatus in media fornace. Et his quidem inſeritur quidpiam hiſtoricum, nempe, ſatellites regis non deſiiſſe incendere magis magisq; fornacem efficaciſſimis fomẽtis ignis, effuſamq; flammam ſupra fornacem cubitis quadraginta nouem, erupiſſe tandem & conſumpſiſſe Chaldæos, ſceleris miniſtros, martyrum tortores, quos reperit ante fornacem. Cæterùm angelum Dei deſcendiſſe vnà cum Azaria & eius ſocijs in fornacem, & excuſſiſſe flammas è fornace, ac effeciſſe, vt in media fornace ſenſerint martyres ueluti auram ſuauiter ſpirantem atq; refrigerantem. Porrò confeſſione ſua tribuunt Deo omnem gloriam, & ingenuè fatentur quòd ea quæ paiantur à Babyloniſs in ſua illa captiuitate, meritò propter peccata patiantur. Nam & in martyribus nulla eſt ſuperbà gloriatio, ſed extrema deiectio & mera humilitas: qui tametſi ſynceri ſint in fide fideiq; confeſſione, ſentiunt tamen in ſingula momenta corruptum carnis in ſe ingeniu... Sed & plurima alia ſunt, quæ ipſos docent ſapere ſobriè ac perpetuò Dei gratiam & miſericordiam implorare. In Hymno Deum prædicant, & omnes creaturas inuitant ad Deum laudandum. Religioſe D. Oecol. Danielis doctiſſimus, diligentiſſimus, & fideliſſimus interpres: Optat enim fides, inquit, vt tota mundi machina Deum prædicet, idq; in vniuerſa ſæculorum ſæcula. Neq; ſolum Deum laudari orant, ſed & ὑπερυψοῦσθαι, hoc eſt ſuperexaltari & talem celebrari, quem nemo ſatis laudare queat, vt præſidentem creaturis omnibus viſibilibus & inuiſibilibus, intellectuq; & vita præditis, ac brutis inanimisq;. Cæterùm quod creaturas inuitant, non propterea oſtendit animatas eſſe, iuxta Platonem, ſed vt exponit hic Ammonius, iubentur creaturæ ſuum ſeruare ordinem, quem cum ſeruant, gloriam Dei enarrant, ſicut cum illum non ſeruant, iram eius annunciant. Ita nunc ignis iram Dei in Babylonios declarat, præter morem ſuum ſæuiens in eos, qui foris ſtabant, & his qui intus erant concluſi parcens, &c. Deo ſit laus & gloria.

HOMILIA XVI.

Tunc Rex Nabuchodonoſor obſtupuit & celeriter ſurrexit, ac ſuis proceribus dixit, An non tres viros uinctos proiecimus in ignem?

ignem? Qui respondentes, dixerunt, Ita sanè Rex. Ad quos ille dixit, Atqui ego video quatuor viros solutos ambulare in igne, in quibus nulla est labes, & forma quarti similis filio Dei. Tunc accessit Nabuchod. ad ostiũ ardentis fornacis ignis, & dixit, Sadrach Mesach, & Abednego cultores summi Dei egredimini et venite. Statimq; Sadrach Mesach & Abednego egressi sunt ex igne. Satrapæ verò, duces & præsides prouinciarum et Regis proceres congregati sunt, spectantes viros istos, in quorum corpora ignis vim nullã habuit, neq; capillus capitis eorum adustus fuit, neq; saraballa eorum mutata fuerũt, neq; peruasit eos odor ignis.

CAput huius Actionis quintum exponit breuiter & luculenter, quomodo sancti Dei martyres, Deo firma fide confidentes, illæsi, mirabiliter, & corporibus & vestibus, in igne perdurauerint, saluiq; manserint per diuinam potentiam. Declaratur itaq; hac parte admiranda Dei potentia: sed & ostenditur manifestissimè spem fidelium in Deum fixam minimè vanam esse, & Deo verè confidentes, nunquam confundi. Ornatur denique mirum in modum vera religio, contra verò confunditur idolomania, & Rex cum multis conuertitur ad Deum: quem & celebrat, & blasphemias in Deum districtè prohibet. Vnde mirum non est veteres theologos toties hanc citare historiam, & illa consolari afflictos & tentationibus exercitatos. *Miraculum ingens.*

Initio huius partis commonstratur quomodo Rex hoc sit affectus miraculo, & quàm amplificè ipsum prædicauerit. Cum enim coram cerneret ministros suos, martyrum tortores, exanimes & ambustos horrendum in morem iacere ante fornacem, in fornace autem saluos & incolumes exultare martyres, obstupuit vehementer, adeoq; totus contremuit. Non facit hic Rex, quod fecisse legitur Pharao, qui visis pluribus portentosis miraculis, nihil planè est commotus. Hic noster commouetur grauiter: id quod diuinæ tribuimus gratiæ, sicuti indurationem Pharaonis corruptæ naturæ humanæ & diuino iustissimoq; iudicio numinis. Deinde mox exilit in mediũ è throno, sibi eo loci posito, nullaq; interposita mora interrogat suos proceres, an non tres proiecerint in ardentem fornacem? non quod ignoraret tres ab ipso ad procerum accusationem esse coniectos in ignem: sed extorquet hanc quæstionem diuina dispositio, quæ ita cauere voluit, ne quis hic cogitaret factum esse aliquid in martyribus per illusionem phãtasticam aut sathanicam, aut aberratum esse à ministris & tres illos non fuisse coniectos in fornacem, sed cõstare voluit reuera & absq; dubio illos ipsos tres omnium accusatorum oculatorumq; testium testimonio, præcipites actos esse in igneum rogum, & tamen mansisse sospites in medio fornacis. Id vbi regis procerumq; testimonio fuit comprobatũ, subiungitur mox à rege dilucida ratione expositio rei ipsius miraculiq; magnitudo. In vnico autẽ plurima simul consideranda occurrunt. Et oportuit ipsum regẽ hæc prædicare, personam vtiq; illustrissimã, vt vel ex ipsa accederet authoritas rei alioqui diuinissimæ. Si per alium quempiam, & non per Regem monarcham potentissimum, fuisset hæc res exposita amplissimè, apud plurimos fortassis minus inuenisset fidei. Nunc hac ratione omnibus consulit Dominus, & amputat omnibus superuacuis quæstionibus & malignis dubitationibus disputationibusq; omnem occasionem. *Quomodo rex miraculo hoc sit affectus.* *Rex quomodo interroget an non tres sint proiecti in fornacem?*

Et Rex omnes partes miraculi recolligens diligenter, plenissimè singula *Victi sunt seculi.*

excutiens pulchrè exponit, nihil eorum præteriens, quæ in ipso miraculo veniunt obseruanda. Principiò fatetur vinctos iam esse solutos. At vincti fuerãt à robustissimis regijs satellitibus. Vincula verò illa dissoluerat vis ignis, quę interim nullam in corpora vim habuit, vel potẽtia Dei alio quopiam modo resies disruptæ sunt. Tenebatur quondam captus S. Petrus in carcere Herodis Agrippę, catenis vinctus duabus, medius cubans inter duos milites, accedens verò angelus Domini, impulit latus dormiẽtis Petri, ac dixit, Surge velociter. Protinus autem exciderunt catenæ de manibus eius, liberq; egressus est carcerem, præcedente ipsum angelo, & vltrò patente porta ferrea. Eadem diuina potentia etiam hic dissoluta sunt vincula. Et in momento possunt omnes nexus dissolui, quoties voluerit vinctos suos liberare Dominus. Deinde fatetur Rex martyres vinculis solutos ambulare in medio ignis. Illæsos perdurare in igne magum est, maius autem est expeditè etiam ambulare in igne, ceu spaciari in loco amœno. Eadem diuina virtus, quæ hic martyres in medio ignis sospites seruauit, seruauit quondam nauim apostolicam saluam, licet fluctibus adopertã: vt est apud Matth. in cap. 8. Potest itaq; Deus cultores suos in media morte viuos saluosq; conseruare. Addit Rex, Et nocumentum nullum, vel nulla labes est in eis. De qua re paulo post totus ordo principum etiam testabitur.

Act. 12.

Ambulant in igne.

Adijcit his Rex aliud quoq; admirandum. Quartus quoq; quidam se tribus adiunxit, cuius forma refert filium Dei, vel Deorum. Agnoscit diuinam potentiam Rex, qua seruati sint martyres. Nam vt Theodotionis editio hunc quartum nuncupat angelum Dei, ita ipse Rex in Doxologia sua mox dicet, Benedictus Deus qui misit angelum suũ & liberauit cultores suos. Rectè verò Apollinarius & alij nonnulli interpreres censuerunt hunc angelum typum gessisse seruatoris Christi, qui vt Immanuel, id est nobiscum Deus nuncupatur, ita dubium non est ipsum semper adfuisse patribus & illum ipsum nunc quoq; manere nobiscum, ac seruare nos in quouis periculo, deniq; omnia & singula beneficia cùm patribus tùm nobis exhibita, propter Christum esse exhibita & exhiberi. Hoc modo amplissimè ipse Rex miraculum hoc admirandum prædicauit, & vniuerso mundo commendauit. Nam vt in semetipso est stupendum planè, multa in se ipso admiranda continens, ita oportuit prædicari per omniũ potentissimum monarcham.

Apparet apud martyres quartus filio Dei similis.

Rursus verò quomodo affectus sit Rex, & quid cum martyribus porrò egerit, exponitur. Rex totus admiratione tanti operis diuini captus, aliam se mentem recepisse pleneq; se conuersum esse ad Deum ostendit. Nunc enim accelerat ad ostium ardentis fornacis, nullum veritus periculum. Viderat ministros suos accedentes ad fornacem & conijcientes in fornacem martyres, flamma fornacis esse consumptos. At hi caruerant fide: rex fide iam erat instructus, & humiliabatur coram Deo & ministris eius, proinde pœnitenti parcitur à Deo, sicuti parsum legimus Centurioni tertio, qui mittebatur ad Heliam 4. Regum 1. cap. Quos autem antea damnauerat & in ignem proijci iusserat, eos iam honorificè compellans egredi iubet. Prius habiti sunt pro rebellibus hostibusq;, tã Deorũ, quàm Regis & velut pestes totius regni: nunc maximo cum honore nuncupat eosdem, ministros summi Dei, simul etiam agnoscens ex hoc miraculo Deos gentilium esse dæmonas, Deum verò verum, verum & æternum & summum, opt. max. esse Deum. Si qui itaq; cultores Dei persequuti sunt, læsę rũq; innoxios in fama, in facultatibus & corporibus, agant pœnitentiam, conuertantur & discant huius Regis exemplo, hanc esse veram pœnitentiam quę spoliatos restituit in integrum, restituens famam & facultates, liberaq; dimittẽs corpora. Prius spretus fuit cum vera religione Deus Israelis, infamia quoq; &

Quid porrò egerit rex cum martyribus & quod exire iusserit.

contumelijs

contumelijs adoperti fuerunt Dei martyres, & corpora ipsorum afflicta sunt quàm crudelissimè. Nunc uerò contraria omnia apparent. Sicut autem Rex martyres nec adorat, nec inuocat, nec colit, interim tamen seruos summi Dei esse agnoscit: Ita docemus martyres Dei nec adorandos, nec inuocandos, neq; colendos cultu diuino, interim tamen agnoscendos pro seruis summi Dei. Hæc uera est religio & legitima est sanctorum ueneratio. Falsa religio pro domino colit seruos, & pro vero Deo, falsos & fictitios, ac his tribuit quod solius est Domini.

Quomodo gerant se martyres ad mandatum principis exire iubentis.

Videamus porrò quomodo in his sese gerant martyres Dei. Non rebelles se opponunt Regi, non minantur, non exprobrant quicquam, nihil denique expostulant, sed regijs mandatis parent simpliciter, ac egrediuntur: & hic iterum non insolescunt, non gloriantur, non multa garriunt, sed rem ipsam & rei magnitudinem experientiamq; loqui sinunt, exhibentes se omnibus spectandos summa cum humilitate & modestia. Docent autem hoc suo exemplo quàm humiles modestosq; nos esse oporteat, si Deus opera nostra vtatur ad prædicandum eius gloriam. Prius quidem nec Regi nec Regijs mandatis obediebant, errabat enim rex & impia mandabat: iam verò mutatus à semetipso per pœnitentiam, nihil impij præcipiebat, sed euocans è fornace martyres, omnibus innotescere voluit stupendum Dei miraculum, proinde vt gloriam Dei promoueant, libenter obtemperant.

Amplificatio miraculi per testimonium publicum.

Sequitur iam pars non contemnenda huius capitis, quomodo publico omnium ordinum & totius aulæ testimonio miraculum ingens, & præsenti tunc ætati, & posteritati mox sequuturæ sit cõmendatum, & vt res indubitata, pleno ore & testimonio vniuersi cœtus vnanimi sit annunciata. Estq; ista miraculi splendida amplificatio & liberrima denunciatio. Principiò ergo nominatim recensentur ac testes producuntur omnes ordines regni, omnes proceres & consiliarij regis. Concurrunt enim hi ad spectaculum admirandum, & diligentissimè coràm contemplati sunt vel spectarunt martyres, deprehenderuntq; in eis hæc præcipua, ignem in sanctorum corpora nullam habuisse vim. Fides enim in Deum extinguit (vt ait Apostolus ad Hebr. 11.) vim ignis, Deusq; ipse quem apprehendit fides, naturam rerum pro sua voluntate cohercet aut etiam mutat. Pilos item capitis ipsorum non esse ambustos. Et tamen facillimè pili corripiuntur igni & conflagrant. In præsenti non conflagrarunt. Cumq; pili in humano corpore vilissimum illud & minutissimum esse videantur, & tamen videamus eos esse in cura Dei, cum alibi quoq; dictum legamus à Domino, Omnes pili capitis vestri numerati sunt, nullo certè colligimus negotio, & animam & corpus, denique singulas corporis partes curare sua prouidentia Deum, vt meritò huic vni se totos credant fideles. Præterea cernunt aulici vestes martyrum nihil prorsus esse mutatas, neq; in lana neq; in colore, cum ignis alioqui vestigia sua saltem aliqua relinquat in vestibus, si non totas absumat ac perdat. His omnibus accedit & illud, quòd odor ignis neq; penetrauit in vestes, neq; inhæsit corporibus vt odorem spirarent ignis (daß sy gebrãntet oder gebrãnselet) id quod spectatores & viderunt & reipsa experti sunt omnes. Hactenus autem & his quidem celebratum est maximum hoc Dei miraculum, & omnibus suis partibus amplificatum, vt inde discamus maximam Dei potentiam agnoscere & venerari.

Resurrectio corporum.

Veteres certè non siniſtrè hanc historiam adduxerunt ad comprobandam mortuorum resurrectionem. Si enim potentia sua Deus corpora illa absq; labe in medio ignis integra illæsaq; seruare potuit, quare dubitaremus ipsum humana corpora, eadem illa æterna sua potentia in vltimo iudicio resuscitare &

reparare posse, ita vt beatorum corpora durent in cœlis æternùm, infelicium autem in igne infernali nunquam absumantur, sed perdurent semper? Docet præterea nos ista historia, Deum suos cultores, si velit, seruare posse etiam in medijs ignibus, fluctibus atq; periculis quibúsuis: sicuti & palàm affirmauit Isaias in cap. 43. Deo omnipotenti & liberatori nostro, sit laus & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XVII.

Et respondens Nabuchodonosor dixit, Benedictus Deus horum Sadrach, Mesach, & Abednego, qui misit angelum suum et liberauit seruos suos, qui spem in ipso posuerunt, & verbum Regis mutauerunt, suaq; corpora tradiderunt potiùs quàm vt colerent & adorarent vllum Deum, præter suum Deum.

Pœnitentis opera.

SExtum & vltimum huius Actus caput continet pœnitentis vel conuersi Regis opera bona vel pietatis officia. Qui enim verè & ex animo pœnitet, fructibus pœnitentia dignis conuersionem suam declarat. Vnde & Baptista inter concionandum clamare solebat, Facite dignos fructus pœnitentia. Cæterùm tria hic potissimùm regis officia celebrantur, Doxologia vel gratulatio glorificatioq; & confessio Deo facta, Edictũ item promulgatũ pro gloria Dei, contra conuitia & blasphemias, & Restitutio in integrũ, honorq; amplissimus in martyres bene meritos glorioso sq; liberalissimè collatus. Et quidem Doxologia sua primùm celebrat Deum, ad quem vnum & in solidum refert omnem huius miraculi gloriam. Interim tamen & martyrum virtutes deprædicat, etiam his suum illud tribuens, docens præterea qui nam sint veri Dei cultores vel serui, & quæ ipsorum officia.

Gratia & misericordia Dei commendata.

Vnicè verò occurrit hic ante omnia Dei commendanda gratia, cuius hoc totum opus est, quod exponitur à Daniele, de Rege. Rex enim antea fuit blasphemus & iniurius ac violentus contra sanctos Dei, & furiosus contra veram religionem: at idem ille nunc, per gratiam Dei, fit præco operum Dei, veræ religionis confessor & cultor, & qui ingentia in sanctos Dei confert beneficia. Huiusmodi quippiam & de semetipso prædicat apostolus Paulus, in 1. ad Timoth. 1. cap. dicẽs, Gratiam habeo ei, qui me vocauit ad ministerium, qui prius eram blasphemus & persequutor & violentus: sed misericordiam adeptus sum, quòd ignorans fecerim per incredulitatem. Exuberauit ergo supra modũ gratia domini nostri. Et quæ sequuntur. Proinde nemo desperet de diuina misericordia, quantúmuis contra Dominum peccarit grauiter. Consolentur nos hæc admiranda & solatij plena Regis & apostoli Pauli exempla. Sed conemur vicissim, gratia Dei nos fouente, eorum sequi vestigia, in confessione celebrationeq; diuini nominis.

Celebrat rex Deum verum.

Et quidem celebrat Rex Deum verum ex eo, quòd misit angelum suum & eripuit vel seruauit martyres suos. Varijs nominibus appellatur Deus verus. Quondam vulgo dictus est Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacobi: in præsenti vocatur Deus Sadrach, Mesach & Abednego. Sicut enim olim virtutem suam exeruit erga Abrahamum, Isaacum & Iacobum, ita nunc potentiam & beneuolentiam suam declarauit in Sadrach, Mesach & Abednego. Est autem præcipua Dei virtus seruare, liberare, eripere ex morte & ex omnibus periculis. Hæc virtus non est attribuenda vlli, nisi vni Deo vero. Fateor iudices & apostolos vel doctores ecclesiarum seruatores nuncupari, sed non alia ratione, nisi

Solus Deus seruator.

quòd

quòd in ſeruando Deus horum vtitur miniſterio. Ita in præſenti prædicatur in Deo quòd miſerit angelum ſuum, & ſeruarit in medio ignis martyres. Angelus quidem martyres non ſeruauit, Deus ſeruauit, ſed per miniſterium angeli. Eſt autem etiam Dei ſolius angelos mittere. Sunt hi ſpiritus & miniſtri Dei. Volebat quondam Ioannes euangeliſta adorare angelum, ſed audit, Vide ne feceris. Conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum qui ſeruant verba libri huius. Illuminatur & vegetatur hic orbis terrarum lumine Solis: ſed quis ideò adorat Solem, & non potiùs Deum, aut quis ideò adorat Solem ſimul & Deum, qui condidit Solem illuminatq; & operatur per ipſum? Vt autem Rex Nabuchod. præclarè hic confitetur & celebrat Dei liberationem, qua is martyres ſuos eripuit atque ſeruauit: ita in Pſalmis paſsim Dauid cum alijs Dei ſeruis, laudat in Deo, quòd ipſe ſolus liberet ex malis omnibus inuocantes nomen eius. In liberatione vtitur aliquando angelorum vel hominum aut aliarum creaturarũ miniſterio, & quidem frequentiùs, aliquando non vtitur, & quidem hoc rariùs. De angelis dictum eſt aliâs, & in Decadibus noſtris. Diximus præterea alibi Deum in hoc glorificari à nobis, ſi in ſolidũ ei omnem tribuerimus gloriam, agnoſcentes illius ſolius potentia & bonitate fideles liberari ex periculis, & ſeruari in omnibus malis, ne hæc tantillum noceant.

Poſtquam verò confeſsionem Deo fecit, Deumq; propter ſtupendum hoc miraculum in martyribus editum celebrauit, iam etiam ſuum illud tribuit martyribus, & hos quoq; laudat à fidei ſyncerítate conſtantiaq;, item ab inobedientia, & quòd de vita maluerunt periclitari, quàm religionem ſuam vel diſsimulare, vel negare, aut polluere. Atq; his quoq; deſignat, qui nam ſint veri Dei cultores vel ſerui, & quæ nam ipſorum officia: nempe ſpem ponere in Deum, impijs edictis refragari, & corpora imò omnia noſtra in periculũ, pro teſtamento Dei exponere, neq; alium prorſus vllum, quàm vnum ſolum illum Deum noſtrum verum colere. Quæ quidem ſigillatim porrò perſtringemus.

Rex celebrat etiam martyres.

Qui veri ſerui Dei & quæ ipſorũ officia.

Poſuerunt ſancti Dei martyres omnem ſuam ſpem in Deum, & quidem in diſcrimine extremo, dum & iram regis vehementiſsimam experirentur, & nullum viderent effugium, nullum vllibi ab vllo homine auxilium, ſed coràm cernerent horrendum incendium. Poſthabitis ergo rebus in mundo vniuerſis, in ſolum Deum animi oculos defixerunt, in Deum confiſi ſunt, & vni ſe totos & viuos & mortuos obtulerũt. Hoc docet nos vbiq; ſcriptura, vt mortui nobis & vniuerſo mundo, ſoli viuamus Deo, qui vel ex mortuis excitare poteſt. Huiuſmodi fiduciam & ſpem cernimus hic fuiſſe in martyribus. Hęc demum eſt vera in Deum fiducia & ſpes. Ab hac cõmendauit Apoſtolus & hos & alios ſanctos veteres, ad Hebræos 11. cap. Ab eadem laudandi ſunt & hodie ſancti Dei homines: non autem in ipſos eſt ſperandum, non ipſi ſunt inuocandi & adorãdi: ſed Deus ſolus.

Vera in Deum fiducia.

Et obedientia magnam in ſcriptura paſsim habet laudem, vituperatur in obedientia. Hic verò, quod mireris, commendatur à rege martyrum rebellio. Quantum obſecro ab illo mutatus eſt rege, qui paulò antè propter hanc ipſam ipſorum rebellionem, quam hic laudat, inobedientes & veluti crimine læſæ maieſtatis reos execrabilesq; in ignem præcipites agere mandauit? Ergo non ſemper omnis laudanda eſt obedientia, illa in primis, quæ præſtatur hominibus contra mandatum & obedientiam Dei. Vulgò notiſsima eſt S. Petri ſententia: Oportet Deo plus obedire quàm hominibus. Proinde cum ſancti martyres non parent regi, mandanti idolum venerentur, bene fecerunt. Ergo ſi in ſimilibus principum mandatis impijs non pareamus, rectè facimus. Ac rex dũ aliam induit mentem, & factus eſt melior, nunc probat quod ante improbauit, & im-

Obedientia non omnis probanda.

probat quod antea probauit. Nemo itaq; doleat si audiat se inobedientem & rebellem accusari propterea quod euangelio potius adhæret quàm traditionibus humanis. Laudabilis est enim hæc rebellio. Videant proinde quid dicant, qui aiunt magistratui semper, & in omnibus esse obediendum, obedientes verò licet peccent obedientia, excusari tamẽ illa ipsa sua obedientia. Falsissimum enim hoc est. Quod vel ex hoc loco potest colligi, ac manifestissimum sit omnibus religiosis peccatum peccato non purgari. Porrò loquutio est, Et verbum Regis mutauerunt, significans illos mandato Regis contradixisse, & contra Regis imperium egisse, mutatumq; voluisse.

Corpora nostra pro testamento Dei sunt expendenda.

Laudat illud etiam Rex non absque causa, quòd maluerunt corpora sua proijci in ignem, quàm colere aut adorare Deum alium, quàm verum illum suum & vnicum Deum Israelis. Et vtrumq; comprehendit, imò exprimit tam colere quàm adorare. Docetq; obiter vnum solum Deum & adorandum esse, & colendum. Qui verò pluris faciunt corpora sua & facultates suas, quàm religionem veram, Dei causa religionisq; profectò acerbum nihil sustinent. Iccirco dixit in Euangelio Dominus, Omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et qui amauerit patrem & matrem vltra me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, ac sequitur me, non est me dignus. Et qui non odit vxorem, & liberos, præterea autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Rectissimè ergo hi & alij martyres laudantur, de quibus scriptum alibi legitur, Isti sunt sancti, qui pro testamento Dei, corpora sua tradiderunt, & in sanguine agni lauerunt stolas suas. Horum exemplum quoties postulauerit res, imitandum est omnibus fidelibus Dei seruis. Et hæc sunt vera capita religionis vel fidei veræ. Falsa religio vel pro Deo vero falsos colit, & adorat Deos, vel non vnum & solum verum Deum adorat & colit, sed cum hoc diuos quoq; : nec omnem fiduciam & spem collocat in vno Deo, nec reluctatur hominum commentis pugnantibus cum verbo Dei, neq; denicq; superstitiosi vel se, vel res suas religionis ergò periclitari volunt.

Quis sit verus vsus miraculorum Dei circa martyres.

Postremò colligimus ex his omnibus illum esse verum vsum & fructum miraculorum Dei circa martyres, ex ipsorũ contemplatione fideli, prædicare Dei potentiam & bonitatem, credere item in solum Deum, eundem solum adorare & colere, gratias illi agere, & nomen eius celebrare, confiteri item veram religionem, laudare & imitari virtutes sanctorum. Sit autem vnicum hoc miraculum nobis pro mille, aut pro alijs innumeris. Nam commendatum est nobis in primis ab ipso Deo omnipotente & æterno, deinde etiam à rege potentissimo & monarcha orbis verè maximo. Testimonium præterea habet ab omnibus regni proceribus & nobilibus. Nihil hic latet suspiciosum, vt aliquando deprehenditur in nonnullis miraculis. Singula in hoc indubitata, & summa sunt, atq; modis omnibus miranda. Opponamus verò hoc vnum omnibus miraculis vel idololatriam approbantibus, vel ad ipsam impellẽtibus. Sicut olim igne cœlitus demisso sub Helia in monte Carmelo, Deus attestatus est, velle se solum coli: ita per ignem hic declarauit, nolle ipsum suos cultores coràm simulachris procumbere. Sequamur ergo hanc pietatis doctrinam, vt regulam sanctissimam, ne exorbitantes à via recta, seducamur potenter per falsa & fictitia signa: sicuti euenturum prædixit Apostolus in 2. ad Thessal. 2. cap. illis omnibus qui mendacio, quàm veritati credere malunt, Dominus cõcedat nobis, vt in veritate simplici perseueremus, & ipsi soli toto corpe adhæreamus, Per Iesum Christum Dominum nostrum.

HOMILIA. XVIII.

Et à me factum est decretum, vt quicunq; populus, natio aut lingua conuitium dixerit in Deum Sadrach, Mesach & Abednego, frustulatim conficiatur, eiusq; domus detestabilis fiat: siquidem nullus est Deus alius, qui possit ad hunc modum liberare. Inde Rex euexit Sadrach, Mesach & Abednego in regione Babylonis.

QVoniam verò satis non est confiteri Domino ac prædicare nomen eius, nisi etiam conuitia & blasphemias contra Dominum, pro nostris viribus, vel impediamus, vel prohibeamus, mox à confessione vel Doxologia promulgat Rex Edictum vehemens, sed necessarium aduersus blasphemos homines contra Deum. Reliquit ea re vniuerso mortalium generi doctrinam planè necessariam. Omnium enim & singulorum interest hominum glorificare Deum, & blasphemias à nomine Dei remouere. Et quidem duplici nomine rationeq; Deo hoc debet fidelis quilibet. Principiò secundum id quòd Dei sumus cultores, Dei creaturæ, Deiq; filij. Non fert patienter bonus filius patris ignominiam, sed propellit hanc, gloriam eius bonamq; existimationem vindicat. Debemus ergò hoc singuli Deo, quatenus sumus homines, Dei creaturæ et serui. Deinde hoc ipsum debemus etiam secundùm conditionem nostram, & pro ratione officij nostri. Seruit enim Deo S. Petrus, initio quidem vt homo, deinde verò vt Apostolus. Seruit Deo Nabuchod. principiò vt homo, deinde etiam sicut rex. Apostolus annunciando Euangelium Dei, Deo seruit: rex autem mandando & defendendo sanam doctrinam Dei, Deo seruit. Ergo Nabuchod. non tantùm vt homo glorificat Deum, sed vt rex prohibet, ne quis conuitium aut peruersum verbum dicat contra verum Deum. Ad eundem modum seruierunt Deo reges alij verè pij religiosiq;, vt Dauid, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Constantinus, Gratianus, Valentinianus, Theodosius, & innumeri alij principes. Huc iam pertinet quod August. epist. ad Bonifacium Com. epist. 50. dicit, Psalmus dicit, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite ei in timore, & exultate cum tremore. Quomodo ergò reges seruiunt Deo in timore, nisi ea quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo, atq; plectendo? Aliter enim seruit, quia homo est, aliter quia etiam & Rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter: quia verò etiam Rex est, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo. Sicut seruiuit Nabuchodonosor, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo, lege terribili, prohibendo. In hoc ergò seruiunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, cum ea faciunt, ad seruiendum illi, quæ non possunt facere, nisi Reges: & reliqua. Sic & patresfamiliâs, & matresfamiliâs, pro hac ipsorum conditione officium Deo præstare iubentur, vt piè gubernando familiam domi suæ non habeant porcile aut congregationem sathanæ, sed habeant Dei Ecclesiam viuentem in omni pietate & honestate, &c. Videamus iam quale nam sit edictum hoc regium. Comprehendit tria capita potissimùm. Principiò enim exponit, quibus sit denunciatum, & quos ad obediendum astringat. Omnes inquam populos nationes & linguas. Eo loquendi genere voluit complecti vniuersos & singulos suo subiectos imperio. Reges itaque vel Principes singuli, non alienis, id est, alienæ potestati subditis, sed suis hominibus mandata & de religione & de rebus politicis promulgent. Dominus cum dedisset populo Israelis terram Chanaan vt peculium, iussit Chananæos deleri, prohibuit tamen idem lege lata ne quam inferrent vim Idumæis, vel Ammonitis, aut alijs

Blasphemiæ Dei sunt impediendæ & prohibendæ.

Reges secundum quod reges sunt, Deo seruire debent

Quibus promulgatum hoc edictum.

gentibus non subditis Israelitarum dominio. Ac reges Israelis animaduerterunt in suum populum legum diuinarum præuaricatorem: non autem mandarunt peregrinis gentibus, aut idololatriam ipsorũ gladio vltore persecuti sunt & exciderunt. Neq; peccauit Solomon quòd bello non peteret vicinos idololatras, sed ea re peccauit grauiter, quòd peregrinis mulieribus, iam suo imperio subditis & vxoribus, liberum faceret cuilibet Deum suum colendi pro ratione cultus cuiusq;. Ergo si tu tuis subditis permittas liberam idololatriam, peccas in Dominum grauiter, non peccas, si non adoriaris bello vicinos populos à tua religione alienos, vt eos redigas sub tuam religionem. Si tamen & inter hos promouere potes commoda ratione religionem veram, non segnem hic te Deo ministrum præbebis: at bello & vi aperta religionem propagare non iuberis simpliciter.

Præcipuum in edicto regio ne quis blasphemet Deum.

Secundum quod edicto regio continetur, est ipsa res quæ prohibetur, præcipuumq; est in edicto, videlicet conuitium, blasphemia, aut peruersum contumelioſumq; verbum cõtra Deum trium martyrum. Blasphemat autem Deum qui dicit hunc non esse, vel nõ esse Deum verum, vnicum, summum, optimum, maximum: qui spoliat ipsum suis proprietatibus: qui indigna & aliena ab eius natura ei tribuit: qui denique nomen eius polluit, nomineq; eius sancto abutitur ad maledicendum, ad conuitiandum, & ad res quasuis leuissimas. Blasphemat Deum item, qui religionem eius veram insimulat falsitatis, mendacij, impostura, quasi sit scelerata, hæretica & schismatica. Hæc omnia sunt punienda, & minimè vel ferenda vel dissimulanda in blasphemis hominibus. Nam officium quod hic rex Deo summo præstat, hoc debent præstare omnes pij Deo in orbe vniuerso principes. Neq; sunt hic audiendi, qui clamitãt, fidem vel religionem merum esse Dei donum, ergo neminem vel posse vel deberi ad fidẽ compelli. Nam magistratus qui blasphemiam, idololatriam & prophanos prohibet cultus vel superstitionẽ, non compellit ad veram religionem, sed cauet ne veritas blasphemetur, eiq; præferatur falsitas & superstitio. Verùm de hac quęstione disputarunt alij copiosius, & ego quoq; quædam huius generis attuli in meis Decadibus, Dec. 2. Serm. 8.

Qualis pœna irroganda sit blasphemis.

Tertium quod in edicto regio considerandum venit, est pœna blasphemiæ vnà cum subiecta ratione, cur tam seuerè castigari vel penitus è medio tolli iubeat blasphemos. Pœna definita, & corpora vitāq; & fortunas implicat. Iubet enim corpora frustulatim conscindi, atq; ita trucidari blasphemos. De conscisione hac dictũ est & in cap. 2. principio. Et hodie ignitis forcipibus & iugis equorum discerpuntur horribiliter, qui nephārium aliquod admisere nephas. Quid autem blasphemia in Deum magis esi nephārium? Obseruent hæc qui in blasphemos non sunt seueri, & cogitent quid ipsis à Deo sit expectandum. Blasphemiæ enim patronus es, non modò blasphemus, quisquis in eminentia constitutus blasphemos non punis. Iusserit ipse quoq; Deus capitali supplicio afficere blasphemos Deut. 13. De qua re disserui copiosius Deca. 2. Serm. 3. Accedit his quod Nabuch. non iubet blasphemorum facultates in regium referri fiscum, sed mandat in cineres redigi omnia, vel demoliri dissipariq; ædes vnà cum facultatibus ad perpetuam apud posteros ignominiam. Voluit enim sic attestari omnibus, indignos esse blasphemos, de quibus inter homines supersit aut remaneat tantillum. Alij existimant regem iussisse ædes blasphemi conuertere in latrinam. Sed ea de re nõnihil dictum est & 2. cap. Addit his insuper iustissimam huius edicti, seueri aliõqui, rationem, quia nullus est Deus alius præter hunc Deum Israelis, id quod præsentissima liberatione martyrum demonstrauit: indignum ergo & nephārium iure reputabitur, conuitijs hunc incessere aut blasphemare,

ſphemare, quaſi Deus verus non ſit, aut religio eius ſyncera non ſit. Nos cum multò plures habeamus demõſtrationes, quibus Deus verus declarauit ſe eſſe Deum verum, & religionem eius eſſe integerrimam, grauius procul dubiò peccant principes Chriſtiani, quibus non dolet, tametſi ſine fine modoq; blaſphemetur nomen Domini. Iudicabuntur hi in vltimo iudicio à rege Nabuchodonoſore, qui vnico hoc Dei miraculo permotus, ſeueriſſimè prohibuit conuicia in Deũ omnia: iſti verò tot tantisq; & miraculis & euidentibus Dei legibus & operibus demonſtrationibusq; conuicti, nihil commouentur prorſus. Diſertè enim & magna cum ſeueritate pronunciauit in lege ſua Dominus, ſe non parſurum abutentibus nomine Dei.

Tertium & vltimum quod in præſenti à Daniele commemoratur, regis offi- *Rex martyres reſtituit.*
cium Deo (quod enim martyribus impendit, propter Deum & veram religionem impendit) præſtitum eſt, quòd martyres deiectos honoribusq; ſpoliatos & peſsimè & modis indignis affectos, nunc reſtituit in integrum. Nam ſcriptura dicit, Rex euexit vel in proſperum ſtatum repoſuit, adeoq; ſummis honoribus cumulauit Sadrachum, Meſachum & Abednegonem. Præfecit enim eos prouincijs Babylonicis. Qua re Deus & miſero populo ſuo captiuo in Babylone conſuluit, dum tales præfectos dedit, qui veram religionem propagabant, non perſequebantur & deprimebant, denicq; qui afflictos benignè tractabant. Ita ſanè mira & adoranda ſummeq; euehenda ſunt ſemper ſanctiſsima Dei iudicia: qui ſuis cultoribus nuſpiam deeſt. Iuxta illud Apoſtoli, Scimus diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Ac in hoc Nabuchod. exemplo plurima nobis ſalutaria traduntur dogmata. Diſcimus enim reſtitutionem in integrum neceſſariam eſſe verè pœnitentibus. De reſtitutione dixi quædam Dec. 3. Serm. 2. Cum verò honores oblatos nõ reſpuunt ſancti Dei martyres, ſed eos recipiunt & ad gloriam Dei prouehendam, ſalutemq; hominum cõſeruandam vſurpant, falſam ferunt ſanè doctrinam quibus in ore eſt, Chriſtianos neq; magiſtratum gerere, neq; honores ſpontè à potentibus oblatos recipere poſſe, abſque peccato. Qua de re copioſius diſputaui in opere meo, edito contra Anabaptiſtas. Qui honores eſt conſequutus aut in magiſtratu conſtitutus, curet illud maximè, vt ijs vtatur rectè ad gloriam Dei, & hominum vtilitatem, ea ratione probabitur, non improbabitur Deo, ſicuti & hos ſanctos Dei martyres Babylonicis regionibus præfectos, Deo probatos eſſe nihil dubitamus. In his quoq; veriſsimum illud eſſe declarauit Deus, quod propheta ad Heli ſacerdotem dixiſſe legitur, Honorantes me honorificabo, & ignominia me afficientes, ignominia afficiam. Quia enim martyres liberè Deum coràm rege & tota aula ſunt confeſsi, corona gloriæ donauit eos Deus, ſicuti & nobis omnibus æternam promittit gloriam, ſi ipſum & euangelium eius non abnegauerimus coràm corruptiſsimo hoc ſeculo, ſed liberè confiteamur.

Honores oblatos & officia non reſpuunt martyres Dei.

Et hactenus quidem per actum hunc tertium diſſeruimus de vera & falſa religione, quæ & ſuperſtitio appellatur, quibus iam coronidis vice pauculas ſubijciam eiuſdem argumenti ſententias ex Auguſtino & Lactantio. Auguſtinus de Quãtitate animæ cap. 36. Vera religio eſt, inquit, qua vni Deo ſe anima, vnde ſe velut peccato abruperat, reconciliatione religat. Scripſit Auguſtinus egregium librum, de vera religione. Et Lactantius Inſtit. lib. 4. cap. 28. Hac conditione gignimur, ait, vt generati nos Deo iuſto & debita obſequia præbeamus, hunc ſolum nouerimus, hunc ſequamur. Hoc vinculo pietatis obſtricti Deo & religati ſumus: vnde ipſa religio nomen accepit. Et iterum religio veri Dei cultus eſt, ſuperſtitio falſi. Superſtitioſi vocantur, non qui filios ſuos ſuperſtites optant: omnes enim optamus; ſed aut qui ſuperſtitem memo-

De vera religione.

Superſtitio.

riam defunctorum colunt, aut qui parentibus suis superstitibus colebant imagines eorum domi, tanquam Deos Penates. Nam qui nouos sibi ritus assumebant, vt in Deorum vicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlos receptos putabant, hos superstitiosos vocabant: eos verò qui publicos & antiquos Deos colerent, religiosos nominabant. Vnde Vergilius,

Vana superstitio veterumq; ignara Deorum.

Sed cum veteres quoq; Deos inueniamus eodem modo consecratos esse post obitum, superstitiosi ergo, qui multos & falsos Deos colunt, nos autem religiosi, qui vni & vero Deo supplicamus.

Imagines & cultus imaginum.

Idem rursus lib. Instit. 2. cap. 2. Quæro ait, si quis imaginem hominis peregrè cõstituti contempletur sæpius, vt ex ea solatium capiat absentis, num idem sanus esse videatur, si eo reuerso atq; præsente, in contemplanda imagine perseueret, eaq; potius quàm ipsius hominis aspectu frui velit? Minimè profectò. Etenim hominis imago tum videtur necessaria, cum procul abest, superuacua futura cum præstò est. Dei autem cuius spiritus ac numen vbiq; diffusum, abesse nunquam potest, semper vtiq; imago superuacanea est.

Et libro eodem cap. 18. Simulachra ipsa quæ coluntur, effigies sunt hominũ mortuorum. Est autem peruersum & incongruens, vt simulachrum hominis, à simulachro Dei (homine) colatur. Colit enim quod est deterius & imbecillius, &c. Item cap. 19. eiusdem libri. Quicunq; ergo Sacramentũ hominis tueri ratio nẽq; naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, & erecta mente oculos suos tendat in cœlum, non sub pedibus quærat Deum, nec à vestigijs suis eruat quod adoret. Quia quicquid homini subiacet, infra hominem sit necesse est: sed quærat in sublimi, quærat in summo: quia nihil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominẽ, Deus autem maior est homine, supra ergo non infra est, nec in ima potius sed in summa regione quærendus est. Quare nõ est dubium, quin religio nulla sit vbicunq; simulachrum est. Nam si religio ex diuinis rebus est, diuini autem nihil est nili in cœlestibus rebus, carent ergo religione simulachra. Quia nihil potest esse cœleste in ea re quę fit ex terra. Quod quidem de nomine ipso sapienti apparere potest. Quicquid enim simulatur, id falsum sit necesse est, nec potest vnquam veri nomen accipere, quod veritatem fuco & imitatione mentitur. Si autem omnis imitatio nõ res potissimum seria, sed quasi ludus & iocus est, non religio in simulachris, sed minus religionis est. Præferendum est igitur verũ omnibus falsis, calcanda terrena vt cœlestia consequamur. Et reliqua quæ in isto authore sequuntur. Deo æterno viuo & omnipotenti, misericordi, iusto & veracissimo sit in æternum gloria. Amen.

DE HVMILITATE CONTRA SVPERBIAM.

o CAPVT IIII.

HOMILIA XIX.

NAbuchodonosor Rex, omnibus populis, tribubus & linguis, per omnem terrã degentibus (precatur ut) pax vobis multiplicetur. Pulchrum esse iudico referre signa & portenta, quæ in me summus Deus edidit. Sunt enim signa eius permagna & portenta eius ingentia, regnumq; ipsius regnum æternũ, & dominatus ipsius per vniuersa secula. Ego Nabuchodonosor felix eram in do-

in domo mea, & florens in meo palatio. Somnium autem vidi, quod me terruit, & cogitationes in lecto meo atq; visa mei capitis perturbauerunt me. Proinde edictum est à me, vt omnes sapientes Babylonis ad me adducerẽtur, qui mihi somnium interpretarentur. Tunc accesserunt magi, sophi, Chaldæi & fatidici, quibus narraui somnium, verùm eius interpretationem mihi reddere non potuerunt, donec tandem coràm me introductus est Daniel, cui nomen est Baltazar, ex nomine Dei mei, qui præditus est spiritu sanctorum Deorum, eiq; somnium narraui (dicens) Baltazar præses magorũ, in quo noui quòd spiritus Deorum sanctorum sit, & quòd nullum arcanum te lateat, exponito visa mei somnij quod vidi & eius interpretationem. Visa quidem capitis mei in lecto meo (hæc sunt) Videbam arborẽ in terra eximiæ proceritatis. Arbor erat in medio terræ, magna & robusta, cuius proceritas attingebat cælos, & cõspicua erat in extremis partibus totius terræ. Frondes eius pulchræ, & fructus eius copiosus erat, & omnibus in ea cibus. Sub ea velut in umbra degebant feræ, & in ramis eius nidulabantur aues cæli, omnesq; animantes cibum inde capiebant. (Eam dum) specto in visis mei capitis, ecce vigil et quidẽ sanctus cælitus descendit, clamauitq; validè & dixit: Excidite arborem, & amputate ramos eius, excutite frondes eius et fructum eius dispergite, vt de ipsa feræ fugiant, & aues de ramis eius. Attamen firmitudinem radicum eius relinquite in terra, & vinculo ferreo et æreo (ligatus maneat) in herba agri, rore cæli tingatur, & cum feris sit pars eius in herba terræ. Cor eius ab hominibus mutetur, & cor brutorum ei conferatur, donec septem temporum cursus euoluatur. In decreto vigilum verbum, & in sermone sanctorum petitio, ut viuentes norint, quòd excelsus imperitet in regno hominum, et cui uoluerit conferat illud, euehatq; ad ipsum humilimum inter homines. Hoc somnium ego Nabuchodonosor rex vidi, tu autem Baltazar, interpretationem edisse: quia omnes sapientes regni mei nequeunt interpretari mihi: tu verò potes, quippe sanctorum Deorum spiritu præditus.

NON prolixum sed admodùm breuem scripsit librum Daniel, sed in breui illo libro suo copiose & luculenter exposuit, quæ sapientes huius mundi verbosissimis suis commentarijs explicare non potuerunt. Habuit hic noster singularem pulcherrimumq; delectum, ut non nisi excellentissima & scitu necessaria & per omnia saluberrima delegerit sibi tractanda. Disseruit hactenus tribus actibus de vera & falsa sapientia, de vera item & falsa religione, nunc verò cum omnes scholæ sapientum consenserint, in eo plurimum nedum totum verę sapientię situm esse, si homo seipsum norit. (Quis enim nesciat ab Amphictyonibus, pro foribus templi Delphici, inscriptam esse

Pauca Daniel scripsit, sed cũ delectu omnia

Seipsum nosse vera sapientia.

ceu Deo dignam, hãc sententiam, γνῶθι σεαυτόν, Nosce te ipsum.) Daniel quoq; modestiam mediocritatemq; animi commendat ecclesiæ, id est differit de moderatione animi vel humilitate contra omnem arrogantiam atq; superbiam. Nam hinc omnis vitæ pestis oritur, si nobis plus quàm decet aut par est tribuamus, si nos & nostram agnatam infirmitatem imò corruptionem & miseriam non agnoscamus. Efferimur enim contra Deum, insolentes reddimur contra homines, omnemq; mediocritatem in omnibus rebus transilimus, & intollerabiles quodammodo nobis ipsis deniq; omnibus etiam amicis & hostibus nostris efficimur. Sapiens certè, Initium superbiæ est defectio hominis à Deo, defectióque animi à creatore suo. Et quidem superbia origo peccati est, & qui superbus est, profundet execrabilia, donec euertatur tandem. Ac dominus principes detrahit à sedibus, et eorum loco subuehit humiles. Declarabit nobis hoc præsens Danielis tractatus de Nabuchodonosore. non tantùm deiecto ex imperio, sed etiam conuerso in bestiam. Vnde & Petrus dixisse legitur, Superbis resistit Deus, humilibus dat gratiam. Ac Epimythion totius huius disputationis Danielis id est, quod sub finẽ his verbis commemoratur: Deus verax & iustus potest superbos humiliare. Proponere hoc autem voluit Deus vniuerso mundo, non vulgari aliquo exemplo, sed delegit omnium in orbe terrarum regem præstantissimum, qui apertè in omnibus huius mundi monarchijs potentissimis nuncupatur caput aureum. Is superbit, & superbiæ suæ grauissimas adeoq; & prodigiosas dat pœnas, vt inde totus mundus & singuli nos discamus humiliari sub potenti manu Dei, nosmet cognoscere, nostram miseriam agnoscere, omnia Deo bona, nobis nihil quàm confusionem tribuere, & semper intra pulcherrimam virtutum mediocritatem consistere, adeoq; in ipsa humilitate excellere, perpetuò memores saluberrimæ domini nostri Iesu Christi sententiæ, Omnis qui se extollit, humiliabitur, & qui se humiliat, extolletur.

Superbia.

Eccli. 10.

1. Petri. 5.

Exemplum sit Nabuchodonosor.

Luc. 14.

Argumentum & scopus huius capitis.

Proinde Actus hic quartus præclarus & perutilis continet epistolam Regis potentissimi expositoriam, denunciatoriamq;, ad omnes gentes scriptam, qua historicè & perspicuè exponit, quid ipsi propter superbiam arrogantiamq; euenerit, id est quàm grauiter à summo iustissimoq; Deo punitus sit, restitutus autem per Dei gratiam pœnitentiamq;, Deum glorificarit. Suo autem exemplo admonet omnes ne superbiant efferanturq; rebus felicibus, sed modesti sint perpetuò & humiles coràm domino Deo, qui nullo negotio omnes arrogantes in ordinem redigere deijcereq; de felicitate possit. Ordinem seruat in expositione epistolarem & elegantem. Partes habet plurimas, quas ordine persequentes, pro gratia nobis à Deo præstita, explicabimus illustrabimusq;.

Inscriptio epistolæ.

Prima epistolæ pars habet inscriptionem epistolarem cum salutatione. Rex enim Nabuchod. profitetur se esse authorem huius epistolæ. Vnde nos colligimus Danielem ex archiuis hanc accepisse epistolam, & inseruisse huic suo operi. Facta est autem canonica nulla vel acceptatione vel approbatione vllius concilij, aut vllo pãtrum placito vel decreto: sed habetur iure pro canonica, quòd per Danielem prophetam & seruum Dei imò per spiritum sanctum tradita sit ecclesiæ. Repeto hic quod antea quoq; dixi, Deum singulari sua gratia excellentem hic nobis doctorem, regem vtiq; glorioßissimum proponere, habentem authoritatem maximam, exercitatumq; ea in re modis omnibus quam nobis commendat. Talem doctorem præparauit etiam ecclesiæ dominus beatum apostolum Paulum. Docuit is, Deum gratia sua misericordiaq; per Christum saluos facere credentes peccatores. Atqui fui & ego ipse peccator, inquit, & gratiam Dei consequutus sum, vt & exemplum me suæ misericordiæ vniuerso mundo statuerem, & euidentiùs docerem omnes gentes, omnes inquam peccatores in

Rex excellens doctor.

Christum

Christum credentes certò gratiam consequuturos. Ita enim nunc potentissimus felicissimusq; rex Nabuchodonosor statuitur nobis exemplum, potentes & superbos humiliari à Deo, qui ab omnibus nobis requirat humilitatem vel animi moderationem, néue vllis nimiùm efferamur rebus felicibus. Præterea cernimus in Nabuchod. rege per miraculum in tribus illis martyribus à Deo editũ, conuerso, remanere ingenium carnis, quod in peccata præcipitem agit, propter quæ punitur à Deo, sed ad emendationem. Reliquiæ itaque carnis corruptæ etiam nunc remanentes in fidelibus solicitant ipsos ad peccandum, peccata verò variis calamitatibus vel hodie adhuc punit Dominus, sed flagella illa dili gentibus Deum cedunt ad emendationem & in bonum. Sunt interpretes qui omnia ista à rege facta credũt animo insyncero, quodq; perpetuò in gentilismo perstiterit, fidem veram nunquam receperit. Quod mihi quidem non videtur verisimile, præsertim si omnia huius regis, tum totius epistolæ regiæ contextus propius expendantur. Hactenus dixi de subscriptione authoris huius epistolæ.

Sequitur inscriptio, quibus epistola hæc destinata sit significans, Omnibus populis, &c. Et quidem suis illis hæc denunciat, sed quia per spiritum sanctum ad nostra vsq; tempora sunt reseruata, omnibus populis, nationibus & linguis etiam nunc sunt scripta, & pertinent ad nos omnes & ad singulos, vt ex his discamus vniuersi moderationem animi, fugiamusq; vt certissimam pestẽ humani generis, arrogantiam atq; fastum. Cum autẽ totius propè orbis dominus esset Nabuchod. non ideò tamen se nuncupat Parthicum, Persicum, Syriacum, Assyriacum, Asiaticum, Ægyptiacum, Iudaicum, sicut ab aliquot sæculis à multis consueuit fieri principibus. Maior ergo fuit modestia apud priscos principes, quàm sit apud posteriores sæculi reges. Salutationem his subnectit, qua precatur eis multiplicationem pacis. Pax autem significat omnigenam felicitatem, collationem inquam omnis boni, & depulsionem omnis mali. Et bellum quod paci opponitur, Ilias, quod dici solet, est malorum, omnes secum importans calamitates & omnem felicitatem subuertens. Principum verò proprium est, populis suis procurare pacem. Alastores sunt, qui bonam pacem perturbant.

Quibus sit scripta epistola.

Salutatio.

Salutationi subiungitur epistolæ exordiũ, quo exponit quid ipsum ad scribendum impulerit, quòd inquam pulchrum & æquum sibi videatur, admiranda Dei opera, quæ in ipso rege exercuit, prædicare, nimirum ad gloriã Dei multorumq; hominum emolumentum. Prædicatio vel denunciatio itaq; operum Dei non dedecet maximos principes. Fuerunt enim & Dauid & Solomon & alij reges glorioſissimi ex domo Iuda, egregij præcones operum Dei adeoq; verbi Dei. Fuerunt ex Christianis imperatoribus & regibus permulti, qui istorum imitati sunt vestigia, & egregiè prædicarunt verbum & opera Dei. Cur ergo pudet pigetq; prælatos ecclesiasticos prædicare verbum & opera Domini? cur reijciunt hanc functionem ad contemptissimum quẽq;, quem frusto panis conducunt, aut gregem inuadere iubent, arbitrantes se afficiendos ignominia, si ipsimet, vel in cathedra, vel in publico verbum Domini annuncient? Simul autem celebrat Rex opera Dei magnificè, nuncupans hæc signa atque portenta, nominibus amplissimis, vt ita Dei potentiam euehat. Nam ait illa esse permagna & ingentia, stupenda vel admiranda. Addit regnum Dei æternum esse, non vicissitudinibus obnoxium, vt sunt regna mundi, non periturum, sed per vniuersa sæcula duraturum. Proinde pertinet hæc Regis narratio huc, vt omnes intelligant Deum esse optimum maximum, qui omnia possit, omnia rectè gubernet, iustè administret, illius esse omnem gloriã, illius esse regnum, ergo omnia ad ipsum esse referenda, & sub eius manu potenti omnes humiliari debere.

Exordium & scripti occasio.

Reges prædicent opera domini.

Somniũ habet rex in ſumma felicitate.

Porrò ſomnium ſibi diuinitus obiectum expoſiturus, explicat antea qua occaſione, & quando ipſi ſit obiectum, & quàm affecerit ipſum grauiter, quidue conſilij in ipſo explicando intelligendo cœperit. Obuenit autem ſomnium regi mirificum, tum, cum in domo ſua eſſet quietus & felix, deniq; florens abundanſq; & affluens omnibus bonis in Babylonico ſuo palatio. Adobruit ſanè Dominus eos, quibus bene vult, multiplicibus bonis, non vt eos perdat, ſed vt paternã erga ipſos beneuolentiam declaret, & ad gratitudinẽ excitet: tanta verò eſt corruptio generis humani, ex primo illo lapſu, vt homines ferè nõ agnoſcant hæc, ſed abutantur bonis Dei, Dei obliuiſcantur, & ſuffocentur à carne, totiq; ſepeliantur ſordeſcantq; in voluptatibus. Inde verò dicitur, nunquam res hominum maiori in diſcrimine verſari, quàm cum in ſumma ſibi videntur felicitate conſtituti. Certè Dauid in ſuis perſequutionibus & calamitatibus ſibi diligentiſſimè cauit à ſceleribus: vbi verò domi deſidens quieti indulgeret, & ex Palatio ocioſè & curioſè alienam ſpectaret ac cõtemplaretur vt vxorẽ, è ſumma felicitate in miſeriam extremam decidit. Vigilemus ergo quouis tempore, felici maximè.

Deus admonet homines per ſomnia.

In iſta felicitate territat Regem Deus obiecto ipſi ſomnio, & quidem mirifico ſed & terrifico. Deus enim præuidens hominum peccata in ſtatu felici, admonet homines maturè iudiciorum ſuorum, vt ſibi caueant, ne cadant & collidantur. Vnde Elihu præclarè in libro Iob cap. 33. In ſomnis, ait, in viſo nocturno, quando ſopor homines opprimit, dum in lecto dormiunt, Tunc aurem hominibus vellit, & erudiens eos, inſtruit diſciplina, vt homini adimat factum (prauum) & viro ſuperbiam detegat. Proinde ſomnia, præſertim quæ bonarum rerum admonent, & ab erroribus atq; peccatis abſtrahunt, non ſunt contemnenda. Deus enim varias habet rationes modosq;, quibus ſuos admonet, & à malo quidem auertit, ad bonum verò attrahit. Quoniam itaq; docere voluit Deus Regem, non tantùm obiecit ei in ſomno ſomnium, ſed etiam indit cordi eius ſolicitudinem atq; terrorem, qui ipſum ad inquirendum adigit. Hæc commendant nobis ſingularem Dei curam erga homines, quos nunquam negligit, ſed paternè & variis erudit modis.

Rex vocat iterum ad ſe ſapientes.

Iccirco conuocat ad ſe Rex ſapientes illos ſuos, à quibus requirit interpretationem ſomnij. Prudenter quidem facit, quòd ſapientes in re obſcura & difficili cõſulit, imprudenter verò facit & errat turpiter, cum in re graui illos adhibet in conſilium, qui pridem declarauerant quales reuera erant, iactatores quidem & arrogantes, ſed interim rerum diuinarum imperiti. De qua re dictum eſt cap. huius operis 2. vbi & vocabula ſapientum, quæ hic repetuntur, perſtrinxi. Diſcamus hinc diligenter quidem indagare quis ſit ſalubris verborum Dei intellectus. Sed diſcamus in primis ſalutem noſtram illis noncredere, qui ſalutis ſunt imperiti, qui ſæpe nos ſuo iudicio & ſua doctrina fefellerunt ac deceperunt, qui deniq; propriæ ſuæ ſunt ſalutis negligentes. Confirmatur autem hic iterum, ſapientes huius ſeculi nihil præſtare poſſe in rebus ad veram animarum ſalutem pertinentibus. Confitetur enim Rex apertiſſimè philoſophos ſuos nihil poſſe hic præſtare. Sed de hoc dictum eſt abundè cap. 2.

Danielis encomium.

Tandem producitur in conſpectum Regis Daniel, à Rege præpoſitus omnibus ſuis ſapientibus. Vnde mirum eſt quòd vltimo demum loco peruenitur ad ipſum. Non poteſt hac in re penitus excuſari Rex: qui tamen Danieli fert teſtimonium ampliſſimũ, ipſum videlicet habere ſpiritum Dei ſanctiſſimi, & noſſe abſtruſa omnia. Vnde ab ipſo interpretationem genuinam ſomnij requirit. Hoc enim colligit ex anteactis. Præfertur hic Daniel omnibus mundi ſapientibus, & quidem diuino magis quàm humano teſtimonio. Rex enim

ſpiritum

ſpiritum Dei in Daniele agnoſcit & prædicat. Id quod diligenter eſt obſeruandum, quãta videlicet authoritate Deus doctores mũdi vel eccleſiæ ſuæ in mundo ornet, ne viri tam excellentes tantaq; authoritate præditi ab vllo niſi væſano poſſint contemni. Sic ornauit Deus Ioſephum apud regem Ægypti Pharaonem, ſic Moſen & Aaronem, ſic doctores prophetas alios. Sic denicq; ornauit & apoſtolos. Deſinamus ergo interrogare cum impijs, Cur credam Moſi, Danieli, aut alij cuipiam ex ordine apoſtolorum aut prophetarum? Videmus enim palàm Deum eis dudum authoritatem conciliaſſe omnium exactiſſimã & ſummam cui nihil amplius aut maius poteſt accedere. Ac loquitur rex de ſancto vno vero Deo & ſpiritu eius ſancto, quaſi plures adhuc agnoſcat Deos: quod tamen veriſimile non eſt. Sequutus ergo videtur communem loquẽdi rationem, iuxta quam & ſcriptura vnum verum Deum nuncupat Elohim, quod ad verbum Deos ſonat. Ita referimus hoc, quod de nomine Baltazaris commemorat (quem appellatum ait nomine Dei ſui) ad illud tempus quod conuerſionem regis præceſſerat, quando videlicet nomen hoc indidit Danieli, ſicut expoſitũ eſt cap. 1. Alioqui ſi Deum Babyloniorum adhuc pro Deo ſuo agnoſceret, fœdiſſimè peccaret, & modis omnibus hoc vituperandum foret.

Authoritas doctorum eccleſiæ.

Rex de Deo loquitur vt de Dijs.

Quarto autem loco actus huius quarti exponitur hiſtorica narratione ſomnium ab ipſo rege, ac partibus abſoluitur duabus. Altera enim habet deſcriptionem arboris ampliſſimæ & pulcherrimæ: Altera verò eiuſdem nobis exhibet excidium ad truncum & radicem vſq; quam conſeruari vult angelus huius rei nuncius. De his diſſeretur copioſius in expoſitione ſomnij: nunc leui tantùm manu perſtringemus partem vtramq;. Et principiò quantum attinet arboris deſcriptionem, ſanè elegantem, dicitur illa fuiſſe in medio terræ, & magna atq; robuſta vel craſſa, tantæ proceritatis, vt ſummum cacumẽ vìſum ſit ipſum attingere cœlum, (idq; dictum apparet per hyberbolẽ ſcripturis paſſim vſitatiſſimam) quæ denicq; tam fuerit conſpicua, vt ab extremis orbis partibus ſpectari potuerit. Megaſthenes enim apud Ioſephũ author eſt, Nabuchod. bonam Hiſpaniæ partem ſubiugaſſe. Antiq. lib. 10. cap. 11. Frondes arbori erant pulchræ, & fructus ferebat ipſa copioſiſſimos, qui ſufficiebant hominibus alendis. Duplex item beneficium animantibus præſtabat. Ex eadem enim illa arbore & ipſa alebantur, & ſub eadem feræ degebant, ac in ramis eius auiculæ nidificabant. Proinde arbor illa modis omnibus erat præſtantiſſima & feliciſſima.

Narratio ſomnij regis.

Arboris deſcriptio.

Deinde quantum attinet ad eius excidium, deſcendit cœlo angelus qui valida voce iubet excindere arborem. Hic angelus nuncupatur vigil ſanctus. Inuigilant enim angeli rebus hominum, ex iuſſione Dei, cuius voluntatẽ & mandata promptè ſubeunt, & diligenter atq; fideliter erga homines exequũtur. Sancti ſunt, non tantùm quia incorrupti ſunt, ſed quia omnia ipſorum dicta atq; facta ſunt inculpata & ſacroſancta. Proinde cum audimus angelos, Dei miniſtros aliquid dixiſſe aut feciſſe, non eſt quod diſputemus, vera, recta & æqua ne ſint an iniqua. Cum enim ſancti ſint angeli, & miniſtri Dei ſanctiſſimi, ſanctiſſima etiam ſunt eorum dicta & facta. Ergo & quod iubet hic angelus excindi arborem, ſanctum hoc & æquum eſt mandatũ. Cumq; audiamus angelos Dei miniſtros, vigiles eſſe ſanctos, quãto magis cogitabimus ipſum Deum inuigilare rebus noſtris, & ſanctiſſimè gubernare vel adminiſtrare huius mũdi omnia, maximè cum ea quæ faciunt angeli eius virtute agant? & alibi propheta dicat, Auxiliũ meum à domino qui creauit cœlum & terram. Non ſinet pedem tuum vacillare, neq; dormitabit qui cuſtodit te. Ecce non dormit neq; dormitabit, qui cuſtodit Iſrael. Dominus cuſtodit te, dominus eſt vmbra tua, aſtat is tibi ad dexteram tuam. Inuigilat idem ille Dominus noſter & ſceleribus hominum, vt

Arboris excidium.

Vigil ſanctus.

Deus vigil hominum.

ipsa maturè visitet, coherceat atq; puniat. Sicuti in præsenti mittitur vigil sanctus ad regem affligendum. Dicit enim, Excidite arborem, ramos eius pulchros detruncate, distringite frondes, & ornatu omni spoliate, fructus quoq; eius decutite ac dispergite, vt neq; cibum in eo inueniant animantes, neq; hospitium, sed velut à deserta & confracta perditaq; arbore fugiant. In his tamen moderationem seruat Dei iustitia. Vult enim incolumem relinqui arboris truncũ cum radicibus in terra, ne euellantur. Vt autem variant somnia, ita in hoc somnio desultus fit ab arbore ad personam, quæ dicitur constringenda esse catena ferrea & ænea, & habitatura in agro vbi rore sit tingenda, & pabulum ex herba campi sumptura vnà cum feris beluis. Quibus sanè verbis videtur periphrasi quadam mania vel insania describi. Furiosi enim catenis constringuntur, & si elabi queant, erumpunt in syluas atq; agros, in quibus beluarũ instar oberrant. Quin imò sequitur mox in Somnio, quod exponat præcedentia, Cor eius ab hominibus mutetur, &c. Id quod alij significantiùs verterunt, Humana illi ratio eripiatur, & sensus indatur beluinus, &c. Forma ergo & figura hominis manẽte, animus mutatur, vt ex humano fiat beluinus. Rursus verò in seueritate illa, moderatione vtitur æquum Dei iudicium, non enim vult hoc illi esse perpetuum, sed ad certum tempus impositum. Vbi enim septem temporum cursus inquit, fuerit euolutus, restituetur illi mens humana, expungetur aut detrahetur beluina.

Insania adumbratur.

Certißima est regis pœna.

Adhæc sequitur vehemens confirmatio, quòd hæc omnino certò & absque omni dubio futura sint, Dicitur enim, In decreto vigilum verbum, & in sermone sanctorum petitio. Breuitas huius sententiæ obscurat sensum, nec omnes eodem modo hæc exponunt. Alij decreto angelorum, inquiunt, hæc fiunt, ergo certò fient: & in sermone sanctorum postulatio, id est sancti angeli postulabunt sibi exponi, cur ita sit decretum, nimirum à Deo. Certè vt viuentes nouerint, &c. Poterit & ad hunc exponi modum, Verbum id est totum hoc negotium, eueniet in decreto, id est secundùm decretum angelorum. Intelligit autem omnino Dei decretum, sicut paulò post in expositione somnij per Danielem sequetur, Hæc est expositio, Rex, & decretum excelsi, &c. Vigilum vel angelorum verò decretum dicitur, eò quòd per angelum Dei sit annunciatum. Sic nuncupamus euangelium Ioannis & Matthæi, &c. quod reuera euangeliũ est Iesu Christi. Præterea addit, Et in sermone sanctorum postulatio, id est sermone suo angeli postulant, vt hoc omnino fiat sicut edictum est. Vel sermone suo angeli postulant, cur ita sit edictum: vt paulò ante est dictum. Significãtiùs ergo hunc locum ita conuersum legimus, Eaq; res vt fieret censuerunt vigiles, sanctiq; postulauerunt Est enim summus inter Deum & ministros eius consensus, conspirantq; omnes creaturæ in hoc, vt fiat, quod à Deo est decretum. Id quod hic locus docet, & non intercessionem angelorum pro hominibus. Quin imò postularunt hic, vt perderetur iuxta edictum Dei arbor. Ergo non petunt quicquam aduersum Dei iudicijs. Verùm hæc aliena sunt à proposito, & misera aduersariorum suffugia. Nobis post Christum intercessorem & aduocatum vnicum, nihil opus est intercessoribus aut aduocatis alijs. Atque locus hic huc tantùm pertinet, vt comprobet decreta Dei contra regem firma esse & certissima fore.

Finis huius somnij.

Attingitur autem sub finem narrationis somnij scopus & finis vniuersi somnij vel negotij huius. Huc scilicet referendum est, vt ex ipso intelligant homines, quòd excelsus imperitet, &c. Vult Deus hoc facto commonstrare quòd ipse sit monarcha summus, qui omnia rectè gubernet, licet vtatur hominum ministerio. Ipsius tamen est omnis gloria. Deinde docere vult in sua potestate collocatum

locatum esse, quem in regno hominum euehat, quem deprimat. Postremò attestatur quòd displiceat ei hominum arrogans fastuosaq; superbia, probetur autem deiecta humilitas, & quòd humiles euehat: sicuti & diua virgo cecinit, Detraxit potentes à sede, & exaltauit humiles. Hic scilicet ipsissimus est scopus totius huius Dramatis: qui à nobis diligenter est obseruandus & inculcandus animis nostris, ne elabatur vnquam.

Concludit vltimo narrationem suam epilogo rex, & dicit, Hoc somnium ego Nabuch. rex vidi, &c. petitq; hoc sibi explicari à Daniele, attestans iterum saipentes Babylonis ineptos, hic nihil planè posse præstare. Quæramus ergo & nos verba vel explicationem mysteriorum à Dei prophetis, in quibus certò credimus ac deprehendimus loqui spiritum Dei, prætereamusq; (in his quæ ad vitam beatam attinent) ineptos philosophos cum sua mundana sapientia. Deo sit laus & gloria. *Epilogus.*

HOMILIA XX.

Tunc Daniel, cui & nomen Baltazar, obticuit circiter horâ, & suæ cogitationes perturbauerunt eum. Et respondens Rex dixit, Baltazar, somnium & eius interpretatio nõ turbent te. Baltazar autem respondens dixit, Somniũ mi domine (eueniat) inimicis tuis & eius interpretatio tuis hostibus. Arbor quam uidisti magna & robusta, cuius proceritas attigit cælos, & cõspicua fuit omni terræ: cuius frondes pulchræ, & fructus copiosus, in qua cibus omnibus, sub qua feræ degũt, & in cuius ramis habitant volucres cæli: tu inquam is es, ô Rex, magnus (inquam) & potens, tuaq; maiestas ingens est, pertingens ad cælum usq;, & tuus dominatus (porrigitur) ad vltimas terras. Quòd verò Rex vidit vigilem, eumq; sanctum cælitus descendentem, qui dixit, Excindite arborem & destruite illam, attamen firmitatẽ radicũ eius in terra relinquite: & in vinculis ferreis atq; æneis (ligatus maneat) in herba campi, & rore cæli tingatur, & cum bestijs campi pars eius, donec tempora septem euoluantur, Eius (inquam partis somnij) hæc est expositio Rex, & decretũ altißimi quod veniet super dominum meum Regem. Te nanq; pellent ab hominibus, & inter feras erit versandum tibi, & pasceris herbis, sicut boues, & rore cæli tingent te, dum euoluantur septem tempora, donec agnoscas quòd altißimus imperitet in hominum regno, illudq; conferat cui voluerit. Nam quod dixerunt relinquendam esse firmitatem ipsius arboris (significat) tibi regnum mansurũ, vbi agnoueris quòd dominentur cæli.

QVinto huius 4. Actus loco exponitur quomodo sanctus Dei propheta Daniel affectus sit ad somnium Regis, sibi regia narratione recensitum, & quale habuerit ea de re cum rege colloquium. Obstupescit Daniel tacensq; & cogitabundus hæret, & tristis admodùm astat coram Rege. Suo illo exemplo admonet omnes diligentissimè caueant ne sint loquaces, neue lingua men- *Quomodo affectus fuerit Daniel ad infelix regis somnium*

tem prꝙuertat. Rectè S. Iacobus apoſtolus, Dilecti fratres mei, inquit, ſit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Rectè denicꝙ vulgò dicitur, minus peccari nimiùm ſilendo, quàm loquendo nimiùm.

Silentium Danielis. Silentium prꝙterea Danielis habuit & alias cauſas. Etenim ſicut cap. 1. & 2. intelleximus, Danielem frequentem in precibus ad dominum fundendis fuiſſe, prꝙſertim cum myſteria ipſi offerrentur explicanda: ita veriſimile eſt & nunc, cum arcanum maximum ipſi proponeretur reuelandũ, ipſum in animo feruidè dominum oraſſe pro facultate interpretandi ſomnij regij. Neꝙ verò potuerũt ſerui Dei prophetꝙ & apoſtoli, quoties ipſis libuiſſet, aut myſteria abſcondita aperire, aut ſigna vel prodigia edere. Etenim ſi potuiſſet Paulus pro ſua voluntate & ſuo arbitrio omnes morbos depellere ab omnibus, ſanitatemꝙ reſtituere ægrotantibus, nec Trophimum Mileti languentem reliquiſſet, nec paſſus fuiſſet Timotheum ſuum ſtomachi languoribus diuexari, aut in miniſterio verbi impediri. De Epaphrodito ſcribit idem apoſtolus, Et certè fuit infirmus, ita vt eſſet vicinus morti, ſed Deus miſertus eſt illius, at non illius tantùm, ſed & mei, ne dolorem haberem ſuper dolorem. Ita erat quidem fortis Samſon: verũ quoties exerenda erat fortitudo, ſpiritus domini irruebat in ipſum. Sine hoc nihil robore differebat ab alijs hominibus. Aqua piſcinæ Hieroſolymæ Betheſdæ curabat quidem morbidos, ſi fuiſſet ab Angelo commota, nõ turbata neminem curabat. Proinde Daniel myſterium ſibi propoſitum explicare non potuiſſet, niſi ſingulari ſpiritus dono fuiſſet inſtructus à Deo. Vident itaꝙ quàm ineptiant, quotquot exiſtimant in poteſtate diuorum eſſe hoc præſtare vel illud à ſupplicantibus auertere, quoties hoc vel illud precibus ab eis petitur. Tametſi enim ſigna & prodigia ediderint aliquando, tamen facultates iſtæ diuinæ, non ſunt ipſis vel propriæ vel perpetuæ.

Sanctinon plus poſſunt quàm ipſis concedat Deus.

Subijciamus nos ſemper ſententiæ verbi Dei. Cumꝙ iam per Dei reuelationem Daniel videret ſomnij genuinum ſenſum non admodùm fauſta Regi portendere, triſtitia adficitur adeò graui, vt facilè ea & in vultu & in toto corporis habitu reluceret. Qua re occaſionem ſuppeditat Regi dicendi, Nolim te turbari meo illo ſomnio eiusꝙ interpretatione mihi reddẽda. Qualis qualis ſit futura ſors mea, liberè dicito. Triſtem te conſpicio, triſtia ergo expecto. Nolo quicquam eorum quæ vides mihi ſubtrahas, metuasꝙ te incurſurum indignationem meam ſi dicas mihi infelicia. Hac in re enitescit virtus Regis. Vtinam verò optimi quiꝙ inter Chriſtianos regem hunc imitarentur, & non mallent præſcribere miniſtris verbi quid ex cathedra ſacra pronuncient, non niſi blanda, fauſta & placentia. Furiunt hi & præ indignatione rumpuntur propè, ſi eis digna factis ſuis iudicia Dei annuncientur. Pij ſubijciunt ſe ſemper iudicio verbi Dei, & qualecunque hoc ſit, cum patientia & ſpe conijciunt ſe ad pedes iuſti iudicis, implorantes eius miſericordiam. Huius rei viuum exemplum præfert Dauid in ſuo illo exilio, in quod conijciebatur à proprio filio Abſolomo. Mauritius Imperator crudelitate oppreſſus Phocæ militis ſui, ſpectarat magna cum patientia & fortitudine & admirando cum ſilentio neces filiorum ſuorum & filiarum, vbi verò trahi videret & ſanctam ſuam coniugem ad ſupplicium capitis, exclamauit, Iuſtus es domine & rectum eſt iudicium tuum. In omnibus itaꝙ caſibus ſubijciamus nos Deo iuſto & clementi.

Condolet Danielinfortunio regis. Dolorem quoꝙ ſuum non occultauit Daniel, ſed ad Regem dixit, Somnium, domine mi, eueniat inimicis tuis, &c. Non quod odio malum imprecetur immeritis, aut doceat mala imprecari inimicis noſtris, ſed quòd hac loquutione ſignificet infeliciſſimam regis ſortẽ (quam quis vt vulgò fieri ſolet hoſtibus ſuis optet) denunciari per ſomnium. Verè autem non fictè indoluit Daniel propter regis infortunium, nec ea re peccauit. Dominus enim erat Rex Danielis &

nielis & vniuerſi populi. Debẽt autem honorem & fidem dominis ſuis ſubditi. Et Ieremias in 29. cap. ex ore Domini mandat captiuis, & ait, Quærite pacem eius ciuitatis, ad quam ego vos tranſtuli, & orate dominum pro ea, quoniam in pace eius erit pax veſtra. Cæterùm ſi quis obĳciat nõ condolendum eſſe ĳs, qui iuſto Dei iudicio, propter peccata puniuntur, cogitet ille & Samuelem fleuiſſe Saulis acerbam ſortem, quam ipſemet ei denunciarat, & oraſſe pro ipſo aſsiduè. Sed & Chriſtum ipſum dominum, viſa vrbe Hieroſolymorum, fleuiſſe ſuper ea, ſimul etiam iudicium Dei horrendum contra ipſam denunciaſſe, conſtat. De Iudæis ad Theſſal. Apoſtolus loquens, Qui vt dominum Ieſum, inquit, occiderunt & proprios prophetas, ita & nos perſequuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur, obſiſtuntq; nobis ne loquamur gentibus, quò ſalui fiant, vt expleant ſua peccata ſemper. Peruenit autem in eos ira in finem. At de illis ipſis loquens ad Romanos, Veritatem dico in Chriſto, inquit, non mentior, quòd dolor mihi ſit magnus & aſsiduus cruciatus cordi meo. Optarim enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, &c. Proinde licet condolere ĳs, qui iuſto quidem Dei iudicio miſerè exercentur, licet & pro ipſis orare, licet meliora eis precari: non licet autem detrahere iudicĳs Dei: non licet ſententiam Dei, quam contra eos pronunciare iuberis, vel mutare, vel non proferre, & quidem ea ipſa duritia eoq; horrore quo pronunciandam accepiſti. Vnde Daniel nihil mutat, lenit, aut aliter exponit in ſententia Dei, ſed integram intrepidè eam Regi recitat. Semper itaq; condoleamus calamitoſis, ſed caueamus verbi miniſtri ne propter hanc miſericordiam, quicquam verbo Dei vel addamus vel detrahamus aut aliter interpretemur, quàm ipſa poſtulat & veritas & res.

Expoſitio ſomnij regis per Danielem.

Sequitur iam 6. loco huius tractationis expoſitio ingenua, ſimplex & dilucida ſomnĳ regis per Danielem. Vbi ante omnia cõſideranda venit eximia Dei bonitas atq; clementia, quæ non tantùm offert ſomnium & ænigma quoddam rerum reconditarum, quas ceu per tranſennam præbet contuendas, ſed & interpretẽ addit & inſtruit, qui quæ inde diſcenda ſint clariſsimè oſtendit. Ita verò vniuerſo terrarum orbi Deus benignus pater ſcripturam dedit ſanctam. Ei etiam adiungit omnibus ætatibus idoneos interpretes, qui pro ratione perſonarum, locorum, temporum, & rerum illam applicent ad ſalutem auditorum. Diſtribuit autem Daniel vniuerſum hoc Regis ſomnium veluti in partes tres, ac repetit ſubinde ſomnium Regis, quantum vtile & rei eſt neceſſarium, ſingulisq; partibus mox addit expoſitionem. Principiò enim quæ de ipſa arbore totaq; arboris qualitate per ſomnium Rex viderat, reſumit ac ediſſerit, Arbor magna, craſſa, robuſta, procera item, & cõſpicua eſt in omnibus terræ partibus. Significat hæc arbor ipſum Regem Nabuchod. qui regnum conſequutus eſt ampliſsimum, gloria, potentia & maieſtate in toto terrarum orbe famigeratũ, glorioſum, felix, & incomparabile. Reliqua huius arboris non attinguntur expreſsè à Daniele, poſſunt tamen ſic exponi, Sicut arbor vmbram & hoſpitium prebet animantibus & auibus: Ita rex quilibet ac omnes magiſtratus ſubditis ſuis imis æquè ac ſummis refugium adeoq; tectum eſſe debent, ſub quo tuti & pacificè agant. Ex fructibus huius arboris comedunt vniuerſa animantia. Principum ergo eſt prohibere ocium iners & negocium curioſum, hoc eſt, curare vt ſinguli laborent, ne quiſquam gratis panem comedat, denicq; vſurarios & omnes malis artibus precia rerum iniqua augentes cohercere, forumq; comparare æquum & iuſtum.

Exponitur quid ſignificentur per arborẽ

Deinde quantum attinet vigilem illum ſanctum, iubentem vaſtare arborẽ, denunciantemq; regem vinculis ferreis colligandũ, in campo rore cœleſti tin-

Exponitur quid ſignificentur per vigilẽ ſanctum.

gendum, id est, habitaturũ sub dio, interq; feras ritu beluino victurum, per tempora septem: exponit hanc alteram partem Daniel, mandatum videlicet vigilis, decretum esse Dei contra Regem pronunciatum, Regem enim adigendum ad insaniam atq; furorem. Quo nomine pellendus sit à suis eijciendusq; à consuetudine hominum, atq; ideò ipsi inter bestias feras sit habitandũ, ceu beluam mente humana carentem. Huc adigit videlicet superbia quos occupauit, eaq; re Deus ostendit quantoperè superbia sit detestanda atque fugienda omnibus sensum verè humanum retinere cupientibus.

Homines mutãtur in feras.

Apud poetas legimus Cyrcen Vlyssis socios transformasse in vrsos, lupos, sues, canes atq; alias beluas. Libido etenim ex hominibus facit beluas. Et Seruius Honoratus grammaticus Vergil. exponens, Cyrce, inquit, libidine sua & blanditijs homines in ferinam vitam ab humana deducebat, vt libidini & voluptatibus operam darẽt. Vnde fabulæ datus est locus. Reuera autem Nabucho donosorem nostrum superbia & vindicta diuina commutauit in feram, vt manente consueta hominis forma, animus immutaretur humanus in beluinũ per væsaniam vel furorẽ. Et quidem in ijs quos fœda libido superauit, aut alius prauus fœdusq; & beluinus adfectus dementauit, figura quidem vel forma homines manent, animo autẽ homines non sunt, sed veluti in beluas degenerarunt. Ac sequitur non rarò naturalis etiam, vt dici solet, furor & insania: quæ peculiariter accidit & regi nostro, accidereq; solet & illis nonnunquam, adeò vt nisi carceribus includerentur, erumperent & isti in apertos cãpos & in syluas densas, instarq; ferarum vagarentur. Vtcunq; verò ea res habeat, Deus certè singulari & horrendo Nabuchodonosoris cui rationem eripit, furorem indit, spectaculo, toti mundo declarare voluit, quantoperè detestetur arrogantiam superbiamq; in hominibus, quodq; elatos semper soleat deprimere.

Moderatio misceturseueritati à Deo.

In his tamen omnibus mediam se ingerit moderatio diuina. Cum enim Deus potuisset illum semper inter feras retinere, beluinamq; (vt sic dicam) mentẽ nunquam eripere, maluit tamen breui tempore has ipsum pœnas persoluere. Donec, inquit, septem euoluantur tempora. Variant in horum temporum expositione interpretes, Iosephus historicus, & qui ipsum sequuti sunt, per septem tempora intelligunt septem annos. Alij volunt regem 7. mensium spatio excluſum mansisse inter bestias extra hominum consortium. Sunt qui septenarium numerum infinitum esse putant, positumq; pro longo temporis spacio. Quid si intelligamus per tempora illa, non annos ipsos, sed anni partes? Nouimus enim annum distingui in quatuor tempora, in Ver, Æstatem, Autumnum, & Hyemem. Itaq; iuxta hanc interpretationem colligeretur sensus non admodùm absurdus, biennio videlicet, parte anni quarta minus, durasse regis insaniam. Verùm sequatur in præsentia quilibet, quod maximè videbitur esse verisimile. Attingit præterea Daniel finem huius castigationis verbis paucissimis. Donec cognoscas quòd altissimus imperitet in regno hominum, illudq; conferat cui voluerit. Arbitrabatur rex quòd ipse regnaret, ipse parasset sibi regnum hoc tantum suis virtutibus, ipse subueheret reges aut deijceret: non agnoscebat Deum, altissimum monarcham, regnorum esse datorem, conseruatorem & principem, reges omnes huius esse fœudatarios. Se itaque Rex veluti loco Dei statuebat. Proinde castigatione hac, in veram viam Deiq; religiosamc ognitionem reducitur. Ergo teneamus perpetuò Deum electis suis crucem inferre ad emendationem vitæ: sicuti Apostolicæ literæ passim & copiosissimè attestantur.

Septem tempora quid.

Finis huius castigationis.

Exponitur quid significetur per radices

Ad moderationem ſueritatis iudicij diuini contra regem superbum tertia quoq; pars expositionis somnij regij pertinet, qua audiuimus arboris resectę truncum

truncum aut ſtirpē cum radicibus in terra eſſe relinquendā. Significare enim hoc affirmat Daniel regnum regi exuli & væſano integrum conſeruandum, donec videlicet in hoc redeat, imò reſtituatur in integrum, vbi prius tamen arrogantia ſuperbiaq; poſita atq; calcata, vni rex omnē Deo dederit gloriam, agnouerit q; quòd dominetur cœli, non cōſtellatio quidē aut ipſum cœlū à Deo creatum, ſed inhabitator & creator cœli. Hieronymus certè ſua verſione hunc ſenſum exponere volens, donec cognoueris, inquit, poteſtatem eſſe cœleſtem. Et Pſaltes dixiſſe legitur, Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Rurſus ergo repetitur & inculcatur finis huius regiæ caſtigationis, & doctrina traditur vniuerſalis, Deum caſtigare ſuos, vt erudiat, vt à peccatis abſtrahat, humilitatem doceat, ſibiq; coniungat. Ipſi gloria ſemper.

in terra relicta non euulſas.

HOMILIA XXI.

Proinde ò rex, placeat tibi conſilium meum, vt peccata tua redimas iuſtitia & iniquitates tuas beneficentia in pauperes: & ecce (erit) medela delicti tui vel) & ecce erit longitudo pacis tuæ.

SEptimo loco quarti Actus ſubiungit Daniel ſaluberrimum conſilium, Regem inſtituens quomodo expiet peccata ſua prorogetq; ſuam felicitatem & impendens malum prædictum euadat. Præbet ſuo facto exemplū omnibus paſtoribus ac patribus familiâs, qui diſcunt non tantùm præmonere, mala ventura prædicere, minari & obiurgare, ſed ſemper bona adiſcere conſilia, & ſeruare ſuæ fidei creditos. Habuiſſet Daniel nō vulgares occaſiones lætandi de regis infortunio. Ipſe enim templum vnà cum vrbe euerterat, gentem Iſraeliticam vaſtarat ac captiuam abduxerat, & captiuam in Babylone detinebat. Alius ergo ſibi ipſi gratulatus de hoſtis infortunio fuiſſet, & inſultaſſet victori, dixiſſetq; Nunc demum rependetur tibi, rex, præmium condignū factis illis tuis, &c. Cæterùm Daniel condolens infortunio regis, ſumma fide & diligentia annititur illum ſalubri conſilio eripere ex incendio malorum. Talis ergo affectio bona & ſuauis ſalutarisq; requiritur à ſingulis nobis, docente nos Domino noſtro diligere inimicos noſtros, benefacereq; iis qui nos læſerunt, & orare pro perſequē tibus nos. Quod vt ab omnibus requirit Dominus, ita in primis ab antiſtitibus vel eccleſiæ vel reipub. Quo & illud pertinet, quòd Daniel non aſperè aut imperioſè regem alloquitur, ſed blandè admodùm & benignè, dicens, Placeat tibi Domine mi rex conſilium meum. In Chaldæo blandior eſt oratio, & habet affectum. Nam dicit מלכי מלכא להן מלבאdeò ô rex, rex mi, placeat tibi, &c. Commoda enim oratione conatur lucrifacere Deo regem. Et reges alioqui non facilè ſuſtinent ſibi præcipi cum imperio. Prudentia ergo vtantur in proponendis cauſis quicunq; vocati ſunt à Deo, vt verbo moderentur vitam hominum, adducantq; hos Deo. Caueant autem ne nimia dicendi libertate, id eſt, licētia vel libidine, acerbitate inquam & maledicentia auertant à Deo, quos oratione cōmoda vel prudenti ac benigna potuerant Deo coniungere. Qua in re non rarò turpiter peccatur à multis: ſicuti & alij quidam nimia adulatriceq; ſua blandiloquentia acrimoniam ſalis guſtumq; veræ ſapientiæ adulterant, diluunt atq; perdunt. Modus ergo & hic perinde vt vbiq; eſt probandus.

Daniel regi dat conſilium, quomodo malum impendēs effugiat.

Nemini verò videri debet hoc Danielis conſilium inane ac inefficax fuiſſe. Nemo enim ſic colligat, Daniel prius ex decreto Dei immutabili pronunciauit Nabuchodonoſorem iuſto Dei iudicio ad inſaniam fore adigendum: ergo fruſtra nunc conſulit reconciliationem cum Deo, niſi vanum & inconſtans ſit Dei decretum, & totum hoc quod hactenus dixit Daniel. Huiuſmodi obiectionem

Propter decretum Dei conſilium Danielis regi non eſt inutile.

reiſcit S. Hieronymus ad doctrinam hæreticam. Etenim lib. Comment. 2. in 8. cap. Zachariæ prophetæ, Calumniantur hęretici, inquit, quaſi aut crudelis aut mutabilis ſit Deus, ſi eum aut non pœniteat, aut pœniteat. Si enim pœnituerit, dicunt eum eſſe mutabilem. Si non pœnituerit, dicunt eum eſſe crudelem. Eadem de re diſſerit & Auguſt. lib. 1. contra legis aduer. capite 20. Nos ex collatione ſcripturarum, hac eadem de re ſic docemus, Scripturam diſertè vtrunq; teſtari, & Deum eſſe immutabilem ac non pœnitere, ſed & decreta eius eſſe immutabilia & rurſus mutare ipſum ſua decreta ac pœnitere. Vtrunq; ergo prædicandum eſt à doctore Chriſtiano, & explicandum eſt hoc negotium cum timore Dei ac religioſè, vt gloriæ Dei & hominum ſaluti inſeruiat. Videntur autem ea diuerſo dici reſpectu. Nam ſi ipſum Deum, quantum in ſemetipſo, reſpicias ſpectesq; voluntatem decretumq; eius æternum, immutabilis quidē eſt Deus & infallibilia certiſsimaq; ſunt eius decreta: vt non pœnitere Dei ſit æterna Dei firmitas, conſtantia ac veritas, conſtantis inquam ſibi ipſi, & ſeruantis, non reſcindentis ea, quæ inſtituit ac ſe facturum dixit. Sic legimus Balaamum dixiſſe Numeri 23. Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt pœniteat aut mutetur. Num ipſe dicit, & non facit? num loquitur, & non ratum faciet? Ita teſtatur & Samuel ac dicit, Victor Iſraelis (per quem vtiq; Iſraelitæ victorias aſſequuntur) non fallit nec pœnitentia ducitur. Quandoquidem non eſt vt homo, vt agat pœnitentiam. Sic apoſtolus ad Romanos, Dona, inquit, Dei & vocatio ſunt ἀμεταμέλητα abſq; pœnitētia. Rurſus verò, ſi reſpiciamus hominem, cui à Deo Dei decreta proponuntur, quibusq; exponit quid velit fieri ab hominibus, & quid ipſe decreuerit facere cum hominibus, quia homines mutabiles ſunt, pro hominis ingenio decretum ſuum applicans, proponit, non citra conditionem, vt ſi homo obſequatur Deo, bonum recipiat, ſi verò non obſequatur, pœnæ ſubdatur. Ea autem ratione dicitur Deus pœnitere & mutare ſua decreta, ſecundùm conditionem propoſitam, quæ tamen non ſemper exprimitur, aut decretis Dei adiicitur, nihilominus tamen non excluditur. Dixit enim Ionas, Intra quadraginta dies, & ſubuertetur Niniue, nec appēdit, Niſi egeritis pœnitentiam, ſed ſimpliciter prędicauit ex decreto Dei, intra dies 40. Niniuen fore ſubuertendam. At cum illi pœnitentiam agerent, pœnituit & Deum ſui inſtituti, quod haud dubiè cum conditione decreuerat. Ita enim ad verbum ſcribitur Ionæ 3. Vidit Deus opera ipſorum (quorum fundamentum erat fides. Nam præcedit in verbis prophetæ, Crediderunt viri Niniuitæ Deo) quòd à viis ſuis malis auerſi eſſent, & Deus quoq; pœnitentia ductus eſt ſuper malo, quod illis inferre decreuerat, nec intulit. Huc pertinent & multa alia ſcripturæ euidentia loca, vt ille qui eſt Ioelis 2. vbi Iudæis grauia fata minatur ex decreto Dei propheta, & tamen ſubiungit nihilominus, Conuertimini ad dominum, qui pœnitentia ducitur ſuper malo. Quis ſcit, ſi conuertatur & pœniteat? Et Ieremiæ 18. Repentè loquar ait Dominus, ad gentem & regnum, vt diſpergam illud. Si verò pœnitētiam egerit gens illa, iam & me pœnitebit mali, quod ei inferre decreueram. Et reliqua. Item in cap. 26. idem minatur populo Iudaico excidium & captiuitatem, quam 25. cap. 70. annorum ſpacio concluſerat, attamen hic, Nunc igitur, ait, bonas facite vias veſtras, & audite vocē domini Dei veſtri, tum pœnitebit & Dominum mali huius quod loquutus eſt contra vos. Ezechielis quoq; 33. cap. dicit Dominus, Si dixero impio, Morieris, is verò pœnitentiam egerit, non morietur. Exempla huius rei innumera inueniuntur in ſcriptura, vt Abimelechi, Geneſis 20. Ezechiæ regis, Iſaiæ 38. & multorū aliorum. Proinde non fuit inane conſilium Danielis. Nam ſi obſequutus fuiſſet rex Danieli, procul dubiò pepercisſet Regi Deus iuxta prophetæ promiſsionem.

Quomodo pœniteat & non pœniteat Deū.

Atqui

Atqui non obtemperat, ſupplicium ergo de ipſo ſumitur, iuxta immutabile decretum Dei. Itaque vides decreta Dei ſemper manere ſtabilia, & tamen fideles nunquam corruere in deſperationem, quoties hæc aut paria diraq; Dei audiũt iudicia. Semper enim cum Iona dicunt, Scio Deum propenſum eſſe ad miſericordiam, longanimem item eſſe & multæ beneficentiæ & quem mali pœniteat, qui ſententiã nimirùm latam de inferẽda pœna, ad mutationẽ hominis mutet. Quòd ſi quis hunc nodum ſcripturæ de decretorum Dei ſtabilitate & mutabilitate diſoluerit felicius, eſt quod ei omnes grati agant gratias: caueant modò omnes ne his abutantur ad impellendas pauidorum infirmorũq; conſcientias in ſcopulum deſperationis. A qua lue animi doctorum eſſe debent quàm alieniſſimi.

Porrò inquiremus qualénam ſit Danielis conſilium, Redime, inquit, peccata tua iuſtitia, & iniquitates tuas miſericordia vel beneficentia in pauperes. Chaldæus enim ſermo, quo hæc epiſtola eſt ſcripta ad verbum habet, וחטיהיך בצדקה פרק. Et peccata tua in iuſtitia redime. Ad quem modum verterunt optimi quiq; interpretes. Vulgata verſio, & qui hanc ſunt ſequuti, ſic legunt, Peccata tua eleemoſynis redime, &c. Quam lectionem non ex primaria lingua, ſed Græca mutuò ſumpſerunt. Hi enim ſic legunt, τὰς ἁμαρτίας σου ἐν ἐλεημοσυναις λύτρωσαι, καὶ τὰς ἀδικίας σου ἐν οἰκτιρμοῖς τῶν πενήτων, id eſt, Peccata tua in eleemoſynis redime, & iniquitates tuas in miſerationibus pauperum. Sic Matth. 6. vulgatus interpres, cum Matthæus dixerit, Attendite ne, τὴν ἐλεημοσυνὴν eleemoſynam veſtram præſtetis coràm hominibus ipſe vertit, Attendite ne iuſtitiã veſtram faciatis coràm hominibus, vt appareat illum alterum vſurpaſſe pro altero: ſed quàm rectè, ipſe viderit, ego malo adhærere linguæ ſacræ, & legere hic quidem eleemoſynam, ibi verò iuſtitiam, prout veritas ſacra habet. *Qualénam fuerit Danielis cõſilium.*

Huiuſmodi eſt autem prophetæ conſilium. Multa ſunt peccata tua, ô Rex, & multiplices tuæ iniquitates, propter quas decreuit te Deus affligere. Si itaq; me audieris, cogitabis quomodo peccata tua expies, ac redeas cum Deo in gratiam. Id fiet, ſi redemeris peccata tua per iuſtitiam & beneficentiam. Sic enim medeberis morbo tuo, auertes Dei iram, expungentur vel condonabuntur ſupplicia commerita, & pax id eſt felicitas tua non interrumpetur per calamitates, ſed potius prorogabitur. Atque hic videtur ſenſus omnium eſſe ſimpliciſſimus.

Torquent autem ſe interpretes in eo quòd Daniel videtur redemptionem vel remiſſionem peccatorum tribuere iuſtitiæ humanæ & operibus miſericordiæ. Id enim pugnare cum capite religionis noſtræ primario, rectè monent. Sunt ergo qui ſic interpretantur locum præſentem, Si per hæc aſſequuntur homines remiſſionem peccatorum, ergo Chriſtus gratis eſt mortuus. Potius itaq; dicimus oportuiſſe Regem, qui multos oppreſſerat & miſerorum bona diripuerat, conuerti ad Deum & ſubſtituere loco rapinarum eleemoſynas, & loco iniuriarũ iuſtitiam. Ita vt redimere non ſit ſatisfacere, delere, aut peccata remittere, ſed recompenſare & pœnitentiæ fructus edere. Vnde & per peccata intelligere poſſumus pœnas & ſupplicia peccatorum, quæ luenda ſunt pro peccatis. Ac ſequitur mox, Et erit longitudo pacis tuæ. Concedit enim Dominus pacem pœnitentibus, qui bellum & calamitates immittit impœnitentibus. Referunt itaq; redimere illud, ad homines magis, quàm ad ipſum Deum, Quaſi dixerit, Redime ab hominibus & ſarcito clementia, quæ peccaſti duritia, &c. *Expoſitio conſilij Danielis varia.*

Poterit autem colligi non abſurda ſententia, licet verbis prophetæ ſimpliciter & ad literam inhæreamus. Agitur de redimendis peccatis. Ea redimi di- *Qua re redimãtur peccata*

cuntur iuſtitia & miſericordia erga pauperes. Redimere eſt dato vel perſoluto precio, quod diuenditum vel captum, in alterius poteſtatem poſſeſſionemq; deuenerat, rurſus in ſuam poteſtatem redigere,, inq; libertatem aſſerere. Huiuſmodi redemptio Græcis dicitur, ἀντιλύτρωσις. Nam λύτρον eſt σῶρον præmium liberationis. Daniel hic vſurpat vocabulum פרק quod eſt redemit. Alibi גאל ſignificat redemit: & גואל redemptor. Iam verò quæſtio eſt de illo, quidnam illud ſit vel qualénam illud precium ſit, quo perſoluto, peccata ſint remiſſa, & homini, qui propter peccatum venit in poteſtatem ſathanæ mortis æternæq; cõdemnationis, obueniat libertas, vt iam purgatus à peccato, iuſtus ſit, filiusq; & hæres Dei? Negat Petrus hoc eſſe aurum aut argentum. Negat Paulus iuſtitiam eſſe legis, aut opera noſtra. Quid ergo? Niſi hic confugiamus ad catholicum prophetarum & apoſtolorum conſenſum, nunquam feliciter hunc diſſoluere poterimus nodum. Conſenſum verò hunc catholicum duo illi iam adducti apoſtoli, nobis breuibus exponunt. Petrus in Actis dicens, Chriſto Ieſu omnes prophetæ (en habes conſenſum catholicum, omnes enim, inquit, prophetæ) teſtimonium ferunt, quòd remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomen eius, quiſquis crediderit in eum. Paulus verò ad Corinthios, Chriſtus Ieſus factus eſt nobis, inquit, à Deo ſapientia, iuſtitiaq;, & ſanctificatio, & redemptio: vt quemadmodum ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in domino glorietur. Habes iterum apoſtolorum & veteris ſcripturæ, quam apoſtolus citat, conſenſum. Habes item in Chriſto Ieſu, vtpote in redemptore vnico, inueniri remiſſionem peccatorum & iuſtitiam, per fidem. Id quod copioſius & plenius exponit apoſtolus ad Roman. 3. & ad Philipp. 3. Proinde in iuſtitia fidei vel per iuſtitiam fidei (quæ credit ſolum Chriſtum eſſe ἀπολύτρωσιν καὶ ἀντιλυτρον redemptionem inquam & redemptionis precium, vt loquitur ſcriptura apoſtolica) redimuntur peccata. Suaſit itaq; diuinus propheta Daniel regi, vt fide apprehẽdat Meſſiã, per quem futurũ ſit, ne imputẽtur ipſi peccata ſua, quæ Chriſtus ſanguine ſuo expungit, imputetur autem ipſi iuſtitia Chriſti, atq; ita verè ſit iuſtus & mundus ab iniquitatibus ſuis. Nemini hæc expoſitio coacta aut noua videri debet. Non enim potuerunt, nec debuerunt prophetę, vt ne apoſtoli quidẽ, aliam docere iuſtitiam, quàm veram, quę vtiq; non alia eſt, quàm fidei in Meſſiã. Sunt clara in veteri ſcriptura prophetarum teſtimonia, quòd ſolius Chriſti expiatione mundentur credentes, maximè apud Dauidem Pſal 51. & apud Iſaiam cap. 53. Et quid aliud teſtificata ſunt omnia veterum ab exordio mundi ſacrificia? An non Ioan. clamauit, Chriſtum digito oſtendens omnibus electis, & ait, Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi? An non teſtificatus eſt euang. & apoſtolus Ioan. Chriſtum eſſe agnum mactatum ab origine mundi? An non Iob agnoſcit hunc redemptorem ſuum in quo ſit victurus? An non hic Daniel noſter in cap. 9. appellat Chriſtum dominum iuſtitiam ſæculorũ vel perpetuam? Sed quid multis opus? An non teſtatur Petrus cum omnibus apoſtolis, nullum ſub cœlo nomen eſſe aliud, quàm Ieſu Chriſti, in quo ſit ſalus? Si nullum aliud ſupereſt ad ſalutem nomen niſi nomen Ieſu Chriſti, quicquid itaq; nominaueris poſthac mihi, præter nomen Ieſu, certè non expiabit peccatum. Dum ergo Daniel iubet regem redimere peccatum, non ad aliam quàm Meſſiæ redẽptionem remiſit, quæ abſq; controuerſia fide & non operibus recipitur, nobisq; gratis cõmunicatur. Id quod apoſtolus ad Rom. Galat. Ephes. & in omnibus alijs ſuis epiſtolis validiſſimè approbauit.

Nec prophetæ nec apoſtoli in alia vlla re quã in Chriſto oſtẽderunt ſalutem

Quodmodo tribuatur ſanctificatio et iuſtitia

Quid ergo, ais, an non diſertè Daniel adiunxit miſericordiam vel beneficentiam erga pauperes expungere peccata? ſicuti & ſeruator dixit in euangelio, Date eleemoſynam, & ecce omnia mũda vobis? Et Petrus, Charitas operit

multi-

multitudinem peccatorum? Respondeo, scripturam vocare opera iusta facta à fidelibus, & opera misericordiæ vel charitatis & beneficentiæ iustitiam, propter quæ operantibus Deus sit clemens & propitius: non quidem propriè (propriè enim Christus per fidem iustificat, purgat & nos Deo acceptos facit) neq; propter ipsamet opera quatenus facta sunt aut fiunt ab hominibus (in quibus propter remanentes ad vltimum vsq; spiritum infirmitates semper manet imperfectio) sed quatenus fiunt à iustificatis ex fide in Christum, propter quem & opera nostra & nos ipsi grati vel accepti sumus Deo, qui non imputat nobis imperfectionem nostrã, sed imputat potiùs quæ nos seruat, Christi perfectionem. Ita refertur semper ad Christum gloria iustitiæ & sanctificationis nostræ. Neq; innituntur sancti in sua illa iustitiæ opera, quæ ex fide faciunt, sicut videre est apud Lucam in cap. 17. vbi Dominus ait, Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Et in iudicio cum audient sancti à iudice, Patuistis & vestiuistis me, respondebunt, Vbi verò vel esurientem vel nudũ te vidimus, vt cibauerimus aut vestiuerimus te? Deniq; cum fide in Christum iustificati ex iustitia illa operum suorum probentur, laudentur & prædicentur iusti iustificare quidem hominem etiam iustitia operum dicitur: nõ vtiq; à peccatis absoluere (hoc enim facit sola fidei in Christũ iustitia) sed absolutos & iustificatos prædicare & probare tales quales sunt, iusti videlicet: Vnde & in vltimo iudicio Iudex non pronunciabit, Venite possidete regnum vobis paratum, quia in me credidistis: sed quia esuriui & cibum mihi dedistis. Nam opera illa declarauerunt ipsos esse iustos vel iustificatos. Et Iudex non tantùm iudicat iustè, sed etiam vult videri iudicasse iustè: Fides autem est in mente hominis nec cernitur ab hominibus, sod operibus charitatis iustitiæq; se prodit esse in mente & occupasse totum hominem, non linguam tantùm. Iccirco scriptura dicit iudicium Dei futurum secundũ opera, & Deum vnicuiq; rependere secundùm opera, denique iustificari condemnariq; nos ex nostris dictis, &c.

misericordiæ vel beneficentiæ.

Verùm redimus iam ad Danielem. Promittit Daniel Regi, si iustitia fidei iniquitates suas redimat, & beneficentia erga pauperes fidem suam declaret, fore vt vicissim beneficum experiatur Deum, qui & pœnam non inferat & pacem proroget Et quidem principes & diuites homines præ cæteris beneficentia, de miseris, quinimò de omnibus bene mereri possunt. Ergo ab his requiritur in primis beneficentia, vt pupillos, viduas, peregrinos tueantur, iuuentq; laborantes & exercitatos oppressosq; calamitatibus varijs. In prophetarum & Apostolorum literis hęc vbiq; occurrunt legentibus. Nusquam commendantur nobis frigidæ illæ cæremoniæ & papisticus ille cultus, qui passim à monachis inculcatur omnibus. At in euangelio quoque pronunciauit ex prophetis dominus, Misericordiam volo & non sacrificium.

Medela peccati & pacis propagatio.

Quantum verò attinet ad huius loci lectionem, variat hæc nonnihil. Alij enim legũt, Et ecce medela vel curatio delicti tui, tibi nimirùm obueniet. Alius legit in eandem sententiam, Id enim erit sanitas pro errore tuo. Vulgata uersio habet, Forsitan ignoscet delictis tuis. Lutherus vertit, So wirt er gedult haben mit dinen ſünden. Qua versione sequutus est Græcos, qui legunt, ἴσως ἔςαι μακρόθυμος τοῖς παραπτώμασί σου ὁ θεός, Fortè erit lõganimis peccatis tuis Deus. Alij verò legunt, Ecce erit longitudo pacis tuæ. Vel, Sic progredietur tua tibi felicitas. Vtraq; lectio conseruari potest, vt quæ pulchrè congruat argumento proposito. Summa est, Dominus condonabit tibi tua delicta, & prorogabit felicitatem. Si quando verò orationes occurrunt, nescio quid spirantes dubitationis, Si fortè misereatur nostri Dominus, non huc detorqueri debent,

quasi fides ambigat, nihilq; certi fidelis in animo habeat, sed modestiam & humilitatem non fluctuationem resipit hæc oratio. Qui fluctuat, ait beatus Iacobus, non existimet se quicquam accepturum à Domino.

Consilium hoc Danielis ad omnes omniũ tẽporum homines pertinet.

Cæterùm consilium quod à Daniele datum audiuimus Regi Nabuchodonosori, agnoscamus singulis nobis datum esse, ac si nunc præsens nobis astaret Daniel. Sit ergo nobis curæ, vt sano salubriq; obsequamur consilio. Neq; aliud daret si viueret hodie Daniel. Non aliud consilium dederunt apostoli Iudæis rogantibus quid facerent? vt Act. 2. cap. legitur. Non aliud consilium dederunt carceris magistro Paulus & Silas, apud Philipp. in Act. cap. 16. Non ergo aliud superest omnibus sæculis salutare consilium, ad effugienda mala & consequendam salutem, quàm vt credant omnes in dominum Iesum, atq; ita reconcilientur Deo, agantq; pœnitentiam, & fructus pœnitentia dignos proferant, per spiritum Christi. Ita enim omnigenam benedictionem accipient à domino. Cui sit laus & gloria.

HOMILIA XXII.

Atq; omnia hæc euenerunt Regi Nabuchodonosori. Post menses enim duodecim in palatio regio Babylonis deambulauit: et respondit Rex, & dixit, An non hæc est Babylon magna, quam ædificaui excellenti mea potentia, vt existat regia, & decus magnificentiæ meæ? Quo sermone adhuc existente in ore Regis, vox cælitus delapsa est, Tibi dicunt, ô Rex Nabuchodonosor, quòd regnum à te recesserit. Ab hominibus etiam te pellent, & inter feras tibi versandum erit, fœno velut bos cibaberis, dum euoluãtur septem tempora, quoad agnoscas, quòd excelsus imperitet in hominum regno, idq; conferat cui uoluerit. Ea ipsa hora sermo in Nabuchodonosore impletus est, vt ab hominibus pelleretur, & fœnum vt bos comederet, eiusq; corpus de rore cælesti tingeretur, adeò vt pilorum copia aquilis, et vnguibus similis euaderet volucribus.

Peccatumregis

SEptimo loco huius capitis describitur peccatum Regis, & ilicò consequens pœna per prophetam prædicta. Et quantum attinet ad peccatum, nõ describitur hoc, vt peccare discamus, sed vt peccatum agnitum caueamus. Consignatur ante omnia tempus, quòd rex post duodecim demum menses, nimirùm à somnio somnijq; expositione adeoq; à fideli Dei per prophetam admonitione, in peccatum inciderit, à quo nimirùm hucusq; non omnino immunis fuit, nũc tamen ei habenas nimiùm laxauit, ac turpem se prorsus coram Deo exhibuit. Ergo quod post admonitionem non ilicò regem afflixit, longanimitatis est diuinæ. Neq; enim hominum instar incalescit protinus, & vindicat. Longanimiter hominum pœnitentiam expectat. Homines autem pro nostra corruptione agnata, tantam Dei bonitatẽ non satis dignè expendimus, quinimò & fidelissimarum admonitionum statim obliuiscimur, & effundimur in peccata. Sicuti in præsentiarum eius rei apertissimum nobis argumentum exhibet Nabuchodonosor rex. Proinde discamus hinc omnes longanimitate Dei non abuti, neq; obliuiscì admonitionum factarum ex verbo Dei. Simul enim atq; obrepit verbi Dei obliuio, protuberat imò erumpit protinus peccatum.

Cæterùm

Cæterùm habet peccatum Nabuchod. occaſionem amplam, qua elicitur inq; opus producitur, ocioſam videlicet (vt ſuperius quoq; dictum eſt) regis prodeambulationem in regio palatio, deniq; ædificium magnificum ſplendidum atq; admirandum. Ingerit enim hoc ſe oculis eius, ac prolicit mox prodigioſam ex corde eius ſuperbiam, quæ mox erumpit in ambitioſiſſimam iactantiam, vel in turgidam gloriationem. Ac fit ferè, vt obiecta ſenſus moueant, & in peccata perpellant. Vnde ſcriptura alibi docet mortem perreptare aſcendereq; per feneſtras, nimirùm per hominis ſenſus, & occupare rationem, adeoq; corruptionem illam noſtram prouocare ad patrādam iniquitatem. Proinde rectè conſulitur hominibus in ſcriptura, dum dicitur, Auerte oculos tuos ne videant vanitatem. Vitato omnes occaſiones, quę ſolicitant ad peccandum. Sed & Dominus Ieſus fideliſſimam tradens doctrinam, quomodo peccata euitare queamus, dicit, Si oculus tuus ſcandaliſauerit te, erue illum, & proijce abs te. Oculus ille, eſt affectus ille, qui in animo excitatur per contemplationē rei alicuius prolicitis cupiditatem peccatumq; excitātis. Hunc eruis ac abijcis, cum mox ab initio opprimis, omniaq; ea refugis, quæ cupiditatem incendunt & ad opus prauum ſolicitant perficiēdum. Cernitur hoc, vt in ſpeculo, in adulteris. Cernitur in præſenti & in hoc noſtro rege Nabuchod. *Occaſio peccati.*

De Babylone, eius vetuſtate & amplitudine, quædam dixi ex antiquis ſcriptoribus concione noſtra in Ierem. 155. & 166. Primi hanc ornarunt Ninus ac Semiramis. Auxerunt deinde ſplendorem eius ſuccedentes ſibi mutuùm reges. Inter hos excellens fuiſſe dicitur Merodach Baladan, tum & Nabuchodonozor priſcus, excellentiſſimus autem omnium iſtius filius, noſter ille Nabuchodonoſor magnus. Plinius etiam quædam de Babylone commemorat lib. 6. cap. 26. ſed Ioſephus Antiquit. lib. 10. cap. 11. quædam recenſet ex antiquiſſimis ſcriptoribus de Nabuchod. quæ cum huc non malè quadrare videantur, commemorabo. Sunt autem huiuſmodi, Spolijs bello partis Beli templum & alia quædam magnificè exornauit. Auxit etiam & reparauit antiqua vrbis ædificia, munito & fluminis alueo, ita ne hoſtes eo poſſent vti ad ciuitatis incommodum. Tres quoq; murorum ambitus intra vrbem extruxit, & totidem foris circundedit, omnes è coctilibus laterculis. Cumq; memorabilibus operibus ciuitatem muniuiſſet, & portas in templorum morem ornaſſet, paternæ regiæ contiguam, extruxit aliam regiam. In hac regia moles ſaxeas fornicibus ſuſpendit, montium ſpeciem referentes, ſupernè conſitas varijs arborum generibus: atq; ita celebratos illos penſiles hortos abſoluit. Eò quod vxor educata in Media concupiſſet quandam patriæ ſuæ ſimilitudinem. Horum hortorum etiam Megaſthenes in quarto rerum Indicarum volumine meminit: vbi oſtendere conatur, quòd hic rex virtute & rerum geſtarum magnitudine Herculem longè à tergo reliquerit. Subiugaſſe enim eum, & vrbem Aphricæ primariam & bonam partem Hiſpaniæ. Sed & Diocles in ſecundo rerum Perſicarum libro eius regis mentionem facit: & Philoſtratus tam in Phœnicum quàm in Indorum hiſtorijs, quòd hic rex per aliquot annos Tyrum oppugnarit. Hæc ille. In hac proinde ſua regia, à ſe inſtructa faberrimè, ambulans rex, amplitudine ſplendoreq; operis per admirationem ingenij ſui nimiā adobruitur, vt ſibi tantùm non ereptus, ſibi in cœlo quodam nouo Deus quidam nouus, agere videretur, id eſt grauiſſimè contra Deum inſolenti peccaret ſuperbia. *Babylonis maieſtas.* *Q. Curtius de rebus geſtis Alexandri ſcribit de hortis illis penſilibus lib. 5.* *Hæc leguntur apud Ieremiā.*

Videamus enim nunc breuiter qualénam fuerit eius peccatum. Non peccat quidem quòd contemplatur ſuę pulcherrima, ampliſſima, admirandaq; ędificia vrbis & regiæ, vt ne ille quidem peccat, qui ſpecioſam aliquam videt aut etiam contemplatur fœminam; peccat enim iuxta ſententiam Domini, ſi aſpi- *Quale peccatū regis.*

ciat ad concupiſcendum eam. Proinde in eo potiſſimùm peccare videtur rex hic noſter quòd concupiſcentię ſuę frena laxat, quodq́; nimiùm in his ſibi Deo nihil tribuit, quòd inquam ſibi præter modum placet, arrogãtiq́; ſuperbia vltra omnem modum effertur, ex qua profunditur protinus inſolens iactantia atq́; gloriatio intoleranda contra dominum Hæc, inquit, eſt ampliſſima illa & toto orbe decantata Babylon, hanc ego excellenti mea extruxi potentia, & regiam vel palatium in ea excellentiſſimum parauí, quod poſteris etiã teſtabitur quàm diuinum mihi fuerit ingenium, & quanta fuerit in mundo imẽnſa illa mea maieſtas. Omnia ſanè & ſingula hæc verba turgent ſuperba arrogantia, & redundant inſolenti iactantia: deniq́; planè ſunt impia. Cum enim omnia regna mundi ſint Dei, & huius excellenti potentia condantur & conſeruentur, Regesq́; ipſi omnem gloriam & maieſtatem à Deo accipiant, qui hanc cui ipſe vult largitur, ipſeq́; ampla illa extruat excitetq́; ædificia, regibus conferendo ædificandi facultates ſeu vires, intoleranda profectò fuit huius regis inſolentiſſima gloriatio, & peccatum, quod admiſit contra Deum, grande eſt, & modis omnibus deteſtandum, atq́; abominandum. Deo enim ſemper & ante omnia liberaliter danda non detrahenda eſt omnis gloria, agnoſcendaq́; ingenuè deiectiſſima illa noſtra vilitas, humiliterq́; ſapiendum de rebus noſtris omnibus, vt ſi quid peruerſi ſit in rebus noſtris, id totum nobis aſcribamus, Deo autem optimo maximo quicquid boni vſpiam eſt, cum gratiarum actione tribuamus.

Quam latè pateat peccatum Nabuchod.

Et peccatum hoc Nabuchod. latiſſimè patet, & implicat atq́; defœdat omnibus & ſingulis ſeculis quam plurimos. Nabuchodonoſor quidem in preſenti res ſuas ambitioſe extollit, verè tamen dicit licet malè. Nihil enim fingit aut furtim alienis ſe plumis veſtit. Admiranda enim erant eius opera, & gloria eius in mundo excellentiſſima. At inuenias hodie ſuperbiſſima ingenia, quæ gloriantur non de ſuis, ſed de alienis, quæ ſibi falſò vendicant. Confingunt præterea plurimi plurima, cumq́; per omnia inglorij ſint, gloriantur tamen in vmbra vel mendacijs hiſce ſuis tanquam in veritate. Itaq́; longè fœdiùs hoc rege noſtro huiuſmodi peccant. Iactitabat quondam Cæſ. Auguſtus, Romam ſe inueniſſe latericiam, relinquere marmoream. Verùm quot hodie audias ſpirituales patres, ſordidulos monachos, qui dicant, Inueni cœnobium ære alieno oppreſſum, relinquo exoneratum, deniq́; vectigalibus opulentiſſimum? Quot obſecro oſtentant ambitioſe immenſas ſuas opes, incedentes holoſerici, & torquati, & annulati, iactitantes aceruos illos ſuos argenti ſignati & non ſignati, fundos item & ditiſſima prædia: quæ omnia pararint ſua illa ſolerti induſtria? Oſtentabat quondam & Ezechias ſibi quidem ſuiſq́; in perniciem, theſauros ſuos exteris hominibus. Quot item inuenias hodie iſtis omnbus longè deteriores, qui bona ſua merita, quibus regnum cœlorum mereantur, ſuperbe venditant, atq́; ita meritum Chriſti repudiãt? Si enim ex lege eſt iuſtitia, inquit Apoſtolus, gratis vel fruſtra & ſine cauſa nulloq́; cum fructu Chriſtus mortuus eſt. His & alijs modis peccatur varie ab hominibus arroganti ſuperbia & iactantia ſtultiſſima. Non ſolus ergo Nabuchodonoſor peccauit & vituperandus nobis proponitur, ſed in illius exemplo ſinguli nos protrahimur, noſtræq́; ſuperbiæ viciorumq́; noſtrorum fœdiſſimorum admonemur, non vt in his ſubſiſtamus, ſed vt obſeruantes pœnas Nabuchod. irrogatas à Deo, Deum timeamus, & ſuperbiam ſerió fugiamus.

Pœna pronunciatur ſolenniter à tribunali Dei contra regem.

Quæ verò pœna ſumitur de rege Nabuch? Sequitur iam diligentiſſima eius deſcriptio. Principiò enim proponitur ea verbis ampliſſimis, & ſententia è tribunali Dei contra reum & conuictũ, in ipſoq́; facinore deprehenſum, ſolenniter pronunciata. Deinde ſubiungitur executio ſententiæ diuinæ, narraturq́;

turq́ quomodo reus ille rex ſupplicio affectus ſit, iuxta pronunciatam Dei ſententiam iuſtiſsimam. Sciendum itaq́ Deū non modò in hac cauſa regis, ſed ſemper iuſtè iudicare in cauſis omnibus, & iudicia eius eſſe ęquiſsima & inculpata. Cum, inquit, illa vox, ſuperba nimirùm & inſolens adhuc eſſet in ore regis, delapſa eſt vox cœlitùs, certè vltima & iudiciaria à tribunali Dei ſententia, Tibi dicunt ô Rex, &c. Plurima in his paucis verbis veniunt obſeruanda. Deum licet in cœlis agat, non ignorare tamen cogitationes, verba & facta hominū, & hæc omnia iudicare iuſtè. Cœlum eſſe tribunal Dei, vnde per miniſterium ſuorum angelorum, ſententiā ſuam iudiciariam et iuſtam pronunciet denunciet́q contra omnes iniquos, contraq́ omnē malitiam hominum. Deum neminē iniuſtè & præter cauſam punire, ſed conuictos et in ſcelere deprehenſos. Ideoq́ hic diſertè dicitur, ſuppliciū de rege ſumptum tunc, cùm adhuc in ore eius eſſet iniquitas. Deprehenſos ergò in ſcelere aut conuictos iniquitatis iudicat Deus. Et cum ſententiam pronunciat contra illum, in cuius ore hærebat adhuc inſolentia, deprehendimus Deum non dormitare, neq́ ſemper, etſi longanimis interim ſit, diſſimulare hominum ſceleratorum inſolentiam, ſed ſemper vindicare maturè ſatis. Nec eſſe in mundo quicquam, quod à iudicio Dei liberare poſſit. Nam cœlitùs delabitur vox, cœlitùs pugnat contra hoſtes ſuos Deus. Præterea ſuperbiam perpetuò ſibi ceu vmbram corpus vicinam adiunctamq́ habere vindictam: id quod & Euripides Poeta ethnicus vidit ac eleganter dixit,

Οταν ἴδῃς πρὸς ὕψος ἠρμένον τινὰ
Λαμπρῶς τε πλούτῳ, κἀγένει γαυρούμενον,
Ὀφρὺν τε μείζω τῆς τύχης ἐπηρκότα,
Τότε ταχεῖαν νέμεσιν ἐυθὺς προσδόκα, id eſt,
Cùm videris in ſublime quempiam elatum,
Splendidis gloriantem opibus & genere,
Supercilioq́ ſupra ſortem ſuam faſtuoſum,
Illius celerem diuinitùs exſpecta breui vindictam.

Hæc docent nos tumentem refugere ſuperbiam, quæ ſemper habuit habetq́ adhuc perniciſsimam Dei vindictam.

Sententiæ cœlitus promulgatæ breuis expoſitio.

Sententia cœlitùs pronunciata clara alioqui eſt. Tibi dicunt, vel tibi dicitur, & in te pronunciatur cœlitùs, quòd regnum à te iam receſſerit, vel per Deum à te ſublatum ſit, concluſumq́ à Deo ne nunc ſis maneasq́ Rex. Hæc ſumma eſt rei, quæ mox copioſius explicatur, Ab hominibus te pellent. Dubium eſt autem an principes vel aulici eum pepulerint per ſeditionem aut turbulentum aliquem motum, an furores proprij ipſum exagitantes eiecerint ex regno. Ac tertiò iam repetuntur verba de pœna Regis, quæ antea quoq́ in eadem propemodùm verba audita ſunt & in ſomnio & in ſomnij interpretatione. Quartum inſuper ſubiungetur in exequutione ſententiæ. Semper enim verba & iudicia Dei ſibi pulchrè congruūt, denicq́ firma ſunt & certa. Sed & finis pœnę iterum hic repetitur, repetendoq́ nobis commendatur, Quoad agnoſcas quòd excelſus imperitet, &c. Singulariter enim commendatur nobis vſus vniuerſi huius negotij, qui eſt, vt ex eo diſcamus reuereri Deum, agnoſcere eius prouidentiam vt ſuperius eſt dictum.

Sumitur iam de rege ſupplicium horrendum.

Subiungitur iſtis exequutio ſententiæ diuinæ, & exponitur quomodo de rege iuxta Dei ſententiam ſumptum ſit ſupplicium. Ea ipſa hora, inquit ſcriptura, ſermo Dei in rege impletus eſt. Et mox quomodo impletus ſit adiungitur, Ab hominibus pulſus, habitauit inter feras, & vſus eſt ferarum pabulo, corpus quoq́ eius obnoxium erat pluuijs & niuibus. Ros enim ſpecies pro genere poni videtur. Forma quoq́ corporis, vel qualitas potiùs eſt mutata. Pilus enim ita

creber & denſus ſuccreuit, vt non impar videretur nigricantibus aquilæ plumis, & vngues manuum atq; pedum eius copioſè excreſcebāt inſtar vnguium volucrum rapacium, vt figura ſua rex feram beluā propius exprimeret, quàm hominem. Tenendum enim eſt regem corporis ſui ſubſtantia, non fuiſſe mutatum in beſtiam, vt ſuperiore corporis parte bouem, inferiore referret leonem, ſicut nonnulli fabulantur. Subſtantia enim & forma rex manet homo, mens verò eius humana, qualitasq; ſubſtātiæ atq; formę in corpore mutatur. Nam principio quidem erepta eſt ei mens, vel ratio humana, inditaq; opinio, qua ſe beſtiā eſſe putauit. Mania enim homines reddit tales, vt ſe omnino exiſtimēt eſſe quod non ſunt, vt reges vel monarchas vel equos: vel alias quoq; formas ſibi affingant, quas non habent. Deinde verò inclemētia cœli reddidit corpus regis planè ſqualidum. Cutis enim hiſpida facta, & pilis ſetarum inſtar integebatur atq; obducebatur, vngues deniq; indureſcebant & adunci fiebant, vt forma propè accederet ad feram beluam. Et hunc ſenſum petimus ex ijs quæ ſequuntur, in quibus dicitur quòd mens ei ſit reddita, vnà cum forma vel figura, deterſis nimirum fœditatibus, quæ mutauerant formam, vt humana vix agnoſceretur.

Qualis fuerit in rege mutatio.

Iuſtum Dei iudicium contra regem.

Eruditè quoq; & piè doctiſsimus vir D. Ioan. Oecolamp. Comment. ſuis in Danielem hæc explicans, Obſerua, inquit, æquitatē iudicij diuini, vt qua menſura menſi fuerimus, eadem quoq; nobis metiatur Dominus. Multum exaltatus erat, multum humiliatur. Multa dona à Deo acceperat, multa adimuntur. Multos homines exules fecerat, ejicitur & ipſe ab hominibus. Delicatos habuerat cibos, nunc beſtijs compaſcuus fit. Induebatur purpura, nunc horrido pilo totus obtegitur. Balſamo & ſuccis precioſiſsimis vngebatur, nunc imbribus & rore cœli abluitur. Non dicit tamen ſcriptura factum beſtiam, ſed ſocium beſtiarum mentemq; eius mutatam. Maniacus enim factus, ſe pro beſtia habebat. Quòd ſi ſcriptura diceret mutatum in beſtiam, facilè reciperem. Quid enim nō eſt poſsibile Deo? Mania autem non tam rara eſt, quæ læſa imaginatiua hominis facultate facit vt perſuadeat ſibi homo apparere alia quàm apparent. Et reliqua. Multa enim eruditè vir ille diſputat per conſequentia, ex varia ſcriptorum lectione, de mirificis hominum metamorphoſibus. Quæ qui cognoſcere volent, ex illo petant.

Grauiter ſemper punita ſuperbia.

Grauiſsimum autem ſupplicium eſt, quo rex tantus de repentè deiectus ex tanto faſtigio, inter fœdas obambulat beſtias, & parùm aut nihil ab eis differt. Ita pronunciauit in euangelio Dominus, fore vt qui ſe exaltat, humilietur. Ab initio quoq; ex pulcherrimis lucidiſsimisq; Dei angelis, ſuperbia dæmonas fecit teterrimos & ipſis tenebris obſcuriores. Saul rex fuit inclytus & multa illuſtris gloria, per ſuperbiam verò omni gloria exutus, morte interijt maximè infauſta & infami, deniq; corpus mortuum ab hoſtibus ſumma affectum legitur ignominia. Iā quid ſuperbo Hamano euenerit narrat hiſtoria Heſther. Ac plura huius generis alia proferre poſſem, niſi vbiq; breuitati ſtuderem. Semper ergo & ab initio Deus ſuperbis reſtitit, humilibus dedit gratiam. Vnde Chriſtus quoq; omnes nos ad ſe vocando, dixiſſe legitur, Diſcite à me quòd mitis ſim & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Oremus iam hunc Dominum Deum noſtrum ſupplices, vt veram illam ſuam nobis largiatur humilitatem, & requiem illam iucundam ac ſtabilem concedat, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

HOMILIA. XXIII.

Sub finem autem dierum, ego Nabuchodonoſor ſuſtuli oculos meos in cœlum, & mens mea reddita eſt mihi, benedixiq; altiſſimo,

mo, & viuentem in ſecula laudaui & glorificaui, cuius poteſtas eſt poteſtas æterna, & regnum eius per vniuerſa ſecula. Et omnes inhabitantes terram, quaſi nihil reputantur: & ſecundùm ſuam uoluntatem agit in exercitu cœlorum, & in habitatoribus terræ, & nō eſt qui prohibeat manum eius, aut qui ei dicat, Quid feciſti? Eo tempore reddita eſt mihi mens mea, & magnificentia mea, & decus regni mei, & figura mea reddita eſt mihi. Conſiliarij quoq; mei & Proceres mei requiſiuerunt me, ſumq; in regno meo confirmatus, & maior amplitudo adiecta eſt mihi. Nunc ergo ego Nabuchodonoſor laudo & extollo & glorifico regem cæli, cuius omnia opera ſunt veritas, & viæ eius iudicium, & qui humiliare poteſt ambulantes in ſuperbia.

Summa rei.

OCtauo huius Actus quarti loco exponitur eleganter & perſpicuè pœnitentia Regis, eiuſdemq; in integrum reſtitutio, quid denique reſtitutus fecerit, & quid nos reſtitutos facere conueniat. Iſta enim omnia ad noſtram eruditionem ſcripta eſſe conſtat.

Pergit Rex in cœpta expoſitione redacta in edictum publicum, ac pœnitentiam ſuam attingit, ac dicit, Poſtquam dies à Deo diſciplinæ vel caſtigationi meæ definiti, iam abſoluti eſſent, ſuſtuli oculos meos in cœlum, ac intellectus meus vel ratio, ac mens mea mihi eſt reddita à Deo. Atqui ordine naturali oportuit ei primò reddi mentem, quæ per maniam fuerat ſublata, vnde deinde factum ſit, vt oculos ſuos eleuarit ad cœlum. Cæterùm oculos eleuare in cœlum, eſt non tantùm ritu viſibili ſuſpicere in cœlum, ſed eſt potius conuerti ad Deum cœli, ſpem in ipſum collocare, & ſuppliciter inuocare eius clementiam. Sic enim legimus in Pſalmis, Ad te Domine leuaui animam meam: id eſt, omnem meum reſpectum animique deſiderium & vniuerſam ſpem in te Dominum meum colloco. De mercenario legitur in Lege, quòd ad mercedem attollat animam ſuam, id eſt, inhiet ei, & vnicè illam ſibi reddi cupiat, vtpote à qua pendeat totus. Et iterum, Leuaui, ait propheta, oculos meos in montes (diſpiciens) vnde mihi auxilium veniat. Et ſubijcit mox, Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Item, Leuaui oculos meos ad te Domine, qui habitas in cœlis. Ita eleuauit & Rex hic noſter oculos ſuos ad Deum in cœlum, conuerſus vtique ad ipſum eiusq; ſuppliciter petens auxilium, ab illo ipſo pendens, ac eundem totis viribus laudans.

Oculos eleuare in cœlum.

Pſalm. 25.

Pſalm. 121.

Pſalm. 123.

De vera pœnitentia.

Colligimus hinc veram fidelium pœnitentiam non enaſci in nobis ex nobis, ſed ex gratia Dei ac inſpirari nobis cœlitus mentem q; dari, quæ Deum verè vel ſeriò reuereatur ipſumq; requirat. Docent hoc & alia (nedum hoc ſcripturę de rege Nabuchod. exemplum) ſcripturæ diuinæ teſtimonia, veluti cum dicit Ieremias, Conuerte me Domine, & conuertar. Et Dominus in euangelio, Nemo, inquit, venit ad me, niſi pater meus traxerit eum. Vnde cum Dominus apud Lucam intuitus eſſet Petrum, ingemuit hic, & amariſsimè fleuit. Vbi ad Damaſcum percuſsiſſet Dominus Paulum ac in terram proſtrauiſſet, clamauit hic; Domine quid vis me facere? Itaq; mente cœlitus reddita & illuminata, attollit etiam Nabuchod. oculos in cœlum. Præterea colligimus hinc veram pœnitentiam fidelium, aliud eſſe nihil, quàm conuerſionem ad Deum veram, qua pœnitentes peccata ſua agnoſcunt, deplorant, veniamq; à Deo petunt, vera ipſum fide inuocantes, proq; Dei gratia & peccatorū venia gratias agentes.

Descriptio pœnitētiæ per Oseam in ca. 14.

Oseas breuiter, sed perspicuè & elegantissimè hoc nos de Pœnitentia docuit, cum dixit, Reuertere Israel vsq; ad Dominum Deum tuum. Est enim Deus & nulla creatura terminus, ad quem tendunt pœnitentes. Desperantes de eius bonitate non conuertuntur vsq; ad Deum. Neq; reuertuntur ad Deum, qui in medio conatu & cursu deficiunt. Oportet enim reuerti nos vsq; ad Deum. Addit Oseas, Quoniam corruisti in iniquitate. Vera enim pœnitentia peccatum suum ingenuè agnoscit, nil huius dissimulat, nil extenuat, nil in alios transfert, sed confitetur simpliciter, se non modò peccasse, sed corruisse & defœdatum iacere in cœno peccatorum fœdissimorum, sicuti & Ioannes docuit confiteri peccatum in 1. Ioan. 1. & Dauid Psal. 32. Sequitur, Conuertimini ad Deum, & accipite vobiscum verba. Quæ qualia esse debeant subdit. Et dicite ad eum, Auser omnem iniquitatem. Nam vera pœnitentia non est absq; fide, sed maximè efficax est per fidem, per quam Deum inuocat, ab ipso postulans sibi peccata dimitti vel auferri propter Christum: Cui Isaias ait peccata nostra imponi. At quibus gratis per meritum Christi condonata sunt peccata, illi Deo agunt gratias, & per omnem vitam suam student innocentiæ vitæ. Vnde subiungitur in Osea 14. cap. Et accipe bonum, & persoluemus iuuencos labiorum. Nos dicimus, **Nim̃ rächt vergüt von mir.** Cum videlicet agnoscimus opus quod facimus deficere multis partibus, & rei vel personæ cui destinatur impar esse vel non respondere, vel tale prorsus non esse, quale esse debuerat. Etenim sancti vt operibus suis bonis non nituntur, ita eadem veluti absoluta Deo minimè obtrudunt. Conuertuntur autem ad laudem Dei & gratiarum actionem, agnoscentes omnia bona esse diuinæ gratiæ, &c.

Rex prædicat Deum & gratias agit pro restitutione.

Idem videre hic licet in Nabuchod. qui dicit, Et altissimo benedixi, viuentemq; sempiternis temporibus laudaui atq; glorificaui. Benedicendi vocabulum exponit per laudandi & glorificandi, intelligitq; laudes & glorificationem cum summa gratiarum actione, quas Deo offerunt restituti. Sunt hæc vituli illi labiorum, quorum Oseas meminit. Obseruandum in his cui competat laus, cuiq; gratiarum actio pro gratia & restitutione reconciliationeq; debeatur, nulli nimirùm nisi altissimo, vnico inquam & vero Deo, qui vt est immortalis, ita confert omnibus vitam habentibus esse vel vitam. Amplius porrò Deũ hunc ob beneficia præstita, prædicans rex, tribuit ei potentiam æternam, immensam nimirùm & perpetuam, deniq; regnũ per vniuersa expansum secula, quòd scilicet Deus singulis & omnibus temporibus regnet, ipsiq; debeatur regnum, tametsi reges & principes præficiat regnis. Peccauerat antea Nabuchodon. contra Dominum, quòd sacrilegè sibi & potentiam & regnum attribuerat. Hoc peccatum suum in sua pœnitentia iam sarciens, omnem potentiam ipsumq; regnum attribuit Deo, cuius sanè solius est omnis gloria. Præterea non sufficit hoc regi, quod omnẽ Deo gloriam dedit, extenuat insuper semetipsum, & res suas omnes omnium deniq; hominum mortalium, tanta energia, vt euidentiùs non potuisset. Omnes, inquit, inhabitantes terram, pro nihilo, vel tanquam atomus (**wie das gestüpp in der Sunnen**) æstimãtur. Sic etiam Abraham patriarcha hominem nuncupauit puluerem & vmbram. Dauid verò lutum manibus Dei paratum. Prouerbio deniq; dicitur, Homo bulla. Et quidem non insciè, Dic, inquit, quid homo? Est animal miserum, mortale, superbum, mentis inops, audax, mobile, putre, lutum. Sed & Sophocles eleganter cecinit,

Extenuantur res mortalium

Gen. 18.

Psalm. 104.

Ορῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδ' ἐν ὄντας ἄλλο πλὴν
Εἴδωλ', ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κούφην σκίαν. Id est,
Video enim nos nihil aliud esse, præterquam
Simulachra, quotquot viuimus, aut leuem vmbram.

Neq;

Neq; modò nos tales ſumus homines, ſed & omnes res hominum mundanæ, tales ſunt, vmbratiles, inſtabiles, euanidæ, fragiles, fluxæ & mox perituræ. Hãc humiliationem ſuam, Rex nunc opponit ſuæ ſuperbiæ, qua antea Deum offenderat, nobiſq; omnibus relinquit abſolutum veræ pœnitentiæ exemplum, vt idem nos faciamus. Singulas enim huius expoſitionis partes ſinguli ſibi adaptare iubentur.

Amplius verò Deum prædicans, ore pleno, tria potiſsimùm Deo attribuit & in ipſo laudat. Primum, quòd pro ſua voluntate agit cùm in exercitu cœlorum, tum in omnibus terrã inhabitantibus. Quibus verbis attribuit Deo æquiſſimam prouidentiam gubernationemq; tam in cœlitibus quàm in terrigenis. Nam voluntas Dei æſtimanda eſt non ex ingenio noſtræ voluntatis, quæ non rarò libido potiùs, quàm voluntas eſt, ſed ſecundùm naturam Dei, ſemper optimam. Non enim vllus eſt in Deo affectus prauus, ergo nulla libido aut iniquitas eſt in gubernando eiusq; prouidentia, ſed omnia ſunt æquiſsima ſanctiſsimaq;, licet nonnunquam diuerſum videatur hominibus, ex affectu corrupto, non ex veritate iudicantibus, de gubernatione ac operibus Dei. Cæterùm per exercitum cœlorum videtur intelligere non modò Solem, Lunam, & Sydera omniaq; illa ſupercœleſtia, ſed ipſos quoq; angelos, cœleſtes ſpiritus, qui & ipſi dicuntur Dei exercitus, & cœlorum exercitus. His enim Deus vtitur, tanquam ſuo ſatellitio & exercitu ſolent vti reges in terris. Secundum quod attribuit Deo, illud eſt, Nec eſt quiſquam qui impediat vel prohibeat manum Dei. Quæ quidem notatio eſt omnipotentiæ diuinæ, contra quam nullum conſilium neq; vis vlla prævalebit. Pergit ille in cœpto opere, & pro ſua voluntate, hoc ad finem vſq; inſtitutum, deducit. Cedere illi coguntur omnia quæ ſunt in vniuerſo mundo. Tertium quod Deo attribuit ita effertur, Nec eſt quiſquam qui dicat ei, Quid feciſti? Quibus verbis iterum non tam immenſa Dei infractaq; potentia notatur & prædicatur, quàm ſapientia modis omnibus abſolutiſsima. Tam enim ſapienter inſtituit omnem ſuam gubernationem & iudicia & opera omnia ſua Deus, vt nemo illa iure culpare poſsit. Frequentiſsimum eſt propheris obijcere obmurmurantibus Deo & calumniantibus Dei opera, illud ex figulina, quid obſecro lutum contendit cum ſuo figulo? At figulus noſter Deus eſt. Apud Iſaiam in cap. 45. hoc ipſum videre licet. De iudicio Dei inculpato ſequitur aliquid & in clauſula huius edicti regij ſub finem edicti. Ad eundem modum prædicabimus & nos amplificè Deum, ſi inquam verè nos peccatorum noſtrorum pœnitebit, adeoq; ſubiecerimus nos Deo, ſicuti hic Nabuchod. & in euangelio peccatrix illa apud Lucam in cap. 7. Qui verò propter peccata ſua afflictus à Deo, iudicijs Dei obmurmurat & detrahit adhuc, is nondum verè pœnitet. Hæc attigimus, duntaxat differentes de pœnitentia regis Nabuchod. & quòd ipſam factis noſtris oporteat imitari. Illa enim fecit rex reſtitutus, ergo ſi quando reſtituimur, eadem facere iubemur, quiſq; pro ſuo modulo & pro ſua vocatione.

Laudat Rex in Deo tria potiſsimùm.

Porrò plenius differet de ſua illa in integrum reſtitutione rex. Plenè enim Deo reconciliantur & reſtituuntur in integrum pœnitentes. Quod ſi quid adhuc deeſſe videtur in temporalibus, reſarcietur certò in vita futuri ſeculi. Neq; enim omnibus nobis obuenit ſors Nabuchod. & Iobi. Omnes tamen verè pœnitentes plenè reconciliantur, & ita reſtituuntur, vt in animis cõfirmati per ſpiritum ſanctum, nihil conquerantur de Deo eiusq; iudicijs, ſed in Deo exultent atq; in hoc tranquillo ſint animo, ipſumq; laudibus ſempiternis euehant. Reſtitutionem ſuam ita deſcribit, Repetit initio id, quod præcipuum eſt, Reſtituta eſt mihi, inquit, mens, idq; eo tempore, quo nimirùm viſum eſt miſericordi Deo,

De reſtitutione Regis in integrum.

mei miſereri & me rurſus eximere ex beſtiarum numero. Deinde amplitudo & decus regni mei etiam mihi reddita ſunt. Sed & forma vel figura mea rediit, ſublato videlicet ſqualore & tetra ferinaq; ſpecie corporis mei. Iam plenius etiam exponit, quomodo reſtitutus ſit in regnum. Nam conſiliarij, inquit, & proceres mei requiſiuerunt me per deſerta, & inuentũ reduxerunt & reſtituerunt in regnum. In quo præterea ſum Dei robore confirmatus. Quod ſanè ingens Dei eſt beneficium. Quidam enim reducuntur in regnum, ſed mox iterum per nouum tumultum eijciuntur. Accedit his & aliud, Et maior amplitudo adiecta eſt mihi. Quod etiam factum legimus Iobo reſtituto & filio prodigo à parente excepto liberaliter & munificentiſsimè. Tanta verò eſt bonitas & liberalitas munificentiaq; Dei optimi patris erga liberos ſuos, qui pœnitentiam agentes commiſſorum ſcelerum, redeunt ad patrem clementiſsimum. Nam totum ſe in ipſos effundit.

Clauſula edicti regij ac Epimythion.

Reſtat adhuc IX. & vltima huius Edicti regij pars, breuiſsima quidem illa, ſed multa complectẽs ſalutaria. Nunc, inquit, ego Nabuchodonoſor, &c. Clauſula hæc eſt ſiue Epimythion aut Morale, vſum & finẽ continens hiſtoriæ vniuerſæ vel vniuerſi illius Edicti regij. Principiò enim admonet hiſtoriã hanc docere timere Deum tanquam ſolum verum Deum, vtpote vnicum Cœli regem, ſupremum nimirùm, & qui parem nedum ſuperiorem habeat. Hunc præterea laudandum, extollẽdum & glorificandum eſſe propter eius maieſtatem, omni potentiam, bonitatem & beneficia, quæ continuè confert in homines innumera. Omnia huius opera eſſe veritatem, & omnes vias eius eſſe iudicia. Id eſt, in omnibus eius operibus animaduerti & apparere eius veritatem fidelitatemq; & beneficia, & in omnibus eius dictis factisq; & iudicijs ſummam deprehendi æquitatem Et proinde in hunc eſſe credendum, hunc inuocandũ, illi non contradicendum, ſed laudandum potiùs ipſum colendumq; in ſecula. Porrò ſingulariter docet hæc hiſtoria, edicto hoc regio cõprehenſa, quòd Deus ſuperbiam odit, & ſuperbientes deijcit atq; humiliat: ſicuti claret in rege Nabuchodonoſore. Diſcamus ergo omnes humiliari coràm Deo, & nos totos ei eiusq; obedientiæ conſecrare. Et hactenus exponendo cap Danielis 4 diſſeruimus quantum nobis gratiæ conceſsit Dominus, de humilitate contra ſuperbiam. Oremus nunc omnes Dominum, vt tollat ex nobis ſuperbiam, veram autem humilitatẽ animis noſtris inſinuet in Chriſto Ieſu domino noſtro. Cui ſit laus & gloria.

CONVIVIVM BALTAZARIS LVXVRIOSVM ſacrilegumq;, & Babylonis excidium.

CAPVT V.

HOMILIA. XXIIII.

REx Baltazar fecit conuiuiũ grande principibus ſuis mille, et coràm mille bibit vinum. In guſtu autem vini iußit Baltazar afferri aurea & argentea vaſa, quæ pater eius Nabucho donoſor abſtulerat templo in Hieruſalem, ut biberẽt ex eis, Rex, principes eius, uxores eius, & concubinæ eius. Itaq; allata ſunt aurea & argentea uaſa, quæ abſtulerãt templo domui Dei in Hieruſalem: & biberunt ex eis, Rex, principes eius, uxores eius, & concubinæ

concubinæ eius. Cumq; vinum bibissent, laudauerunt Deos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneos et lapideos. Eadem hora egressi sunt humanæ manus digiti, et scripserunt ex aduerso candelabri, in albario parietis regij palatij: & Rex articulos manus quæ scripsit, conspexit. Tunc forma Regis immutata est, & cogitationes suæ perturbauerunt eum, vinculaq; lumborum eius soluta sunt, & genua mutuùm collisa. Ergo Rex vehementer clamauit, vt adducerentur Sophi, Chaldæi, & vatidici. Et dixit Rex ad sapientes Babylonis: Quisquis legerit scripturam hanc, et sententiam eius mihi exposuerit, purpuram induet, et torquem in colloge stabit aureã, præterea tertius in regno dominabitur. Tunc venerunt omnes sapientes Regis, neq; potuerunt scripturam legere, neq; sententiam Regi explicare. Quamobrem Rex Baltazar vehementiùs turbatus est, formaq; illius mutata, nec non principes eius obstupefacti sunt.

Argumentum actus quinti Danielis.

ACTVS Danielis quintus, quinto hoc capite describitur. Cõtinet Conuiuium Regis Baltazaris luxuriosum sacrilegumq;, vnà cum excidio Babylonis. Memorabilis est hæc historia, & salutaribus doctrinis refertissima, scitu iucunda & necessaria, plurimas ob causas. Exercuerunt Dei populum variæ calamitates sub Iudicibus & regibus Israelis & Iuda, nulla verò vnquam calamitas maior & tentatio grauior illum afflixit, quàm captiuitas Babylonica. Nam fuerat ager vniuersi regni cultissimus, penitus vastatus, ciuitates erant dirutæ, villæ concrematę, populus deniq; interierat, partim fame & peste, partim autẽ ferro, pars fuit abducta. Ipsa vrbs sacra vnà cũ tẽplo primùm quidem direpta est à barbaris, deinde etiam inflãmata & euersa. Redacta sunt vasa templi omnia in potestatem idololatrarum, proinde extincta iacebat religio, nulla amplius offerebantur sacrificia, contra fumabant aræ gentilium & florebat adeoq; triumphabat superstitio & idololatria. Id quod spectare cogebatur captiuus & oppressus in Babylone populus. Ea res vehementer multorum animos solicitabat ad defectionem, aut dubios minimùm reddebat in fide, dum cogitarent, vera ne esset religio, quæ ita fuerat ab idololatris, non modò ignominia affecta, sed insuper oppressa etiam. Proinde vt cõtra hoc scandalum piorum animi præmunirentur confirmarenturq; in vera fide, prophetæ diligentissimè de calamitate hac disseruerunt multis antea annis quàm exercere populum inciperet. Prædixerunt quoq; Babylonis interitum: sicuti videre licet apud Isaiam in cap. 13. 14. & 21. apud Ieremiam in cap. 50. & 51. & apud Abacuk quoq; & apud alios prophetas. His omnibus Daniel nunc solus colophonem adiicit hoc cap. 5. ac describit elegantissimè & euidentissimè, quomodo verbum Dei per prophetas contra Babylonem prædicatum, suo tẽpore sit completum, demonstrans impietatem non perpetuò, licet floreat ad tempus, triumphaturam, neq; impios gauisuros gaudium non interruptũ aut sempiternum. Nam opportuno tempore Domini lucẽ, quæ nubilis aliquot diebus fuerat absconsa, rursus illucescere tristibus, hosq; non tantùm exhilarare, sed in cœnum coniecta & conculcata idololatria, veram restituere religionem. Sicut ergo hactenus in Babylone Deus veraq; Dei religio & asserta & glorificata est non vulgariter, ita nunc omnium euidentissimè asseretur & glorificabitur. Docent *Vsus huius loci*

hæc omnes omnium ſęculorum fideles, conſtanter perſeuerare in vera religione, tametſi cernant furore perſequutorum martyrum effundi ſanguinem, ac tẽpla Chriſti euerti funditùs, cremari libros ſacros & diſturbari omnes fidelium cœtus. Viuit, viuit, qui ſuo tempore fideles vindicabit, & veram religionem reſtituet in integrum.

Corruptiſſimus ſtatus regni interituri.

Ab initio mox oſtẽdit, qualis fuerit ſtatus vrbis regnique Babylonici, iam iam interituri, nimirùm corruptiſſimus. Voluit id nos æſtimare ex vnico ſpecimine, luxurioſi inquam & ſacrilegi conuiuij. Inde enim nullo colligi poteſt negotio, nihil fuiſſe integri vel in ſacris vel in prophanis, rege videlicet imperitante, qui ipſa erat impietas ſacrilega & ſpurcities fœdiſſima. Nihil in hoc reliquum erat virtutis paternæ. Nabuchodonoſor enim auus eius vir fuit fortis, ſapiens & temperans, iuſtus quoque tandem & religioſus, quemadmodum ex ſuperioribus patuit narrationibus. Euilmerodach quoque filius Nabuchod. qui patri in regno ſucceſſit, non impius nec incontinens, ſed amicus bonus & princeps moderatus fuiſſe videtur. Moriens is hunc Baltazarem filium ſuũ regni hæredem reliquit. At fuit hic degener. Reſtituit enim & auxit ſuperſtitionem cum idololatria, ſicut & Iulianus Imp. feciſſe legitur, hoſtis fuit veræ religionis, ſapientes cum ſapientia contempſit, luxuque & libidine perditus, potatores & ſcorta amauit. In hoc ſcelerum cœno ſeſe volutauit. His inſuper fœdiſſimis ſceleribus coniunxit ſuperbiam intollerabilem, qua factum eſt, vt contumelijs iniurijsque affectum Dariũ Medorum regem, Aſtyagis vel Aſſueri filium, auunculum Cyri Perſæ, vtpote nati ex Cambyſe Perſa & Mandane filia Aſtyagis, hoſtem expertus ſit grauiſſimum. Adiunxit hic ſibi Cyrum nepotem ex ſorore, & prælio commiſſo cum Babylonijs, hos fudit, fugauitque in vrbem, in qua eos mox obſidione graui cinxit atque concluſit. Herodotus enim in Clio, Cyrus, inquit, vbi alterum ver illuxerat, Babylonem ire pergit Babylonijs eum producto exercitu præſto fantibus: cumque propius vbem acceſſiſſet, Babylonij cum eo conflixerunt, prælioque fugati, in vrbem ſeſe receperunt. Subiungit his mox Herodotus lib. 1. Illi tamen quia Cyrum iampridem animaduerterant inquietũ eſſe, viderantque omnes pariter gentes aggredientem, comportauerant antea multorum ſanè annorum commeatus. Ideoque tunc obſidionem nullius momenti faciebant, &c. Cernimus ergo Baltazarem licet obſeſſum, fuiſſe tamen ſecurum, & idèò conuiuijs deditum. Hoc quod hic deſcribitur à Daniele vltimum fuit. Nam illa ipſa nocte vrbs à Medis & Perſis eſt capta, & rex confoſſus à Satrapis Darium iuuantibus Gobrya & Gaddatha. Quod copioſius ſub finem huius capitis exponemus. Referunt autem hiſtorici illi veteres Herodotus & Xenophon, & hic quidem lib. de rebus Cyri. 7. diem Babylonijs feſtum ſoleñemque (qualis hodie Bacchi vel Carniſpriuij aut dedicationis eſſe ſolet) fuiſſe, in quo ſub noctem & per uniuerſam noctem biberint, & laſciuis carminibus ſaltationibusque indulſerint. Inſigne ergo hoc argumentum exquiſitæ inexplebilisque in Rege libidinis luxuriæque fuit, quod obſeſſus ſibi ne tunc quidem à fœdis voluptatibus temperare potuit, ne ferias fœdas perageret in tanto vrbis periculo. Potuerunt autẽ commodè luxurioſa ſibi inſtruere conuiuia Babylonij, licet obſeſſi, quandoquidem ſibi commeatum in annos plurimos ſufficientem parauerant. Ac oportuit ſic ſaginari porcos illos fœdiſſimos ad lanienã, denique in ipſa deprehendi luxuria, & in ipſis uoluptatib. imò ſceleribus cõfici veluti porcos bene ſaginatos. Rectè D. Oecolampadius Baltazarẽ hunc nuncupauit ſcelerũ malorumque gurgitem. Idem, Videbis, inquit, iuſtum Dei iudicium, & quales ferè principes regnent, ſub quibus regna excidunturnempe ebrij, mãcipia ventris, pendentes ab aſſentatorum gloria, mulieroſi, contẽptores iuſtitiæ, & blaſphemi idololatræ, &c.

Bellum inter Baltaſarem & Darium Medũ.

Dijs Babylonijs dies feſtus & luxurioſus.

Primo

Primo ergo loco huius Actus describitur conuiuium luxuriosum & sacrilegum Regis, vt inde æstimemus totius regni statum, nimirùm fœdum & prorsus desperatum fuisse, ac proinde meritò euersum esse regnũ cum Rege. Quantum verò ad Conuiuia attinet, nõ sunt illa vnius generis, nec propter hoc symposium luxuriosum omnia sunt hominum vituperanda conuiuia. Sunt enim honesta & sobria symposia, quæ honoris ergò charitatisq; & humanitatis gratia instruuntur, non tam pauperibus quàm opulentioribus, tam amicis indigenis quàm etiam hominibus peregrinis. Et huiusmodi conuiuia suis exhibuisse patriarchas aliàs ostẽdimus. Legimus & Christum dominum frequentem cum suis discipulis fuisse in symposijs amicorum. Curemus modò ne modum in nostris prætereamus, & ne Dei & pauperum sobrietatisq; obliuiscamur. Sunt rursus symposia inhonesta, cruenta & luxuriosa, modisq; omnibus execranda: quale fuisse Herodis legimus in euangelio secundum Marcum, in quo trucidatus est virorum maximus Ioan. præcursor Christi. Tale est & hoc Baltazaris conuiuium. *Conuiuium.*

Bibit ille coràm magnatibus mille vinum. Bibere vinum culpa vacat. Est enim vinum creatura Dei bona, in vsus vtilitatemq; hominũ data à Deo. Ideoq; non sine reprehensione hic dicitur Balthazar bibisse vinum. Nam intemperanter bibisse sentiendum est. Et quidem coràm mille principibus bibit, proculdubiò proluens se vino absque pudore, & alios quoq; principes suo exemplo alliciens ad potandum. Ac oportuit omnino magnificum regiumq; atq; adeò & pro regis ingenio, luxuriosum fuisse conuiuium, quo excepti sunt tot principes, haud dubiè moribus sui Regis temulenti non malè respondentes. Quinimò immoderatiùs hunc vino vsum esse in hoc conuiuio, vel inde, quod sequitur, colligitur, Vinoq; dictante Balthazar iussit adferri sacra vasa. Id quod alij verterunt, In decreto vini. Vulgata versio habet, Et iam temulentus præcepit, vt adferrentur vasa. Alij legunt, iussitq; Balthazar cum vinum potaret adferre vasa, &c. Poterat etiam legi, In gustu vini, id est, cum vinum potatum iam occupasset mentem eius, ex temulentia iubebat adferri vasa sacra. Germanicè, **In einer wynfüchte/als er ein güten trunck hat.** Nemo autem peccans per temulentiam excusatur apud Deum, imò ne apud sapientes quidem iustitiæq; obseruantes homines. Temulentia enim quid aliud est, quàm voluntaria insania, qua vino nos ingurgitantes, non ignoramus mentem nostram fore capiendam vinciendamq; ? Certè temetum dictum aiunt, quòd tentet ac labefactet, nimirùm mentem, deniq; & membra. Maro Georg. 2. lib. de vino loquens, Tentatura pedes, inquit, vincturaq; linguam. Ex ebrietate certè infinita enascuntur mala, & in præsenti quidem luxuriosum Regem reddit etiam sacrilegum. Nam vino dictãte mittit in templum, in cuius adytis, vasa sacra Hierosolymis è templo, in Babylonem allata, recondiderat Rex Nabuchodonosor, sicut 1. huius libri capite est dictum, vt inde in conuiuium sacra vasa importarentur. Latitarant illa in gazophylacio 70. hisce captiuitatis Iudaicæ annis. Non legun tur interea ab vllo fuisse prolata in publicum. Voluit enim Deus vasa legitimo cultui destinata & consecrata, mirabiliter conseruare etiam inter hostes & in ipsis hostium arcis, vt expletis 70. annis, iterum reportarentur integra in templum Hierosolymitanum, à reduce populo restaurãdum. Quod Ezras factum esse in 1. cap. suæ historiæ testatur manifestissimé. Ac fuerant hæc vasa sub Mose primùm, deinde sub Solomone & alijs regibus, Deo sic iubente, verè Deo consecrata, et vt Deus Arcę prophanationẽ vindicauit in Palestinis, ita horum quoq; vasorum templi prophanationem dissimulare nõn potuit. Proinde per abusum & contumelioſum quidem abusum vasorum sacrorum templi Hiero- *Vinum bibere in conuiuijs.* *Temulentia.* *Sacrilegium.*

ſolymitani, ſacrilegum fit conuiuium Regis. Nam in contumeliam Dei & ſacrorum iubebat inferri vaſa eaq; porcis, id eſt ebrijs combibonibus ac ſcortis ſuis ſubſterni, vt eſſent inſtrumenta libidinis & luxuriæ, quæ alioqui inſtituta erant olim à Deo, ad ſobrietatem, ad religioſum vſum, Deiq; cultum, & ad myſteria maxima Chriſti adumbranda. Nec erat eorum vſus alijs, quam ſanctificatis conceſſus. At nunc canes impuri ex illis potant, & vino ex illis ſe mutuùm proluunt atq; ingurgitant, rex videlicet impius, principes eius impuri, vxores eius & concubinæ eius immundæ. Ac mireris non immeritò, quid faciant in conuiuio, hoc luxurioſo & nocturno, mulieres honeſtæ, ſi modò honeſtæ fuerunt? Sed facile eſt colligere ex legibus moribuſq; Babyloniorum, quos recenſet Herodotus, veram Babylonicis mulieribus pleriſq; defuiſſe caſtitatem atq; puritatem.

Prædicant Deos ſuos.

Accedit modò conuiuis aliud quoq;, quod ipſorum conuiuium luxurioſum & fœdum aliàs magis reddit ſacrilegum, quòd videlicet potantes è vaſis templo Dei deſtinatis, iam etiam Deos Babylonios, non ſine ſumma contumelia veri Dei, laudant atq; extollunt. Quoniam enim allata erant vaſa illa à Nabuchodonoſore patre, id eſt auo (receptiſſimum enim eſt in omnibus propè linguis, & apud omnes gentes, auos appellare patres) qui templũ & diripuerat & inflammarat, & ſpolia opima ex templo in Chaldæam importarat, conuiuę cernẽtes iam corã vaſa illa templi à victore cum triumpho illata vrbi Babylonicæ, cœperunt haud dubiè victoriam illam, non tantùm extollere, ſed eam quoq; attribuere Diis ſuis: quaſi hi vicerint & ſub iugum miſerint Deum Iſraelis. Ergo ſuam illã religionem, quæ reuera ſuperſtitio erat vaniſſima, veram eſſe religionem, Iudæorum vanam atq; falſam, Deum Iſraelis impotentem eſſe, vtpote qui nec templum ſuum, nec populum ſuum aſſerere, vel voluerit, vel potuerit. Suos ergo Deos veros & fortes eſſe Deos, qui ſuis cultoribus victoriam concedant, & vaſa huiuſmodi precioſa donent. Fuerunt autem hæ meræ, & ſunt intollerandæ contra Deũ blaſphemiæ: quas & protinùs iuſta Dei ira cœlitùs puniuit. Interim aliud veluti agens Daniel artificioſè vituperat Deos Babyloniorum, cum eos aureos, ligneos lapideosq; nuncupat. Ac dubito, ſiquis hæc abſq; riſu audire vel legere poſſit. Quid enim ſtultius dici poteſt, quàm Deum eſſe ligneum aut lapideum? Quod gentes excipiunt ſe nec ſentire Deos ſuos eſſe lapideos nec colere ſigna, id eſt lapidem vel aliam materiam, ſed Deos per hanc ſignificatos, dudum confutauit Lactantius lib. Inſtit. 2. Diſſerui ego quoq; alibi eadem de re copioſius. Ex hac autem deſcriptione conuiuij luxurioſi & ſacrilegi, licet velut ex vngue, quod dicitur, æſtimare leonem, id eſt intelligere qualis fuerit ſtatus regni Babylonici, cũ euerteretur à Domino, certè impiſſimus, impuriſſimus, corruptiſſimus Caueant autem ſibi qui etiam nunc tales ſunt, ne et ipſi de repente, dum nondum putarunt, euertantur.

Dij ligneꝰ & lapidei.

Iuſta & opportuna Dei vindicta.

Sequitur porrò ſecundus locus huius Actus Danielis quinti, nempe iuſta & opportuna Dei vindicta, vel vindictæ potius euidens reuelatio. Nam eadem hora & illo ipſo tempore, quo Deum Iſraelis blaſphemant, & falſos Deos cum ſuperſtitione tantoperè prædicant, emicuerunt è pariete digiti humanę manus qui ſcripſerũt ex oppoſito candelabri, in albario parietis aulæ regiæ, & quidem in conſpectu & ob oculos regis, vt ex aduerſo ſcribentem manum cogeretur intueri. Multa in his veniunt conſideranda. Principiò celeritas vindictæ diuinæ. Simul enim ac impij pertinaciter & impudenter pergunt in ſua impietate & in ſuo ſacrilegio, Deus quoq; in illo momento exerit ſuam manum, percuſſurus. Sic antea audiuimus, dum ſermo ſuperbus & arrogans adhuc eſſet in ore Nabuch. ruit vox cœlitùs, quæ ei præſens denũciat ſupplicium. Proinde etſi Deus

per

per 70. annos dissimulasset plurima, nunc tamen amplius non tardat iusta Dei ira atque vindicta, quando videlicet Amorrhæorum iniquitas impleta esset. Deinde manus se profert è pariete. Manus est operationis instrumentũ, & symbolum diuinæ potentiæ & operationis. Ac Deo difficile non est è quouis loco depromere suas vires, vel etiam ex vicino pariete. Non enim procul abest, sed è propinquo adest omnibus suis creaturis, qui nullo loco concluditur, sed vbiq; est. Non est ergo in mundo locus vllus, qui nos tegat aut protegat, si simus impij, contra diuinam vindictam. Sed & manus articuli vel digiti accommodant se ad scribẽdum in pariete, qua re significatur iudiciorũ Dei certitudo, & quòd sententia iam scripta & quasi lata sit contra impiam & sacrilegam Babylonem. Ioan. Oecol. Ad hoc, inquit, apparet manus, quasi dicat, Non mitto nunc prophetam, ad cuius vocem resipiscere liceat, sed iudicium scribo, quod indelebile futurum est, & quod timere poteris, euitare non poteris. Rabbi Saadias dicit verè manum Gabrielis esse. Et quidem certum est, angelico ministerio conflatam, quocunq; tandem authore angelo. Hæc ille. Daniel ipse postea hæc interpretans, Nunc igitur à Deo, inquit, missus articulus manus, hanc scripturam exarauit. Ergo qualis qualis, aut cuius tandem hæc fuerit manus, constat certè à Deo esse missam, atq; ideò Dei esse manum. Deus enim est vindex iustus. *Manus scribit in parietem.*

Diligenter quoq; annotatur à Daniele locus in quẽ scripsit manus illa, nempè in albarium parietis aulæ regiæ & ex aduerso candelabri. Locus ergo maximè fuit conspicuus, cùm ob alborem parietis, tùm ob candelabrum illustre, ex aduerso scripturæ positum. Suspicantur nõnulli candelabrum hoc illud fuisse, quod in templo Solomonis aureum steterat, iam verò fuerit in Babylonẽ translatum positumq; ceu trophęum in aulam regiã. Siue verò hoc fuerit, siue aliud à regibus positum ad illuminandam aulam regiam, constat hinc certè Deũ vel le sua iudicia esse quàm maximè conspicua, & innotescere illis contra quos eduntur cœlitus. Quo nimirùm & illud pertinet, quod rex ex opposito cogitur contemplari manum scribentem Ita nobis quoq; obijciuntur aliquando cõrem planda sydera portẽtosa & prodigia, prædicatur item nobis disertis Dei verbis quid irrogaturus sit nobis, iratus peccatis nostris, Dominus. Plærique hæc contemnunt & rident. Cæterùm aderit aliquando tempus quando Deus sua iudicia etiam auersantibus, ob oculos obtrudit animisq; impiorum insinuat, imprimit, & horrendum in modum in animis ipsorũ retinet, auget, infando vtiq; cum dolore eorum quorum conscientiæ feruent & furiunt. Quò & sequentia pertinere videntur.

Etenim tertio huius Actus Danielis loco exponitur à propheta, quomodo affectus fuerit Rex ad diuinam illam manus scribentis visionem. Concidit ille derepentè, & quidem protinùs, animoq; angitur miserè, & toto cohorrescit corpore. Icon ergo nobis statuitur hominis impœnitentis ac impij, qui iam incipit ab irata Dei manu affligi. Nemo facilè impiorum angustias, furores, dolores & cogitationes varias ac desperabundas miserum in modum affligentes cor trepidum explicauerit. Huius tamẽ aliquid nobis vtcunq; in misero hoc exprimitur Baltazare, cuius forma ad vnicam hanc visionem penitùs est mutata, qui enim hilaris ac lætus exultarat, derepentè sibi eripitur totus, contrahitur, mœret, pallet & mortuo fit similior, quàm viuo. Cogitationes eius ipsaq; conscientia pessimè sibi conscia ceu flagello horribili & furijs tristiss. ipsum exagitarunt miserèq; perturbarunt, lumborũ vincula soluta sunt, tremoreq; horrendo concussa membra, corpus eius totum reddidere flaccidum & mortuum. Huc pertinet descriptio eiusdem huius nostri Baltazaris, ab Isaia cap. 21. posita. Docent illa omnia nos, miserrimum & deploratissimum esse statum impœnitentium *Quomodo affectus fuerit ad visionem rex.*

omniumq; eorum quos ob peccata incipit punire dominus. Dolere & mirum in modum dolere possunt, sicuti & in Iuda proditore Christi cernitur: sed dolor hic eorum est absq; consolatione, absq; conuersione ad Deum, absq; omni fide & spe. De qua re disserit & Apostolus in 2. Corinth. 7. cap. Præterea cernimus hic palàm in Baltazare, in ebrijs nullum esse consilium, nullum animum ac robur, licet temulenti multa iactitare, gloriari & minari soleant. Videre hoc ipsum licet & in Nabale apud Samuelem lib. 1. cap. 25.

Conuocantur sapientes.

In horrenda illa sua perturbatione conuocat Rex magos, vel sapientes suos, & quidem impotenter & turbulenter, vt omnia cum vociferatione, incipitq; illis polliceri amplissima priusquàm in conspectum Regis peruenissent. Et quidem impij in suis difficultatibus non confugiunt ad Deum & ad preces fideles, sed ad magos potiùs, ad malas artes, & ad seductores, arbitrantes præterea se promissis suis & muneribus omnia effecturos. Cum autem vocantur sapientes in aulam, certè in conuiuio quod agitabatur in aula non fuerunt. Conuiuijs enim huiusmodi solent abhiberi, non sapientes & moderati viri, sed duntaxat boni socij, comedones & bibones. Vt ut verò oderint affectibus dediti principes, homines sapientes, rediguntur tamen eò, non rarò difficultatibus suis, vt vel inuiti sapientum cogantur postulare consilia. Hoc ipsum hic euenit Balthazari & apud Ieremiam in cap. 38. Zedechiæ regi. Quanquam ingens sit inter Ieremiam & hos sapientes, qui non erant verè sapientes, differentia. Habebantur interim à rege stulto pro sapientibus. Præmia autem talia proponit, qualia antea auus eius etiam proposuit suis sapientibus, purpuram, torquem auream & dominatum vel triumuiratum.

Sapientes Babylonis regi nihil præstant.

Atqui ne nunc quidem, dum ad Regem veniunt sapientes, quicquam ei præstant. Nam scripturam ne legere quidem, nedum interpretari possunt. Ita semel & iterum in cap. 2. & 4. ignari rerum (ijdem illi aut qui illis in collegio sapientum successerant) Nabuchodonosori nihil certi potuerunt exponere, nullumq; dare consilium. Vides ergo quid humanæ sapientiæ tribuas in rebus maximè serijs & ad salutem pertinentibus. De qua re antea dictum est satis. Vide præterea quæ hac de re prædixit Isaias in cap. 47. Cumq; falsus rex expectatione sua, nihil prorsus iuuaretur à suis illis sapientibus, adhuc grauiùs & horribiliùs perturbatur & angitur. Cui accessit & hoc malum ingens, quòd ne principes quidem ipsius ipsum, vel consolari vel vllo iuuare consilio potuerunt. Obstupuerunt enim penitus & exhorruerunt ipsi quoq;, nec quo se verterent sciuerunt. Et hoc quidem dignissimum est præmium, quod deberur omnibus impijs, idololatris, sacrilegis, veræ sapientiæ verbiq; Dei contemptoribus, osoribus illusoribusq; ebrijs, item & luxu perditis nebulonibus. Domine Iesu libera nos ab omni malo.

HOMILIA XXV.

At Regina ob negotium quod Regi & principibus eius acciderat, ingressa est domum conuiuij, & loquens regina, dixit, Rex æternùm viuito, ne terreant te cogitationes tuæ, neq; forma tua immutetur. Est enim in regno tuo vir, in quo est spiritus deorum sanctorum: in quo temporibus patris tui reperta est illuminatio, & intelligentia, & sapientia, qualis est deorum, et hunc Rex Nabuchodonosor pater tuus præfecit antistitem magorum, sophorũ Chaldæorum & fatidicorum (hoc inquã fecit) pater tuus, ô Rex.

Eo

Eò quòd in Daniele, cui Rex nomen Baltazar imposuit, repertus est spiritus amplior, & scientia intelligentiaq́, vt somnia interpretetur, et ænigmata edisserat, soluatq́ perplexa. Nunc ergo vocetur Daniel, qui rem interpretando explicabit. Itaq́ Daniel adductus est ad Regem. Rex autem alloquēs Danielem, dixit, Tu ne ille Daniel es, vnus de captiuis Iudæis, quos pater meus Rex adduxit è Iudæa? Audiui equidem de te, quòd spiritus Deorum sanctorū in te sit, & quòd illuminatio & intelligentia & vberior sapientia in te sit deprehensa. Adducti sunt nunc quidē ante me magi & sophi, qui scripturā hanc legerent, eamq́ mihi interpretarentur, verùm minimè potuerunt negocium explanare. De te autem audiui, quòd obscura possis interpretari & perplexa explicare. Proinde si potes legere scripturam eiusq́ interpretationem mihi indicare, purpuram indues, & torquem auream (gestabis) in collo, ac tertius in regno dominaberis.

IN perturbatissimis aulæ rebus, aperit se quarto loco lux saltem aliqua, profecta ex Regina, quæ in medium confert aliquid consilij & consolationis. Atque ita sternit Deus viam per illustrem personam, ad sui iudicij iusti contra Baltazarem luculentā declarationem. Quouis enim tempore deligit sibi Deus accommoda media per quæ reuelet suam voluntatem & iudicia sua contra hostes suos, simul etiam declarans, quòd quæ contra ipsos statuit vel iudicat aut decernit, iustissimas ob causas statuat atq́ decernat. *Deus per commoda per quæ aperit sua iudicia.*

Non exprimitur aurē diserte à propheta, quæ nam fuerit illa regina. Vxor regis esse non potuit Audiuimus enim vxores eius in conuiuio accubuisse ad mensam. Hæc autem regina non fuit in conuiuio, sed aliunde, oborta turba in aula, ingreditur in aulam, vbi agitabatur ab aulicis cōuiuium. Necesse est itaq́ illam fuisse reginam matrem, siue demum auia fuerit, siue genitrix Baltazaris. Certè Iosephus in Antiquitatibus suis auiam, Nabuchodonosoris vtiq́ vxorem fuisse putat. Origenes matrem fuisse existimat, nimirum vxorem Euilmerodachi. Cui sententiæ suffragari videtur & Herodotus in Clio, vbi Baltazarem hunc nominat Labynitum, dicitq́ filium fuisse Nithocris fœminæ sapientissimæ, quæ hæc esse regina videtur. Verùm hac de re nolumus contentionis funem ducere. Vtut enim ea res habeat, satis constat, reginam hanc matrē non fuisse in conuiuio luxurioso, sed sobriam accurrisse, cum intellexisset ex nuncijs, aulam esse perturbatam & filium vehementer afflictum. Rex autem, principes eius omnes, adde & sapientes Babylonis vniuersi, nihil in sua illa consternatione animi nihilq́ habent consilij: sola inuenitur regina mulier, quę & consilium suggerit, & cordatè loquitur regemq́ consolatur. Confundit ergo hic quoque Deus vt aliâs sæpe, per infirma & exigua huius mundi, ea, quæ in mundo videntur robusta & maxima. Declarat item hic casus, quid expectemus in periculis ab hominibus impijs, ebrijs & luxu perditis, nihil nisi horrendam desperationem. Vsus est alioqui & in alijs rebus non exiguis Deus, opera mulierum, maximè cum viri cessarent, ignaui essent, nec facerent suum officium. Quod apparet in Debora, in Holda, in Iudith & alijs sapientibus excellentibusq́ Heroinis. Proinde in captandis vel accipiendis consilijs, non est spectanda persona, sed ipsa potius res, quæ profertur, quæ si sit bona, noli prætexere sexum aut ætatem. *Quænam fuerit hæc regina. Regina suggerit consilium. Consilia non aspernanda.*

temvel genus obstare, quo minus bono obsequare consilio. Notissimũ est enim prouerbiũ, Sæpe etiam est holitor (siue alij vt legunt, stultus, μωρὸς pro κήπωρος) valde opportuna loquutus. Quo quidem admonemur, non esse fastidiendam salutarem sententiam propter authoris humilitatem. Nam fieri nonnunquam vt aliquis infimæ sortis ac notę vir aut minimè doctus, dicat quidpiã, haud quaquam aspernandum, etiam summis viris. Cui respondet illud Cæcilianũ apud Ciceronem in Tuscul. quæst. Sæpè est etiam sub pallio sordido sapientia. Nemo ergo spreuerit muliebre consilium. Et in lingua nostra Prouerbium iactatur, **Vil wyßheit verdirbt in armer lüten seckel**/ id est, pereunt multa bona & sana consilia, quæ cum lateant apud pauperes, nemo curat aut ab his requirit.

Oratio reginæ matris ad regẽ

Exponitur à Daniele diligenter Oratio reginæ ad regem habita, qua suadet vt rex vocet Danielẽ, qui posit mysterium scripti illius portentosi horrendiq; explicare regi. Sic enim Deus per hanc fœminam adducit regem ad cognitionem iusti iudicij sui. Verùm perstringenda est nobis oratio & perfunctoriè quidem explananda per singulas partes. Principiò salutat regem more consueto, imprecans ipsi longæuitatem cum felicitate: docens vtiq; suo exemplo non malo, magistratui debitum honorem impendendum esse, etiam ab illustribus personis, qualis erat Regina, non modò à vulgaribus. Deinde masculum quiddam sapit, quòd consolationis ergò mulier hortatur, ne vir & rex ita turpiter & muliebriter se in desperationis barathrum demergat, ac ita se gerat, vt omnes alios secum abripiat in desperationem. Esse enim sapientem in vrbe virum, qui & explicare possit scripturam illam prodigiosam, & dare consilium salutiferum. Et

Laus Danielis.

hac occasione defertur mulier ad laudes Danielis amplissimas: quæ sanè vergunt in vituperium regis luculentissimum. Turpe enim erat, quòd rex habebat virum tantum tamq; charum suis maioribus, & ipse interim nihil dum de ipso sciret, hominem non nosset, neq; vnquam eius consilio vsus esset. Verùm tales sunt homines impij & maximè lurcones gulosi & temulenti. Oderũt enim homines sapientes, sobrios & bonos, abhorrent ab eorum consortio, adiungũt autem sibi homines leues, scurras, comedones, bibones (quos nostri gurgites **schlucker** vocant) nebulones, mimos ac balatrones. His delectantur, hos libenter audiunt & magnificiunt.

Tribuit regina verè Danieli spiritum diuinum, quem illa pro more gentis nuncupat (sicuti & antea dictũ est) spiritum sanctorũ Deorum. Tribuit ei, quod per explicationem subiungitur, illuminationem, intelligentiam, & sapientiam talem, qualem in Deo esse nouimus, id est, absolutissimã. Nam per species illas nihil aliud significauit, quàm nullam omnino esse partem sapientiæ & scientię, in qua ille non excellat & superet omnes. Ideò enim subiungit quod à Nabuch. propter eximiam illam suam sapientiam, collegio magorum vel sapientum sit præfectus, tanquã omnis sapientiæ præstantissimus Coryphæus & thesaurus. Et repetit non frustra hoc fecisse patrem eius, nimirùm qui & ipse fuerit sapientissimus & omnium præstantissimus princeps, cuius factum culpari nec potuit à quoquam nec debuit. Ac repetit expositione regina, iterũ, quanta Daniel polluerit rerum omniũ peritia. Tandem in tria, rerum harum omniũ summam concludit, & dicit, Potest ille interpretari somnia, explicare ænigmata, & perplexa vel arcana quæuis soluere. Lutherus nõ ineleganter vertit hunc locũ, **Trõum zũ düten/ dunckel spr üch zũ errahten/ vnd verborgen sachen zũ offenbaren.** Insignis sanè laus est, quæ ei tribuitur à fœmina sapientissima. De qua Herodo-

Regina Nithocris.

tus in Clio, Regina Nithocris huiusmodi, inquit, machinata est dolum, Supra portas vrbis celeberrimas in loco edito atq; conspicuo sepulchrum sibi extruxit cum huiusmodi inscriptione. Si cui regum Babylonis post me futurorũ fue-

rit pe-

rit pecuniæ penuria, aperto ſepulchro accipiat quantum libuerit, modò ſit indigus, alioqui enim ne aperiat. Intactum fuit hoc ſepulchrum vſq; ad Darium, qui cum aperuiſſet tumbam, non modò nullam inuenit pecuniam, ſed inſuper literas ita ſonãtes, Niſi pecunia eſſes inexplebilis, & turpis lucri cupidus, haud aperuiſſes vrnas defunctorum, &c. Sub finem orationis ſuæ defertur ad caput cõſilij ſui, ac ſuadet Regi filio, vt aduocet ſapientiſsimum illum Danielem, qui portentoſam legat ſcripturam, & ipſi explicet rectéq; conſulat.

Adducitur Daniel ad regem.

Quinto itaq; loco huius Actus 5. adducitur ad Regem, prout regina conſuluerat, Daniel. Ergo non fuerat in conuiuio luxurioſo, neq; fuerat cum Magis qui ad Regem vocati nihil Regi præſtiterant. Nam pij ſeſe ſeparant ab impijs neq; commiſcentur cum eis. Tametſi enim in eadem vrbe & pij & impij cohabitent, nonnunquam ijſdem vtantur ædibus, & communicent in rebus corporalibus, non communicant tamen pij cum impijs in ijs quæ pietati ſunt aduerſa. Proinde Apoſtolus non iubet nos emigrare ex mundo, ſed, Ne commercium, inquit, habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, quin ea potius arguite. Et iterum, Eſte ait, ſicut filij Dei inculpabiles, in medio nationis prauæ & tortuoſæ, inter quos lucete tanquam luminaria in mundo, ſermonem vitæ ſuſtinentes, &c. Ergo quamuis in Babylone in medio nationis deprauatæ habitaret Daniel, impollutum ſe tamen ſeruauit à Babylonicis abominationibus. Deniq; ſi vixit aut habitauit adhuc in ſapientum collegio, quod tamen veriſimile non eſt, præſertim ſub rege adeò nihili omnem ſapientiam faciente, dubium tamen non eſt, quin ſe ab omni prophanatione magorum falſæq; ſapientiæ purum aſſeruarit. Fortè habitabat in vrbe alicubi, vbi ab omnibus pijs & verè ſapientibus frequenter inuiſebatur: vnde iam regina ſuadente euocatur in regiam.

Philip. 2. Epheſ. 5. 2. Cor. 5.

Qualis oratio regis ad Danielem.

Habet ad ipſum rex orationem conceptam & ferè ex integro formatam ex ore matris vel auiæ reginæ. Nam ferè reſpondent ſtolidi reges legatis aliunde venientibus, proponuntq; cauſas ſubditis ſuis, conceptis verbis, & ſuggeſtis veluti in aurem, ab ijs qui ſunt regi à ſecretis & conſilijs. Oratio certè virũ qualis ſit prodit. Vnde Socrates ad eum, quem noſſe cupiebat, dicebat, Loquere vt te videam. Ex oratione enim non ex vultu vel aſpectu iudicare volebat, qualis ille eſſet quem cognoſcere cupiebat. Et Solomon dicit, Fatuus fatua loquitur. Ac ſtultitia regis huius noſtri Baltazaris mox ex principio orationis ipſius, qua cauſam totam qua angebatur, Danieli exponit, eluceſcit. Dicit enim, Tu ne ille Daniel es, vnus è captiuis Iudæis, quos pater meus rex adduxit huc ex Iudæa? Reſipit oratio hæc ſupercilium faſtumq; regium ſuperbiſsimum. Contemptim enim loquitur de viro ampliſsimo. Imò imprudẽter ſtolidiſsimeq; obijcit & improperat ei captiuitatem & ſeruitutem, & quòd Iudæus eſſet, religionis vtiq;, regis ſtulti iudicio, vaniſsimæ. Præterea iactat etiam victoriam paternam, calamitatemq; gentis miſeræ refricat. Quod nullus facit vir ſapiens. Honorificè loquuta eſt de Daniele regina: at rex planè alloquitur præſentem contumelioſè. Reliqua quæ ſubiungit accepit & protulit ex ore matris reginæ, principiũ orationis in ipſo natum & ex ipſius ſapientia, id eſt inſigni ſtultitia profectum eſt. Meritò ſub huiuſmodi rege diſſipatur monarchia potentiſsima, ac ad alios trãſfertur ſapientiores & meliores, quales ſanè erant Darius Medus, & Cyrus Perſa. Diſcamus nos hinc nemini improperare vel generis obſcuritatem, vel maiorum amicorumq; vitia, nationem aut conditionem calamitoſam. Inſtabilis eſt fortuna, ergo qui eras illuſtris, illico reddêris obſcuriſſ. Contineamus ergo nos intra terminos modeſtiæ, ſemper memores infirmitatis inſtabilitatisq; rerum humanarum.

Nemini improperemus ſuam miſeriam.

Rex Danielem non nouit.

Pergit Rex in sua oratione & ait, Audiui equidem de te, &c. Apparuit itaque regem nesciuisse in regno suo virum esse tantum. Si quando sub parentibus vidit eum, non tanti tamen eum fecit, vt obseruarit, & nunc nosse potuerit. Si hodie quoq; animalia ventris videant aliquoties viros claros, quia tamen ipsorum rationem nullam habent, perinde est ac si viderint nunquam. At turpissimum erat nescire Regem se habere virum in regno sapientissimum, quem tanti maiores eius fecerant, & apud quos tam stupenda patrauerat. Verùm huiusmodi ventres diligenter indagant, vt sciant, sicubi in vniuerso regno sit egregius potator, Sannio, cupediarius, Apitius, vel Heliogabalus, aut Epicuri aliqua de grege scropha, hunc norunt, exosculantur, & magni faciunt.

Ita loquitur rex vt audiuerat à matre regina.

Quæ laude digna de Daniele post hæc recitat Rex, ex ore matris reginæ didicerat ac recitat. Intertexit autem protinùs narrationem rei gestæ, quæ ipsum reddiderat anxium & miserè affligebat. Vidi ego manum, inquit, ex opposito scribentem, nescio quam sententiam, in parietem. Quam cum nec legere, nec intelligere possem, conuocaui omnes ad me sapientes, qui scripturam illam legerent, & mihi interpretarentur: verùm nihil mihi hac parte præstiterunt. Ita cogitur insipientia, superstitio & impietas, sua sponte contra semetipsam testificari, licet verè non agnoscat, quod testificatur, stolidam & inanem se esse penitus, ac in rebus seriis se nihil præstare posse, cultoresq; & admiratores suos turpiter deserere in discrimine absq; consilio & auxilio. Nunc itaq; rex ad Danielem conuersus, Cum intelligam te verè esse sapientem, & qui arcana quælibet in lucem proferre, & explicare perplexa possis, vocaui te, vt tu nũc mihi hanc in pariete scripturam legas & exponas. Vt autem ipsum vehementius moueat, ampla illa promittit Danieli præmia, quæ antea quoq; promiserat suis sapientibus, purpuram, torquem auream, & dominium vel triumuiratũ in regno. Proinde pollicebatur sibi rex adhuc (& cum vidisset iam prodigiũ) regnum sequurus, nec agnoscebat se mox mactandum & regnum eius ad aliũ transferendum. Deprehenditur huiusmodi sequuritas in omnibus impijs ad extremum vsq; vitæ spiritum. Verùm pestifera est illa securitas, contra quam spiritus Dei in scripturis nos docet, semper meditari mortem & nihil fidere rebus præsentibus, sed fidere Deo, hunc reuereri & sedulò inuocare, expectareq; fata.

Confundit impietas semetipsam.

Impij nimis sunt sequuri.

Purpuram & torquem gestare nõ erat quorumlibet quondam.

Purpura & torques quondam non erant quorumlibet, sed optimè meritorum de repub. nobilium atq; potentum, signa vtiq; virtutis & publicæ administrationis. Qui tales non sunt, sed ignobiles potius, attamen ex vsura diuites, & nihilominus gestant purpuram & torquẽ, ignominiæ stultitiæq; suæ euidentia signa gestant. In regno bene constituto & in bona repub. non feruntur quæ pugnant cum politia iusta & honesta. Perdit certè integras familias luxus vel splendor vestium ornatusq; comparatus ex gemmis ex auro rebusq; preciosis. Possunt his maiore cum laude & fructu carere, quàm vti, vulgares homines. Legantur scripturæ apostolicæ hac de re editæ in 1. Pet. 3. cap. & in 1. ad Tim. 2. cap. Deo sit laus & gloria.

HOMILIA XXVI.

Tunc respondens Daniel dicit coram Rege, Munera tua tibi habeto, & dona tua alteri dato, nihilominus scripturam legam Regi & interpretationem tibi ostendam. Nabuchodonosori parenti tuo ô Rex, cõtulerat Deus regnum, magnificentiam, decus & gloriam. Propter magnificentiam autem quam ei cõtulerat,

omnes

omnes populi, nationes & linguæ metuebant atq; timebant eum, propterea quod occideret quem vellet, & percuteret quem vellet, eueheret quem vellet, ac deprimeret quem vellet. Cumq; eleuaretur cor eius, et spiritus eius obfirmatus esset in superbia, de solio regni sui depositus est, illiq; decus ademerunt. Et ab hominibus est eiectus, ac ferino sensu præditus, inter onagros est versatus, eumq; gramine ceu boues cibauerũt, & corpus eius de rore cœlesti tinctum est, donec agnouit quòd supremus Deus regno hominum dominetur, & quem voluerit constituat in eo. Tu autem filius eius Baltazar, non humiliasti cor tuum, cũ scires hæc omnia. Et aduersus Dominum cœli eleuatus es, & vasa domus eius attulerunt ante te, tuq; & principes tui, vxores tuæ et concubinæ tuæ vinum ex eis biberunt, deosq; argenteos, aureos, æreos, ferreos, ligneos, lapideos, qui neq; vident neq; audiunt, nec quicquam norunt, laudauisti. Deum autem in cuius manu est tuus spiritus (vitalis) cuiusq; sunt omnes tuæ semitæ, non honorasti.

Responsio Danielis data regi

SExto loco recitatur Responsio Danielis, Regi data Baltazari ad eius postulationem. Oratio prophetæ est expositoria, deflectens in inuectiuam & absoluitur partibus duabus. Prior pars continet narrationem. Nam Regi exponit quid factum sit cum auo suo Nabuchodonozore, quo exemplo cum nihil sit emendatus Baltazar, imò factus deterior, prouocasse ipsum in se grauissimã Dei manum. Posteriore parte explicat manum illam Dei, id est, exponit scriptum illud manus diuinæ, exaratum in pariete, qua re iustum ipsi iudiciũ Dei denunciat.

Quomodo reiecerit munera regis Daniel, quæ postea accepisse dicitur.

Auspicatur orationem non sine indignatione & velut ex abrupto. Cum enim Rex regia promisisset Danieli munera, sperans se donis apud prophetam aliquid effecturum, reiecit hic excelso animo munera, iubetq; vt sibi illa retineat, & cupidis munerum largiatur, ipsum munera eius nihil morari. Non pugnat hæc sententia cum narratione mox consequente, Tunc iubente Balthazare, induerunt Danielem purpura, &c. Negat enim in præsenti se nihil ad gratiam & propter munera dicturum, vti Rex ineptus ineptè sperabat. Nam mox subiungit, Nihilominus scripturam legam Regi, nimirum ex officio & mandato Dei & non precio à te promisso conductus. Patitur itaq; sibi post explicationem inijci & purpuram & torquem, ne si reiecisset, videretur sibi addubitare de expositionis oraculi certitudine & veritate. Nam et Chrysostomus Rectè egit, inquit, Nam si detrectasset, maleuoli non hoc tribuissent virtuti, quasi contemptor esset diuitiarum, sed quòd ipse de responso dato addubitasset. Accepto autem honore confirmabat interpretationis veritatem. Nisi sentire libeat, reiecisse quidem illum munera atq; spreuisse: sed inuito nihilominus esse obtrusa à Rege. Admonet hoc Danielis factum ministros Ecclesiarum ne in officio suo respiciant ad emolumentum & dona, maximè impiorum, neue quidpiam sui muneris venale habeant pro muneribus, aut in gratiam munerum quicquam vel dicant vel faciant. Licet quidem ei qui Euangelium prædicat, viuere de Euangelio, sicut docet Apostolus 1. Cor. 9. sed non licet ventrem in munere Euangelico spectare, aut propter victum prædicare. Spectari enim oportet Dei vocationẽ & gloriam, hominumq; salutẽ. Admonet præterea hoc

Danielis exemplum. nec ſemper, nec omnia, nec à quibuslibet eſſe accipienda. Denique cum propheta Dei munera Regis tam indignanter auerſatur, ipſum quoque Regem faſtidit, reiectumq; eſſe à Deo ſubindicat. Contrarium exemplum habemus in apoſtolis, ad quos dicit Purpuraria, in Actis 16. Si iudicaſtis me fidelem Domino eſſe, introite in domum meam, & manete apud me. Id quod apoſtoli Chriſti ſponte fecerunt. Contra Samuel dedignatur ſequi Saulem Domino rebellem, ſicut legitur 1. Sam. 15. Nam ita nos gerere oportet erga impios, vt ipſi vel ex moribus noſtris, nedum ex verbis intelligant ſe eſſe deſpectos, dum in ſua impietate perſeuerant.

Arguit & conuincit regem peccati.

Priore autem reſponſionis vel orationis parte, priuſquam ſcripturam in pariete iudicium Dei continentem exponat, diligẽter iuſtas iuſtiſſimi iudicij Dei cauſas explicat, arguens regem de peccato, imò ipſum validè conuincens peccati grauiſſimi, quo iram Dei manumq; eius grauẽ ſua ipſius culpa ſacrilegaq; impietate in ſe prouocauit. Solent aliâs prophetæ omnes paſsim populo indicare ſcelera, quibus obnoxius ſui ipſius interitus cauſa eſt. Deinde demum pœnas vel exitium cõmeritum ſubiungunt. Multiplicem hæc in eccleſia Dei vſum habent, maximè quòd inde iuſtitia æquitasq; iudiciorum Dei relucet, omnisq; cauſa obmurmurandi Deo hominibus præciditur, & quòd hinc vniuerſi timorem Dei diſcunt, cauereq; ſibi à ſceleribus, quæ Deus celeri & tam ſeuera inſequitur vindicta. Quo autem commodiùs peccatum regi ob oculos produceret, exemplum aui Nabuchod. eleganter inducit, oſtendẽs quomodo ille peccarit contra dominum, & ſeueriter propter peccata cõmiſſa ſit à Deo punitus. Mox iſtud exemplum paternum filio accommodans pulchrè adaptat, oſtendens regem horrendo parentis exemplo nihil commotum, in illud ipſum ſuperbiæ ſcelus eſſe prolapſum, imò grauius ipſum peccaſſe contra Dominum impietate ſacrilega & abominanda blaſphemia. Vnde deinceps infert, merito apparuiſſe manum exarantem eius commeritum ad parietem iudicium. Quod ſub finem breuibus, ſed dilucidiſsimis efficaciſsimisq; verbis exponit.

Exemplum paternum & domeſticum.

Exemplum aui Nabuch. propoſitum à Daniele Baltazari regi, in 4. capite huius libri eſt expoſitum. Summa eius hæc eſt: Deus contulit in parentẽ tuum regnum omnium in orbe potentiſsimum, inſuper omnia quæ ad abſolutiſsimũ feliciſsimumq; regnum pertinere videntur. At parens tuus tantum hoc beneficium Dei non ita vt debuit æſtimauit, neq; ſortis ſuæ miſeriæq; humanæ memor fuit, ſed in intolerandam contra Deum elatus ſuperbiam, ſibi attribuit faſtu ſacrilego, quod Dei erat, neglectoq; Deo, ſe dominum orbis eſſe exiſtimauit. Deiecit itaq; ipſum Deus è ſolio, & mania percuſſum, eiecit ad feras, beluas, & quodammodò conuertit in beſtiam, hoc facto oſtendens, ſe eſſe dominum rerum omnium, & beluis non eſſe diſsimiles quotquot arroganter ſibi diuina tribuunt, ſortis ſuæ obliuiſcuntur.

Doctrinæ exẽpli huius ſalutares.

Interim colliguntur ex hac Danielis narratione aliquot vtiles doctrinæ, Deum videlicet, non fortunam aut conſtellationem vel hominum practicas, id eſt, malas artes, conferre regna regibus. Eundem & authoritatem regibus addere, vt dum collatam exercent poteſtatem, metuant homines & pareant ipſorum edictis. Ac videmus ſæpè impatientes iugi homines, ſignificationes edere varias animi contra principem, maligni & ad ſeditionem & parricidium proni, cohibentur tamen à Deo, ne quid auſint & poſsint: vt multi etiam mirentur quî fieri poſsit, vt princeps in tanto multorum odio non confodiatur, ſed feliciter ſaluusq; & incolumis regnet. Huc pertinent quæ Ieremias propheta diſſeruit de obedientia Nabuchod. præſtanda & filijs eius in cap. 27. & 29. Huc pertinet & apoſtolica doctrina quæ habetur ad Rom. 13. deſcripta.

Dum

Dum verò potestatem regiam recensens, dicit, Occidit quẽ voluit, percussit vel mactauit quem voluit, &. cnon referẽdum est ad Nabuch. tyrannidem, qua si hanc exercuerit in regno suo, sed est descriptio aut consignatio potestatis sancti magistratus vel regum aut principũ. Habet magistratus à Deo potestatem occidendi & viuificandi, seu in vita conseruandi, percutiendi item, id est in corpore vel fortunis mulctandi, euehendi item in administrationes publicas & ex his rursus deijciendi. In his omnibus cùm sit Dei minister magistratus, quod apostolus apertè dicit, ista quidem omnia nec debent nec possunt pro suo arbitrio aut pro sua voluntate vel libidine exercere, sed ad Domini cui seruiunt, & à quo in potestate constituti sunt, verbum ac voluntatem omnia & singula facere attemperareq; iubentur. Prohibet hic insontes cædere, prohibet bene meritos vel in corporibus vel fortunis mulctare, prohibet idoneos dignosq; viros deijcere ex administratione, & parum idoneos aut indignos euehere: adeoq; vno verbo mandans vniuerso magistratui Deus diserte dicit, Iustitiam iustè exequaris, vt viuas. Proinde iuxta hanc legem omnes principes omnia sua iudicia & omnem suam gubernationem dirigere debent, & iudicium iustitiamq; iustè exercere. Ac verisimile est Nabuchodonosorem non iniustè suum administrasse regnum.

Quomodo magistratus habeat potestatem occidendi.

Peccauit hic superba arrogantia, nec ea vulgari. Nam in præsenti dicit Daniel, Et spiritus eius induratus vel obfirmatus est in superbia. Nam obiecerat ei somnium Deus, addiderat & interpretem Danielem: sed perrexit ille in sua arrogantia. Peccatum est quidem per se superbire, sed admonitione spreta, & obstipo collo progredi in superbia, est cõduplicare vel multiplicare superbiæ peccatum. Proinde insequuta est mox pœna grauis, mania inquam qua obbrutuit rex & versatus est cum onagris. Vsurpatur species pro genere. Onagri enim animalia sunt maximè fera vt dictum est in Ieremia, & ab hominum consuetudine abhorrentia. Proinde significatur Nabuchod. ferinam quodammodò induisse naturam, & ab hominum consortio quàm maximè, dum mania illa sua laborauit, abhorruisse. Finis etiam annectitur, Donec agnouit quòd hominũ regno, &c. De quo dictum est cap. 4.

Exemplo porrò paterno adaptat per collationẽ factũ filij Baltazaris, huius peccatum amplificans, vt liquidò iustitia Dei inclarescat, & totus mundus Deum timeat oretq; sedulò, ne in parem prolabi sinat impietatem. Discimus hinc omnia exempla tam domestica quàm externa, tam sacra quàm prophana, adaptanda esse semper ad doctrinam & emendationẽ. Alioqui enim inutilia sunt. Cum filius vel nepos sis, inquit, Nabuchod. oportuerat, ô Baltazar, patris vt domestico non alieno exemplo maximè fuisse cõmotum. Nunc autem diuersũ euenit. Nã illius tristi casu nihil es humiliatus, quinimò factus es insolentior. Et ne ignorantiam prætexeret, prꝙoccupans, Ac sciebas, inquit, hęc omnia quę commemorauí, ob insolentem arrogantiam obuenisse parenti tuo. Vnde tu humiliari debueras. Pergit autẽ per partes exponere, quam multis partibus insolẽtia impijssima illa superauerit auũ. Aduersus Dominũ cœli extulisti teipsum. Quod mox probat regis facto sacrilego. Mandasti enim vasa domus Domini in luxuriosum tuũ importari symposiũ. Addit insuper quod scelus eius auget, Ex poculis illis bibisti tu cum vniuersa illa tua ebria lasciuaq; turba. Quibus accesit aliud longè enormius, Celebrastis Deos illos vestros Babylonios, tanquã victores Dei Israelitici quẽ ita cõtumelijs, ludibrijs & blasphemijs affecistis abominandis. Atq; ita superbia sacrilega extulisti te cõtra Deũ excelsum. Hunc nõ honorasti, non reueritus es, nec vt decebat glorificasti. Quibus iam optimè subiungitur Dei iustũ iudicium in blasphemũ nebulonem, in parietem exaratum.

Exemplum patris applicat filio.

Amplificatio sceleris Baltazaris.

Contra idololatras. Pulchrè autem & ex ſcripturis Dauidicis Daniel quamuis obiter & tacitè inter ſe conferens idola cum Deo, oſtendit quàm nulla ſit inter eos collatio, & quàm indigne faciãt & grauiter peccent, qui præterito vno, vero, viuo & æterno Deo, mirantur idola vel ſimulachra modis omnibus deridenda & ſordibus perfundenda. Dij alieni repræſentati per ſimulachra nihil planè ſunt, niſi vana ſtultorum hominum opinio: ſed & ſimulachra Deorum nihil diuini habẽt, ſiue formam ſpectes ſiue materiam. Formam enim quam voluit artifex dedit: & materia ex qua ille ipſa fabricauit, lignum eſt, æs, lapis, &c. Prꝛterea nihil vel vidẽt vel audiũt, nec quicquam norunt. Id quod Daniel mutuauit ex Pſalmo 115. Meritò ergo contemnuntur à bonis & ſapientibus omnibus. Meritò affirmamus nullam omnino eſſe collationem inter Deos alienos ſimulachraq́ eorum, & inter Deum verum. Ex oppoſito enim Deus verus, omnium rerum eſt conditor, vitaq́ omnium eorum quæ ſubſiſtunt, ipſe enim dat vitam & halitum vel ſpiritum vitalem omnibus hominibus. Quod & Apoſtolus teſtatus eſt apud Athenien. in Actis cap. 17. Rurſus eiuſdem Dei ſunt omnes hominum ſemitæ. Nam Dauid, Tu domine, ait, noſti ſiue ſedeam ſiue ſurgam, procul meam intelligis cogitationem, & omnes vias meas exploratas habes. Et quæ ſequuntur Pſal. 139. Ergo Dei viuentis omniaq́ videntis & vbiq́ præſentis prouidentia reguntur mortalium & omnium deniq́ rerum in mundo conſtitutarum omnia, conſeruantur deniq́ illa per Deum omnia. Vnde grauiſſimè illos peccare neceſſe eſt, quotquot hæc in Deo non agnoſcunt & prædicant, ab illo ſolo non pendent, ſed diuertentes ad creaturas, ſimulachra & ſuperſtitionem vel falſam ſuam religionem arbitrio hominum inuentam ſequuntur & laudant, &c. Dominus aperiat oculos cæcorum. Amen.

HOMILIA XXVII.

Nunc igitur ab eo miſſus articulus manus hanc ſcripturam exarauit, hanc autem ſcripturam exarauit MENE, MENE, THEKEL, VPHARSIN. *Et hæc eſt interpretatio huius ſermonis.* MENE *(ſignificat) quòd Deus numerauit regnum tuum & illud compleuit, (ad finem adduxit)* THEKEL *(ſignificat) quòd appenſus es in bilance, & deprehenſus minus habere.* PHERES *(ſignificat) regnum tuum diuiſum, et ad Medos atq́ Perſas eſſe translatum. Tunc iubente Baltazare induerũt Danielem purpura, & torquem auream (impoſuerunt) collo eius, et promulgauerunt de eo quòd tertius dominetur in regno. Eaipſa nocte occiſus eſt Baltazar Chaldæorum rex. Et Darius Medus regnum accepit annos natus ſexaginta duos.*

Argumentum & cohæſio huius loci. POſteriore Reſponſionis parte Daniel oraculare ſcriptum non tantùm legit Regi, ſed etiam exponit, annectitq́ eleganter præcedentibus hæc conſequentia. Arguit enim regẽ in ſuperioribus de grauiſſimis peccatis, quibus nunc opportunè infert, Et nunc cum tu talis ſis, emiſit Deus vindex iuſtus & vltor ſcelerum ſeueriſſimus, manum, quæ in parietem iudicium contra te ſcripſit iuſtiſſimum.

Illuſtria & intelligibilia ſunt iudicia Dei. Et Principiò quidem legit ſententiam exaratam patria vel Chaldæa lingua. Vult enim Deus manifeſtè ſua intelligi iudicia. Vnde ſuperius dixi in albario parietis

parietis & ex aduerso candelabri adeoq; in oculis omnium, exaratam esse hanc Dei sententiam iudiciariam, quæ & inter prodigia connumerari potest: Quod neq; rex, neq; magi regis, eam vel legere, vel intelligere potuerūt, & trepidatione pauoriq; & crassissimæ cæcitati, qua percussi erant à Deo, attribuendum est: & quòd Deus statuerat illam explicare per singularem suū seruum Danielem. Fuerunt prodigia quondam exhibita Dei populo & quidem stupenda, prænuncia certissima manifestissimaq; excidij vrbis Hierosol. & gētis Iudaicæ: & quamvis essent manifestissima, tamen non viderunt cæci homines, quæ à Deo prænunciabantur. Prodigia illa & apud Eusebium & Iosephum commemorantur. Temporibus Theodosij & Arcadij Imp. horrendum in modum tellurem concussit per plurimos dies terræmotus, visum est ipsum cœlum quoq; ardere, sed idololatræ Romani ea re nihil sunt permoti, sed nihilominus sicut commemorat Paulus Orosius in sua historia, cogitarunt de reparandis tàm idolis quàm sacris nepharijs. Ideoq; paucos post annos insequutæ sunt truculentissimę immanissimæq; Gotthorum irruptiones, & vrbis Romæ calamitates multiplices ac miserrimæ, &c. Ac hodie tertius agitur annus quo vidimus ardere cœlum. Interea graui bello propter dissidium religionis maximè, vidimus collisam multo cum cruore & incendio inter se Galliam Quid porrò futurum sit, nouit Dominus, qui suppliciter & perpetuò est orandus, vt nostri misereatur. *Prodigia.*

Postquam legit diuinam sententiam Daniel, mox eandem etiam interpretatur. Quatuos sunt verba Chaldaica quæ totidem Latinis exponi possunt. מנא מנא תקל ופרסין MENE, MENE, Numerauit, Numerauit. THEKEL. appendit, VPHRASIN & diuisit vel & diuidentes. Germanicè, zellt/zellt/gewägen/vnd zerteilt. Singulariter quidem hęc sentētia adaptatur Baltazari & excidio vrbis & regni Cæterùm competit simul omnibus omnium singulorumq; temporum Dei iudicijs, quæ suo loco & tempore suaq; ratione huic sunt similia. Semper enim idem est Deus, & iusta ac æqua sunt eius iudicia: id quod hac approbatur oraculari & iudiciaria sententia. Primum verbum conduplicatur, fortè ad modum Hebreæ linguæ, qua dicitur, Clamando clamauit, id est intentissimè clamauit, sic, Numerauit numerauit, id est exactissimè & maturè & rectissimè numerauit. Videtur enim non rarò Deus dormire, aut negligentiùs tardiusq; curare res & suas & sui populi. Videntur alijs omnia ferri temere & cæca regi fortuna. Cæterùm Deus exactissimè omnia disponens, numerauit (sic enim paulò copiosius sententiam Daniel diuinam exponit) regnum Baltazaris, illudq; consumauit siue ad suum finem perduxit. Initiū ergo mediumq; & finis regnorum est & moderatur à Deo. Ac Ieremias in cap. 25. & 27. disertè, ex inspiratione Dei, dixerat Babylonicam monarchiam duraturam ad annos 70. Deus ergo numerauit annos regni Babylonici, idem & annos vitæ Baltazaris numerauit, adeoq; & ad finē vtraq; perduxit. Nunciauit itaq; et attestata est hęc in pariete exarata scriptura, finem regni & vitæ Baltazaris iam instare, & vnà regem cum regno de repentè interiturum. Videri enim poterat anadiplosi & celeritatem interitus fuisse significatam. *Exponitur à Daniele scriptura.* *Numerauit.*

Testantur hæc & docent Deum in numerato habere omnia, & gubernare prouidētia sua vniuersa. Denicq; regna suas habere periodos a Deo destinatas. Proinde si viderimus regna, quæ miserum mortaliū genus diuexent, si videremus reges & tyrannos vehementer affligere pios, semper consoletur illud nos, quòd finem his quoq; Deus dabit, adeoq; & dudum constituit. De hominis vita in vniuersum sanctus Iob pronuncians dicit, Dies hominis exactè præfiniti sunt, & numerus mensium eius penes Deum est, eisq; præfixisti terminos, quos præterire non potest. Proinde dubitandum non est miserias & calamitates ho- *Prouidentia Dei omnia habet in numerato.* *Iob. 14.*

minum vniuersas, esse in manu Dei, qui eas exactè numerauit, Dauide quoque
Psalt 56. attestante, Fugas meas tu numerasti, lachrymas meas ponis in lagunculam tuã, an nõ in rationario tuo? Quę cum ita sint, credamus nos & omnia nostra Deo, nihilominus facientes, quæ ille nobis mandauit, vtentesq; medijs ab ipso nobis
Regula seruanda in considerationeprouidentiæ. destinatis, obediamus mandatis eius per omnia. Nemo enim dicat, Si Deus omnes vitæ meæ dies numerauit, si omnia sua gubernat prouidentia, non est quod faciam quicquam. Deus enim per media progreditur, legem denicq; promulgauit ad quam componamus vitam nostram, & vetat ne ipsum tentemus.

Appendit. Secundum verbum diuinæ sententiæ est, Appendit, TheKel, quod plenius exponens Daniel, dicit, Appensus es in bilance vel libra aut statera & deprehensus es minus habere, nimirum ponderis aut valoris pretijue quàm videlicet iustitia æquitasq; Dei requirebat ac in re esse debuerat. Bist zů ring vnd licht am gwichtfunden/daß du nüt solt. Statera alioqui iustitiæ symbolum est. Ac homines explorare solemus ponderando rerum precium seu valorem, itaq; ponimus in alteram libræ partem res quas explorare aut æstimare volumus, in alteram verò bilancis partem collocamus pondus, deinde eleuantes bilancẽ vel stateram exploramus an res pondus æquent. Si leuiores sint res pondere, reijcimus eas ceu iusto carẽtes precio vel valore, ideoq; æstimamus esse iniquas. Ad eundem modum Deus (loquimur iam humano more, vt rectiùs iustitia diuini intelligatur iudicij,) regem vnà cum regno suo in bilãcem collocauit, exploraturus regis regnique precium atq; valorem, ac mox deprehendit, nihil illa ponderis habere æqui, inania & vana esse omnia: nihil virtutis esse in rege, nihil iustitiæ & æquitatis in regno, omnia esse corruptissima atq; leuissima, daß es alles lichtferig vnd nütsöllend was. Pulchrè hac figura adumbratur iudicij diuini æquitas erga homines. Cogitemus ergo omnia nostra dicta & facta collocanda aliquando fore in bilancem. & ex oppositio appendendam voluntatẽ diuinam vel legem deiq; iustitiam. Nimis autem leues & vacui inueniemur omnes, nisi
Libra S. Michaelis archangeli precios us Christi sanguis nobis iustum addiderit precium atq; pondus. Pinxerunt quondam in idolorum templis diuum Michaelem tenentem in manu sua stateram. Appendebat ac pensitabat hic hominum animas. Ponderi se ex opposito sathan coniungit, quem Michael gladio deijcit ne animę leuiores inuenian tur. Verùm hoc beneficium Christo, non Michaeli est attribuendum. Pereant nugæ istæ. Constat autem ex illa imagine, Dominum Deum nostrum non tantùm in numerato omnia habere & ad finem destinatũ omnia deducere, sed sub finem omnia ad libram iustitiæ & æquitatis reuocare, & à quouis mortalium rationem vniuersæ vitæ exactè requirere, ac iuxta eandem mox iudicare. Cernitur hoc etiam in parabola illa euãgelica, qua deposcitur à dispensatore ratio dispensationis suæ. Et iterum, qua exigitur ab illis quoq; ratio qui acceperant talenta, Lucæ 16 & Matth. 25. Memores simus horum quouis tempore, mordicus retinentes & nos ipsos & nostra aliquando omnia examinanda esse per stateram diuinæ iustitiæ.

Diuisit. Quoniam verò deprehensus est rex vnà cum regno suo minus habere valoris quàm requirebat pondus diuinæ iustitiæ & voluntatis, ideò iam tertio loco sequitur pœna, per tertium significata verbum Vpharsin. Daniel ponit duntaxat verbum פרס Peres quod est diuisit, disrupit. Sequitur enim copiosior in Daniele expositio. Regnũ tuum diuisum, & ad Medos atq; Persas est translatum. Regnorum ergo diuisio, translatio & conculcatio, regum quoq; deiectio & exitium, pœna est iusta impietatis, sacrilegij, superbiæ, temulentiæ atq; luxus, & aliorum fœdissimorum facinorum. Scindendum autem ac disrumpendum, Babyloniæ regnum, ac ad Medos & Persas transferendũ prædixit apertissimè Isaias

in

in cap .13. 14. & 21. Solomon peccauit idololatria contra Dominum, & regnum eius est laceratum sub filio ipsius Roboam. Aristobulus sacerdos vsurparat sibi superbè coronam, verũ nepotes eius ex fratre Iamneo Alex. Hircanus & Aristobulus ciuili bello flagrantes, Parthos & Romanos in regnum suum induxerunt, tandemq; Herodes â Romanis Iudaicæ genti datus est rex. Romanum quoq; imperium à Valentiniano vltimo discissum & à multis imperatoribus petitum, tandem frustillatim est discerptũ. Quid regno Constantinopoleos & Græciæ & Hungariæ euenerit, non est quod referam, cum omnia adhuc in recenti sint hominum memoria. Proinde monarchiam Babyloniorum potẽtissimam dissipauit Deus iusto suo iudicio, vt omnia regna mundi Deum timeant, modestè sapiãt, iustitiæq; inuigilẽt, ne & ipsa propter pares causas, propter quas interijt regnum Babylonicum, & ipsa excindantur. Et hactenus de responsione Danielis disserui. *Impietas dilacerat regna.*

Septimo loco subiungitur quomodo se gesserit rex Babylonius ad hanc interpretationem & nuncium acerbissimum Danielis. Non legitur se conuertisse ad Dominum, peccata agnouisse, culpam esse deprecatũ, imploravisseq; Dei misericordiam, sed iussisse Danielem indui purpura, ornariq; torque aurea, & per præconem denunciari triumuiratum ei in regno deberi. Vnde facilè colligitur regem sibi nihilominus incolume regnum promisisse. Sic enim solẽt impij, dum sua iudicia audiũt, cogitare, si quid huius eueniat, quod prædicitur, alio fortassis euenturum tempore, neq; in præsenti quicquam esse timendum periculi, & fortassis ne in longinquum quidem. Tametsi enim tales ad tempus aliquid verbo Dei tribuere videantur, ex animo tamen non credunt, nec verè pœnitet eos suorum scelerum. Humiliantur quidem ad tempus, qui optimi inter istos esse videntur, mox tamen redeunt ad ingenium. Baltazar hic certè audita expositione Danielis valde graui & dura nullam edit vel modicam significationem vllius vel exiguæ emendationis. Dignus ergo erat, qui è vestigio confoderetur regnumq; amitteret. Cur autem Daniel passus sit sibi inijci purpuram & torquem, dixi superius. Certissimũ est neq; Danielem hic, neq; alibi Iosephum aut Mardocheum, aut Hesteram, tantillum his tribuisse ornamentis splendoriq; regali. Qui mundo vtuntur, ita vtantur, inquit Paulus, quasi non vtantur. Sancti in omnibus ad Deum vnicè respiciunt, hic est eorum ornamentum, eorum gloria, ei soli se approbari desiderant, præ hoc omnia mundi etiam præstantissima veluti stercus aspernantur, imò si mundana hęc vsurpant (sicuti modò vsurpari posse diximus) propter dominum vsurpant, ad gloriam eius vsurpant, gratias deniq; agunt, & Dominum vires concedat necubi abutantur ijs, sedulo orant. *Quomodo se gesserit Rex erga Danielẽ.* *Daniel gestat purpuram & torquem.*

Octauo & vltimo loco subiungitur oraculi diuini veritas & certitudo, nempe quòd illa ipsa nocte, qua festum peragebant Babylonij, qua vino rex se exsacris proluerat pateris, qua deniq; manus, dictu visuq; horrendum, exararat tremendam illam sententiam contra regem & regnũ Babyloniũ in pariete, quòd illa inquam nocte, sicuti & Isaias in 21. cap. futurum prædixerat, primũ quidem rex Chaldęorum Baltazar sit trucidatus, deinde regnum quoq; ipsum Chaldaicum vetustissimum, potentissimum & superbissimum, ad Medos atq; Persas sit deuolutum. Proinde non cecidit vel apex, nedum litera, aut verbum, multò minus sententia, de iudicijs Dei, contra Babylonem, per Isaiam, Micheam, Abacuk, Ieremiam, per alios item prophetas, & nunc vltimò per Danielẽ prædictis. Colophonem hac historia Daniel adijcit omnibus prophetis, ostenditq; quàm exactè ac verè sint completa vaticinia prophetarum omnium omnia, & quàm iustus sit Deus in suis pro pijs & contra impios iudicijs, & quòd certissimè & seueriſſimè vindicet sanguinem seruorum suorum, parricidas iugulet, euertat *Oraculi diuini veritas & certitudo.*

idololatriam, asseratq; gloriam suam, ac declaret veritatem suam. Credamus ergo verbo Dei in omnibus siue minis siue promissionibus, in omnibus deniq; afflictionibus, neque fluctuet spes nostra, licet videatur tardo prodire ad asserendos nos pede Deus. Veniet, veniet Deus, & opportunè quidem ad liberandum nos veniet. Hæc omnia cernimus hic palàm in Babylone.

Maximares mira est breuitate descripta.

Proinde excidium interitusq; Babylonis inter præcipua, quæ in scripturis tractantur, numerari debet. Cumq; tãta sit res ista, nemo miretur quòd causam tantam tribus aut quatuor duntaxat verbis consignarit Daniel. Habet enim & breuitas illa suam maiestatem. Recurrunt hic mihi Macrobij verba, quorum alibi quoq; memini. Disputat ille in 5. Saturn. lib. de admiranda dicendi arte Maronis Vergilij, atq; inter alia, Vis, inquit, audire illum tanta breuitate dicentem, vt arctari magis & contrahi breuitas ipsa non possit?

Et campos vbi Troia fuit.

Ecce paucissimis verbis maximam ciuitatem hausit & absorpsit. Non reliquit ille nec ruinam. Vis hoc ipsum copiosissimè dicat?

Venit summa dies & ineluctabile tempus,

Dardaniæ, fuimus Troes, fuit Ilium. Et quæ sequuntur. Ad eundem enim modum, quid de amplissima vrbe, & regno potentissimo regeq; maximo, dici potuisset breuius, quàm quod dixit Daniel? Ea ipsa nocte occisus est Chaldæorum Rex Baltazar, & regnum accepit Darius Medus. Rursus cum ex 9. cap. huius libri Danielis constet, Danielem diligentissimum fuisse lectorem librorum propheticorum, dubium non est, quin sciuerit copiosissimè, & Regis huius, & vrbis, & regni ipsius Babylonici, quod hic maluit Chaldæum propter vetustatem nuncupare quàm Babylonicum, excidium esse descriptum. Proinde satis esse existimauit, si breuibus dũtaxat verbis completum, id esse significet atq; atteſtetur, quod prophetę complendum floridissimo dicendi genere copiosissimè exposuerunt. Qui ergo exactam huius rei descriptionem videre cupit, legat Isaiæ cap. 13. 14. & 21. item Ieremiæ 50. & 51. Dices fat scio, descriptiones has eloquentia & maximè euidentia, certare cum gentilium oratorum & poetarum præstantissimorum descriptionibus elegantissimis.

Xenophon de interitu regis & capta vrbe Babylonis.

Sed & ethnici scriptores vetustissimi probè congruunt cum hac Danielis historia. Nam & Herodotus in Clio, & Xenophon in Cyropæd. 7. lib. testantur captam esse Babylonem noctu, dum Babylonij festum (Bacchi nimirũ aut certè non dissimile) celebrarent, occupatiq; essent lasciuijs, temulentia & rebus quibus suis fœdissimis. Xenophon qui à cõdita vrbe circiter annum 370. vixisse videtur, sub rege Persarum Artaxerxe Mnemone, anno circiter 160. ab occupata per Cyrum Babylone, inter alia hæc commemorat. Cyrus quoniam audiuerat eiusmodi festum in Babylone peragi, qua Babylonij omnes vniuersam noctem bibunt, & lasciuis carminibus saltationibusq; indulgent, vt primùm eius noctis tenebræ factæ essent, multis hominum millibus constitutis flumen quod secabat vrbem, per fossas antea paratas deriuauit, vt militibus redderetur permeabile. Mox copias equitum peditumq; instruxit, & vt fortiter vrbem irrumperent hortatus, his sub orationis suæ finem verbis vsus est, Sed agite, arma capite, ego vobis vnà cum Dijs immortalibus, sum dux futurus. Vos autem Gadata Gobryaq; vias ostendite. Nostis enim. Cum verò in ipsa vrbe fuerimus, quàm celerrimè ducite ad ædes regias. Vbi hæc dicta sunt, pergebant. Occurrentes verò partim sternebantur, partim intrò fugiebant, multi quoque horrendum clamabãt. Qui verò erant cum Gobrya Gadataq; vnà cum his clamabant, tanquam & ipsi ebrij essent & incontinentes, simulq; qua celerit ate potuerunt irruperunt vsq; ad portas regias: verùm eas inueniunt clausas. Astabãt autem

Gadata & Gobryas duces Cyri Persæ.

autem pro more, ad portas multi vigiles: in quos isti irruunt & vnà omnes protinus trucidant. Vbi autem clamor fragorq; intus in regia pertonuisset, rege mandante, excurrunt ministri speculatum, quid rei fiat in vrbe, & quisnam tantum excitet tumultum. Mox verò, vt hi, qui erant cum Gobrya Gadataq; portas vident patefactas, irruunt intrò, & obuios quosuis strenuè sternunt, fugientes fortiter insequuntur, ac ita intrò ad regem vsq; ipsum penetrant, quem iam stantem & strictum in manibus acinacem habentem inueniunt. Eum milites mox è medio sustulerunt: his etiam interfectis, qui cum eo erant, cum alius aliquid obijceret, alius fugeret, alius verò pro viribus se defenderet. Hæc omnia Xenophontis sunt. Appendit his idem ille, ex quibus intelligitur quomodo captiuus Iudaicus populus, in tam crudeli & barbara incursione Persarũ & Medorum, & in tam truculenta mactatione Babyloniorũ, incolumis potuerit euadere. Nam mox libertate donatus, saluus & incolumis in Iudæam, per Cyrum victorem, est remissus. Dicit autem, At Cyrus disposuit equitũ ordines per vias, iussitq; quos offenderent, interimerent: qui autem Syriacè loqui scirent, vt intus domi manerent, omnibus proclamarent. Quòd si quis extra reperiretur interficeretur. Et hactenus exposui ex Xenophonte, quæ videtur pulchrè cum sacris literis & Danielis hac nostra historia congruere. Non quod per prophana velim fidem sacris conciliare. Sacra enim per se sola sunt satis authentica, vt nihil præterea accedat gentilitium: sed vt illi quoq; qui ethnica nimiùm admirantur, & sacra propè fastidiunt, habeant quo & exaturentur & coherceantur, denicq; in vera fide retineantur.

Nihil autem dubitamus vltimam iudicij diem, qua Christus veniet vniuersum orbem iudicaturus, non tantùm inopinatam venturam, sed multò horribiliorem Babylonis excidio futuram, in qua tamẽ populus Dei etiam incolumis seruabitur. Videbit enim in ipsis cœli nubibus redemptorem suum Christum, ad quem attolletur, relictis infernè omnibus impijs ad tartara demergendis ac ibidem in æternum à cacodæmonibus igneq; inextinguibili excruciandis. *Vltima iudicij dies.*

Mentio quidem hic à Daniele fit solius Darij, sed ei alij prophetæ & historię coniungunt & Cyrum Persam. D. Hieron. existimat propter senium, quod etiam à propheta annotatur, ipsi primo delatum esse regnũ, quod mox ad Cyrum quoq; peruenerit. Ac videtur Darius non diu ab illa victoria & subacta Babylone superuixisse. Proinde statim regnum auunculi Darij ad nepotem ex sorore Mandane Cyrum (quem alij etiam Darij generum fuisse aiunt) hęreditatis iure peruenit, ac ita ad apicẽ omnia completa sunt quæ prædicta fuerunt per prophetas. Et hactenus explicauimus Actum Danielis quintum. Deo patri nostro sit laus & gloria & gratiarum actio per Iesum Christum dominum nostrum. *Darij Medi fimentio.*

DE GRAVI IMPIORVM ODIO CONTRA RELIGIOnem veram, eiusq; libera confessione, confessorum item salute, & hostium repentino exitio.

CAPVT VI.

HOMILIA XXVIII.

PLacuit Dario, vt centum viginti Satrapas vniuersõ regno præficeret: & his præposuit tres viros rationales, quorũ unus fuit Daniel, quibus Satrapæ rationem redderent, ne Rex vllum

damnum acciperet. Porro Daniel antecelluit rationales & ſatrapas, eo quod amplior in eo eſſet ſpiritus. Ideoq; cogitauit Rex eum vniuerſo regno præficere.

Scopus et vſus huius loci.

ACTIONE hac 6. quæ vltima eſt in prima huius operis parte, exponit propheta quomodo Deus veritatem ſuam & regnum ſuum & propagarit per nouam illam monarchiam Medicam & Perſicam, & quidem non ſine afflictione graui, & per conſtantiſsimam Danielis confeſsionem. Antiquiſsimus eſt Deo mos propagandi veram religionem in afflictionibus per diſertam veritatis confeſsionem, quam nulla vis hominum quantumuis potens opprimere valet. Diſputari ſolet de hoc modo, & quæri à pluribus: Cur Deo placeat veram religionem propagare in tribulatione, & cur non potius, cum corda ſint in manu eius, omnium voluntates moueat ad recipiendam veritatem prædicatam? Ita enim ſemel tolli poſſe omnia diſsidia, omnes perſequutiones & innumera alia mala. Cæterùm cum apertè ſatis conſtet, Deum ab initio hunc ſeruaſſe modum, & ſeruare etiam hodie, ſciamusq; omnia eius opera carere culpa, neq; piè de his diſputari curioſius, æquiſsimum fuerit nos attemperare accommodareq; morì eius, non trepidare ad perſequutiones immiſſas à Deo, ſed potius inceſſanter clamare ad ipſum pro conſtantia, & vt liberè & palàm veram religionem confiteamur, falſam execremur. Hoc enim ſi fecerimus, promouebit ille regnum ſuum & veritatem ſuam, pacem quoq; dabit cum ipſi viſum fuerit, Eccleſiæ ſuæ, ſubuerſis & deletis interim aduerſarijs infenſiſsimis veræ religionis ad vnum omnibus. Quòd ſi repetierimus nobiſcum hiſtorias veteres, inueniemus Deo ſemper fuiſſe morem, veritatem ſuam propagandi per afflictiones & apertas confeſsiones ſeruorum ſuorum fidelium. Deſcendit olim in Ægyptum Dei populus, & grauiter ibi opprimebatur ab Ægyptiorum regibus, verùm dum Moſes in fide perſtaret, vnà cum alijs nomen Dei confitentibus & inuocantibus, ceſsit ea oppreſsio ad incrementum gloriæ Dei, & hoſtis tandem præfocabatur in aquis rubri maris. Fuit acris contentio in populo Dei, interveros Dei prophetas, & inter falſos Baalis ſcilicet prophetas, inter veros prophetas item & principes, qui iſtos in carceres coniecerunt & aliquando occiderunt. Verùm eo modo adeò non eſt extincta veritas confeſſa & defenſa à veris prophetis, vt illuſtrior ſubinde reddita ſit, & perſequutores quoq; punirentur à Domino, atque ita regnum Dei promoueretur. In prima monarchia Babylonica, in ardentem fornacem præcipites dati ſunt Danielis ſocij: verùm illa cruce innotuit & Regi perſequutori, & vniuerſo regno, gloria veri Dei. In ſecunda monarchia Medica & Perſica audiemus per condemnationem Danielis ad leones iniquiſsimam, veritatem ab ipſo rege per edictum per vniuerſum mundum eſſe publicatam atq; deprædicatam: hoſtes verò Rege ita mandante de repente à leonibus eſſe diſcerptos. In monarchia Græcorum grauiſsimis malis afficit fideles Antiochus Epiphanes. Nam nihil omittit quod contra fideles ad ſæuiſsimam pertinere videtur lanienam vel carnificinam. Adeò verò non euertit ſua tyrannide hac intolleranda veram religionem, vt potius per illam occaſionem validior & ſyncerior ſit reddita, Machabæi emerſerint, & tyrannus ſemetipſum iniquitate ſua miſerè perdiderit. In Romana denique monarchia capite truncatus eſt Ioannes domini præcurſor, crucifixus eſt ipſe Dominus noſter, omnes eius Apoſtoli grauiter ſunt in hoc mundo afflicti. Decreuerunt præterea diuerſis temporibus Imperat. Romani decem atrociſsimas contra Chriſti Eccleſiam perſequutiones, quibus Euange-

Deus promouet regnũ ſuum per afflictiones.

lium

lium extinguere conabantur, verùm his nihil profecerunt. Stat enim ſtabitq; æternùm veritas. Perierunt Imperat. iſti omnes, confecti morbis cladibusq; à Deo, & iacet ipſorum in luto & ſtercoribus ſuperſtitio. Poſtremò vidimus nos iam ab annis 30. & amplius ſanguine martyrum, qui ſub Antichriſto eſt effuſus, ceu lætamine impinguatum eſſe agrum dominicum. Interim verò hoſtes Chriſti & eccleſiæ eius perijſſe omnes, & perire in diem ſumma ipſorũ cum infamia conſcientiarumq; eorum cruciatu. Placuit ergo Deo & placet ei adhuc, per multas tribulationes propagare & veritatem & eccleſiam ſuã. Id quod tam multis exponitur in ſacris literis, vt conſolationem & confirmationem accipiant fideles, & ne obmurmurẽt Deo, néue curioſius, quod ab initio dixi, de cauſis harum rerũ diſputent, ſed forti animo tollerent quæ immittit, quouis modo & tempore, Dominus, ſcientes veritatem vincere tandem, Deum fideles non negligere, denicq; cuentum dare triſtibus rebus felicem.

Argumentum huius loci.

Certè tota hæc res proponitur nobis veluti pictura quædam præſtantiſsima, in tabulam, id eſt hiſtoriam hanc Danielis vel actum hunc ſexũ depicta deſcriptaq; elegantiſsimè. Principiò enim recitatur totius hiſtorię occaſio, nempe diſpoſitio regni facta per Darium, qua Daniel in ſummam ſubleuatus eſt dignitatem. Quamobrem inuidiæ principum Medorum obnoxius, ſubdola & exitialia in ſe iſtorum conſilia pertexi ſenſit. Nam religione Danielis vera abuntur ad eius oppreſsionem. Etenim dum Daniel diſsimulare illam nollet, ſed libere & palàm, licet cum ſui capitis diſcrimine, confiteri mallet, in hoſtium ſuorum ſibi inſidiantium caſſes incidit, & vitæ periculum incurrit. Damnatus enim ad leones, interiſſet vtiq;, niſi Deus ipſum mirabiliter conſeruaſſet. Qui mox eadem ſua effecit potentia, vt hoſtes Danielis viciſsim ad leones damnati, fruſtulatim vnà cum ſuis familijs diſcerperentur, Rex quoq; edicto publico veram Dei religionem prædicando, per vniuerſum regnũ propagaret. Ad hunc ergo modum, per crucem ſiue afflictionem diſertamq; Danielis confeſsionem veritatis, veritas veraq; religio per ſecundam monarchiam vel per huius Medicę monarchiæ regna omnia eſt promulgata, occiſis huius veritatis hoſtibus acerrimis. Sed ſingula hæc per locos ſuos & veluti per partes inſpicienda, atq; auxiliante Deo, pertractanda ſunt.

Darius rex Medorum & Persarum.

1. Locus eſt de regno Darij regis eiusq; diſpoſitione. Capta Babylone & ſuſcepto regno, Darius reliquit in Babylone nepotem ex ſorore Cyrum, quem in conſortium regni allegerat, ipſe verò reuerſus eſt in Mediam, nimirum in celebrem Orientis vrbem Ecbathanam vel caſtrum Suſarum: duxit autem ſecum Danielem, qui ei innotuerat ex ſuis virtutibus & egregiè factis, gloriaq; qua illuſtris fuerat apud veteres Babylonię reges, Nabuchodonoſorem & Euilmerodachum, & nimirum etiam ex interpretatione manus ad parietem ſcribentis: qua denunciarat Baltazari, vltimo regi Babyloniorum, ſuum interitum. Sic innotuerat ſuis virtutibus quondam Nabuchodonoſori & Nabuſaradæ imperatori militiæ ſanctiſsimus Dei propheta Ieremias. Magni haud dubiè faciebat Darius veram ſapientiam. Sapientiſsimum ergo prophetam in primis ſecũ ducendum & ſibi adiungendum putauit. Pluris hunc fecit quàm precioſiſsimum quemlibet theſaurum. Et ſanè vir ſapiens, pius & prudens ſuperat precioſiſsima quæq; mundi quæ vocant elenodia. Rex aliquis ſtolidus, qualis fuetat Baltazar, ſecũ duxiſſet adulatores, ſcurras, ſanniones, potatores, aleatores & Epicuri de grege porcos. Ac conſuetudo huiuſmodi nebulonum corrumpit etiam optimos, vt tandem & ipſi frigidè & ſentiant & loquantur de pietate & de honeſtate, oderintq; bonos, aut minimùm minus ament amplius honeſtos a veritatem. Exempla eius rei nimis copioſa habemus, &c.

Rex magnificacit ſapientem.

Dispositio regni pulcherrima.

Rex verò sapiens pulcherrimè regnum disposuit. Intellexit absq; ordine, nullum regnum, nullam rempub. posse diu incolumem stare. Tolle enim ex rebus hominum ordinem, & sustulisti Solem ex mundo. Si in domo aut familia aliqua, omnia pulchro fiant ordine, minimo cum labore perficiuntur res maximæ, & quidem cum emolumento luculentissimo. Vbi verò nullus est ordo, ibi turpis fœdaq; confusio & certissima rerum omnium dissipatio. Proinde sapientissimi mortalium Iethro & Moses, ex spiritu Dei, qui ordinem amat, instituunt magistratum & ordines magistratuum in populo Israelis, Exodi 18. Et regina Saba veniens ad Solomonem, supra omnia alia admiratur ordinem, quem videbat in aula Solomonis pulcherrimum instructissimumq;. Quapropter & Darius cõmemoratur in regno suo instituisse principum ordines. Ac videtur vniuersum suum regnum in tres distribuisse, vt sic dicam, classes, & cuilibet satrapas, præfectos vel principes, per diuersa loca, dedisse 40. Si enim colligas ter 40 peruenies ad 120. quot videlicet rex designarat satrapias vel principatus, ac satrapas vel principes. His superimposuit tres insuper alios Principes, veluti supremos omniumq; aliorũ Episcopos. Triumuiros vel tristanos dicemus, quos Græci vocant τριςάτας, Germanicè, Styer. Atq; hi præerant rationibus vniuersi regni. Omnes enim Principes vniuersi regni, illi inquam 120. singulis annis accepti expensiq; rationem his tribus reddebant. Quare eos rationales

Rationales viri regnis et rebus pub. in primis necessarij.

rãchenherren/ nuncupare possumus. Et ratio quidem non leuis, quare hi tres rationales Principes instituti sint, ostenditur, cum subijcitur, Ne rex senio alioqui confectus molestaretur, daß der König der müy überhebt würde. Vel quod magis mihi probatur, Ne rex vllum damnum acciperet. Ferè enim fit, vt qui præsunt, non regum aut publicam quærant vtilitatem, sed maximè priuatam. Atqui credi vix potest, quantum regnis & rebus pub. damnum dent auari sceleratiq; peculatores. Ad sustentandum enim regnum vel rempub. aliquam maximis opus est impensis, maximè si bello patria defendenda ac hostes sint profligandi, & si subditi nõ prorsus sint excoriandi, seruandusq; in his modus, vti seruari à Deo & ab omnibus bonis iubetur. At si peculatores opulenti fiant, ærarium publicum tenue sit & vacuũ, vel subditi tantùm nõ sunt in necessitate excoriandi, vel pactio aliqua in bello est recipienda ob inopiam, turpis prorsus seruilis & pestifera. Perniciem verò tantã debent boni omnes sceleratis illis peculatoribus. Necessarium ergo in primis est, vt regna & respub. habeant repositas suas opes, & quidem iustas sufficientesq; ad conseruationem regni & reipub. ac proinde habeant etiam rationales viros, homines prudentes & fidos, qui perfidiam, furta, & peculatum officialium prohibeant, præueniant, seueriterq; puniant. Huiusmodi diligentissimè instituerat Darius.

Daniel inexpugnata, direpta, & incensa vrbe seruatus.

Inter triumuiros primum vel supremum locum obtinebat Daniel noster. Ergo in direptione vrbis Babylonicæ inq; cæde Babyloniorum horrenda, incolumis Dei gratia & potentia seruatus est Daniel, perinde vt olim diuina hac gratia & potentia erepti ex præsentissima morte leguntur Loth & Ieremias. Ille ex incendio Sodomorum horribili, hic ex gladijs cruentis Babyloniorum vrbem Hierosolymorum occupantium diripientiumq;. Longè ergo felicior est

Archimedes Syracusanus.

noster Daniel quàm fuerit olim insignis ille Mathematicus Archimedes Syracusanus, qui arte sua Syracusas à M. Marcello oppugnatas, aliquandiu defendit atq; seruauit. De eo enim Plutarchus in vita M. Marcelli hęc scripta reliquit, In contemplandis lineis Archimedes, oculis studio & cogitatione intentus, Romanos per vrbem discurrentes captamq; vrbem non sensit, adeoq; militi Romano astistenti, & præcipienti, se ad imperatorem sequeretur, non obtemperare prius se posse dixit, quàm rem propositam applicata demonstratione perfecisset,

perfecisset, quapropter miles ira succensus, lineis intentum, nudato gladio confodit. Quod Marcellus, qui ipsum summo studio seruari iusserat, tulit indignissimè, sed frustra. Singulari verò Dei gratia Daniel & seruatus est in cæde illa Babylonica, & iam non tantùm Princeps à Rege, sed summus inter summos Principes est creatus, & quidem in miseri populi Iudaici captiui gratiam & consolationem. Diligit enim Deus populum suum, licet afflictum propter peccata in misera captiuitate, & proinde viros aliquot ei dat, quorum opera & consilio iuuari possint, quò commodius habeant & ab hostibus minus durè tractentur. Ita enim legimus huic populo datum esse Mardochæum, datâ item Hesteram reginam. Tales à soluta captiuitate dedit Ezram & Nehemiam. Ex quibus colligimus Deum in medio etiam pœnarum, quas sumit de noxijs, non penitus animum abijcere paternum, sed moderatione vti, neq; absq; omni consolatione miseros afflictosq; deserere. Proinde prædicanda est tanta Dei gratia, quemadmodum ea non vno loco commendatur nobis in Psalmis, & sperandum nobis in misericordiam Domini Dei & patris nostri, licet illum nobis iratum sentiamus. In ira enim eius & clementiam sperabimus. Et hæc quidem potentiæ Danielis causa, expressè hic non ponitur, sed illa disertè exprimitur, quòd omnibus alijs ampliori spiritu esset præditus, & proinde omnibus alijs prælatus. Per spiritum intelligit dona spiritus, scientiam, sapientiam, prudentiam, rerum experientiam, laborum, in agendo gubernandoq; tollerantiam, fortitudinem, temperantiam, iustitiam, aliasq; virtutes heroicas. Vbi duo veniunt obseruanda, principiò sapientissimum videlicet regem fuisse Darium, qui officijs suis præfecit officiales idoneos, deinde non quoslibet quibuslibet præficiendos esse muneribus, sed exercitatos peritosq; in ijs muneribus, quibus præficiuntur. Oeconomiæ publicæ si quis præficiatur, qui œconomiæ imperitus sit, vel peculatu se diuitem reddat, & œconomiam perdet, vel vnà & semetipsum & œconomiam euertet. Veteres dicebant olim, felices fore artes, si de ijs soli iudicarent artifices: cur ergo non diceremus felicissima fore munera publica & priuata, si demandentur illis duntaxat administranda, qui in muneribus vel officijs illis sunt exercitati, facultatibusq; ad munera gubernãda necessarijs, à Deo sunt donati, quiq; longo vsu quid præstare possint, sapientioribus approbarunt? Horum omnium quando hodie minima aut nulla habetur ratio, sed personæ plericq; velint munere aliquo esse consultum, siue ea muneri sit idonea, siue inepta, quid obsecro mirum est, si passim cernamus marcescere reip. priuatasq; augeri opes, publicas euanescere, imò potius & priuatas & publicas diuinæ maledictioni subiacere?

Deus benefacit etiam in ipsa pœna quam infert populo suo.

Administratio publicorum munerum committenda idoneis hominibus.

Ad singularem Danielis laudem illud pertinet, quod cogitabat ipsum vniuerso præficere regno, vt esset ipsius locum tenens, quem vulgò vocant viceroij, quæ summa est post maiestatem imperatoriam vel regalem, dignitas. Græci legunt, καὶ ὁ βασιλεὺς κατέστησεν αὐτὸν ἐφ' ὅλης τῆς βασιλείας αὐτοῦ. Et rex constituit ipsum super totum regnũ suum. At perinde est, siue demum rex cõstituerit ipsum locum tenentem, siue adhuc constituere voluerit. Succendit hoc maximè inuidiæ faces in alijs principibus, quibus vehementer dolebat hominem peregrinum Iudæum & captiuũ, præponi Medicis principibus omnibus. At Deus interim ea re maximam suam declarat potentiam, qui si vult, ex seruo & captiuo, regem facit, eundemq; inuitis omnibus conseruat. Vtcunq; ergo ad infima simus deiecti atq; ab omnibus despecti, ne abiecerimus spem. Si enim Deo placuerimus, & is nouit nobis hoc saluti fore & ad eius gloriam facere si emergamus, nullo negotio nos euexerit. Si verò in seruitute nos manere velit, ne repugnemus Deo, sed fide & patientia subijciamus nos ei, quem credimus & do-

Singularis laus Danielis.

Maxima Dei potentia.

minum esse omnipotentem, & patrem clementissimum, qui nihil quidem timere, omnia autem exactissimo iudicio facit. Cui gloria.

HOMILIA XXIX.

Tunc rationales & Satrapæ diligenter inuestigarunt ecquod crimen possent inuenire aduersus Danielem in regijs negotijs, verùm nullum crimen & facinus potuerũt inuenire, quòd ille fidelis esset, & nullum delictum aut facinus deprehenderetur in eo. Quare illi viri dixerunt, Non inueniemus aduersus Danielem istum aliquod crimẽ, nisi aliquid inueniamus in lege Dei sui. Itaque rationales illi & satrapæ conglomerati sunt apud regem, & dixerunt ad eum, Rex Dari viuito æternùm, Omnes rationales regni, duces, satrapæ, proceres, & præsides prouinciales decreuerunt legem regiam cõdere & sancire edictum, vt quisquis petierit vllam rem ab aliquo Deo aut homine, per dies triginta, præterquàm à te Rex, conijciatur in foueam leonũ. Nunc igitur sancias decretum Rex, & scriptum exares, quod non immutetur secundùm Medorum & Persarum legem inuiolabilem. Itaq; Rex Darius exarauit scriptum & edictum.

Liuor principum contra Danielem.

SEcundo loco Actionis vltimæ vel 6. describitur liuor, æmulatio & inuidia principum Medorum & Persarum, artesq; ipsorum prauæ, quibus Danielẽ obruere conabantur. Enascebatur hinc confessoris veræ religionis artificiosa admodùm grauisq; persequutio. Claret hinc quouis seculo, & apud quosuis Deum non timentes homines, virtutem comites habere inuidiam & varia pericula. Dum enim omnes quæ sua sunt quærunt, sibiq; quilibet melius esse vult quàm alteri, fit vt liuore contabescant, qui cernunt felices esse & in precio haberi virtute præditos. Et Inuidia aliud nihil est, quàm dolor de aliena felicitate, quam inuidus sibi euenire mallet. Ergo quisquis felicitate vtitur, & pollet virtutibus, sciat se ab inuidis petendum diuexandumq;. Sicut euenire cernimus Danieli, cui principes regni inuidebant fauorem regis & potentiam, qua superabat omnes alios, ob præclaras virtutes suas & eximia Dei dona. Ea est enim mundi prauitas & corruptela.

Virtutis comes inuidia.

Inuidia semel omnia conturbat.

Et speculum nobis hac proponitur historia, in quo palàm contemplemur, inuidiam & liuorem vbicunq; homines occupauit, omnia commiscere, cœlum quod dici solet, terræ, & sacra prophanis. Etenim si diligẽter inspicias & secum expendas quorsum res adducantur per inuidiam, in principum aulis, in senatorum curijs, in ipsis familijs, ciuiumq; domibus & rusticorum casis, dices maxima cum voluptate sathanæ, & lugubri cum detrimento hominum, pacem & felicitatem hominum ab illa turbari, dissidia & odia implacabilia excitari, multorumq; animis inseri, misceri simul calumnias, obtrectationes, mendacia, & iurias, quibus nisi aliquando modus aliquis statuatur, euerti regna, respub. familias, & domos integras. Quantas turbas in regno pacato Medorum & Persarum dederit hæc principum Medorum & Persarum inuidia, palàm in omnium modò oculis versatur. Discamus ergo nos expectorare liuorem, & fugere, vt præsentissimam pestem inuidiam, oraremq; sedulò Dominum, æquos & benignos candidosq; omnibus nobis animos largiatur, & liuorem longè à nobis arceat.

In

In Principum Medorum & Persarum studijs & moribus exhibetur nobis spectanda indefessa & admiranda diligentia inuidiæ, solicitè accuratèq; inquirentis nocendi occasionem, ijs quibus inuidet. Ergo diligentissimè perquirunt liuidi Medorum principes, an quid criminis, quod Danieli impingant, in eius perniciem, inueniant in negotijs regijs Danieli commissis, quibus ipse non ritè perfungatur: cumq; regi fidelem in omnibus deprehenderent inculpabilemq; in vniuersis negotijs regijs, astutissimè se conuertunt ad religionem, quam sibi ad suum institutum, ad sycophantiam inquam calumniamq; oppidò appositam esse iudicabāt. Etenim sciebant illum syncerum integrumq; esse suæ religionis confessorem, qui hac in parte nihil vel simularet vel dissimularet in vllius hominis gratiam, neq; propter vlla pericula declinanda. In religione ergo constringendum esse existimarunt. Solertia hæc est filiorum huius sæculi, & admiranda astutia diligentia q; inuidię accuratè molientis perniciem exoso. Proinde poetę virtutū viciorumq; pictores admirādi, optimè illam depinxerunt, ac inter alios Maro sic cecinit. *Indefessa inuidiæ diligentia.*

Liuor tabificum malis venenum
Intactis vorat ossibus medullas,
Suspirat, gemit, incutitq; dentes.
Effundit mala lingua virus atrum,
Non lux, non cibus est suauis illi,
Non somnum capit aut quiescit vnquam,
Vesanos tacitos mouet furores,
Intentans animo faces Erinnys, &c. Non pudet me autem aliquoties ex prophanis proferre scriptoribus quæ honesta sunt ac elegantia neq; cum sacris discrepant. Vsus est enim & apostolus ethnicorum poetarum testimonijs.

Præterea docet nos exemplum Danielis inculpatè se gerentis in medio liuidorum hostiumq; suorum, ita vitam instituere in omnibus ne inuidi inueniant in vita nostra culpandum quicquam, vtcunq; diligenter palàm & occultè in ipsam inquirant, quod verè & iure possint impingere nobis in nostram pernitiem vel ignominiam. Sic enim & beatus Petrus nos docuit 1. Pet. 4. cap. Et sicut Daniel sua integritate in syncera religionis suæ confessione, ita se hactenus in medio idololatrarum gesserat, vt omnibus persuasum esset, syncerum esse ipsum qui vel metu periculorum vel in gratiam hominum, nihil vel simularet vel dissimularet, ita decet singulos nos alienos esse ab omni hypocrisi & liberri mos intrepidosq; in confitenda fide nostra corā vniuerso mundo. Errant enim & turpiter quidem errant, qui sibi hic quidlibet fingere, simulare & dissimulare licere putant. Sed qui tales hodie sunt, (quorum innumeram turbam esse dolemus) nullam profectò fidem habent. Quemadmodum verò principes Medorum & Persarum Danielem ope religionis veræ opprimere instituerunt, ita eadem arte vtuntur hodie cōtra professores euangelij Christi, quotquot & hos & religionem ipsorum cupiunt extinctam, saluas autem suas cupiditates & idolomanias. Et hæc diligenter in scripturis per euidentia exempla proponuntur nobis, vt sapiamus & paremus nos ad pugnam, in qua vires & victoriam dat ille, qui Danielem in grauissimis hisce periculis seruauit. *Fidelium vita sit in medio hostium inculpata*

Consequenter exponitur quomodo principes liuidi prauā illam suam contra Danielem practicam, id est insidiose & malis artibus conceptum consilium, in effectum, regis opera, produxerint. Accedunt enim Regem, ab hoc petunt vt sua authoritate legem promulget atq; conditam cōfirmetamq; edat, qua omnibus præcipiatur, ne intra dies 30. quisquam quidquam & à quoquā, siue Deo siue homine postulet, nisi à solo rege Dario, præuaricatores autem conijciantur *Principes Medorū legis promulgationem à rege impetrant.*

in lacum leonum. Instant præterea curet rex illud in primis, ne lex illa vel immutetur vel abrogetur, sed puniantur absq; vlla misericordia quicunq; legem illam violauerint. Hæc sigillatim nobis explicanda, nostræq; doctrinæ vel ad vsum nostrum applicanda sunt. Principes conglomerati, veluti regem multitudine vel numero suo in suam impulsuri sententiam accedunt. Copia vel multitudo in huiusmodi causis multum valet, & mouet homines huius seculi. Numerant ordine gradus vel ordines principum regni, quorum omnium vnam esse sententiam concordem aiunt, vt promulgetur lex à Rege. Satis quidem imperiose videntur Regi præscribere vrgereq;, ne quid aliud ipse velit solus, quàm ipsi omnes concordes volunt: nempe vt lex scribatur confirmetur & promulgetur. Insidiosa interim absurda, malitiosa, & blasphema erat hæc lex. Ac mirum est quo colore ipsam Regi potuerint & commendare & persuadere. Alijs aliud hic videtur, verisimile autem esse prætexuisse eos Regis commodum. Reges enim & Principes vnicè à suis maximè in regnorũ suorum principio requirunt obedientiam atq; honorem ac vt sint in precio & authoritate. Et Darij imperium vel monarchia iam noua erat, Babylonica per ipsum modò deiecta. Ergo vt in nouo suo regno apud omnes haberet authoritatem & ceu Deus aliquis (cum aliàs Persæ Reges suos veluti Deos salutare solerent) admirationem in vulgo assequeretur, lex illa plurimum adiutura videbatur: ex qua item deprehendere liceret, qui Regem contemnerent regiamq; ipsi maiestatem inuiderent. Ita verò Danielem irretire & præcipitem agere cogitabant, tanquam rebellem & regiæ maiestatis hostem. Simile propemodum aliquid huius habuisse videtur quondam lex illa præfecti Grysleri Austriaci, qui vt obedientiam sibi authoritatemq; nobilitati conciliaret confirmaretq;, denicq; rebelles & male de nobilitate sentiẽtes, de quibus ipse male suspicabatur, deprehenderet, pileum in perticam suspendit, via publica, omnibusq; transeuntibus mandauit, vt reuerentiam vel honorem pileo suspenso in gratiam nobilium vel magistratus, exhiberent. Ita enim persuasit sibi se facilè reperturum rebelles, quos in ordinem redigeret. Nec falsus est hac sua opinione tyrannus. Nam Vuilhelmus Dellius Vranienſis, transiens, pileo suspenso nullum honorem exhibuit, quo nomine captus & in vincula est coniectus, &c. Nota est historia.

Quo colore cõmendarint hãc legem regi.

Abusus legum.

Abutuntur turpiter legibus tyranni, quotquot illis vtuntur ad confirmationem suæ tyrannidis & ad explendas suas cupiditates prauas. Leges enim bonæ sint oportet, congruæ menti diuinæ, prohibentes quod malum est, & iubentes quod bonum est, vtiles bonis omnibus, & noxiæ malis duntaxat, non per se quidem, aut ex semetipsis, sed ex inobsequentium malitia propria, qua legem isti bonam, simpliciter latam & nihil insidiarum habentem, violant. Obserua verò mihi quantopere vrgeant Principes Regem, probè curet, ne lex illa semel lata vel mutetur vel aboleatur vnquam. Adducunt ad hanc rem Medorum & Persarum consuetudinem inuiolabilem, veritatis vtiq; studium constantiæq;. Nam apud Persas veritas primas obtinuit inter res omnium præstantiss. Pythagoras certè interrogatus quondam, quidnam homines potissimũ simile Dijs faciant? Cum vera, inquit, loquuntur. Agathius quoq; lib. historiarum 2. de Persarum moribus & religione agẽs, inter multa quæ recenset, eos ait duos Deos, vt Manicheos, constituere. Vnum namq; bonum Deum creatorẽ, quem vocarint Ormisdatin, alterum verò malum & pernicioſum, qui apud eos nuncupatur Arimanes. Cæterùm Raph. Volater. Philologiæ lib. 28. de veritate ex Ioanne Stobeo nomen huius Dei nõ legit Ormisdatin, sed ὡρομάγδαν. Maximum enim Deorum, ait Stobeus, Magos vocare Oromagdan, cuius aiunt corpus luci simile animam verò veritari. Et Petrus Crinitus lib. de honesta

Veritas & constantia maximi fiebat apud Persas.

disci-

disciplina 1. cap. 2. commemorat ex Alcibiade Platonis, Persicorum regum filios diligentissimè fuisse institutos à quatuor magistris, quorum secundus in primis admonebat vt in omni vita præcipuè colerent veritatem. Iccirco vrgent regem in præsenti quoq; principes Medorum & Persarum, vt veritatem custodiat, & legem semel latam immutari non sinat. Cum autem tam accuratam veritatis legumq; habuerint rationem ethnici, quid respondebunt pro se Christiani leges bonas figentes atq; refigentes, nec tãti veritatem faciẽtes, quin pulchrum eis videatur temporisare, vt loquuntur, & hominem pro re subitò nata, pro loco & tempore, pro vtilitate damnoq; prudenter posse simulare & dissimulare omnia?

Odium & persequutio ueræ religionis.

In primis verò perspicitur in hoc principum amaro venenatoq; contra Danielem consilio atq; conatu, quantum odium sustineat vera fides vel religio apud filios huius sæculi, & quàm artificiosè concinnent graues persequutiones contra fideles Dei cultores, quos omnino oppressos cupiunt. Qui liuore contabescebant, & Danieli extremum machinabantur malum, inter se omnes congruebant, consiliaq; pernicioſa communicabant, arteq; mirifica innoxium, in quo nullam culpam, crimen nullum inueniunt, irretire instituebant. Ergo vnà omnes regem adeunt, odium qua possunt diligentia contegunt, se omnes regi & regno optimè velle simulant, & huc omnia conferunt, vt legem à rege impetrent aut extorqueant sanguinariam. In his sunt cauti improbi, valide vrgent regem, moras soluunt omnes, & in perniciem Danielis festinant, impedimenta denicq; omnia tollunt, ne quid ipsorum obstet conatui. Ad eundem modum, qui oderunt euangelium, euangelij prædicatores & auscultatores, ab vnico Dei filio seruatore mundi sempiterno vnicè pendentes, inter se omnes conueniunt, consilia sua sanguinaria inter se vltro citroq; communicant, concordiam suam & multitudinem iactitant. & apud reges & principes indefesse & artificiosè laborant, vt leges promulgentur contra euangelicos, omnium regnorum pestes, vt inquam extinguantur in omnibus prouincijs, purganturq; regna ab istis sceleratis hominibus, &c. Multa quoq; hic simulant & dissimulant, vbiq; tamen & semper vrgent, ne leges mutentur sanguinarię. Affirmant quoq; magna cõstantia, leges illas sanguinarias, non tantùm vtiles, sed & necessarias esse omnibus salutem ac pacem habere cupientibus. Hæc diligenter proponuntur in scripturis contemplanda, vt fideles maturè admoniti, confirment se Dei gratia, neq; cedant furori huius sęculi, neq; horrescentes visis admirandis hostium euangelij artibus, deficiant ab agnita veritate ad errores atq; idola, sed perrumpẽtes per varia mala, perseuerent in veritate ad finem vlq;.

Regi facilè imponunt principes.

Porrò rex Darius facilè decipitur à tot principibus venenum tegentibus & publicum regni commodum gloriamq; regis prætexẽtibus. Licet enim bonus fuerit princeps Darius, ambitioſum tamen fuisse apparet. Vnde cum lex dicere tur factura pro eius authoritate maiestateq; & amplificanda & confirmanda, facilè annuit, scribi iussit, confirmandoq; obsignauit & promulgari fecit. Quare vt Nabuch. superbia seduxit, ita Darium quoq; superbia in discrimen non leue egit præcipitem. Videtur autem in vniuersa illa callida & improba consultatione Daniel alibi in regijs fuisse negotijs, & ab aula abfuisse. Sæpe enim astutè obseruatur absentia eorum, qui impedire possunt quo minus conficiant res suas impij. Confectis autem rebus omnibus ex animi sententia hostium Danielis, redit ille in regiam. Similia multa exempla habent sęcula nostra, in quibus hostes euangelij permulta quoq; ex animi sententia conficiunt, sed interim non omnia quæ instituerant atq; petierant obtinent, Deo eis obsistente. Cui gloria.

HOMILIA XXX.

Daniel verò vbi comperisset scriptum exaratũ esse, domum suam abijt, et apertis fenestris sui cœnaculi versus Hierusalem, tribus temporibus, quotidie, procumbens benedixit & orauit, & confitebatur corã Domino. Ita enim antehac facere cõsueuerat.

Vsus huius loci

TErtius locus huius Actus explicabit nobis quomodo se gesserit Daniel sub insidiatoribus suis & sub lege impia: ac prebet nobis exemplum quomodo nos in similibus geramus casibus. Huiusmodi enim exempla nisi nobis adaptauerimus omnibusq; modis imitati fuerimus, frustra nulloq; cũ fructu legũtur.

Daniel ex aula in domum suam concedit.

Cum audiuisset malis artibus legem pernicioſam & impiam esse compositam atq; euulgatam, non putauit sibi amplius in aula esse perseuerandum, sed redit in ædes suas, sibi haud dubiè proprias vel peculiares à rege datas. Cumq; non nesciret leges, more Medorum & Persarum promulgatas, inuerti aut abrogari nullo modo posse, non recurrit ad regem, neq; practicis hoc est artibus

Non pellit malam artem mala arte.

malis, artes malas infringere cupit aut tentat. Id quod sapientes huius seculi fecissent haud dubiè, sed vniuersum negotium commisit Deo, cogitans Deũ hac re magni aliquid efficere velle. Interim nihil sibi dissimulandum propter pernicioſam illam legem, existimat, sed conuersus ad preces, confitetur Deo, & suam illam religionem legi Medorum & Persarum contrariam, minimè abnegat aut contegit. Docet ergo nos semper conuerti in discriminibus ad Deum, & nunquam abnegare aut dissimulare nostram religionem, quam veram nouimus atque synceram. Proinde duo loci hic tractandi veniunt, Oratio & Confessio.

Daniel conuertitur ad preces

Principio enim cum vidisset res ab aduersarijs ita esse insidioſe compositas, vt porrò ab vllis hominibus vllum esset exspectandum vel consilium vel auxilium, totus conuertitur ad Deum, qui solus est omnipotens, & omnia mũdi consilia, quæ homines vel declinare, ne ijs capiantur, vel euertere nequeunt, dissipare potest & ad nihilum redigere. Huius ergo inuocat consilium & auxilium, & in ipso acquiescit totus. Ita videmus Christum ipsum fecisse. Cum enim intellexisset conspirasse in ipsius necem gentis Iudaicæ potentissimos quosq;, & ex suis discipulis vnum, suam obtulisse operam ad prodendum Dominum, recta festinat in montem oliuarum, & in eo ardentissimas ad patrem preces fundit, atq; in eo totus acquiescit. Dum apostoli captiui tenerentur in Actis cap. 4. & cap. 12. vniuersa ecclesia fundit ad Deum preces, sentitq; has esse efficacissimas. Sentiemus hoc ipsum & nos efficaciter. Nunquam itaq; desinamus in periculis quibuslibet nomen Domini inuocare, maximè cum apud homines desperata sunt omnia neq; vspiam vlla affulget spes.

Orationis species, inuocatio & gratiarum actio.

Oratio quidem generalis est ad inuocationem & benedictionem siue gratiarumactionẽ: In præsenti tamen videtur vsurpari pro inuocatione. Nam Apostolus duas ponit orationis species in epistola ad Philippẽses, inuocationem & gratiarumactionem. Illa petimus quæ nobis necessaria putamus. Hac pro acceptis beneficijs agimus gratias. In vtroq; se Danielem exercuisse in præsenti videmus. Perpetuò ergo & nos inuocare Deum oportet, & petere ab eo necessaria animæ & corpori. Deniq; beneficiorum acceptorum nunquam est obliuiscendum, sed perpetuæ agendæ sunt gratiæ.

Locus orationis.

Oraturus rectà in domum suam contendit, non in templum idolorum. Cœnaculum domus suæ ipsi templũ est, in quo preces suas fundit ad Deum. Quia Dominus quoque in euangelio dixit, Tu verò cum oras, introito in conclaue tuum, & occluso ostio tuo, ora patrem tuum, qui est in occulto, &c. Ergo iuxta

doctrinam

doctrinam Apoſtoli, licet quouis loco inuocare Dominum, nec alligata eſt vlli loco oratio fidelis. His nihil derogatum volumus cœtibus eccleſiaſticis, in certo aliquo loco conuenientibus. Fit enim & hoc ſecundum verbũ Dei, & iuxta exemplum ſanctorum. De quo aliàs dixi ſæpius. 1. Timoth. 2.

Tempus orationis quoq; indicatur, Ter enim quotidie orauit. Nam tertia diei hora datus eſt & apoſtolis orantibus ſpiritus ſanctus. Sexta orauit Petrus Ioppe aſcendens in cœnaculum, vbi vidit pannum cœlo demiſſum. Nona autem aſcenderunt ad templum Petrus & Ioannes precaturi cum populo & prædicaturi euangelium. Nam circa diei initium inuocatur Deus, vt illo nobis die gratia ſua adeſſe velit. Meridie rurſus adoratur, quia ipſius eſt progreſſus rerum omnium, ipſeq; ſolus dirigit & moderatur res noſtras ad bonum finem. Sub veſperam laudatur Deus, & aguntur ei pro beneficijs gratiæ, ac cõmendat ſe homo per noctem ſubſequentem Deo, cui mane rurſus gratias agit pro eo quod nocte ſeruauit ipſum & defendit à malo. Interim vt nec loco, ita nec tempori alligata eſt oratio. Sponte enim liberrimeq; hæc fiunt à pijs. Et ſi negotia impediunt, alio tempore iſta perfici poſſunt. Nec legis vllas eſſe ab apoſtolis leges latas de loco aut tempore orationis. Mira in hoc fuit apud veteſtos diuerſitas. Id quod videre licet in hiſtoria Eccleſiaſtica. *Tempus orationis.*

Præterea attingitur modus precationis. Etenim oraturus Daniel procumbit in genua. Ita fecit in monte oliuarum Dominus, ita fecerunt & alij patres ſancti. Quorum exempla iubemur imitari. Supplices ſeſe proſtrantes vel procumbentes in terram: eo teſtantur geſtu ſeſe dedere ei cui ſupplicant. Humiliari autem oportet nõ tantùm corporis habitu, ſed maximè animo vel corde. Alioqui enim ſi locus & occaſio vel morbus obſtat, quo minus procũbere in genua poſſis, ſtantes, aut ſedentes, aut iacentes, aut inambulantes oremus dominum. Abſit tamen hic ſocordia & pigricies, ſi potes procumbere procumbito coram domino Deo tuo. *Orationis modus ſeu habitus & geſtus orantium.*

Quod apertis feneſtris verſus Hieroſolymam conuerſus precatur, facit ſecundum verbum Dei, quod extat 1. Reg. 8. cap. in hæc verba, Si captiui abducti in terram alienam orauerint verſus ciuitatem, quam elegiſti & verſus templum quod ædificaui (ſunt enim verba Solomonis) nomini tuo, tu exaudies eos de cœlo, &c. Cæremonia hæc erat inſtituta propter Chriſtum & ſacrificũ eius. Non licebat alibi ſacrificia offerre niſi in templo Hieroſol. Quia vnicum eſt ſacrificium. Semel enim mortuus eſt Chriſtus, & ſemel abſoluit nos à peccatis, dum ſemel pro nobis imolatus eſt. Non licet ergo reſpicere ad alium mediatorem, interceſſorem in precibus noſtris quàm ad Chriſtum ſolum. Non licet niti vllo pro peccatis ſacrificio niſi Chriſti ſolius. Ita non licuit orare veteribus niſi animis & oculis conuerſis ad templum Hieroſolymitanum. Auerſi à templo Dei orant, qui inuocant creaturas & non ſolum Deum per Chriſtũ. Nunc enim cum credimus Chriſtum nobis exhibitum & pro peccatis noſtris oblatum eſſe ſemel, & abſolutis nobis abſolutoq; redemptionis negotio aſcẽdiſſe in cœlum, ſubleuatis animis & oculis in cœlum oramus ſicut ille nos orare docuit, Pater noſter qui es in cœlis. Et hæc quidem dixi breuibus, quia alibi copioſius eadem de re diſſerui, de oratione altera huius loci parte. Conſequenter dicemus de cõfeſſione altera huius loci parte. *Adorare uerſus templum.*

Ad confeſſionem enim pertinet, quod apertis feneſtris adorat verſus Hieruſalem. Non ignorauit aduerſarios ſuos obſeruare ipſum, nihilominus aperit feneſtras, vt quid faciat, videant. Nec ea re præter vllam neceſſitatem temere malum ſibi conſciſcit. Ita enim hactenus adorare aſſuerat: id quod diſertis verbis veluti cauſa apertionis feneſtrarum exprimitur. Proinde ſi iam propter edi- *Confitetur religionem ſuam Daniel.*

HOMILIA XXX.

Daniel verò vbi comperisset scriptum exaratũ esse, domum suam abijt, et apertis fenestris sui cœnaculi versus Hierusalem, tribus temporibus, quotidie, procumbens benedixit & orauit, & confitebatur corã Domino, Ita enim antehac facere cõsueuerat.

Vsus huius loci

TErtius locus huius Actus explicabit nobis quomodo se gesserit Daniel sub insidiatoribus suis & sub lege impia: ac prebet nobis exemplum quomodo nos in similibus geramus casibus. Huiusmodi enim exempla nisi nobis adaptauerimus omnibusq; modis imitati fuerimus, frustra nulloq; cũ fructu legũtur.

Daniel ex aula in domum suam concedit.

Cum audiuisset malis artibus legem pernicioſam & impiam esse compositam atq; euulgatam, non putauit sibi amplius in aula esse perseuerandum, sed redit in ædes suas, sibi haud dubiè proprias vel peculiares à rege datas. Cumq; non nesciret leges, more Medorum & Persarum promulgatas, inuerti aut abrogari nullo modo posse, non recurrit ad regem, neq; practicis hoc est artibus

Non pellit malam artem mala arte.

malis, artes malas infringere cupit aut tentat. Id quod sapientes huius seculi fecissent haud dubiè, sed vniuersum negotium commisit Deo, cogitans Deũ hac re magni aliquid efficere velle. Interim nihil sibi dissimulandum propter pernicioſam illam legem, existimat, sed conuersus ad preces, confitetur Deo, & suam illam religionem legi Medorum & Persarum contrariam, minimè abnegat aut contegit. Docet ergo nos semper conuerti in discriminibus ad Deum, & nunquam abnegare aut dissimulare nostram religionem, quam veram nouimus atque synceram. Proinde duo loci hic tractandi veniunt, Oratio & Confessio.

Daniel conuertitur ad preces

Principio enim cum vidisset res ab aduersarijs ita esse insidioſe compositas, vt porrò ab vllis hominibus vllum esset exspectandum vel consilium vel auxilium, totus conuertitur ad Deum, qui solus est omnipotens, & omnia mũdi consilia, quæ homines vel declinare, ne ijs capiantur, vel euertere nequeunt, dissipare potest & ad nihilum redigere. Huius ergo inuocat consilium & auxilium, & in ipso acquiescit totus. Ita videmus Christum ipsum fecisse. Cum enim intelexisset conspiraſſe in ipsius necem gentis Iudaicæ potentissimos quosq;, & ex suis discipulis vnum, suam obtulisse operam ad prodendum Dominum, rectà festinat in montem oliuarum, & in eo ardentissimas ad patrem preces fundit, atq; in eo totus acquiescit. Dum apostoli captiui tenerentur in Actis cap. 4. & cap. 12. vniuersa ecclesia fundit ad Deum preces, sentitq; has esse efficacissimas. Sentiemus hoc ipsum & nos efficaciter. Nunquam itaq; desinamus in periculis quibuslibet nomen Domini inuocare, maximè cum apud homines desperata sunt omnia neq; vspiam vlla affulget spes.

Orationis species, inuocatio & gratiarum actio.

Oratio quidem generalis est ad inuocationem & benedictionem siue gratiarum actionẽ: In præsenti tamen videtur vsurpari pro inuocatione. Nam Apostolus duas ponit orationis species in epistola ad Philippẽses, inuocationem & gratiarum actionem. Illa petimus quæ nobis necessaria putamus. Hac pro acceptis beneficijs agimus gratias. In vtroq; se Danielem exercuisse in præsenti videmus. Perpetuò ergo & nos inuocare Deum oportet, & petere ab eo necessaria animæ & corpori. Deniq; beneficiorum acceptorum nunquam est obliuiscendum, sed perpetuæ agendæ sunt gratiæ.

Locus orationis.

Oraturus rectà in domum suam contendit, non in templum idolorum. Cœnaculum domus suæ ipsi templũ est, in quo preces suas fundit ad Deum. Quia Dominus quoque in euangelio dixit, Tu verò cum oras, introito in conclaue tuum, & occluso ostio tuo, ora patrem tuum, qui est in occulto, &c. Ergo iuxta

doctrinam

doctrinam Apostoli, licet quouis loco inuocare Dominum, nec alligata est vlli loco oratio fidelis. His nihil derogatum volumus cœtibus ecclesiasticis, in certo aliquo loco conuenientibus. Fit enim & hoc secundum verbũ Dei, & iuxta exemplum sanctorum. De quo aliàs dixi sæpius. 1. Timoth. 2.

Tempus orationis quoq; indicatur, Ter enim quotidie orauit. Nam tertia diei hora datus est & apostolis orantibus spiritus sanctus. Sexta orauit Petrus Ioppe ascendens in cœnaculum, vbi vidit pannum cœlo demissum. Nona autem ascenderunt ad templum Petrus & Ioannes precaturi cum populo & prædicaturi euangelium. Nam circa diei initium inuocatur Deus, vt illo nobis die gratia sua adesse velit. Meridie rursus adoratur, quia ipsius est progressus rerum omnium, ipseq; solus dirigit & moderatur res nostras ad bonum finem. Sub vesperam laudatur Deus, & aguntur ei pro beneficijs gratiæ, ac cõmendat se homo per noctem subsequentem Deo, cui mane rursus gratias agit pro eo quod nocte seruauit ipsum & defendit à malo. Interim vt nec loco, ita nec tempori alligata est oratio. Sponte enim liberrimeq; hæc fiunt à pijs. Et si negotia impediunt, alio tempore ista perfici possunt. Nec legis vllas esse ab apostolis leges latas de loco aut tempore orationis. Mira in hoc fuit apud vetustos diuersitas. Id quod videre licet in historia Ecclesiastica. *Tempus orationis.*

Præterea attingitur modus precationis. Etenim oraturus Daniel procumbit in genua. Ita fecit in monte oliuarum Dominus, ita fecerunt & alij patres sancti. Quorum exempla iubemur imitari. Supplices sese prostrantes vel procumbentes in terram: eo testantur gestu sese dedere ei cui supplicant. Humiliari autem oportet nõ tantùm corporis habitu, sed maximè animo vel corde. Alioqui enim si locus & occasio vel morbus obstat, quo minus procũbere in genua possis, stantes, aut sedentes, aut iacentes, aut inambulantes oremus dominum. Absit tamen hic socordia & pigricies, si potes procumbere procumbito coram domino Deo tuo. *Orationis modus seu habitus & gestus orantium.*

Quod apertis fenestris versus Hierosolymam conuersus precatur, facit secundum verbum Dei, quod extat 1. Reg. 8. cap. in hæc verba, Si captiui abducti in terram alienam orauerint versus ciuitatem, quam elegisti & versus templum quod ædificaui (sunt enim verba Solomonis) nomini tuo, tu exaudies eos de cœlo, &c. Cæremonia hæc erat instituta propter Christum & sacrificũ eius. Non licebat alibi sacrificia offerre nisi in templo Hierosol. Quia vnicum est sacrificium. Semel enim mortuus est Christus, & semel absoluit nos à peccatis, dum semel pro nobis immolatus est. Non licet ergo respicere ad alium mediatorem, intercessorem in precibus nostris quàm ad Christum solum. Non licet niti vllo pro peccatis sacrificio nisi Christi solius. Ita non licuit orare veteribus nisi animis & oculis conuersis ad templum Hierosolymitanum. Auersi à templo Dei orant, qui inuocant creaturas & non solum Deum per Christũ. Nunc enim cum credimus Christum nobis exhibitum & pro peccatis nostris oblatum esse semel, & absolutis nobis absolutoq; redemptionis negotio ascẽdisse in cœlum, subleuatis animis & oculis in cœlum oramus sicut ille nos orare docuit, Pater noster qui es in cœlis. Et hæc quidem dixi breuibus, quia alibi copiosius eadem de re disserui, de oratione altera huius loci parte. Consequenter dicemus de cõfessione altera huius loci parte. *Adorare uersus templum.*

Ad confessionem enim pertinet, quod apertis fenestris adorat versus Hierusalem. Non ignorauit aduersarios suos obseruare ipsum, nihilominus aperit fenestras, vt quid faciat, videant. Nec ea re præter vllam necessitatem temere malum sibi conscisciit. Ita enim hactenus adorare assuerit: id quod disertis verbis veluti causa apertionis fenestrarum exprimitur. Proinde si iam propter edi- *Confitetur religionem suam Daniel.*

ctum regium ritum illum suum mutasset vel intermisisset, videri potuisset tantum tribuisse regio humanoq; edicto, vt adorationem iam intermiserit. Quæ aperta fuisset fidei suæ abnegatio, & argumentum manifestum, quòd vitæ suæ periculũ pluris feciſſet Deo & vera fide sua in Deum. At noluit hic quicquam vel simulare vel dissimulare, relinquens nobis exemplum, vt & nos quoties res postulauerit, ingenuè confiteamur, & ne quid quod ad fidei nostræ confessionem pertinet, omittamus, simulemus vel dissimulemus, propter mandata hominum impia. Ergo non pugnat hoc Danielis factum cum doctrina Christi, iubẽtis oraturos ingredi cubiculum, & occluso cubiculi ostio orare patrem in occulto. Prohibet enim Christus vanam gloriam, qua inflabantur Pharisæi, orantes in publico ad parandum sibi sanctimoniæ existimationem: sicuti apertè exprimitur apud Matth. in cap. 6. At facto hoc suo Daniel nullam venabatur gloriã, sed palàm se Dei veri cultorem esse commonstrabat, ideoq; pertinet hoc ad confessionem fidei, quam omnino apud omnes fideles non hypocritas fortem libera & synceram esse oportet. Peccatum est hic omnibus seculis & peccatur hodie etiam non leuiter, dum homines non præstant Deo eam fidem, quam debebant, & quam in præsenti Daniel Deo præstat. Potuisset & ipse prætexere multa suo timori, Tempus regia lege expressum ac comprehensum non fore diutur num, vt hoc absoluto ipsi ad solitas preces redire liceret. Præterea adorare ipsum interea posse etiam clauso cœnaculo. Nec prudentis esse reniti natãdo contra impetum furentem insuperabilemq; fluminis. Consultius esse fallere insidiatores principes Persas & Medos dissimulando. Ita verò & Danielem melioribus posse seruari temporibus. Qui si modò pertinacius pergat, incidat in manus hominum pereatq; non modò nullo cũ fructu (quid enim fructus ad Deum ex vnius hominis morte redeat?) sed maximo cum detrimento populi captiui, cui viuus & incolumis plurimùm prodesse, mortuus multum incommodare possit. Speciem hęc habuissent iustitię prudentiæ ac beneficẽtiæ. Verùm huius modi fucis sanctus Dei propheta non vtitur, sed simpliciter facto suo suam religionem confitetur.

Non pugnat Daniel cõ præcepto Domini Matth.

Daniel nil prætexit quo minus libere confiteatur.

CONFITERI in scripturis, in Psalmis maximè, significat laudare, benedicere, gratias agere seu orare. Qua significatione hic non vsurpabimus. Confiteri enim in præsenti est verbis & factis, coram hominibus, quoties res ipsa flagitat, ingenuè liberè & disertè profiteri fidem tuam, quam habes, ex verbo Dei veram, contrariamq; respuere. Sicut enim falsa & superstitiosa fides pendet ex legibus humanis, ex ritibus receptis vulgò à maioribus & consuetudinibus placitisq; principum: Sic vera fides innititur in solum verum Dei verbum. Quicquid hoc tradit, recipit fidelis, & hoc apud omnes, quoties res postulat & Dei gloria requirit, palàm confitetur, & quantum potest defendit. Sunt autẽ duo primaria verbi Dei fideiq; capita in scripturis nobis proposita. Prius est vnum esse Deum essentia, personis trinum, vnicum summum & æternum bonum, qui solus velit adorari, inuocari, coli & omnes per nomen eius iurare. Prohibet ergo vllas in rebus conditis adorare creaturas, non vult mortuos inuocari homines, Coli se vult eo modo, quo ipse scripsit, reiecit modum colendi Dei confictum ab hominibus, reiecit idola & cultum idolis exhibitum, sacrificijs, & reliquis in mundo vsurpatis ritibus. Prohibet denicq; iurare per nomina eorum qui Dij non sunt. Hæc passim leguntur in lege & prophetis. Ergo si iubeat vel magistratus, vel ecclesia, vel ecclesiæ antistites adorare, inuocare & colere creaturas, quales quales hæ sint aut vbicunq; sint si iubeant te iurare per sanctos, si iubeant coram simulachris procumbere, & cultum ab ipsis extra & contra verbum Dei inuectum & confirmatum exercere, edenda est libera confessio

De libera fidei vel religionis confessione.

Quæ maxime libere confitenda sint.

feſsio à quouis fideli, profitendumq̃, Nõ eſt iſta mea religio, quæ ſolum Deum adorat, inuocat, colit, & per nomen eius ſolius iurat: ab humanis iſtis inuentis & ab idolis eorumq̃ ſacrificijs prorſus abhorret, velut ab abominatione ab ipſo Deo per apertum verbum eius reiecta.

Poſterius caput religionis noſtræ eſt, Chriſtum Ieſum verum Deum & hominem datum eſſe nobis à Deo iuſtitiam, mediatorem, interceſſorem, hoſtiam pro peccatis vnicam & ſempiternam, denicq̃ plenitudinẽ in quo completi ſint omnes electi. Ideoq̃ vera & ſyncera fide hunc eſſe recipiendum, ac in vno ſoloq̃ acquieſcendum, iuſtitiamq̃ non petendam aut ſperandam ex humanis vllis meritis bonisq̃ operibus, diuos non deligendos pro mediatoribus aut interceſſoribus apud patrem, neq̃ in vllis hominum inuentis, vt in miſsis, indulgentijs, anniuerſarijsue quærendam peccatorum remiſsionem, cum Chriſtus ſolus ſit plenitudo & ſalus noſtra, in quo habemus remiſsionem peccatorum, & in quo ſumus abſoluti. Ita enim docent nos apertiſsimè, non tantùm ſcripta prophetica, ſed & euangelica & apoſtolica. Quibus vt indubitatæ veritati omnes pij innituntur. Ergo ſi hic quoq̃ vel magiſtratus vel eccleſiæ antiſtites, iuſtificationem quærere in meritis hominum bonisq̃ operibus, diuos cœlites inuocare vt interceſſores apud patrem, & Chriſtum dominum, indulgentias redimere, vt iuſtam expiandi peccatorum rationem, præterea miſſas adire & has agnoſcere ceu ſacrificium pro peccatis viuorum & mortuorum, à ſacerdote oblatas, aliasq̃ obſeruare cæremonias tanquam ad ſalutem neceſſarias, ædẽda eſt liberrima confeſsio, Non ita docuit me euangelium, nec didici iſta in doctrina apoſtolica. Omnia enim vitæ & ſalutis mihi eſt vnus Chriſtus. Sufficiũt mihi huius ſacramenta, ita ab eccleſia Chriſti celebrãda, ſicut ipſe inſtituit Dominus. Alijs mihi ad ſalutem nihil eſt opus. Quinimò apoſtolus dixit, Si quis vobis prædicauerit euangeliũ præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Omnia itaq̃ quæ cum euangelio non congruunt ſunt mihi anathema, &c.

Ac ne quis dubitet tam diſertam & liberam à nobis diuinitus requiri confeſsionem religionis noſtræ, & repulſionem aduerſarię, qualis qualis illa ſit, obſeruari oportet non modò quid factũ, ſed etiam quid à prophetis, à Chriſto ipſo & ab apoſtolis eius hac de re dictum ſit. Ieremias in cap. 10. docet, quid captiui in Babylone confiteantur. Sic dicetis eis, inquit. Dij qui cœlum & terram non condiderunt, perdentur de terra & de ſub cœlis ipſis. Et reliqua, quæ expoſui copioſius paulò Con. in Iere 40. Quid quod ipſe Dominus in euangelio ſuo ſecundum Ioan. dicit? Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ſtabulum ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſeruabitur. Et reliqua Ioan. 10. S. Petrus ita ſalutem recludit in vnum ſolumq̃ Chriſtum, vt alibi, quàm in ipſo, inueniri poſſe, modis omnibus neget. Non eſt, inquit, in alio quoquam ſalus. Nec enim aliud nomẽ eſt ſub cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſeruari. Obſeruanda ſunt in hoc luculentiſsimo teſtimonio, primum quod ait, Non eſt in alio quoquã. En in alio quoquã ait, nõ eſt ſalus. Excluduntur ergo diſertè omnes à quibus ſalus peti poterat. Vnus ſaluator Chriſtus conſtituitur, qui nullũ habet, nec habere poteſt conſortem. Deinde ſignificantius hoc ipſum illuſtrans, ſubijcit, Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo, id eſt vſpiam. Nomen comprehendit omne quod nominari poteſt. Nihil ergo vel in cœlo vel in terra aut vſpiam nominari poteſt, in quo ſalus ſit, niſi in ſolo Chriſto. Quicquid ergo mihi nóminaueris & mihi obtruſeris velut ſalutiferum, id ego repudiabo vt pernicioſum. Etenim ſub cœlo non eſt ſalus & ſaluator alius quàm ſolus Chriſtus. Nã & S. Apoſtolus Paulus eiuſdem cum Petro doctrinæ, pronunciat, Complacuit patri in

Diſertam & liberimã oportere eſſe confeſsionem.

Ierem. 10.

Ioan. 10.

Actu. 4.

Coloſ. 1. & 3.

filio omnem inhabitare plenitudinem, & per eum reconciliare omnia sibi, pacificatis per sanguinem crucis eius, tum quæ in terra, tum quę in cœlis Et estis in
Galat. 6. eo completi. Absit ergo à me gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Quærebã aliquando in
Philip. 3. lege iustitiam, sed quæ mihi aliquando erant lucra, ea duxi propter Christum damnum. Quinetiam certè duco omnia damnum esse propter eminentiam cognitionis Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, eaq; duco pro excrementis, vt Christum lucrifaciam; & comperiar in eo, non habere meam iustitiam ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi (id est) iustitiam
Galat. 2. & 5. quæ est ex Deo per fidem. Non aspernor nec irritam facio Dei gratiam. Nam si per legem est iustitia, igitur Christus sine causa vel frustra mortuus est. Ecce ego ego Paulus dico vobis, inanis factus est Christus per vos ipsos, quicũq; per legem iustificamini, & à gratia excidistis. Hęc breuia, sed efficacia confessionis liberrimæ, planissimæ & fortissimę exempla sacra produxi in medium, vt hinc docti & conuicti intelligamus & teneamus dissertam requiri à nobis confessionem, ideoq; desinant Protheos agere, quotquot hodie vel nihil confitendum esse putant, vel confitentur quidem, sed huiusmodi verbis, ita ambiguè & lubricè, vt certi aliquid ex ipsorum confessionibus elicere non possis.

Quæ soleant obijcere negatores.

Ac sunt præterea plurimi, qui metu quodam nimio & ne ob confessionem synceram & expressam periclitari cogantur, plurima pro se adducunt, quibus confessionem liberam abrogent & in obliuionem abducant. Obtendunt sancti magistratus authoritatem, cui iubeant obtemperare Apostoli Christi. Ergo si is pro potestate diuinitus accepta mandet, propter bonum publicum, mutare religionem, subditos nullo cum peccato mandatis parere. Atqui fatemur magi-

Quatenus parendum sit magistratui.

stratui esse parendum, sed in ijs, quæ nõ pugnant cum mandato Dei. Deo enim plus debemus, quàm hominibus. Accepit potestatem magistratus à Deo, sed non absolutam. Si enim religionem mutet aut iubeat quod cum lege Dei pugnet, præter officium facit, & peccat grauiter, eiq; obedientes peccãt grauiter. Nota est sententia Domini, si cæcus cæcum duxerint, ambo cadunt in foueam. Et Ieroboam qui in Israele primus pro sua voluntate religionem mutauit, plus quam vigesies in 1. & 2 lib. Regum dicitur seduxisse Israelem. Neq; verò vnquam bono publico, sed malo publico mutatur religio. Multa ad hanc rem demonstrandam possem proferre ex sacris exempla. Quinimò docet nos verbum

Oppoſuere ſe legibus magiſtratus impijs ſancti.

Dei impijs magistratus legibus non modò non obedire, sed modis omnibus resistere. Videmus enim tres Danielis socios olim Nabuchod. regi, & hunc nostrum Danielem, iam Dario regi constanter sese opposuisse. Præcipiebat Caius Cæs. sterquilinium alioqui hominis, statuas poni suas in templum, & iurare omnes per nomen eius Cum autem hoc Petronius armata manu erga Iudaicum populum exequi vellet, sensit Iudęos malle depouere vitam, quàm recipere Imperatoris simulachrum, & iurare per nomen vel numen Cæs. Author est Iosephus Antiquit. lib. 18. cap. 10. & 11. Polycarpus quoq; Smyrnensis Ecclesiæ pastor fortiter se opposuit præfecto Romanorum in Asia mandanti impia, vt scilicet fortunam Cæs. iuraret. Scribit hoc Euseb. Eccles. hist. lib. 4. cap. 15. Idem lib. 8. cap. 5. commemorat nobilem quendam Nicomediensem, diploma imperatorum contra Christi fidem promulgatum & publicè in ea vrbe suffixũ, discidisse. Sed quid ista proferimus, cũ ipsi Apostoli Christi, magistratui Hierosolymitano, manifestè restiterint? sicut commemoratur in Actis Apost. cap. 4. 5.

Quid parentibus, cõiugibus & liberis tribuendum?

Quod obijciunt, cuilibet nostrum commendari parentes cum liberis & coniugibus, quos omnino deserere sit impium, adeoq; perdere oporteat, si pergamus coram hostibus religionis rigidè fidem nostram confiteri, nullo pores

dissolui

dissolui negotio. Diligendi enim, fouendi & nutriendi sunt parentes, coniuges & liberi, sed citra abnegationem religionis. Notissima est enim domini sententia, Qui pluris fecerit parentes, vxorem & liberos quàm me, hic me non est dignus. Ergo beatus Phileas Thmuetanæ in Ægypto vrbis episcopus, doctrina & nobilitate apprimè illustris, cum plurimos propinquos & consanguineos nobiles viros in eadem vrbe haberet, frequenter ad præsidē ducebatur, eiusq; monitis acquiescere, tot & tantis propinquis exorantibus, respectum habere vxoris & contemplationem suadebatur suscipere liberorum, neq; in cœpta præsumptione persistere. Ille verò velut si saxo immobili vnda allideretur, garrientium dicta respuere, animum ad cœlum tendere, Deum in oculis habere, parentes & propinquos, sanctos martyres & apostolos ducere. De quo viro multò plura scribit Euseb. Eccles. hist. lib. 8. cap. 10. *Matth. 10. Luc. 14.*

Aiunt Deum non delectari cædibus & prohibere effusionem sanguinis, itaque displicere si quis propter confessionem rigidam se in necē coniiciat alijsq; author sit propter confessionem rigidam profundendi sanguinis ac spernendæ vitæ. Rursus verò non ignoramus prophetam dixisse, Preciosa est in oculis Domini mors sanctorum eius. Cumq; ipse Dominus in euangelio prædixerit quæ passuri sint confitentes nomen eius, non docet ibidem ne fundatur sanguis, sub terfugere pericula, sed adhortatus est potius ad certamen cruentum subeundum. Notissima sunt quæ dixit Dominus apud Matth. in cap. 10. & apud Ioan. in cap. 15. & 16. Commemorabo hic memorabile ex Eusebio rursus exemplum, facti cuiusdam admirandi, quod in persequutione Diocletiani & Maximiani euenit. In Phrygia, vidi vrbem quandam, inquit, Christianorum ciuium, in qua cum & populus omnis, & honorati viri, & curator ac magistratus Christianos se esse nec acquiescere ad sacrificandum fatererentur, circundari militibus iubēt, cunctosq; simul cum mulieribus viros, cum paruulis senes, cum ciuibus ciuitatem, iniecto igni concremari: ita vt nullus penitus ex illa vrbe, etiam cum optio volentibus daretur, abscederet. Et hoc in ciues perpetratum est, quod in hostes egisse notam crudelitatis habuisset. Verùm beati huius numerosiq; martyrij pariter ab vniuersa vrbe suscepti author & dux extitit vir pietate & religione atq; omni benignitate clarus Adauctus nomine. De quo multo plura qui velit leget apud authorem illum lib. Eccles. hist. 8. cap. 11. Quis verò dixerit virum hunc præclarum seduxisse & perdidisse temerè, imò crudeliter vrbem illam Phrygiæ claram? Aut quis referet crudelitatis notam in ipsum Deum, cui huiusmodi probantur martyria sanctorum suorum, & qui modis omnibus execratur illos nimiùm molles, quibus durum est suscepta cruce in humeros sequi Christum? *Deo displicent cædes.* *Phrygiæ vrbs quædam prorsus excisa.*

Dicunt, Deo nihil esse gratius, quàm hominum concordiam. Proinde non displicere eorum studia quibus iucundum est cōciliare dissidentes religiones, ne vlla ex religionum repugnantia oriatur cruenta pugna. Quid verò dicit his compositoribus beatus propheta Helias? Quousq; claudicatis in vtrumq; latus? quousq; vtroq; humero gestatis? Vnus est Deus, vna est vera religio. Nam & apostolus dixit, Ne traxeritis iugū cum incredulis. Quod enim cōmercium Christi & Belial? Sed & ipse Dominus Iesus dixit, Non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua quæ leguntur apud Matth. in cap. 10. Placet ergo Deo concordia, sed in bono, & in iusto, & in vero. Displicet in malo, in iniusto & in falso vel in mendacio, & cū abnegatur sub specie concordiæ Christus & veritas eius. *Concordia & pax.* *1. Reg. 18.* *2. Cor. 7.* *Matth. 10.* *Non satis est corde credere, nisi & ore & factis confitea mur.*

Postremò affirmant sufficere fidem cordis, neq; omnino requiri confessionem oris. Ergo periculosis temporibus minimè requiri talem confessionē, quæ in discrimen possit coniicere, sed quemlibet debere ad tempus dissimulare ac

se melioribus seruare temporibus. Huiusmodi doctrinam serunt hodie Nicodemitæ, Georgiani ac Dauidiani cum Libertinis, sectis in orbe fœdissimis & nominibus omnibus execrandis. Quæ tamen nihil noui adferunt, sed veterem errorem Helchesaitarum, dudum ex ecclesia Christi explosum, reducunt atq; instaurant. Nã Euseb. ex Origene, Asserunt Helchesaitæ, ait, quòd in persequutionibus si quis negauerit, nihil criminis habeat, pro eo quòd is qui fixus est in corde suo, etiamsi ore negauerit pro necessitate, corde tamen in fide permanet. Atqui turpis hic error multis reuelli potest argumentis. Dicit enim in euangelio Dominus, Ex abundantia cordis os loquitur. Si itaq; veram fidem concepit cor tuum, eam non poterit non confiteri. Si nõ confitetur, inane vacuumq; est cor fide. Si vxor marito dicat, Corde te diligo, licet commercium habeam cum alijs, non credet certè maritus se corde dilígi, cum facta diuersa testentur. Quid ergo fidei in corde haberet, qui supplicat idolis? Quid quod Dominus apud Matth. in 10. & apud Marc. in 8. apertissimè dicit, Qui confitetur me coram hominibus, confitebor illum & apud patrem meum qui est in cœlis? Coram hominibus ait, confitetur, nõ autem dicit in corde tantum credit. Apud Marcum vult confessionem illam fieri non tantùm apud bonos & amicos, sed apud hostes & apud generationem adulteram. Nec potest diserta hæc Domini sentẽtia in alienum detorqueri sensum. Nam & Apostolus ad Rom. 10. coniungit hæc duo inseparabiliter, fidem cordis & confessionem oris. Ad Heliam quoq; dicebatur quondam, Reliqui mihi septem millia virorum, qui non incuruarunt genua sua Baal. En genua sua, inquit, non incuruarunt Baal. Id quod externum est & ad externam confessionem pertinet. Sed & exempla hic in Daniele recurrunt apertè confitentium, & trium sociorum Danielis, & ipsius Danielis. Confitetur in euangelio coram Caiapha & synodo seniorum Christus Dominus, licet non ignoraret id se cum certissimo discrimine vitæ facere. Negauit verò Petrus Dominum, & negando peccauit grauissimè. Quis verò dubitet Petrũ tum quoq; vtcunq; Christum habuisse in corde? Nisi enim illum gessisset in corde, nunquam ipsum subsequutus fuisset in atrium vsq; sacerdotis. Nihilominus dicitur negasse Dominum. Ergo dum Nicodemitæ aiunt se corde religionem retinere, interim religionem illam non confitentur, sed contraria religioni concepta faciunt, negant vtiq; & religionem suam & Christum. Non ita assueuit vetus ille martyrum Christi chorus. De eo iterum refert Euseb. Eccles. hist. lib. 8, cap. 3. Ex persecutoribus quidam, inquit, tanquam miseratione vsi, adhibebãt nonnullos nostrorum ad incesta sacrificia, & quasi sacrificassent, conclamabãt, cum non sacrificassent. De alijs verò cum ne appropinquassent quidẽ immundis hostijs, acclamabant ipsi quòd iam immolassent & abscedebant: in eo tantũ culpabiles, quòd crimen sibi obiectum, cum silentio paterentur. Aliqui sanè exclamabant ingenti voce & testabantur se non sacrificasse, sed esse Christianos, tali se gaudentes confessione decorari. Nonnulli etiam maiori fiducia neq; immolasse se, neq; vnquam immolaturos esse testabantur. Quibus tamen ab assistentibus militibus ora comprimebantur vt tacerent. Et reliqua.

Exempla martyrum.

Chrysostomi doctrina de cõfessione religionis libera.

Ad hęc licet efficacia & aliâs perspicua satis, adijciam tamen ea quæ hac de re nobis scripta reliquit beatus Chrysostomus in opere imperfecto Matthæi in cap. 10. ad verba saluatoris, Omnis qui me confitebitur, &c. Homilia 25. Considera, inquit, deniq; ne dicant etiam fideles Christiani, Si necessitas persequutionis aduenerit, interim coram hominibus de negatione patiar pœnas, in corde autem meo veritatem teneo Christi: ideò non dicit, Qui me confessus fuerit in corde suo, sed coram hominibus. Quoniam qui coram hominibus non confitetur, nõ prodest ei aliquid quod in corde credit in Christum. Quia qui ore denegat

gat non potest fieri, vt corde credat. Radix enim confessionis, fides est cordis. Confessio autem fructus est fidei. Sicut ergo quandiu radix est viua, necesse est vt aut ramos producat, aut folia. Si autem nō produxerit, sine dubio intelligis, quòd radix eius in terra siccata est. Sic quamdiu fides cordis integra est, semper germinat confessionem in ore. Si autem confessio non fuerit oris, intellige sine dubio, quia fides cordis eius iam ante siccata est. Sic enim dicit apostolus, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ergo nec valet confessio oris sine fide cordis, nec fides cordis sine confessione oris. Et paulò post, Si sufficeret tibi fides cordis, cor tantummodo tibi Deus creasset, nunc autem & os tibi creauit Deus, vt corde credas, & ore confitearis. Cum omnibus verò sensibus quinq; carnalibus & spiritualibus oportet confiteri Christum. Si autē vel vnus sensus minus fuerit, non est perfecta confessio. Ergo si quis tibi dicat, Ne manducaueris idolothytum, sed aspice tantùm ad idola quàm sint speciosa, si aspexeris prouocatus, OCVLIS tuis negasti Christum. Non quia aspicere idola aliquid sit, sed quia inuitatus aspicis, peccas. Si autē non aspexeris, oculis tuis confessus es Christum. Ideò scriptum est, Auerte oculos tuos ne videant vanitatem. Si verò dixerit tibi, Nolo vt aspicias idola, sed tantum AVSCVLTA quomodo ille gentilis blasphemet Christum, vt glorificet Deos. Si auscultaueris, auribus tuis Christum negasti. Si dixerit tibi, Nolo vt audias blasphemiam Christi, sed cum incensum Dijs offertur, tantum sta & accipe odorem incensi illius. Si ODORATVS fueris, odoratu tuo Christum offendisti. Item si dixerit tibi, Non manduca carnem dentibus tuis, tantum finge te de idolothyto manducare, si simulaueris, GVSTV tuo Christum abnegasti. Si autem nolueris fingere, Christum confessus es. Sicut Eleazarus in libro Machabæorum qui carnes veruecinas sub specie porcinæ noluit manducare. Si dixerit, Nolo fingas te de immolato manducare, sed tantum TANGE idolum manu tua aut tene thuribulum. Si tetigeris aut tenueris, tactu tuo Christum negasti. Si autem nolueris, Christū tactu tuo confessus es. Omnia enim membra anima vel corporis tui, non solum tibi Deus ad vsum creauit, sed sibi ad gloriam. Tantū Chrysost.

Cum omnibus sensibus oportet confiteri Christum.

Porrò qui dicunt ea quæ recitauimus non esse Chrysostomi, sed authoris incerti, illi non expendunt ea quæ dicūtur, esse verissima, & scripturis sanctis congrua atq; subnixa. At constat apud omnes prudentes & pios viros nihil referre quis sit, qui aliquid dicit, modò id quod dixit, bonum, iustum & pium sit. Cæterùm congruit sibi per omnia Chrysostomus. Nam Homilia in Matth. 35. quæ absq; cōtrouersia est Chrysostomi, Sed quam ob rem, inquit, quispiam obijciet, non sufficit animus solus atq; voluntas, cur oris etiam confessio flagitatur? Liberam certè petit confessionem, ad maioremq; charitatem nos adducit, & sublimes atq; inuictos esse desiderat. Quapropter omnibus hæc præcipit. Nō enim ad personam discipulorum tantummodo spectant, sed discipulorum quoq; discipulis robur adijciunt. Nam qui hæc rectè intellexerit atq; crediderit, is non liberè solum prædicabit, sed cuncta etiam pericula æquo & magno animo perferet. Hactenus Chrysostomus. Dixi hæc hactenus de vera confessione veræ fidei. Nam Daniel quoq; adorando palàm, liberè & fortiter veram suam fidem, nobis in exemplum, legitur confessus.

HOMILIA XXXI.

Tunc viri illi congregati sunt, & inuenerunt Danielē orantem & deprecantem coram Deo suo. Adeuntes ergo regem, super edicto regio loquuti sunt, An non edictum scripto publicasti, vt

quiſquis petierit aliquid ab vllo Deo aut homine intra dies triginta, præterquam à te Rex, conijciatur in foueam leonum? Et reſpondit rex, & dixit, Ita ſanè (teneaturq́;) iuxta decretum Medorum & Perſarum, quod manet inuiolabile. Tunc reſpondentes dixerunt coram rege, Daniel vnus è numero captiuorum Iudæorum, non curat neq; te Rex, neq; edictum quod ſcripto publicaſti, tribusq; temporibus quotidie preces ſuas fundit. Quo audito ſermone rex, magno dolore ex eo affectus eſt, & induxit in animum liberare Danielem, & vſque ad Solis occaſum ſategit vt eum eriperet. Verùm iſti viri congregati ſunt, & dixerunt regi, Scito legem eſſe Medorum & Perſarum, vt nullum edictum aut lex quam condiderit rex, immutetur. Tunc iubente rege adduxerunt Danielem, & coniecerunt in foueam leonum. Et rex alloquutus Danielem, dixit, Deus tuus quem ſemper coluiſti liberet te. Et allatus eſt lapis, quem appoſuerunt ad os (oſtium) foueæ, eumq; obſignauit rex annulo ſuo & annulo magnatum ſuorum, ne mutaretur voluntas in Daniele.

Actio iuridica principum coram rege contra Danielem.

QVarto loco huius actus deſcribitur eleganter & euidenter Actio principum iuridica coram rege contra Danielem, quem accuſant tanta vehementia, vt Rex ipſum ceu coactus condemnarit ad leones. Nonnunquam quidem factum ſcimus, vt nulla iuris forma præeunte aut obſeruata ſynceri Dei cultores morte ſint condemnati, hypocriſis tamen & malitia hominũ ferè ſemper in occidendis pijs & iuſtis, prætexuit ius iniquitati ſuæ nephandæ. Ita enim legimus & Ieſum Chriſtum Dei patris & Mariæ virginis filium ſeruatorem noſtrum, ſub iniquis iudicibus, & primùm quidem ſub cenſura ſacerdotum, deinde uerò per admirandam Pilati pręſidis Romani ſententiam, condemnatum in crucem fuiſſe adactũ. Et quidem admiranda omnino fuit ſententia contra Chriſtum lata Pilati, qui manibus lotis teſtataq; ſua innocentia, ſi Dijs placet, Chriſtum prolata diſerta ſententia morti non adiudicauit quidem, ſed tamen ipſorum accuſatorũ arbitrio permiſit, conceſsis interim ad nephas hoc perpetrandum ſuis militibus. Itaq; & Daniel innocens à principibus, id eſt, à ſceleratis latronibus in pręſenti adiudicatur morti ſub ſpecie & prætextu iuris. Ac conſolantur hæc omnes Dei fideles ſeruos, qui per iniuriam iure vel iuris potius prætextu opprimuntur. Non enim nobis hęc primùm & ſolis eueniunt: ſed eadem vſuuenerunt ante nos Dei ſeruis omnium ſanctiſsimis, &c.

Confeſsionem ſequitur crux.

Ergo manifeſtè ex his diſcimus crucem & malorum nymbos nos inſequi, ſi liberè veram religionem & fidem confiteamur. Et cum tempeſtatẽ hanc grauem à longè vidiſſet & facilè diſsimulando cauere potuiſſet, tamẽ nihilominus nihil diſsimulauit, ſed liberrimè verbis & factis confeſſus eſt ſuam, id eſt, veram religionẽ, quæ vni Deo ſupplicat, creaturas nec adorat nec inuocat. Diſcimus item ex principum Perſicorum truculentia & inuidia contra Danielem concepta, liuorem eſſe beſtiam atrociſsimam, quæ nullis mouetur, alioqui excellentiſsimis rebus, non ætate grandæua, & authoritate maxima, quibus Daniel præpollebat, neq; vllis beneficijs. Ingentibus quidem beneficijs affecerat regnum Perſarũ Daniel, ſed adeò nulla eius rei ratio iam à principibus habetur, vt cum hi malefacere non poſſent, rapere vtique ex theſauris regijs, propter beneficia

Liuor beſtia truculẽtiſsima.

Danielis

Danielis, Danielem oderint, atq; omnia perturbarint, & ipsum insuper summa oppresserint iniuria. Id quod hodie adhuc à multis in principum aulis vrbibusq; fieri videmus. Orandus est ergo Dominus, vt nos ab omni inuidia expurget, &c.

Videndum porrò quomodo se principes gesserint in Actione hac sua, quam instituerunt contra Danielem iuridica. Præferunt enim typum omnibus huius seculi filijs persequutoribus filiorum lucis. Videmus in istis ceu in speculo quàm instructos modis omnibus hostes habeat ecclesia. Hi enim admirabiliter sunt diligentes, industrij, sagaces, prudentes callidiq;, & in audacia pertinaciaq; seu assiduitate indefessi ac præclari, nihil eorum omittentes, quæ faciebãt ad capiendum, tenendum, constringendum, opprimendumq; Danielem iustũ. Nam principiò congregantur principes, & multitudine sibi parant authoritatem, vnitate & concordia robur. Nam si in re aliqua multi sese coniungant, & concordes vnitiq; omnes idem perficere conentur, facilè res alioqui impossibiles perficiunt. Discordes & diiuncti res paratas dissipant atque perdunt. Deinde curant ante omnia ne reus factum vel delictum inficiari possit. Deprehendunt ergo ipsum orantem atq; deprecantem. Vtrunq; hodie cernas in hostibus euangelij Christi. Nam congregantur & ipsi, omnesq; conspirant vnanimiter in pios, præterea priusquam hos accusent, testes prius inquirunt & adornant, ne vel dictum vel factum, quod impingunt fidelibus, negari possit. Est & illud admirandæ calliditatis obseruandũ in principibus, quod ante actionem contra Danielem accedunt Regem, ac cum ipso de lege lata colloquuntur, dissimulantes interim tegentesq; consilium, in quo contra Danielem conspiraverant. Repetunt autem prius acta, & ex ore Regis colligunt nouam legis latæ confirmationem. Dicit enim rex apertè, quòd eiusmodi lex lata sit, qualem principes latam affirmabant: & addit insuper, hanc legem inuiolatam perpetuamq; manere oportere. Atq; hoc ipsum illud erat, quod venabantur quærebantq; principes, ne postea audito Danielis crimine, & dolo patefacto, rex tergiuersaretur, & legem latam abrogaret.

Quomodo principes se gesserint in actione iuridica.

Concorditer incumbere in idẽ institutum.

Mira calliditas persequutorũ.

Laudandum est sanè, quod ipsi quoq; Principes subijciuntur legibus, nec ipsis pro libitu ipsorũ permittitur figere & refigere leges. Non enim istis, quod libet, licet. Sunt enim serui Dei, Deo & legibus diuinis non minus subiecti, quàm quiuis è populo vel fece vulgi, imò multo plus quàm illi, cum sint legum custodes. Certè Deus Deut. 17. Principes subiecit legibus suis. Quia verò Ieroboam leges Dei violauit, nec tantùm dispensauit cum eis, sed eas penitus abrogauit, volens omnino Dominus esse legis, qui pro sua voluntate mutaret eam, reiectus est à Domino, & in lege Dei toties vituperatus. Cupiunt quidem magistratus se liberare nexu legum, & sese constituere dominos legum, qui pro libitu figant refigantq; leges. Verùm errant grauiter. Quales ergo putas esse leges in Canonibus quæ eximunt pont. Rom. omnibus omnium iudicijs, & principum & synodorum, vt ille leges vniuersas in scrinio pectoris sui retineat, mutareq; quæ velit, possit? Diabolica illa sunt non diuina & Belzebubina, non canonica. Cæterùm de diuinis æquis & bonis legibus hic loquimur. In his nihil dispensare licet. Si autem promulgatæ fuerint leges dolo malo, & sint malæ ac iniquæ, licet tales omnino rescindere. Et quidem licuisset Dario impiam & iniquissimam, & ex insidijs cõtextam cruentam illam legem abrogare, si sapuisset Rex. Multa retractat Assuerus Rex pater huius Darij, quæ si voluisset inuiolata manere, peccasset grauissimè.

Principes quoq; quæ subijci legibus.

Quæ leges possint rescindi

Sed pergimus in instituto nostro videbimusq; porrò, quam artificiosè & malignè principes suam illam accusationem contra Danielem, coram rege, in-

Quàm artificiosè Daniel accusatus sit.

ſtituerint. Iam enim ſibi plenam pollicebantur victoriam, quando ex ore regis elicuerant, quod voluerant, & ſatis liquidò factum rei vel crimen Danielis conſtabat. Coniuncti ergo & concatenati iterum magna cum pompa deſcendunt ad regem, accuſaturi Danielem. Principium accuſationis pulchrè eſt compoſitum ad inuidiam reo conciliandam, idq; à perſona rei. Dicitur enim quem reum iſti agebant Daniel vnus ex filijs captiuitatis, pro linguæ eius idiotiſmo, pro eo quod eſt, Daniel vnus eſt è numero captiuorum Iudæorum. Ac erant odio multorum aliàs obnoxij Iudæi. Non admodùm prudenter autem exprobrant ei miſeram conditionem vitæ, captiuitatem. Nullus enim ſapiens vlli miſero miſeriam vertit vitio. Verùm ſimilia hodie audias plurima in accuſationibus papiſtarum quibus inuiſos reddere ſatagũt euangelicos. Quicquid enim facit ad odium conciliandum, profertur, patria, genus, vitę conditio, &c. & quid non?

Addunt huic principio maledico mox calumniam non leuem, petitam à perſona & dignitate regis. Non ponit, inquiunt, ſuper te cor, ô Rex, id eſt, nihil te curat, nullam tuæ dignitatis authoritatisq; rationem habet, faſtidit te penituſq; contemnit. Sic audias hodie, Reges & imperatores magiſtratum denique omnem contemnunt iſti euangelici Hugonothi: inuident dignitates ſuas proceribus, & nulli debitum deferunt honorem. Adijciunt his mox id quod capitale & ſtatus erat accuſationis, Violauit edictum illud inuiolabile, publicatum à te ô Rex. Id protinus probant, Quia ter in die preces fundit Deo ſuo, & abeo poſtulat, quod à te erat poſtulandum. Quaſi dicant, Non eſt illi ſatis ſemel violaſſe inuiolatam Medorum & Perſarum legem, niſi violet quotidie ter. Atqui crimen non erat, quod viro Dei obijciunt, ſed factum iuſtiſſimum & laude æterna dignum. Sicuti & illa quæ hodie euangelicis obijciuntur in iudicijs, non crimini ſed laudi potius fuerant danda. Principes inſidioſa ſua lege malum fecerant, quod per ſe erat bonum. Ad eundem modum, pro inexpiabili crimine obijcitur fidelibus hodie, ſi nolint ſupplices preces offerre diuis cœlitibus, ſed ſolum Deum inuocent per ſolius Chriſti interuentum. Peccatum hoc non eſt per ſe, ſed ipſiſſima pietas, ſolum videlicet inuocare Deum, per interuentum Chriſti. Humanæ verò leges latæ contra veram religionem ex ſuperſtitione, iubentes & à diuis petere, quæ à ſolo Deo ſunt petenda, & petere quidem à Deo, non per Chriſti domini ſolius, ſed per diuorum etiam interuentum, rem per ſe bonam fecerunt malam (malam voco hominum reputatione & exiſtimatione) adeò vt ſi quis perſeueret ſolius Dei auxilium poſtulare, Chriſti interceſſione contentus, repudier interceſſionem Mariæ virginis & ſanctorum, & hæreticus eſſe iudicetur, & ad ignem condemnetur. Et principes quidem in præſenti non vrgent expreſſis verbis Danielem proijciendum in Leonum foueam. Sentiebant enim id ex accuſatione tam euidenti, ſua ſponte conſecuturum. Hæc enim eſt ſumma accuſationis eorum, Omnis qui contra legem regis promulgatam & inuiolatam, aliquid ab vllo vel Deo vel homine petierit, præterquam à Rege ſolo, conijciendus eſt in foueam Leonum. Daniel autem quotidie ter legem illam violauit, dum Deo preces ſuas fudit. Commeruit ergo Daniel conijci in foueam Leonum. Tales ſunt ætate noſtra omnes propemodùm accuſationes, quæ inſtituuntur contra euangelicos, Quiſquis diuerſam ſequitur religionem ab ea, quam ſeruat & tradit ſancta Romana Eccleſia, & hæreticus eſt & mortem commeruit, vt habetur in Decret. Ad abolendam, &c. Euangelici iſti Hugonothi non tantùm non ſequuntur Romanam Eccleſiam in religione, ſed illam inſuper inſectantur atq; condemnant. Quis igitur dubitaret eos & hæreticos eſſe, & mortem commeruiſſe? Et hæc quidem breuiter

Quid ad hanc poſſit reſponderi ratiocinationem dixi copioſe in alijs meis libris.

breuiter sunt dicta de accusatione principum, qua Danielem conijci postulant in foueam leonum.

Inspiciamus porrò, quomodo rex audita illa calumniosa inuidiosa & insidiosa accusatione se gesserit. Opponit se modis omnibus pro Daniele principibus suis. Verùm nullo cum fructu. Timore enim nimio, respectuq; personarum præpostero impeditur. Iubet ergo Dominus in lege sua hos affectus nocentissimos omnibus iudicibus, ponere Non agnoscetis facies, inquit Dominus, in iudicio, vt magnum sic & paruum audiatis: nec quenquam mortalium formidetis. Iudicium enim hoc Dei est. Quæ omnia & à Iosaphat rege repetita sunt apud suos regni sui iudices. 2. Paral. 19. cap. Probanda sunt in rege quòd ei principum suorum malitia displicuit, & quòd propter periculum Danieli impendens indoluit: denicq; quòd liberare innoxium contendit, & ea in re tota die ad Solis vsq; occasum laborauit, & quòd omnes vires suas in hanc rem perficiendam intendit. Sed laus eius ne in his quidem plena est. Indoluit enim & Herodes, quòd ab ipso peteretur caput Ioānis baptistæ Laborauit & Pilatus diu multumq; vt liberaret à morte & ab accusatoribus suis Christum. Verùm ne ex his quoq; verè pleneq; laudari possunt. Postea enim Herodes Ioannem decollari iussit, & Pilatus Christum arbitrio hostium suorum permisit. Herodem ne plenam consequeretur laudem impediuit iusiurandum, quod violare nolebat videri, ne nimis leuis à principibus suis esse iudicaretur. Noluit puellam impiam impuramq; & salacem illam saltatricem contristare, negando iam quod antea promiserat. Sed & pluris faciebat assidentium principum iudicia, quàm Dei fauorem & iudicium. Ita Pilatus cum sentiret magis magisq; res propendere ad tumultum: cum audiret, Si hunc dimiseris, Cæsaris amicus esse non poteris, pluris fecit quietem & securitatem suam Cæsarisq; fauorem, quàm vt innoxium assereret & Iudæos sibi inimicos faceret, proinde grauiter peccauit tradendo Dominum suorum hostium arbitrio. Ita & rex Darius nimium tribuit suis principibus, quos cum nosset ex insidijs agere cõtra Danielẽ, quare non dixit, Oportet sanè leges Medorum & Persarum inuiolatas seruare, sed leges bonas, non depravatas. Ergo cum vestra inuidia deprauata sit lex à me lata, & noxia sit ac insidiosa, abrogabo eam, nec occidam non modò nihil mali meritũ, sed & de me, de vobis, & de vniuerso regno optimè meritum. Sed nimiùm timuit princeps rex, & peccat contra innoxium timore nimio. Ac sæpe obstat timor ne iudices aut principes sua potestate vtantur legitimè. Atq; multò minus excusari ab errore potest rex. Si quis dicat sic in fatis fuisse, vt vexaretur Daniel: ergo regem nihil peccasse: quippe qui ea promouerit quæ prædestinarit Dñs, errat. Scimus enim Deum instituisse vt filius eius pateretur: sed ideò non excusantur Iudas & Pontius Pilatus ac reliqui, qui non Dei spectarunt voluntatem, sed potiùs sequuti sunt prauos suos affectus. Vnde & in euangelio dicit ad Iudam Dominus, Melius fuisset homini huic, si natus nunquam fuisset, &c.

Quomodo se gesserit Rex in hac actione.

Non satis est docere nisi etiam asseras.

Nec tacet historia sacra, qua re principes Regem vicerint, & Danielem pertraxerint atq; impulerint in foueã leonum. Cum enim viderent regẽ diligẽter sartagere pro Daniele, rursus ipsi congregantur atq; sese vniunt concatenati, vt validiore vi perrumpãt. Deinde vrgent legis rigorem eiusq; inuiolatam vel sacrosanctam authoritatem. Legem semel latam, tu, inquiũt, pro more Persarum mutare aut abolere non potes. Ipse enim legi subijceris. Cum ergo violarit legem regiam Daniel, tu illum subducere morti non potes, sed cogeris illum damnare ad leones. Hæc est perpetua omnibus hostibus veritatis agnata peruicacia & improbitas, qua semper validissimè perrumpunt, & cultores Dei neci tradunt.

Quare vicerint principes.

Damnatur & ducitur Daniel ad leones.

Breuibus verò subiícitur, Tunc iubente rege adduxerunt Danielē, & coniecerunt in foueam leonum. Verisimile est ergo Danielē non fuisse præsentem in iudicio, sed absentem fuisse condemnatum. Condemnatur autem à rege animo nimirum inuito. Nihilominus damnatur, & superant regē improbitate principes. Interim grauiter peccat rex, qui se præter & contra conscientiam regendum præbet impijs nebulonibus, ceditq; eis ac innoxium damnat. Damnari verò ad leones veteribus fuit vsitatissimum, quod & in prophanis, & in ecclesiasticis videre est historijs. Extat apud Aul. Gellium ex Appione Polyhistore elegans admirandaq; historia de Leone quodam sæuo & Androdo seruo, qui & ipse ad bestias erat damnatus, sed parcebatur ei à Leone. Legatur lib. 5. cap. 14. In historia Ecclesiastica sæpe conclamatū est ab idololatris contra Christianos, Ad bestias, Ad Leones. Sicut hodie conclamatur contra Euangelicos, Ad ignem, Ad ignē. Ignatius apostolorum discipulus discerptus est Romæ in Circo à bestijs. Dignum quidem ijs supplicium qui exuerunt mores hominum honestos, induerunt autem ferinos. Sancti verò Dei cultores qui vitam vixerūt sanctissimam, meliore digni fuerant sorte.

Rex Danieli damnato ad leones bene precatur.

His insuper omnibus adijciuntur & alia quædam duo regis Darij facta in hoc Danielis edita supplicio. Principiò enim bene precatur Danieli & optat illi, vt Dominus ipsum seruet à leonum sæuitia. Aliquid rursus facit rex quod laudem meretur: sed maiora ab ipso requirebantur. Cum pauper aliquis à te petit auxilium, & tu non iuuas ipsum, interim precaris ei, vt Dominus ipsum iuuare dignetur, aliquid quidem facis, quod per se malum non est, sed Deus maiora requirit à te. Id quod & S. Iacobus docet cap. 2. Hieron. locum hunc non exponit optantis modo, sed, Non ambiguè ait, loquitur, vt dicat: Si potuerit liberare te, Sed audacter & confidenter, Deus, inquit, tuus quem colis semperi, ipse te liberabit, &c. Deinde ianuam foueæ in qua agebant conseruabanturq; Leones,

Obsignatur foueæ leonum.

curauit rex obuoluto lapide obfirmari, deniq; obsignari suo ipsius & suorū principum annulo: & quidem in hunc finem, ne mutaretur voluntas regis, id est, ne alia perimeretur morte ab insidiatoribus, quàm quæ ei publico regis iudicio erat imposita, vt scilicet discerperetur à leonibus & non à suis insidiatoribus. Vnde Lutherus hunc locum vertit, **vff daß sunſt niemant an Daniel mütwillen übet.** Quod & ipsum in rege est laudandum.

Typus Christi.

Hæc omnia typum prætulere Christo domino euidētissimū. Nam ipse dolo & inuidia sacerdotum Iudaicorum tradebatur Pilato ad necem, Conclamabāt isti vnà omnes: Nos habemus legem, & secundùm legem nostram debet mori. Pilatus quoq; à matutinis horis ad vsq; meridiem ipsum ex cruentis Iudęorum manibus eripere contendit. Tandem improbitate istorum victus, ipsum ad crucem eis tradidit. Cęterùm cum corpus domini mortuum positum esset in sepulchrum, obuolutus est ostio sepulchri lapis, primorumq; annulis obsignatus. Vt autem ex fouea mortis viuus prodijt Daniel, ita Christus tertia die viuus ex mortuis resurrexit. Ei sit honor, laus & gloria.

HOMILIA XXXII.

Tunc Rex redijt ad palatiuū suum, & permansit ieiunus, neque adornata est ei mensa, somnusq; illum destituit. Porrò mane consurgens rex, in ipso diluculo, festināter accessit foueā leonum. Et foueæ appropinquans, lamentabili voce Danielem vocauit, ac Danielem alloquens rex, dixit, Daniel serue Dei viui, potuit ne Deus

ne Deus tuus, quem ſemper coluiſti, liberare te à leonibus? Et reſpondens Daniel regi dixit, Rex æternùm viue. Deus meus angelum ſuum miſit, & concluſit ora leonum, ut non nocuerint mihi: eò quòd coram eo iuſtitia inuenta eſt in me, ſicut & contra te regem, nullum ſcelus patraui. Tunc Rex plurimùm ea re exhilaratus, iuſſit Danielē educere è fouea. Et Daniel eductus eſt è fouea, neq; labes vlla reperta eſt in eo: quia credidit Deo ſuo.

Quomodo ſe rex geſſerit in caſu hoc triſti.

QVinto loco exponitur paucis, ſicut omnia huius prophetæ breuia ſunt, quomodo Rex in triſti hoc Danielis caſu, damnati, & iam obiecti leonibus, ſe ſe geſſerit, vel quid fecerit. Triſtatur & luget grauiter. Luctus regis fuerunt, cauſæ graues. Nam apud ſemetipſum ſciebat ſe conſenſiſſe in ſententiam iniquiſſimam, ideoq; ſe non leuiter peccaſſe, dum cedens principibus ſuis, innoxium tradidit morti. Deinde agnouit ſe omnium fideliſſimo vtiliſſimo & tantum non neceſſario ſpoliatum eſſe conſiliario. Fuiſſet & illa non leuis dolendi cauſa, ſi cogitaſſet ſe principum ſuorum veluti mancipium eſſe, qui ipſum ceu naſo circunducant, & pro libidine ſua impellāt coganteq; facere, quod nolebat aliàs. Verùm ita oportet puniri eos, qui reſpiciunt perſonas, & plus metuūt homines quàm Deum.

Dolet Rex grauiter.

Doloris ſui argumenta edit non leuia. Ieiunus enim vel incœnatus pernoctat. Id quod mox clarius exponit, Menſa ei non eſt appoſita vel adornata. Nā præ mœrore edere non potuit. Alij hunc locum ſic legunt, & interpretantur. Et ludentes in citharis & organis (vel in inſtrumentis muſicis) non venerunt ad eum, iuxta morem regium. Aiunt enim puellas ante regem adductas, vt luderent & pſallerent coram ipſo, at nunc omnes repulſas eſſe à rege. Deinde noctem illam inſomnem traduxit, dolore rurſus ſomnum depellente & curis animum acriter excruciante. Arguunt hęc palàm Regem hunc planè ſuas habuiſſe virtutes. Docent autem omnes in eccleſia Chriſti peccatores, agnoſcere peccata & lugere illa, ideoq; abſtinere etiam à licitis voluptatibus, & carnem macerare ſalutaribus curis. Luxerunt ſeriò & Niniuitæ, & gratiam conſequuti ſunt à Domino. Docet nos præterea Regis exemplum condolere afflictis ac triſtari propter ipſorum aduerſitates. Sic enim docuit aliàs Apoſtolus, condolendum eſſe dolentibus. Vbi iterum fugitanda ſunt conuiuia, renunciādumq; gaudijs. Contrarium exemplum ſuppeditāt nobis fratres Ioſephi, qui hoc in puteo eiulante, ipſi conuiuati ſunt genialiter & ſecurè. Ac inuenias hodie quoq; innumeros homines prauis addictos cupiditatibus, quibus curæ non eſt, ſi quotidie plurimi egeſtate contabeſcant, aut gladio perſequutorum cadāt, multi denicq; morbis conficiantur varijs, modò ipſis ociū & facultas ſit inebriandi ſe, ſaltādi petulanterq; laſciuiendi. Sed his dicit Dñs, Væ his qui rident, nā mox plorabūt, &c.

Rom. 12. Hebr. 13.

Rex mane ſurgit & feſtinat.

Imitanda nobis hic & alia in Rege proponuntur non illaudata. In aurora enim cum iam illuceſceret, ſurgit rex, quod ſane eorum eſt qui in rem aliquam ſtrenuè incumbunt. Quo & illud pertinet, quòd nihil ſibi procraſtinandum putat, ſed feſtinanter accurrit ad foueam leonum. Ita enim conuenit non cunctanter & lentè, ſed expeditè & ſtrenuè exequi officia pietatis. Geſtu præterea & voce teſtatur ſibi hoc negotium curæ eſſe. Nam lamentabili voce vocat Danielem ac dicit, Daniel ſerue Dei viui, &c. Ex quibus verbis colligere licet, non omni pietate vacuū fuiſſe regem. Agnoſcit enim Deū Danielis viuum adeoq; verum eſſe Deum, & huius ſeruum eſſe Danielem. Addit, Perpetuò illum coluiſti, num ergo te ſeruare potuit incolumē à leonibus? Habuiſſe ipſum aliquid

ſpei apparet, ſed coniunctum cum infirmitate & quadam dubitatione. Sicut &
Deus ſeruat cultores ſuos. illud è vulgi opinione petitum videtur quod ait, Quoniam ſemper illum coluiſti, an ſeruauit te à malo? Seruiunt ſemper Deo fideliter electi, ſed non ſemper ſeruat eos, ne calamitatibus premantur, ſed his exercet virtutes ipſorum: vt eorum qui interierunt in perſequutionibus. Tunc verò vulgus colligit afflictos non ſyncerè coluiſſe Deum. Alioqui enim ſeruaſſe Deum cultores ſuos. Quæ ratiocinatio falſa eſt. Vbi autem res ipſa ſpectat ad gloriam Dei promouendã, tunc ſeruat, vt in præſenti ſeruauit Danielem. De qua re ſequentur nonnulla paulò poſt. Agnoſcẽda eſt ergo in ſingulis nobis humana imbecillitas, quę hic in rege apparet, imitanda eſt autem ſedulitas & diligentia in bono, regis, ſed firma ſpe & fiducia ſolida ſperandum eſt in Deum, fugienda dubitatio.

Benigne Daniel excepit regem & reſpondit ei. Sexto loco huius Actus exponitur quid Daniel reſponderit Regi, denicp ex vtriuſcp colloquio apparet, quomodo Daniel diuina virtute ſeruatus ſit, nec diſcerptus à leonibus. Principiò Daniel non aſperè accepit Regem, nec obiurgauit, quod feciſſent multi, dicentes, Quare conſenſiſti crudelibus iſtis latronibus tuis illis principibus? Cum ſcires me nihil peccaſſe necp in te necp in ipſos principes tuos, imò ne in regnum quidem, oportuerat ergo tueri me contra iſtorum iniuſtam vim. Id cum non feciſti, indignus es planè cum quo copioſius de Dei bonitate & liberatione mea colloquar. Nihil verò tale hic audimus, Quin potius infirmũ in fide, quod & Apoſtolus Paulus docuit, recepit, ad erudiendum & confirmandum in veritate. Exemplo ergo Danielis diſcimus non aſperè excipiendos aut potiùs exaſperandos eſſe intempeſtiuis noſtris nimiſcp obiurgationibus, viros non omnino malos, ob vicia ipſorum aliqua, ſed per tollerantiam ferendos & inſtruendos atcp confirmandos in bono, ſenſimcp abſtrahendos ab erroribus & ad iuſtitiam abducendos. Nam Daniel non imprecatur Regi dira, ſed voto amabili vitam ipſi optat & diuturnam & felicem. Fuit hæc imprecatio, vt ex hac apparet hiſtoria, genti huic vulgaris. De qua re dictum eſt antea.

Quomodo Daniel ſeruatus ſit? Porrò diligenter exponit Regi Daniel quomodo ſeruatus ſit à leonibus, per diuinam vticp potentiã, ſimul ſuam quocp proponit & tuetur coram Rege innocentiam. Id quod ſancti commoda opportunitate oblata ſemper fecerunt, Nam licet hoc: non tam vt ſalua cuicp ſit bona exiſtimatio & fama, quàm vt veritatis religioniſcp cauſa, quæ coniuncta eſt cum docentium perſona, ab omni ſuſpicione & labe purgetur. Modum verò ſalutis ſuæ Daniel ita exponit, Deus meus, ille inquam de quo tu rex rogabas, atcp dicebas, Potuit ne Deus tuus, quem ſemper coluiſti, liberare te à leonibus? ille inquam Deus meus, me liberauit. Sic ſemper omnis gloria ſoli Deo danda eſt. Ipſe enim cum ſit vniuerſorum Dominus & gubernator cõſeruatorcp, liberat ex periculis & eruit ex omnibus malis. Hoc autem modo me liberauit, Miſit angelum ſuum & cõcluſit ora leonum, vt non læſerint me. Potuiſſet Deus vel nutu leones compeſcere, ſed vti-
Deus agit per angelos. tur creaturis ſuis, quas condidit ad ſuum hominumcp miniſterium. At angelos conſtat eſſe Dei hominumcp miniſtros, Paulo ex ſcripturis atteſtante, Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, qui in miniſterium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt ſalutis? Stultum eſt autem miniſtrum venerari pro Domino. Ideocp ipſi angeli cultum reſpuerunt, quem ipſis ſancti impendere voluerunt, iubentes adorare Dominum, cuius & ipſi ſint ſerui. Honorare autem, id eſt honorificè de eis ſentire licet propter Dominum. Sicut autem in camino ignis angelus ignis vim conſumendi propriam cohibuit, ne ignis tres illos conſumeret martyres: ita nunc quoque angelus leones cohercet ne proſæuitia ſibi agnata lacerarent Danielem. Cedit vbicp omnis creatura creatori

tori suo, & quod ille vult facit, & cursum suæ naturæ deserit. Rectè itaque in Deum omnipotentem credimus, sub cuius protectione ab omnibus aduersis malisq; tuti sumus. Potest ille nos semper et ab omni malo liberare, si vult. Vult autem, cum illa nostra liberatio facit ad gloriam eius nostramq; salutẽ. De hac re dictum est aliquid & in 3. cap. huius operis.

Daniel suam tuetur innocentiam.

Iam quantum attinet Danielis innocentiam in hac causa, asserit illam constanter ac dicit, Tu quidem rex rogas, an Deus meus cui iugiter seruio, liberarit me? Respondeo illũ me liberasse, eò quòd ei seruio, & vt tu videas Deo non seruiri frustra ab hominibus, denicq; vt videas innoxium & iustum me esse, qui neq; in te neq; in regnum imò ne in quenquam peccauerim quicquã, atq; ideò in hanc foueam, ad leones damnari non debuerim. Videtur his obiter significare, Deum suum exercuisse iudicium iustum, posteaquam homines iniquè iudicare non sint veriti. Sed & ipsum regem appellat, quem innuit probè nouisse, quod ipse Daniel inquam in ipsum peccarit nihil. Vnde idem hic locus aliâs sic est redditus, Quoniam ipso iudice innocentia in me reperta est, imò & te iudice rex nullum scelus patraui. Loquitur autem de negotio & iudicio præsenti: non asserit se cum Pelagianis esse ἀναμάρτητον. Sicut enim Dauid Psal. 7. mundũ & innoxium se dicit, non simpliciter, qui alibi clamat, Ne introeas in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens, sed quantum attinebat ad calumnias ipsi intentatas à Saule & Saulinis: ita sanè in præsenti dicit apud Deum vel Deo iudice inuentam esse suam iustitiam. Id est, Deus prodigiosa hac salute sua attestatus est me iustum esse & innoxium, & non regis legumq; contumacem contemptorem atq; rebellem. Docent hæc insuper Deum pro sua iustitia iustos asserere, & seruare tùm maximè cum homines per iniustitiam innoxios opprimere satagunt.

Daniel non dicit se esse impeccabilem.

Deus seruat suos confessores semper.

Colligimus ex hoc præterea ingenti beneficio Danieli à Deo præstito, Deũ confessores suos quouis tempore seruare. Est autẽ diuersa seruandi ratio. Nam non semper seruat confessores veritatis Christianæ corporaliter, persequutoribus frustratis atq; confusis, sicuti hic factum legimus. Ignatium enim sinit lacerari Romæ in Circo à bestijs, Polycarpum sinit confici in igne Dominus, adeóque Petrum liberat è vinculis & carcere Herodis, at cum duceretur in senecta quo nolebat, nimirum ad dirum mortis supplicium, non liberabat eundem: seruabat tamen, liberans ipsum carne mundo & miserijs huius sæculi, seruabat autem & traducebat liberatum in regnum suum æternũ. Ita sanè quoslibet, quos non liberat, seruat tamen. Externa & corporalis illa liberatio vel salus committenda est à nobis Domino plenè, vt ei permittamus, velit ne an nolit nos saluos, maximè quantum attinet ad modum & ad tempus, quomodo videlicet & quando nos liberet, credendum est interim Deum certò & posse & velle nos liberare modo & tempore opportuno, siquidem liberatio illa corporalis pertineat ad gloriam eius nostramq; salutem. Ergo si non liberet, credamus tamen melius esse nos pati & tanquam desertos à Domino ab impijs videri vel iudicari. Deserti tamẽ non sumus, sicuti & Dominus dixit Ioan. 16. Interim liberamur (quod & iam dixi) ab omnibus calamitatibus donamurq; gloria æterna. Bonũ ergo ac salutare est confiteri ingenuè fidem & religionem Christianam. Nam ingenuos confessores dominus non deserit.

Gaudet Rex de salute Danielis

Adijciuntur his quædam in rege considerada & imitanda. Gaudium ille concipit & in lætitiam effunditur maximam ob Danielem diuina seruatum potentia. Gaudendum enim esse cum gaudentibus monet Apostolus: ac pij exultant vehementissimè ob victoriam piorum ac veritatis. Congaudent malis impij, & semper tristantur ob res bonas ob quas pij exultant. Deinde iubet Rex

Danielem liberari è periculo educiq; è fouea leonum. Id quod absq; mora factum est à regijs ministris. Principum enim est innocentiam tueri, & innoxios asserere, & si vim patiantur, liberare & quidem cito & incunctanter. Addit his quod miraculi magnitudinem illustrat, non videlicet labem vllam in Daniele esse repertam. Tam videlicet integra vel perfecta sunt opera Domini. Ita audiuimus cap. 3. in martyrum vestibus ne odorem quidem ignis hæsisse aut illum sensisse quenquam. Postremò tribuuntur ista omnia fidei in Deum. Sequitur enim, Quia credidit Deo suo. Ex aduerso legimus in euangelio secundùm Marcum, Et non poterat Dominus in Nazareth vllam ædere virtutem, propter incredulitatem illorum. Non quòd absq; nostra fide impotens sit Deus, cum ad fidem nostram non sit alligatus, sed quòd pacto quodam agit cum hominibus. Credentibus enim promittit amplissima ex sua gratia, incredulis se nihil daturum minatur. Qui ergo credunt, beneficia Dei accipiunt, ex pacto, adeoq; ex misericordia vel gratia Dei. Pactum enim aliud nihil est quàm mera Dei liberalitas. Qui nõ credunt, nihil accipiunt: quoniam incredulis nihil promisit Deus. Et quia fides ipsa quoq; Dei donum est, perpetuò & pro fide & pro fidei augmento roboreq; orandum est, vt credamus Deo & accipiamus ab eo pollicita beneficia. Notius est autem quàm pluribus monere oporteat, ex hoc loco petita esse verba apostoli, quæ ad Heb. 11. cap. sic leguntur scripta: Per fidem prophetæ operati sunt iustitiam, assequuti sunt promissiones, occluserunt ora leonum, extinxerunt vim ignis, &c. Pertinet ergo hic prophetę locus in primis ad fidei præconium, sicuti & ille Ionæ 3. Crediderunt Niniuitæ Deo & egerunt pœnitentiam, pepercitq; eis Dominus. Cui sit laus & gloria.

Per fidem Daniel seruatur.

HOMILIA XXXIII.

Iubente autem rege, adduxerunt viros istos, qui Danielem accusarant, & coniecerunt eos in foueam leonum, vnà cum liberis & vxoribus suis: quos leones inuaserunt antequam pauimentum foueæ attigissent, eorumq; ossa omnia comminuerunt. Tunc Darius Rex omnibus populis, nationibus & linguis, in omni terra degentibus, scripsit, Pax vobis multiplicetur. A me decretum est factum, vt in vniuersa ditione regni mei, reuereantur & metuant Deum Danielis. Ipse enim est Deus viuus, & permanens in secula, eiusq; regnũ non destruetur, & dominatus eius in finem vsq; perdurabit. Ipse liberat & seruat, & facit signa & portẽta in cælo & in terra, ipse liberauit Danielem à leonibus. Porrò Daniel prosperè egit, tam in regno Darij, quàm in regno Cyri Persæ.

Repentinum exitium accusatorum Danielis.

SEptimo loco huius actus exponitur quomodo rex deprehensa Danielis innocentia se erga Danielis accusatores regni principes gesserit, & quomodo Deus repentino exitio puniuerit eos per regem, qui nullo personarum respectu habito, omnes cõdemnauit ad leones. Nam iubet eos adduci per ministros, adductosq; iubet Lege talionis mulctari. Quia enim coniecerant innoxium in foueam leonum, meritò conijciuntur ipsi noxij iam deprehensi in eandem leonum foueam. Iubent enim leges eos qui alios accusant & sceleris conuincere non possunt, ea damnari pœna, qua mulctandi fuerant accusati, si deprehensi fuissent tales, quales accusatores videri voluerunt. Accusatur aliquis periurij, blaspheמ

Lex talionis.

blaſphemiæ & parricidij, depoſciturq; ad pœnam iſtis debitam flagitijs: verùm accuſator deprehenditur eſſe calumniator; & accuſatus comprobat ſe eſſe innoxium: proinde eam pœnam ſuſtinere iubetur iure accuſator vel delator quam ſubijſſet accuſatus vel reus, ſi intentatum crimen actor legitimè comprobaſſet. Eadem lege condemnantur modò ad leones regni principes, qui innoxium coniecerant atq; concluſerant in lacum leonum. Proinde magiſtratus eſt punire flagitioſos. Sic enim mandauit verbo ſuo Dominus: qui gladium ſuum magiſtratui dedit, ſicut Apoſtolus ait ad Rom. 13. & ſicut ipſemet gladio, ceſſante magiſtratu, vtitur & ſceleratos punit. Cæterùm peccatum vel flagitium principum obiectorum leonibus, fuit multiplex, varium, & grande. Nam contra Deum peccarunt, odio religionis & blaſphemia. Abuſi ſunt denicq; promulgatione legis ad exercendam ſuam inuidiam. Peccarunt etiam contra regem. Nam ſeduxerunt eum, nequiter ei imponendo illudendoq;, & ignominiæ ipſum perpetuæ immergendo. Sed & calumniatores delatoresq; fuerunt; & quantum in ipſis erat, parricidio inſontem trucidarunt Danielem. Obſeruent itaq; principes & magiſtratus qualitatem criminum in iudicijs, ac pœnam pro ratione admiſſi ſceleris temperent.

Principes puniant ſceleratos.

Cum verò ſic increuerit gradibus ſuis flagitium vel maleficium principum, mirandum non eſt, quòd vnà cum ipſis ducuntur & liberi & vxores. Grauiſſimum enim ſupplicium cõmeruerant enormibus flagitijs. Quæri quidem ſolet, An rectè vnà cum principibus, & vxores & liberos eorum rex damnarit? At nemo temerè hoc iudicium regis damnauerit. Ac videmus in Diluuio, in Sodomorum excidio, in vaſtatione terræ Chanaaniticæ, in ſupplicio quod Ioſue ſumebat de Achan, in exterminio Amelechitarum per Saulem, ipſum dominum tunc quoq; nec liberis peperciſſe, nec excepiſſe coniuges. Videmus etiam hodie in calamitatibus publicis, in peſte, fame, & bellis ſimul tolli aut ſaltẽ affligi vxores cum liberis. Nec eſt, quod cauſas huius facti à Deo requiramus. Cum enim eximiam curam paruulorũ gerat, vt ex 4. cap. Ionæ claret, oportet maximas & iuſtiſſimas eſſe cauſas, cur & ipſe è medio tollat ſæpe infantes, & per varias calamitates tolli ſinat. Alioquí lex quæ extat Deut. 24 perpetuò eſt ſeruanda principibus ſanctisq; magiſtratibus, quæ habet, Non occidantur liberi pro parentibus, neq; parentes pro liberis. Seruanda eſt enim in iudicijs æquitas.

Liberi & vxores pereunt cũ principibus.

Ex hoc item ſupplicio colliqueſcit quę ſors maneat perſequutores fidelium, & quàm repentinus ſit ipſorum interitus. Euenit his quod prouerbio ſacro iactatur, Incidunt in foueam, quam alijs parauerant. Et hiſtoriæ teſtantur hoc factum eſſe in Saule & Saulinis, qui grauiter Dauidem cum ſuis fuerant perſequuti, ſed ijdem ſuo tempore omnes vnà cadunt in monte Gelboe, trucidati miſerè à Paleſtinis Achab rex cum ſua Ieſabele innoxium fidelium, prophetarum maximè, ſanguinem fudit, ſed ipſe viciſſim ſtans in curru ſuo contra Syros, incerta trajcitur ſagitta, præcipitio itẽ è feneſtra projcitur Ieſabel, & equo regis Iehu proteritur, filij Achab 70. capitibus truncantur. Baalitæ Sacerdotes confodiuntur & iugulantur, partim ad montem Charmelum, partim in ipſo ſuo Baalis templo. Haman ſub Aſſuero Rege agitur in crucem, quam ipſe parauerat Mardochæo. Cõficiuntur item omnes eius liberi. In Eccleſiaſtica hiſt. Euſebij lib. 8. cap. 7. commemorantur ſupplicia martyrum obiectorum leonibus, qui tamen parcunt martyribus, beſtiarum verò inſtigatores lacerant atq; conficiunt protinus. In lib. 9. cap. 9. interficit Galerius Maximinus augures, necromanticos & ſacerdotes, qui iam diu ipſum incitarant ad fundendum ſanguinem. Indubitatum eſt itaq; ſanguinarios quoslibet ſuo tempore, cum Deo viſum fuerit, pœnas daturos iuſtiſſimo Deo; & eos proprio ſuo exitio in eas-

Repentinum hoſtium pietatis excidium.

ruituros foueas, quas conſtruxerant fidelibus. Elegans huius rei exemplum iterum ſuppeditat Maxentius Cæſar, qui perijt in Tyberi apud Euſeb. Eccleſ. hiſt. lib 9. cap 9.

Oſſa quoque principum cõminuuntur à leonibus.

Nec prætereundum eſt oſcitanter, quòd tam diligẽter deſcribitur interitus principum. Vix illi imò nondum attigerant, præcipitati in foueam, fundum foueæ, cum leones ſeſe in altũ erigentes, excipiunt exertis vnguibus damnatos, eosq; in fruſta lacerant, deinde oſſa quoq; eorum comminuunt omniaq; conſumunt, vt nihil de omnibus illis principibus impijs & parricidis, vxoribus item & liberis ipſorum remanſerit integrum. Ea re vt ira Dei in noxios declaratur, & omnes horrendo ſpectaculo terrẽtur, ita miraculum Dei in Daniele factum amplius illuſtratur. Cum enim principes tam cupidè lacerantur & deuorantur à leonibus, claret, ſola Dei potentia ſeruatum eſſe Danielem, inter leones fame licos & ſæuiſſimos. Nam nemo poſthac dixerit, Danieli parſum eſſe à leonibus quòd mites eſſent & ſaturi. Huc pertinere videtur quod in ſimili cauſa ſic commemoratur ab Euſebio loco ſuperius citato, Nemo præſentem Dei virtutem, nemo diuinum pijs (in lacu leonum poſitis & quidem nudis Chriſtianis) adeſſe ſentit auxilium, ſed mittuntur quibus hoc artis eſt inſtigare beſtias, aduerſum eos, quos diuina dextera defendebat. Verùm illæ, vt oſtenderetur omnibus, non ferítatem deeſſe beſtijs, ſed diuinam Dei cultoribus adeſſe cuſtodiam, illos ipſos qui ad inſtigandum mittuntur, incredibili velocitate diſcerpunt. Et mox, Sed tentatur adhuc ab hominibus Deus. Iubentur alij verè criminoſi beſtijs ob ijci. Qui tamẽ ilicò vt apparuerunt, alius à leone, alius à pardo, ab vrſis alius exeſus, aut à tauro in aera diſperſus eſt. Et ita omnes intra momentum temporis, pereunt. Sed ne ſic quidem incitatæ beſtiæ, cultoribus Dei aliquid moleſtiæ inferunt, diuino ſpiritu eos veluti muro ambiente. Et reliqua.

Leones diſcerpunt hoſtes Dei.

Miraculũ hoc docet Deum timere.

Octauus locus maximè præclarus eſt, oſtendens finem, vſum fructumq; vniuerſæ huius hiſtoriæ, nempe admoneri omnes hoc miraculo vt Deum authorem huius miraculi reuereantur & colant. Hunc enim ſolum eſſe Deũ verum. Finis ergo eſt huius hiſtoriæ timor & cultus Dei, gloria item Dei, veritatis victoria, eiuſdemq; per orbem propagatio & perſequutorum veritatis confuſio.

Typus Chriſti.

Typum hęc nobis iterum exhibent Chriſti ſeruatoris, qui crucifixus, mortuus, & ſepultus, è mortuis reſurrexit, in cœlos aſcendit, regnat, ſublatisq; è medio Iudæis euangelij hoſtibus, euangelium per vniuerſum terrarum orbem, apoſtolica prædicatione, diſperſit, qua timor Dei verusq; Dei cultus plantatus & gloria Dei vſq; ad fines terræ propagata eſt.

Nam rex Darius ſuæ ditioni populis ſubditis ſcribit, & ſcripto verum veri Dei timorem commendat. Eſt autem hoc officium ſancti magiſtratus, ſicuti ſuſius dictum eſt in cap. 3. Decretum vulgari & recepta forma cũ ſalutatione promulgat. Orditur enim à ſalutatione vel ab imprecatione pacis. Pax ſignificat proſperitatem abundantiamq; rerum optimarum. Interim & hoc cõſtat, populo vel regnis nulla re magis quã pace opus eſſe, idcq; principes maximè abijs abſtinere debere, quæ paci ſunt aduerſa aut pacem turbant, vt in primis eſt bellum regnique diſcordia, & ſummis in id viribus incumbere quod pacem conſeruat atq; prouehit. Salutationi protinus ſubiungit per expoſitionem ſe condidiſſe legem vel decretum feciſſe quod quale ſit breuibus & dilucidis verbis explicat, vt omnes regno vel imperio eius ſubditi tremant & paueant ad conſpectum Dei Danielis. Verum Dei timorem & cultum duobus comprehendit vocabulis, tremore & pauore. Verus enim Dei timor & reuerentia vel magno in honore Deum habet ipſumq; colit, & eundem timet, non contemnit, dictaq; & facta ſua, ad voluntatem eius, quem meruit, componit, & hæc facit ſeriò & ex animo

Pax.

Tremere & pauere ad conſpectum Dei quid ſit.

animo: ſicuti trementes ſe reuera pauere horrore oſtendunt. Requirit ergo rex paucis hiſce verbis metum numinis, honorem, reuerentiam, dilectionem, confidentiamq; cultorum, & ſpem ſeriam atq; ſynceram. Quæ quidem à ſolo Deo, electis ſuis donantur, & per verbum & ſpiritum Dei diſcuntur atq; nutriuntur & conſeruantur, nullis verò regijs minis, pectoribus hominum inſeruntur. Proinde rex rationibus euidentiſsimis, iam ſubiectis, omnibus ſuis ſubditis perſuadere vult Deum Danielis ſolum eſſe Deum verum, & ideò ſeriò ſolum eſſe timendum atq; colendum. Et ne quis hoc ignoret, Deum Danielis verum Deum nuncupat rex, nõ quòd Daniel finxerit ipſum, ſed Danielis Deum vocat, quòd Daniel illum Deum colat, adoret, inuocet, proq; vero Deo celebret ac prædicet, qui reuera ſit Deus verus, & ſe factis Deum verum & tremendum abundè comprobarit, & adhuc proprietatibus Dei, id eſt ijs rebus, quæ ſoli Deo competunt, & in ſolo vero Deo inueniuntur ac ſunt, palàm commonſtret. Sequitur enim in Edicto regio, Ipſe enim eſt Deus viuus. Ex qua quidem proprietate, nomen adeptus eſt Iehouah. Habet enim à ſemetipſo vitam, & non accipit aut mutuatur illam ab vllo alio: imò ipſe eſt eſſentia ex ſe, & per ſe ſubſiſtẽs, ſufficiens ſibi, plenitudoq; omnis perfectionis & boni. Quicquid ergo vſpiam vitæ boni & perfecti eſt, ab hoc vno Deo eſt, qui ideò in ſcripturis author & fons dicitur omnis boni vitę & luminis. Excluduntur & reijciuntur hic omnes qui Dij nuncupantur Dij enim non ſunt: quia vnus tantùm eſt Deus. Idem permanet in ſæcula. Eſt enim æternus Deus & immortalis. Quales ſanè non ſunt, qui Dij ab ethnicis vocantur. Deus noſter vt principio caret, ita finem non habet. Sed & regnum Dei huius noſtri non corrumpitur vel deſtruitur, vt ſolent regna vel monarchiæ huius ſęculi. Nam regnum Dei quod in terris eſt, euerti non poteſt, etiam à ſummis monarchis, vtcunq; nitantur & omnes ſuas vires in perſequenda eccleſia exerant: ſed & regnum cœleſte, promiſſum omnibus in regno terreſtri ſtrenuè contra impietatem certantibus, finem non habet. Sequitur enim, Et dominatus eius vel poteſtas in finem vſq;, id eſt vſq; in ſempiternum perdurat. Nõ frangitur enim vel conſumitur vlla aduerſa potentia nullàue ætate aut diuturnitate. De quo & capite 2. huius operis aliquid eſt dictum.

Deus Danielis

Deus eſt Deus viuus.

Deus eſt æternus Deus.

Regnum Dei incorruptum.

Prædicat porrò Rex in Deo vero alias eius proprietates, maximè ei proprias & cum nemine communes. Ipſe liberat & eripit, vel ipſe eſt liberator & ſeruator. Et has propietates ita tribuit Iſaias multis in locis domino Deo noſtro, vt adimat omnibus alijs, ſoli Deo noſtro vendicet. Ipſe enim confert nobis omnia bona, tam animæ quàm corporis. Ipſe ſeruat in omnibus periculis, & eripit vel liberat è malis, protegens nos & auxilium nobis ferens, momentis ſingulis Ipſius enim cura & protectione auxilioq; ſani ſumus, res vitæ neceſſarias habemus, fugiunt à nobis morbi mœſtaq; pauperies. Depelluntur à nobis eius protectione innumera mala, cùm inuiſibilia tùm viſibilia. Purgat hic à peccatis, eripit è morte, dat vitam & iuſtitiam. Hæc & alia his ſimilia præter hũc Deum noſtrum, dare nemo poteſt. Solus ergo ipſe liberator & ſeruator eſt. Vide ergo hic qualis ſit doctrina papiſtarum docentiũ hæc omnia petere à diuis, &c.

Deus liberat & ſeruat.

Non autẽ contentus eſt Rex illa dixiſſe omnia & propoſuiſſe ſimpliciter de Deo vero, quin etiam per multiplicia & potẽtia Dei opera comprobat, adeoq; demonſtrat hunc Danielis Deum talem eſſe Deum, qualem hactenus ex Dei proprietatibus in ſuo Decreto prædicauit vel celebrauit. Adijcit enim ſuperioribus, Deum hunc edere ſigna & miracula cùm in cœlo tùm in terra. Quibus verbis multa variaq; Dei opera in cœlo & in terra relucentia comprehendit, ex quibus æſtimare licet Deum veluti ex opere artificem, denicq; colligere quòd ipſe demum ſit Deus verus, liberator & ſeruator vnicus, potentiſsimus, prom-

Deus edit ſigna & miracula in cœlo & in terra.

Deus seruauit Danielem in lacu leonum.

ptíssimusq́. Et his protinus adiungit exemplum recens, quod & ipsum venit sub censum signorum & miraculorum, editum in Daniele: quem Deus liberauit conclusum in foueam à leonibus, liberandoq́ ipsum, ostendit se verum esse Deum, qui solus sit adorandus, inuocandus atq́ colendus. Quo vniuersam historiam hanc spectare antea diximus. In qua etiam didicimus, quàm inexpiabile sit odium impiorum, quo ardent contra veros veræ fidei confessores, quæ confessorum libertas seu ingenuitas sit in confitendo, quomodo item suos confessores seruet Deus, rursus quàm repentino interitu intercipiat persequutores fidelium.

Daniel prosperè egit sub monarchis.

His appendit sub finem huius capitis fortunam Danielis, qua vsus est apud reges Darium & Cyrum potentíssimos orbis monarchas, Prosperè egit sub his, floruit nimirum, fuitq́ in precio summo & authoritate maxima. Ita rependere etiam in præsenti sæculo suis confessoribus martyribusq́ potest Dominus. Darium antea dixi non ita longo tempore à capta Babylone concessisse fatis. Deuolutum est ergo regnum ad Cyrum, sub cuius anno 3. vidit Daniel visionem quam describit cap. 10. ac verisimile est plures etiam annos sub Cyro Danielem vixisse, & tandem feliciter in Domino mortuum esse sepultumq́ sepultura regia. De hoc vate gloriaq́ eius qui cupit copiosiora cognoscere, legat 10. lib. Iosephi de Antiquit. cap. 12.

Absoluimus his priorem huius operis Danielis partem, qua Deo iuuante sex præclaras exposuimus historias, fructumq́ & vsum earum qua potuimus diligentia ostendimus Domino Deo nostro sit laus & gratiarum actio per Iesum Christum dominum nostrum.

SECVNDA

SECVNDA PARS OPERIS DANIELIS: VISIO PRIMA GENERALIS.

CAPVT VII.

HOMILIA XXXIIII.

ANno primo Baltazaris regis Babylonici, uidit Daniel somnium: et uisio capitis sui in lecto suo, tũcq; somnium scripsit summamq; verborum comprehendit: respondēsq; Daniel dixit, Videbam in uisione mea per noctem, & ecce quatuor uenti cæli pugnabant in mari magno: & quatuor animalia grandia, eaq; inter se diuersa, è mari ascenderũt. Primum simile fuit Leoni, habens alas aquilinas, & spectabam, donec euulsæ sunt eius alæ, eiectumq; est à terra, et super pedes sicut homo stetit, et cor humanum ipsi est datum.

PRIMA operis sui parte Daniel exposuit aliquot res admodùm memorabiles regni Babylonici, sub quo vixit ad Darium vsq; Priscum monarcham, annos 70. Non omnia & singula quidem istorum annorum gesta prosequutus est. Quî enim hoc potuisset sine magna molestia cùm sua tum lectorum? Delectum habuit rerum optimarum & vtilissimarum necessariarũq;, quæ sufficerent instituendis confirmandisq; veræ religionis cultoribus. Sequitur iam secunda pars operis, à præcedente permultùm differens. Habet enim visiones non alijs, sed sibi exhibitas à Deo, per insomnia & per reuelationes diuinas, has ipsi interpretantibus angelis, qui vbiq; immiscentur ac introducuntur. In superioribus insomnia habuit rex Nabuchodonosor, quæ ipsi sunt per Danielem, instinctu tamen spiritus sancti, exposita. Describit autem his visionibus ac reuelationibus quatuor orbis monarchias, incipiens à Babylonica, & deducens res ad vsq; finem sæculi. In his ostendit quæ sanctis scitu sunt vtilia & necessaria, & adeò perspicuè & plenè, vt si eam sacris literis impenderemus in legendo scrutandoq; diligentiam, quam multi impendunt Iulio Firmico & rebus astrologicis, nihil Dei cultoribus opus esset Practicis quas vocãt, fictisue de Ioue, Saturno et Mercurio narrationibus, tantũ nõ diuinationibus ab illis ipsis nũcupatis. Summa omnium quę Daniel proponit, hæc est, in mundo exoritura regna præcipua quatuor, diuersa inter se, quorum alterum alterum sit euersurum. Quinimò dicit omnia ista regna ecclesiam Dei afflicturа, ac conspiratura vt eam euertant, hanc verò ita nihilominus futuram in difficillimis turbis Dei virtute firmam ac incolumem, vt nequeat euerti. Consolantur & confirmant hæc omnium sæculorum sanctos in ecclesia Dei, ne animos despondeant, cum non modò vident horribiliter inter sese concurrere, dimicare & sese mutuùm lacerare regna mundi potentissima, sed se quoque peti affligi, persequi, proteri. Audimus enim Ecclesiam Dei semper fore in terris. Adeoq; describitur status ecclesiæ vel populi Dei à Daniele, quid expectent perpetuò sancti, bella & persequutiones, deniq; quomodo se in his gerant, ipe-

Argumentum operis.

Scopus uisionũ

rent vtíq; in Deum, perſeuerent in vera religione, inuocent Deum, cui omnes res ſuas credant, à quo viciſſim nunquam ſint deſerendi. Tractauit eandem hãc doctrinam Dominus noſter Ieſus Chriſtus in euangelio ſecundùm Ioannem in cap. 15. & 16. vbi totum hoc negotium tandem concludens dicit, In mundo afflictionem habetis, ſed bono animo ſitis, ego uici mundum.

Diſpoſitio & argumẽtabuius partis per ſingula capita.

Vtitur progrediturq; propheta ordine perſpicuo & pulcherrimo, totumq; negotium quod tractat, cõprehendit Viſionibus quatuor. Er ſicut Coſmographi primò vniuerſalem tabulam præmittunt, in qua vno contuitu omnes habitati orbis partes proponunt ſpectandas, deinde generali ſubijciunt particulares, vt Aſiæ, Aphricæ, & Europæ deſcriptiones, & in hac Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ tabulam contemplandam proponunt: ita propheta Daniel prima ſua viſione omnes & ſingulas monarchias exponit ceu in tabula aliqua generatim inſpiciendas, Babylonicam, Perſicam, Græcam, Romanam, quam affirmat dilapſuram in decem regna, ex his oriturum prodigioſum regnum, quod mirum in modum afflicturum ſit eccleſiam Dei, ſed hoc ipſum, filio Dei ſub finem mundi aduentante ad iudicandum viuos & mortuos, fore euertendum & abolẽdum, vt ſancti regnent in ſempiternum cum Chriſto. Compræhendit ergo generali hac nõ cosmographica ſed chronographica & hiſtorica tabula omnia tẽpora à monarchia Babylonica ad finẽ vſq; ſæculi. In hac cernimus palàm ſortẽ vniuerſi mundi & ſanctorum omnium. Mundus cum ſuis interit, & ſemetipſum proterit, ſancti verò viuunt in æternum, & permanet regnum ipſorum in ſæcula ſæculorum. Quæ ſanè firmiſſima validiſſimaq; eſt conſolatio & confirmatio fidelium in quibuslibet turbis, tribulationibus & neceſſitatibus.

Cap. 8. Res Antiochi Epiph.

Deinde expoſitis his cap. 7. in cap. 8. redit ad Perſicam & Græcam monarchiam ſigillatim & ſignificantius illuſtrandam, & ad Syriæ res deſcribendas, adeoq; in primis ad exprimẽdas res Antiochi Epiphanis, qui cùm nequiſſimus & impiſſimus eſſet princeps, grauiſſimè afflixit Dei populum. At aſſeruit hunc ipſum maturè Deus, & tyrannum cum ſuis confuſum contriuit. Id quod futurum Daniel ad conſolationem admonitionemq; piorum prædixit, proponens interim in Antiocho antichriſti typum.

Cap 9. Res Chriſti.

Viſio tertia quæ exhibetur cap. 9. omnium eſt præſtantiſſima, pertinetq; ea partim ad Perſicam, partim ad Romanam monarchiam. Ab initio Viſionis occaſionem ponit Daniel, ſuam ad Deum ſupplicationem ardentiſſimam, qua petit populo liberationis concedi beneficium. Nã iccirco mittitur ad ipſum angelus, qui conſoletur orantẽ, nec tantùm liberandos fore nunciet, ſed & totũ ordinem modumq; futuræ liberationis exponat. Proinde nunciat populum certiſſimè ex captiuitate liberandum, rediturum in patriam, ibidemq; reparaturum & templum & vrbem, recuperaturumq; politiam. Ibidem & de aduentu Meſſiæ vaticinatur: quo tempore in mundum venturus ſit, quis & quãtus futurus, quę beneficia mundo collaturus, quòd deniq; ſit occidendus, quodq; ob ſpretum Meſſiam reijciendi Iudæi, & in nouum fœdus recolligendæ gẽtes, & quòd Romani & templum & vrbem ſint exciſuri, ſequuturaq; ſit Iudaicæ gentis ac vrbis ſanctæ deſolatio & vaſtitas perpetua. Maxima autem in his ſunt myſteria ſalutis noſtræ, nec minor conſolatio ſanctorum.

Cap. 10. 11. 12. Epitome afflictionũ eccleſiæ

Antichriſtus.

Quarta Viſio compræhenditur tribus vltimis capitibus, texitq; nobis compendium hiſtoricum propheticumq; omnium rerum populo Dei ſcitu neceſſariarum, in primis vero afflictionum quas perpeſſuri ſint pij in mundo ab imperio Cyri vſq; ad finem mundi. Copioſius iterum exponuntur res monarchiæ Græcæ, & deflectitur inde per typũ ad res Antichriſti noui & prodigioſi iſtius Regis commemorandas, ad admonitionem confirmationemq; in mundo ſanctorum

ctorum, ne ipsorũ fides in promissa Dei, visis horribilibus & tremendis istis turbis ab Antichristo excitatis labascat & corruat. Deducit hoc negotium ad resurrectionem vsq; mortuorum, id est ad vltimum iudicium. Quibus vice coronidis adhuc appendit aliam vel 5. quandam visionem, librumq; suum concludit. Hæc paucis commemorare volui, vt & argumentum secundæ huius partis habentes expositum ob oculos, cernatis quantam hinc varietatem vtilitatemq; rerum scitu maximè necessariarum & pulcherrimarum saluberrimarumq; expectetis, eaq; re attentiores diligentioresq; in auscultando efficiamini, & vt ordinem rerum pulcherrimum tenentes, omnia rectiùs intelligatis sciatisq; quo singula referre oporteat.

Priusquam verò Visionem primam exponat, commemorat circunstantias aliquot non aspernandas neq; negligenter transeundas. Primò tempus indicat, quo ei Visio hęc exhibita sit à Deo, primo nimirũ anno, adeoq; initio regni Baltazaris regis Babylonici. Præcesserant ipsum duo principes boni aut populo Dei tollerabiles saltem, auus & pater Nabuchod. & Euilmerodach. Fuit autem Baltazar impius, crudelis, luxu perditus, & superbia tumens, infenso in Iudęos animo. Fuerant hi iam 67. annos captiuitate detẽti adeoq; oppressi. Vnde haud dubiè appropinquãte iã anno 70. liberationis, sperabant res suas melius habituras. Verùm sub hoc nequissimo principe, omnia vergebant in deterius. Vnde claret grauissimè tentatos esse molesteq; tulisse onus illud, quod tanto iam tempore sustinuerant releuationẽq; expectabãt. Qui pij erant, auxilium Dei haud dubiè implorabãt. Proinde commodissimo tempore Deo suos hoc modo consolante, Daniel videt, non diu regnaturum amplius impium nebulonem Baltazarem, sed & regnum Babylonicum breui fore lacerandum. Adest itaq; Deus maximè opportuno tempore, cum videlicet insolentia hostium est intollerabilis, & pij queruntur se supra vires propemodũ tentari atq; affligi. Impietas enim cum insolenter sese effundit ac exultat, ferocit, ludit & securè omnia contemnit, tum demum impingit, collabitur & proteritur. Sint ergo spe bona afflicti omnes, fore, vt iuuentur à Deo, quãdo hostium superbia, crudelitas & insolentia absq; fine modoq; erũpit atq; furit. Et Daniel, quòd negligeretur à Baltazare, publicis regijsúe negotijs non fuit impeditus, proinde impendit sese totum contemplationi, lectioni ac precibus, interim lecto suaq; quiete moderatè vtitur. Etenim peccatum non est vti lecto, dormire & quiescere, modò non transilias modum. Neq; Deo placent, qui humi cubant, lectos respuunt. & in his constituunt iustitiam. Qua de re monet & apostolus ad Colosſ. cap. 2. *Tempus huius primæ visionis.*

Deinde quale fuerit Visionis genus quod ei obiectũ est diuinitùs, indicat, Somnium. Somniorum huiusmodi frequens fit mentio in scripturis. Non fuit autem tale, qualia sunt somnia illa vulgaria & naturalia, de quibus Physici disserunt, hoc omnino spirituale fuit diuinitusq; immissum, ad docendum non modò Danielem, sed & catholicam ecclesiam. Et tamen in lecto, quod modò dixi, exhibita est ei, diciturq; capitis sui visio, composita vtiq; sobriaq; mente ab ipso vate visa vel accepta. Additur, quòd somnium hoc literis mandarit. Pertinebat enim hoc ad catholicam ecclesiam. Si soli Danieli fuisset reuelata, scriptione nihil opus fuerat. Nunc scribit, Deo nimirũ ita mandante. Quos ergo habemus canonicos scripturæ libros, ex beneficio Dei incomparabili habemus, qui & patribus nostris, & nobis adeoq; vniuerso mundo omnibusq; ibus consule re voluit. Solemus nos literis mandare, quæ posteris nostris cõmunicare & tanquam certa tradere volumus: & quę ita transmittuntur ad posteros, obsignata, & testibus confirmata, authentica sunt, cur ergo dubitaremus de authoritate scripturæ sanctæ? Qui tabulas legitimas & publicas fastidit, punitur à magi- *Somnium.* *Scribitur hæc Visio.*

ſtratu ſancto, prophanusq; eſſe iudicatur, quid ergo ſentiat vir pius & bonus de eo, qui authoritatem ſcripturæ canonicæ, non tantùm vertit in dubium, ſed & contemnens reijcit? Contexit autem argumentum conſtituitq; ſtatum viſionis huius primæ dum dicit, Caput verborum dixit. Id eſt Viſionis ſummam comprehendit paucis. Vel, Compendium omnium temporum comprehendēs propoſuit. Quibus mox adiecit, Et hæc quidem ſunt Danielis verba.

Viſionis huius primæ partitio

Iam verò viſio ipſa multiplex eſt, quam alij partiti ſunt, in nudam Viſionis expoſitionem, & eiuſdem interpretationem. Ego perſpicuitatis gratia in plura diſpartiar capita. Primo enim capite & loco dicit ſibi per noctem viſionem eſſe exhibitam Et ſcriptura noctis vocabulo nō rarò intelligit tribulationem. Colligimus itaq; viſionem hāc ēditā fuiſſe de rebus triſtibus, id eſt de maximis huius mundi turbinibus nec non grauiſſimis perſequutionibus fidelium. Quamuis interim conſolatio ſubinde adiungatur.

Quatuor uenti

Vidit autem quatuor vētos mari magno vel oceano incubuiſſe, flatibusq; cōtrarijs terribiliter inter ſeſe pugnaſſe, & mare ab imo cōmouiſſe fundo. Olim numerabant quatuor potiſſimùm ventos, à quatuor cœli ſpirantes cardinibus. Dicere ergo vult propheta omnes inter ſe ventos commiſſos vehementer euertiſſe aut conturbaſſe mare. Mare verò typum habet mundi, quo nihil eſt inſtabilibus, ſubinde faciē mutans. Venti perſequutionem, turbas, ſeditiones & bella denotant.

Mare.

Animalia prodeunt ex mari conturbato.

Ergo ex mari commoto vel conturbato prodeunt animalia grandia quatuor, non eiuſdem formæ, ſed diuerſa inter ſe ſpecie. His ſignificantur quatuor monarchiæ Babylonica, Perſica, Græca & Romana. Omnis quidem poteſtas eſt à Deo, ergo & monarchiæ hæ vel imperia illa, quod ipſe etiam Daniel dixit cap. 2. ſunt à Deo, deniq; reguntur & conſeruantur à Deo. Proinde quando dicuntur oriri animalia ex terra vel ex conturbato mari, ad id reſpicitur, quòd terrena ſunt regna, & quò ad ſecundas cauſſas exoriuntur ex principum turbis vel prælijs. Vincit enim Cyrus & Darius Baltazarem, deletoq; imperio Babylonico, incipit Darius mox & Cyrus imperitare in noua monarchia Medorum & Perſarum. Mox victo Dario vltimo rege Perſarum per Alexandrum, hic Græcam auſpicatur monarchiam. Deleta autem & hac per conturbationes plurimas & varia bella, Romani imperiū orbis ad ſe rapuerunt. Sic inquā aſcendunt ex mari ventis conturbato animalia illa grādia. Grandia verò dicit: quia imperia illa fuerunt maxima. Diuerſa item inter ſe atq; diſcreta.

Imperia dicuntur animalia uel beſtiæ.

Nemo autem offendatur, quòd imperia illa in orbe maxima atq; ſuprema adumbrantur per beſtias. Non vergit hoc ad contumeliam bonorum principum, qui in his regnarunt imperijs, quales fuiſſe videntur Cyrus, Artaxerxes, Conſtantinus, Theodoſius & multi alij. Qua de re dictum eſt in Apocalypſi: multò minus pertinet ad contemptum vniuerſi magiſtratus, cui alibi in ſcriptura tribuitur nomen Dei & multis ornatur pręconijs: ſed quia maior principum pars in iſtis imperijs beſtiarum inſtar ſæuijt, ideò aſſimilata ſunt imperia beluis. In euangelio quoque ad Pilatum dicit Dominus, Non haberes poteſtatem, niſi data eſſet tibi deſuper. Idem tamen etiam dicit, Sed hæc eſt hora illa veſtra, & poteſtas tenebrarum. Vnde idem princeps, dum ritè ſuo munere fungitur, Dei ſeruus nuncupatur, & idem ille dum à tramite iuſto prævaricans, officiū ſuum non facit, & diaboli ſuggeſtionibus paret, diaboli ſeruus & belial vocari meretur. Proinde imperia iſta omnia à Deo inſtituta fuerunt, & nihilominus tamen qui tyrannidem in eis exercuerunt principes, ex diabolo fuerunt.

Expoſitio redditur ab angelo Dei.

Et hæc quidem interpretatio, qua reddimus beſtias per imperia vel per monarchias, noua non eſt neq; à nobis conficta, Sequitur enim in hoc capite, quòd propheta

propheta diligenter requisiuerit expositionem quatuor bestiarum ab angelo, qui protinus responderit, Quatuor illæ bestiæ figurant quatuor reges, qui consurgent de terra. Cum autem constet plures in quatuor istis imperijs reges prę fuisse, apertum satis est, reges in præsenti non significare duntaxat reges 4. sed potiùs regna & in his tot reges quot regnarunt. Neq; hoc in scripturis rarum est. Maximum est autem beneficium, quòd Deus dignatur sua nobis mysteria aperire per angelos.

Secundo loco prima ex quatuor bestijs producitur in visione, Leo & quidem alatus, instructus aquilinis alis. Leo & Aquilæ animalium reges dicuntur, & aquilæ conferebatur Nabuchodonozor per Ezechielem. Præstantissima ergo inter monarchias fuit Babylonica, vnde & antea collata fuit capiti aureo. Ac leo belua est generosa, fortis, ferox, nihil agens per insidias, sed ingenua. Aquilinæ alæ celeritatem significant: in qua Nabuchodonosor præclarus fuit, & pleraq; felicissimè perfecit. Significant item alæ opes exercitusq; & gentes fortissimas Assyriorum ac Chaldæorum. Breuiter instructissima fuit, victoriosissima, & longè potentissima illa Babylonica monarchia; sub qua captiui gemuerunt sancti. Spectauit autem Daniel quis tandem finis esset futurus, viditq; tandem leoni alas euelli totumq; depilari & deplumari. Lacerarunt enim imperium Babylonicum Darius & Cyrus, discerpto veluti gallo aliquo gallinaceo Baltazare rege tyranno fœdissimo, in quo nulla fuit celeritas, nulla virtus heroica. Venter enim erat. Sed & bestia illa è terra est eiecta, desijt nimirum Babylon in terris imperare. Hactenus quidem in tanto imperio constituti Babylonij non agnouere se miseros esse mortales, ergo non didicerunt humiliter sapere, & modestè se gerere: ferebantur per aera, videbãtur sibi planè dij esse, adeoq; Baltazar bellum Deo Israeli indixit, & ipsum penitus contempsit. At Deus redegit illũ cum suis Babylonijs in ordinem, ita affligens eos, vt intelligerent iam se esse miseros mortales. Germani dicimus, **dem ist vff d füß gehulffen**, id est deiectus est. Itẽ **der weißt yetzt daß er ein mensch ist**: id est, fracta est illi sua cõtumax arrogantia, dum redactus est in summam miseriam. Sublatis autem Babylonijs, manserunt sancti incolumes redieruntq; in patriam, sicut multis exponit liber Ezræ. Itaq; sancti, licet exerceantur & sudent sub cruce, exultẽt interim & insolescant hostes Dei & sanctorum, emergunt tamen aliquãdo, adeoq; semper perit mundus, permanet ecclesia. Huc pertinet istud Psalmi 9. Exurge domine, ne præualeat mortalis, iudicentur gentes in conspecto tuo, Præfice illis magistrum (vel ponendant inijce illis timorem) ô domine, discant gentes se mortales esse. Cumq; diuina potentia sublata est è mundo monarchia illa potentissima, quid erit oro reliquum tutumq; in vniuerso mundo quod sibi polliceatur stabilitatem, aut quod iudicium & manus Dei subterfugere possit, ne, si ille propter scelera irascatur, laceretur frustillatim? Stultissimi ergo sunt quotquot diuinis spretis innituntur mundanis & fluxis illis rebus. De interitu autem Babylonici imperij copiosius est dictum cap. huius operis 5. Deo imperiorum imperatori summo sit laus & gloria.

Babylonica monarchia Leoni assimilata.

Euelluntur leoni alæ.

HOMILIA XXXV.

Ecce autẽ aliud animal secundũ, simile Vrso, quod ad latus unũ steterit, habens tres bolos in ore suo, inter suos dẽtes. Cui dictũ est, Surge, deuora carnem multã. Post hæc spectabã (& ecce aliud Pardo simile, habens quatuor alas uolucris in dorso suo, quatuor etiam capita fuerũt huic animali, eiq; traditum est dominium.

Admonitiones Dei de iudicijs suis.

HViusmodi sunt huius mundi mores & studia, vt Deus non possit non grauiter in ipsum propter conscelerationem illam multiplicẽ animaduertere. Dum hoc fit à Deo, sunt in medio mundo etiã filij Dei, qui & ipsi etsi non toti, certè aliqua in parte implicantur his malis: quod vehementer eos angit & vexat. Vt ergo eis in tempore medicetur Dominus, futura prædicit mala, vt sancti se præparent ad illa sustinenda spemq; habeant in Deum, qui impium mundum flagellat quidem vt declaret se non approbare iniquitatem, sed exercere interim suos cruce ad rubiginem, quam contrahunt ex mundo, detergendam. Certè Abrahamo futuras seminis sui calamitates prædicit Deus, Gen. 15. & Moses idem facit Deut. 32. & 33. Faciunt hoc prophetæ, faciunt apostoli, & in primis Dominus noster Iesus Christus, partim in sancto eius euãgelio, partim per reuelationes quas Ioãni dilecto suo discipulo aperuit, in libro illo insigni quem vocamus Apocalyp. In euangelio ipse Dominus Iesus seruator noster, relegat nos ad Danielem, quem si legamus diligenter, prostremi sęculi sortem simus intellecturi. Licet enim singulariter loquatur de excidio vrbis Hierosolymorum & Iudaicæ gentis, dubium tamen non est, quin & ea intelligat tempora, quæ excidium in finem vsq; sunt consequutura, &c. Et quidem Daniel inter prophetas in huiusmodi prædictionibus non obtinet postremas partes. Cœpit quod antea monuimus, prima Visione in cap. hoc 7. exponere cursum omnium temporum, & quæ in his gesta sunt in potentissimis imperijs, à Babylonica monarchia, ad finem vsq; mundi. Et nunc quidem aggredimur monarchiam 2.

Monarchia Persica ursus.

Tertio enim loco huius Visionis, secunda Bestia ex mari producitur. Ea est monarchia Persica, & qualis hæc futura sit breuibus ostenditur. Principiò dicitur ea similis Vrso, qui generositate ad Leonem non accedit. Vt enim auro vilius est argentum, quod 1. cap. audiuimus in statua Nabuchob. ita leone multo inferior est vrsus. Animal enim est ignauum, tardum, crassum adeoq; ineptum sua magnitudine, crudele ac immite, in senecta maximè, semper carniuorum. Et regnum Persicum grande fuit & carniuorum, mole sua iners: principes eius plerique crudeles. Deinde dicitur hoc stetisse ad partem. Hieronymus vertit, In parte stetit, & exponit secundùm Hebreorum interpretationem, Persæ non admodùm molesti fuerunt Iudaicæ genti. Cęterùm quantis fuerint affecti malis à Persicis Hierosolymitani cum vniuersa gente, exponũt lib. Ezræ & Nehemiæ. Quia itaq; obscuri primò fuerunt Persę, posteà tamen assequuti Cyrum regem adiũxerunt se Dario & Medis, & ita clari sunt facti: rectè dicũtur se statuisse aut erexisse ad vnum latus. Facti enim sunt pars huius monarchiæ, quę coĩit ex Medis & Persis, his illis se ceu ad latus coniungentibus, & fortiter iuuantibus. Isaias de hac coniunctione societateq; differit cap. 13. & 21.

Stetit ad partẽ

Habet tres bolos inter dentes in ore suo.

Postea adiũgit, Habens tres bolos in ore suo inter dentes suos. Alij legunt, Et tres costæ vel tres ordines erant in ore eius, inter dentes eius. Et per costas vel ordines tres, intelligunt tria regna Babylonicum, Medorum item & Persicum, ex quibus constabat hæc monarchia. Alij tres reges potentes intelligunt. Verùm regnarunt per annos 228. vel 230. in regno Persico reges decẽ. Melius ergo quadrant boli in ore Vrsi & quidem inter dentes. Sequitur enim mox expositio, quid intelligamus per bolos inter dentes. Audita est enim vox, quæ iubeat Vrsum surgere & multam deuorare carnem. En boli isti tres inter dentes, copiam carnium significant, quam consumptura sit illa bestia. Regnum ergo Persicum dicit futurum immane, atrox, crudele, quod infinitam hominum turbam sit confecturum aut perditurum. Id quod factum constat diuina prouidentia & iustissimo Dei iudicio. Cœlitùs enim iussio descendit armauitq; reges in excidium hominum istorum seculorum. At nolim mirari quenquã, cur Deus tantam

tantam hominum copiam opera Perſarum perdiderit. Fuerunt enim mores ipſorum corruptiſsimi, impijſsimi, fœdiſsimi. Qualis oro fuit rex ipſorum Cambyſes? Quales fuerunt alij ipſorum reges? Qualis oro vniuerſus fuit propè populus? Vnde obſecro manauit prouerbium, Perſicus luxus, Perſicus apparatus? Moderatio verè dicitur præſtantiſsima virtus. At Perſæ nullum tenuêre modum. Inde ergo magna & propè infinita ipſorum copia eſt miſerè afflicta & cæſa & concisa. Sed & quos ipſi Perſæ trucidarunt, impij & conſcelerati fuerũt. *Cur Deus in regno Perſico tot perdiderit homines.*

Commemorabo hic ex hiſtorijs quædam, quæ huc maximè videntur pertinere, & dicam paucula modò, non omnia, & quidem de vno aut altero rege Perſarum, non de ſingulis, ſed tantùm de primis & poſtremo. Faciet ea narratio plurimùm ad rectè intelligendum hunc Danielis locum. Cyrus rex Perſarum primus, poſt multas easq; præclaras victorias, bellum intulit Maſſagetis, verùm ab his victus dicitur, & deſiderata Perſarum circiter ducenta millia. Ipſe rex à pleriſq; Thomyri regina affirmatur obtruncatus. Darius Hyſtapſis rex Perſarum 3 princeps alioqui non malus, adiecit animum ad Græciam ſuo regno addendam: verùm ea re odium ſibi conſciuit. Nam Athenienſes, Iones rebellionem parantes, adiuuerunt Græcos contra Darium. Ergo cum Hippias Piſiſtrati F. ob tyrannidem exercitam, eiectus eſſet ab Athenienſibus & is ad Darium profugeret, ac reſtitui cuperet, ea occaſione, ſi fortè occupare poſſet Græciam, vſus, dedit illi centena peditum millia & 10000. equites. Alij plures multò numerant. Verũ hi profligati, & propè deleti ſunt à Milciade Athenien. duce in campis Marathonijs, cũ hic non plures ſub ſignis haberet quàm 10000. ciuium Athenienſium, & Plateenſium 1000. Memorabilis eſt ea in hiſtorijs pugna, & relucet in ipſa admiranda Dei virtus. Si ergo dicas hanc pugnam ſignificatam per cruentos in ore vrſi bolos, non admodùm aberrabis mea quidem ſententia. Darius clade iſta accepta, vndecunq; ſibi innumerabilem propemodùm conquirit exercitum verũ in ea expeditione moritur. Succedit ei in regno Xerxes filius. Cui Artabanus patruus bellum diſſuaſit, Mardonius verò ad bellum Græcis inferendum regem iuuenem & væcordem inſtigauit. Quem mox Xerxes vniuerſo exercitui præfecit. Dicitur ſub ſignis habuiſſe decies centena millia hominum. Herodotus etiam hoc ampliorem retulit numerum. At traiectus in Græciam exercitus tantus, quantum vix vlla viderunt ſæcula, quatuor prælijs ad internecionem propè deletus eſt. Græci enim duobus prelijs nauali-bus claſſem Perſicam ſuperauerunt, ad Arthemiſium videlicet, & Salaminem inſulam, ad quam Græca claſsis 378. nauium, tota die cum Perſis confligens, plurimas Perſarum naues ſubmerſit, milites ferè omnes trucidauit, & naues oppidò pauculas in fugam egit, cum quibus elapſus in cymba piſcatoria, in Aſiã Xerxes, magna cum ignominia rediit. Præfuerat Græcæ claſsi Themiſtocles ille præclarus Græcorum dux. Cæterùm iterum terreſtribus prælijs duobus vicerunt & profligarunt Perſas Græcorum duces præſtantiſſ. Leonidas & Pauſanias. Nam ad Thermopylas exiguum admodùm exercitum duxit Leonidas contra infinitas Perſarum copias. Principiò enim anguſtias Thermopylarum trium millium præſidio tutatus eſt contra Perſas, triduana pugna. Mox delegit ſibi Spartanos vel Lacedæmonios trecentos, caſtraq; Perſarum quingentorum millium irrupit, ac trucidatis Perſarum viginti millibus, ipſe quoque vnà cum ſuis, vix vno & altero reſiduis, occubuit. Memorabilis eſt iſta pugna, & admiratæ ſunt eam meritò omnes omnium ætatum homines. Neq; enim facilè huic inuenies parem. Et Herodotus qui ea quæ commemorauj breuius, copioſè omnia proſequitur, 9. lib. hiſtoriarum mirifica diligẽtia ac copia deſcribit pugnam inter Perſas & Græcos cõmiſſam ducibus Pauſania & Mardonio ad Plateam,

Cyrus cæſus.

Darij exercitus victus à Milciade.

Xerxes à Græcis victus quatuor prælijs.

Pugna naualis Salaminia.

Pugna ad Thermopylas.

Pugna ad Plateam.

in qua rursus victi & trucidati sunt Persæ, & Mardonius ipse à Spartano quodam occisus refertur, infixo in caput eius lapide. Non commemorabo hic alias cædes stragesq́, & editas, & perpessas à Persis. Adijciam his duntaxat Pauli Orosij verba, qui occasum monarchiæ Persicæ, & victorias Alexandri Macedonis commemorans lib. historiarum 3. cap. 17. In tanta, inquit, malorum multitudine, difficillima dictis fides, tribus prælijs totidemq́ annis decies centena millia peditum equitumq́ consumpta sunt, &c. Expositũ est, opinor, perspicuè satis, quid portenderint in ore Vrsi tres illi boli, & quorsum pertinuerit vox illa, Surge deuora carnem multam. In his turbis & cladibus fieri non potuit, quin plurima quoq́ mala attigerint & populum Dei, qui nihilominus tamen seruatus est beneficio Dei, puniẽtis horribilibus istis cladibus mũdi huius impietatẽ.

Monarchia Macedonica Pardus.

Quarto autẽ visionis huius primæ loco subiungitur tertia monarchia, Græca vel Macedonica, quam Persica conculcata, Alexander ille Macedo, in orbem inuexit. Et quoniam de illa sequentur nonnulla in cap. 8. & 11. huius operis, perstringam duntaxat quæ in præsenti proponuntur. Principiò Pardo vel Pantheræ assimilatur monarchia Græca, quæ successit Persicæ. Nam Panthera animal est crudele, sanguinis humani auidum, insidiosum, varium vel maculosum, & velocissimum. Celerrimus verò in expediendis rebus bellicis erat Alexander Macedo, sanguinarius item, varius quoq́ & insidiosus. Ac Græci in vniuersum, sicut & Ægyptij Syriq́ moribus suis probè expresserunt hanc beluam. Deinde infiguntur animali huic auis alæ in dorsum, quo & ipso velocitas pernix tum Alexandri, tum aliorum huius monarchiæ principum quorundam est significata. Hinc attribuuntur beluæ huic quatuor cornua vel capita. Nam mortuo Alexandro, regnum in quatuor reges est dispartitum, Antigono enim Asia minor obuenit, Seleuco Nicanori cessit Syria & vlteriora. Macedonia ac Græcia venit in potestatem Philippi Aridæi: sicut Ægyptus data est Ptolemæo Lagi. Ac Lagidæ redactis alijs principibus in potestatem Romanorum, subditi sunt & ipsi (postquam regnassent annos 294) Romanis, vincente Augusto Cleopatram cum Antonio. Quatuor itaq́ regna illa sunt quatuor capita vel cornua Danielis.

Quatuor alæ & capita.

Potestas monarchiæ huic à Deo tradita.

Porrò ad finem appenditur, Et traditum est ei animali vtiq́ imperium vel dominium. Etenim nõ virtute Alexandri, sed Dei beneficio prouidentiaq́ constituta est monarchia Græca, cui victorias illas concessit Deus, gentesq́ varias subiecit. Huc pertinere videtur Iosephi narratio admodùm iucunda, & huic loco congrua, quam pertexit Antiq. lib. 11. cap. 8. Alexandrũ videlicet expugnata Gaza, Hierosolymam contendisse, laddum verò pontificem summum redimitum sacra pontificiaq́ veste vnà cum choro sacerdotũ & pompa populi candidis induti sese in occursum regis effudisse: quem simul ac vidit Alexander, procidisse ante ipsum ac adorasse, idq́ cum maximo omnium suorum stupore. Ex quibus Parmenio propius accedens, rogarit, Et quid Iudaicũ adoraret pontificem, qui adoraretur ipse ab omnibus? Cui respondent Rex, Non ipsum adoraui pontificem, sed eum potius cuius est pontifex. Hunc enim, ait, vidi & antea hoc ipso habitu, cum adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Asiã possem subigere, hortatus est forti esse animo, & sine mora exercitum traijcere. Nam suo ductu me posturum Persarum imperio. Vide tu reliqua quæ his subiungit Iosephus. Verissimè itaq́ dictum est, dominiũ à Deo datum esse huic monarchiæ. Porrò res populi Dei sub hac monarchia admodũ fuerunt difficiles maximè sub Antiocho, sed seruauit suos nihilominus in mediis turbis Deus. Id quod libri Machabæorum exponunt, & sequetur cap. 8. Domino vltori omnis mali & cõseruatori ecclesiæ suæ sit laus & gloria semper. Amẽ.

HOMILIA XXXVI.

Post hæc spectabã in visionibus noctis, & ecce animal quartum formidabile & terrificum, & eximiè robustum, quodq; habens grandes ferreos dentes, vorauit & comminuit, & reliquũ conculcauit pedibus suis. Fuit autẽ prorsus diuersum ab omnibus animalibus quæ ipsum præcesserunt, habens etiã cornua decem.

SEmper in his visionibus repetendus est scopus & quo omnia referẽda sint, ne citra omnem fructum hæc ceu inanem picturam contemplemur, tantumq; historiarum varietatem audiamus. Vult his Deus electos suos admonere de rebus maximis in mundo futuris, quòd mirum in modum mundus ad finem vsq; inter se sit conflictaturus, & sese mutuùm laceraturus, & quòd sancti multa sint perpessuri in hoc sæculo, interim tamen perituru mutua laceratione mundũ, sanctos Dei non perituros vlla afflictione, sed ecclesiam Dei in terris semper permansurã, regnumq; Christi in futuro sæculo in sempiterna sæcula perduraturum. Qua quidem re spei plenissimę voluit Deus omnes omnium temporum sanctos & fideles homines consolari. Proinde oportet vt hæc nobis dicta esse intelligamus, eaq; nobis accommodemus, maximè in afflictionibus persequutionibusq;. *Scopus huius visionis repetitur.*

Quinto itaq; loco huius visionis primæ, producitur in medium spectanda quarta & omniũ maxima & truculentissima monarchia, Romana vtiq;. Tempus annotat quando hanc beluam per visionem viderit, in nocte. Nocturnum tempus plus horroris habet, metusq;, quàm diurnum. Significat itaq; tempus nocturnum imperium hoc cæteris omnibus amplius redundaturum periculis atq; terroribus. Et quidem sancti sub nullo imperio grauius oppressi, & continuis afflictionibus truculentius, quàm sub Romano sunt diuexati. Cumq; imperia omnia certis sint animalium speciebus designata, Babylonium enim leo dicitur, Persicum vrsus, Græcum pardalis, solum Romanum producitur anonymum. Cuius quidem rei causam vel rationem reddit S. Hieronymus hisce verbis, Satis miror quòd cum supra leęnam, & vrsum, & pardum in tribus regnis posuerit, Romanum regnũ nulli bestiæ compararit, nisi fortè vt formidolosam faceret bestiam, vocabulum tacuit, vt quicquid ferocius cogitauerimus in bestijs, hoc Romanos intelligamus. Hæc ille. Miratur ipse Daniel istam bestiam, & singulariter ab angelo de ipsa erudiri cupit. Sic enim sequitur, Postea volui certam habere notitiam de Bestia quarta, quæ multum ab omnibus alijs diuersa, in primis formidabilis fuit, &c. Et dixit ille (nimirum angelus Dei) Bestia quarta (significat) quartum in mundo fore regnum, quod differat ab omnibus regnis, & deuoret terram totam eamq; conterat & comminuat, &c. *Romana monarchia.* *Bestia quarta nomine caret.*

Verè autem nec vnam ob causam dicitur Romanum regnum formidabile & terrificum: vel vt alij verterũt terribile & horrendum. Crudelissimum enim truculentissimumq; fuit. Omnes enim gentes habitati orbis fatigauit & attriuit armis suis, exhausitq; facultates omnium auaritia & crudelitate sua inexplebili. Nulla enim gens propemodùm in orbe est, quæ non viderit Aquilas Romanas, & Romanorum crudelitatem, & auaritiam experta sit. Deinde terribile horrendumq; in eo fuit hoc regnum, quòd mutuis & intestinis bellis semetipsum truculentissimè exagitauit & debilitauit. Vt enim fraterno primi maduerũt sanguine muri, ita seditiones excitatæ sunt & gesta ciuilia bella à Gracchis, à Sertorio socijsq;, à Catilina, à Mario & Sylla, à Cæsare & Pompeio, à Bruto *Rom. Imperiũ horrendum & formidabile.*

in qua rursus victi & trucidati sunt Persæ, & Mardonius ipse à Spartano quodam occisus refertur, infixo in caput eius lapide. Non commemorabo hic alias cædes stragesq́, & editas, & perpessas à Persis. Adijciam his duntaxat Pauli Orosij verba, qui occasum monarchiæ Persicæ, & victorias Alexandri Macedonis commemorans lib. historiarum 3. cap. 17. In tanta, inquit, n alorum multitudine, difficillima dictis fides, tribus prælijs totidemq́ annis decies centena millia peditum equitumq́ consumpta sunt, &c. Expositū est, opinor, perspicuè satis, quid portenderint in ore Vrsi tres illi boli, & quorsum pertinuerit vox illa, Surge deuora carnem multam. In his turbis & cladibus fieri non potuit, quin plurima quoq́ mala attigerint & populum Dei, qui nihilominus tamen seruatus est beneficio Dei, puniētis horribilibus istis cladibus mūdi huius impietatē.

Monarchia Macedonica Pardus.

Quarto autē visionis huius primæ loco subiungitur tertia monarchia, Græca vel Macedonica, quam Persica conculcata, Alexander ille Macedo, in orbem inuexit. Et quoniam de illa sequentur nonnulla in cap. 8. & 11. huius operis, perstringam duntaxat quæ in præsenti proponuntur. Principiò Pardo vel Pantheræ assimilatur monarchia Græca, quæ successit Persicæ. Nam Panthera animal est crudele, sanguinis humani auidum, insidiosum, varium vel maculosum, & velocissimum. Celerrimus verò in expediendis rebus bellicis erat Alexander Macedo, sanguinarius item, varius quoq́ & insidiosus. Ac Græci in vniuersum, sicut & Ægyptij Syriq́ moribus suis probè expressérunt hanc beluam. Deinde infiguntur animali huic auis alæ in dorsum, quo & ipso velocitas pernix tum Alexandri, tum aliorum huius monarchiæ principum quorundam est significata. Hinc attribuuntur beluæ huic quatuor cornua vel capita. Nam mortuo Alexandro, regnum in quatuor reges est dispartitum, Antigono enī Asia minor obuenit, Seleuco Nicanori cessit Syria & vlteriora. Macedonia ac Græcia venit in potestatem Philippi Aridæi: sicut Ægyptus data est Ptolemæo Lagi. Ac Lagidæ redactis alijs principibus in potestatem Romanorum, subditi sunt & ipsi (postquam regnassent annos 294.) Romanis, vincente Augusto Cleopatram cum Antonio. Quatuor itaq́ regna illa sunt quatuor capita vel cornua Danielis.

Quatuor alæ & capita.

Potestas monarchiæ huic à Deo tradita.

Porrò ad finem appenditur, Et traditum est ei animali vtiq́ imperium vel dominium. Etenim nō virtute Alexandri, sed Dei beneficio prouidentiaq́ constituta est monarchia Græca, cui victorias illas concessit Deus, gentesq́ varias subiecit. Huc pertinere videtur Iosephi narratio admodùm iucunda, & huic loco congrua, quam pertexit Antiq. lib. 11. cap. 8. Alexandrū videlicet expugnata Gaza, Hierosolymam contendisse, laddum verò pontificem summum redimitum sacra pontificiaq́ veste vnà cum choro sacerdotū & pompa populi candidis induti sese in occursum regis effudisse: quem simul ac vidit Alexander, procidisse ante ipsum ac adorasse, idq́ cum maximo omnium suorum stupore. Ex quibus Parmenio propius accedens, rogarit, Et quid Iudaicū adoraret pontificem, qui adoraretur ipse ab omnibus? Cui responderit Rex, Non ipsum adoraui pontificem, sed eum potius cuius est pontifex. Hunc enim, ait, vidi & antea hoc ipso habitu, cum adhuc essem in Dio Macedonię, qui me deliberantem quomodo Asiā possem subigere, hortatus est forti esse animo, & sine mora exercitum traijcere. Nam suo ductu me potiturum Persarum imperio. Vide tureliqua quæ his subiungit Iosephus. Verissimè itaq́ dictum est, dominiū à Deo datum esse huic monarchię. Porrò res populi Dei sub hac monarchia admodū fuerunt difficiles maximè sub Antiocho, sed seruauit suos nihilominus in mediis turbis Deus. Id quod libri Machabęorum exponunt, & sequetur cap. 8. Domino vltori omnis mali & cōseruatori ecclesiæ suæ sit laus & gloria semper. Amē.

HOMILIA XXXVI.

Post hæc spectabã in visionibus noctis, & ecce animal quartum formidabile & terrificum, & eximiè robustum, quodq; habens grandes ferreos dentes, vorauit & comminuit, & reliquũ conculcauit pedibus suis. Fuit autẽ prorsus diuersum ab omnibus animalibus quæ ipsum præcesserunt, habens etiã cornua decem.

SEmper in his visionibus repetendus est scopus & quo omnia referẽda sint, ne citra omnem fructum hæc ceu inanem picturam contemplemur, tantumq; historiarum varietatem audiamus. Vult his Deus electos suos admonere de rebus maximis in mundo futuris, quòd mirum in modum mundus ad finem vsq; inter se sit conflictaturus, & sese mutuùm laceraturus, & quòd sancti multa sint perpessuri in hoc sæculo, interim tamen perituru mutua laceratione mundũ, sanctos Dei non perituros vlla afflictione, sed ecclesiam Dei in terris semper permansurã, regnumq; Christi in futuro sæculo in sempiterna sæcula perduraturum. Qua quidem re spei plenissimè voluit Deus omnes omnium temporum sanctos & fideles homines consolari. Proinde oportet vt hæc nobis dicta esse intelligamus, eaq; nobis accommodemus, maximè in afflictionibus persequutionibusq;. *Scopus huius visionis repetitur.*

Quinto itaq; loco huius visionis primæ, producitur in medium spectanda quarta & omniũ maxima & truculentissima monarchia, Romana vtiq;. Tempus annotat quando hanc beluam per visionem viderit, in nocte. Nocturnum tempus plus horroris habet, metusq;, quàm diurnum. Significat itaq; tempus nocturnum imperium hoc cæteris omnibus amplius redundaturum periculis atq; terroribus. Et quidem sancti sub nullo imperio grauius oppressi, & continuis afflictionibus truculentius, quàm sub Romano sunt diuexati. Cumq; imperia omnia certis sint animalium speciebus designata, Babylonium enim leo dicitur, Persicum vrsus, Græcum pardalis, solum Romanum producitur anonymum. Cuius quidem rei causam vel rationem reddit S. Hieronymus hisce verbis, Satis miror quòd cum supra leonam, & vrsum, & pardum in tribus regnis posuerit, Romanum regnũ nulli bestiæ comparauit, nisi fortè vt formidolosam faceret bestiam, vocabulum tacuit, vt quicquid ferocius cogitauerimus in bestijs, hoc Romanos intelligamus. Hæc ille. Miratur ipse Daniel istam bestiam, & singulariter ab angelo de ipsa erudiri cupit. Sic enim sequitur, Postea volui certam habere notitiam de Bestia quarta, quæ multum ab omnibus alijs diuersa, in primis formidabilis fuit, &c. Et dixit ille (nimirum angelus Dei) Bestia quarta (significat) quartum in mundo fore regnum, quod differat ab omnibus regnis, & deuoret terram totam eamq; conterat & comminuat, &c. *Romana monarchia.* *Bestia quarta nomine caret.*

Verè autem nec vnam ob causam dicitur Romanum regnum formidabile & terrificum: vel vt alij verterũt terribile & horrendum. Crudelissimum enim truculentissimumq; fuit. Omnes enim gentes habitati orbis fatigauit & attriuit armis suis, exhausitq; facultates omnium auaritia & crudelitate sua inexplebili. Nulla enim gens propemodùm in orbe est, quæ non viderit Aquilas Romanas, & Romanorum crudelitatem, & auaritiam experta sit. Deinde terribile horrendumq; in eo fuit hoc regnum, quòd mutuis & intestinis bellis semetipsum truculentissimè exagitauit & debilitauit. Vt enim fraterno primi madue rũt sanguine muri, ita seditiones excitatæ sunt & gesta ciuilia bella à Gracchis, à Sertorio socijsq;, à Catilina, à Mario & Sylla, à Cæsare & Pompeio, à Bruto *Rom. Imperiũ horrendum & formidabile.*

& Antonio, deniq; ab hoc ipso Antonio & Octauio Augusto. Nemo facilè dixerit quot perierint in his turbis ciues, quantumq; humani sanguinis fusum sit. Quibus omnibus illud accedit, quòd sub Romano imperio, cecidit sanctissimus virorum, Ioannes Baptista, Romanorum enim feudatarius fuit Herodes, quòd item ipse Dei filius seruator mundi crucifixus est sub Pontio Pilato præside Iudææ, misso illuc ab Imperatore Romano Tiberio Cæsare, quòd rursus Imperatores Romani diu & sæuissimè ecclesiam Dei persequuti sunt, sub quibus omnes quoq; apostoli diuexati sunt ac plerique gladio occubuerunt. Ab illis ipsis Romanis vastata est terra Israelitica, obsessa & capta vrbs sancta, concrematum & direptum templum, mœnia vrbis ædificiaq; solo æquata, & homines partim trucidati, partim verò dispersi per vniuersum or' .m, & tracti in miserrimam grauissimamq; captiuitatem seu seruitutem. Meritò itaq; dicitur hæc belua formidabilis & terrifica.

Rom. Imp. robustum valdè.

Eadem dicitur esse eximiè robusta. Coierunt enim in hanc non modò omnes orbis vires, dum deuictis omnibus principibus occuparunt Romani pleraque mundi regna, sed laboris ab initio fuerunt tolerantissimi, animis infractis, & exercitibus legionibúsue illis suis instructissimi ac velut inuicti.

Dentes ferrei grandes.

Habet bestia ista dentes grandes, & quidem ferreos. Dentibus nocent bestiæ, & quò robustiores habent dentes, eò sunt formidabiliores, & nocentiores. Iterum itaq; hac nota significatur ferreum vel ingens robur imperij, maximaq; vis nocendi, ac truculenta crudelitas. Sequitur enim quid fecerit istis suis dentibus. Deuorauit & comminuit. Et angelus in interpretatione, Deuorabit terrã, inquit, totam, eamq; conteret & cõminuet. Roma enim non tantùm perpetuis bellis præsidijsq; militaribus, munitionibus denique & ædificijs orbem fatigauit & attriuit, sed insuper omnes orbis opes diripuit, exhausit & in senticetum lustrumq; illud suum lupinum, Romam, intulit & recondidit, luxurioseq; ostentauit atq; prodegit. Ista non malè nec coactè exponi possunt, & de ducibus Romanis, exercitibusq; Romanorum robustissimis. Insignes Roma duces vel imperatores militares habuit in illis bellis, quibus per initia dominationis suæ, vicinas quasq; gentes subiugauit. Contra Pyrrhum sane Epirotarum regem potentissimum feliciter & fortiter bellum gessere Val. Leuinus Cos. & C. Fabritius. Gallos, Insubres & Germanos M. Marcellus, dens planè ferreus, Romanę reipub. adijcere satis prosperè cœpit. Appius verò Claudius & M. Val. Messala Coss. Q. item Fabius, & Pub. Scipio Aphricanus, dentes robustissimi, bella Punica fortiter confecerunt, de Pœnis triumpharunt, Carthaginemq; ipsam Scipio inflammatam deleuit. Iam verò L. Æmilius Paulus Græciam, deuicto Perseo, vltimo Macedonũ rege, subdidit dominatrici Romæ. Domuere Orientem Lucullus, Crassus, atq; Pompeius, Occidentem armis subegit Iulius Cæsar, Marius Heluetios Cymbrosq; profligauit, & capto rege Iugurtha Aphricam composuit. Quibus insuper omnibus Augustus Cæsar accessit, qui vt rebellantes adhuc aliquot gentes deuicit, ita templum Iani clausit, & imperium orbis in pace obtinuit. Hi inquam fuere ferrei illi anonymæ bestiæ dentes.

Quod reliquũ fuit pedibus proculcauit.

Reliquum vel reliquias dicitur porrò pedibus suis proculcasse hæc bestia. Loquutio petita est à petulantibus bestijs, quæ saturæ, quod deuorare non possunt, pedibus petulanter proterunt. In interpretatione angeli pedibus infiguntur vngues ærei. Significatur autem libido Romanorum ingens & tyrannis exercita contra omnes homines valida, crudelitasq; seu atrocitas petulantissima. Cernere hanc licet in historijs. Præterea videtur hunc nobis locum interpretari ipse Dominus, qui in euangelio secundùm Lucam cap. 21. dicit, Et Hierusalem conculcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium. Ac

Iosephus

Iosephus historicus de bello Iudaico scribens, plurima nobis exhibet beluinæ huius petulantiæ exempla. Quid quod eadem Roma, diu & multum & plus quàm petulanter conculcauit ecclesiam Christi, per annos plus minus 256? Totidem enim colliguntur ab 8. anno imperij Neronis, vsq; ad 10. annũ Constantini Imperatoris, quo ecclesiæ pax data est.

Diuersa porrò est hæc bestia ab omnibus alijs. Alia enim regna perpetuò per reges sunt administrata. At imperium Romanum ab initio reges ordine habuit 7. fuitq; regnum alijs non dissimile, mox eiectis regibus crearunt sibi Coss. mutataq; prorsus administrandi ratione vniuersa, fecerũt ex regno vel monarchia democratiam vel rempub. Lecti sunt postea Decemuiri. Rursus reuocati sunt Coss. factaq; est gubernatio partim aristocratica, & partim democratica. Successit temporis progressu Dictator, ex quo factus est mox Imperator diuersus & hic per initia à regibus, & tamẽ rex, cũ quo in authoritate erat & senatus Romanus. Consecutæ sunt in hoc regno vel imperio & multæ aliæ mutationes. *Roman. imp. diuersum est ab alijs regnis.*

Postremò dicitur de hac belua, quòd habuerit Cornua decem. Angelus hoc ipsum interpretans, Cornua verò decem, inquit, significant, quòd ex eo decem reges consurgent. Per reges, ipsa intelligimus regna, per denarium verò numerum pluralitatem. Significat enim, quod & historiæ testantur, Romanum imperium dilapsum tandem & discissum esse in regna plurima. Principiò enim Constantinopoli ædificata per Constantinum, & consecrata in sedem regni nuncupataq; Roma dicta, alter quidem Orientis factus & declaratus est Imperator, alter verò Occidentis, qui residebat in veteri Roma. Iam ergo vtrumq; regnum erat diuisum. Sequutæ sunt barbaræ gentes (vt vocantur à delicatis Italicis scriptoribus) Gotthi & Vandali, qui ipsam Romam irruperunt, diripuerunt, tandem & concremarunt & vastarunt. Sed & Romanum imperium Occidentis cecidit penitus. Exorta sunt autem regna varia in Oriente, Persarum, & Græcorum, & Saracenorum, aliarumq; gentium, in Occidente Francorum, Gotthorum, qui in Hispanias vsq; penetrarunt, Hunnorum, item Longobardorum aliarumq; gentium. Ita sanè regna illa ex destructo Romano imperio consurrexerunt, & singula propè arma sua in Romã sanguinariam conuerterunt, & miserrimè eam dilacerauerunt, prout hoc in sacris literis quoq; per beatum Ioannem apostolum prædictum fuerat. *Bestia habet cornua decem.*

Difficillima sanè & horrenda fuerunt tempora illa, in quibus hæc omnia fuerunt completa. Verùm sancti, qui prædictionem hanc propheticam & apostolicam nouerunt, agnouerunt mutationes illas grauissimasq; turbas non sine iusta Dei fieri prouidentia, ac interim, vtut orbis inter sese concurrat & collidatur horribiliter, sanctam tamen Christi ecclesiam deleri non posse, sed eam in sempiterna sæcula permansuram ac regnaturam. Hoc ipsum diligenter & significantissimè exprimitur in interpretatione huius Visionis angelica, dum dicitur, Sancti autem excelsi accipient regnum, & obtinebunt regnum per sæcula vniuersa. Et quæ sequuntur. Proinde dum hodie quoq; cernimus confligere inter se mundum, & affligi fideles, illud maximè consoletur nos, quòd mundus perit, spes autem sanctorum non interit. Deo sit laus & gloria. *Consolatio ex his.*

HOMILIA XXXVII.

Dumq; cornua considero, ecce cornu aliud paruum inter illa ascendebat, à quo tria ex cornibus prioribus sunt excisa, & ecce oculi fuerunt in isto cornu, velut oculi hominis, & os loquens grandia.

CONsequenter & sexto iam huius visionis loco deducuntur res postremi sæculi à diuiso collapsoq; in Occidente Romano imperio, ad finem vsque sæculi, contexiturq; vaticinium de paruo cornu succrescente inter decem illa regna. Per paruum Cornu intelligunt multi regnum Mahumedicum, Saracenicum ac Turcicum. Fuit enim Mahumed, author regni istius, per initia homo vilissimus & exiguæ potentiæ. Mox tamẽ occuparunt Mahumedici Arabiam, Syriam & Ægyptum. Fuerunt sagaces. Loquuti sunt etiam grandia. Prælia denique gesserunt cum sanctis. Vicerunt hos. Abrogarunt doctrinam euangelicam, & suos stabilierunt & stabiliunt adhuc errores. Verùm cum prophetia apostolica 2. Thessal. 2. diligentius excutitur, videtur hæc Danielis & illa apostoli prophetia, rectius competere in regnum Papæ Roman. quod quidem regnum est exortum ex initijs modicis, in immensum verò propagatum. Nulli ta men præiudico. Quod mihi videtur vaticinijs & rebus ipsis congruere, indico, sequatur quilibet quod putat veritati maximè esse consentaneum. Inhærebo autem Danielis vaticinio, omniaq; conferam quæ iam sunt recitata de hoc cornu paruo, & quæ mox in consequentibus, maximè in expositione angeli, adijciuntur, cum his verò conferam & historias & res ipsas, quas vniuersi palàm & ob oculos subiectas cernimus. Et hæc quidem omnia recitantur nobis à prophetа (qui sanè velut vnicus scopus omnium subinde est repetendus) vt præmoniti à Deo, non capiamur admiratione potentiæ felicitatisq; huius regni, fractiq; persequutionibus miserijs & cruce assidua, deficiamus à Christo, & sancto eius euangelio, sed inuocantes Deum omnium regnorum gubernatorem, inuicti perstemus in confessione veritatis euangelicæ, fortiterq; pugnemus contra Antichristum & regnum eius, expectantes diem illam redemptionis & restitutionis omnium.

Paruum cornu quid?

Scopus omniũ in quem vnicè intendendum.

Cornu significare & principem & regnum, iam ex antecedentibus satis est cognitum. Et hoc quidem cornu, de quo iam loquimur, paruum nuncupatur. Papa enim per initia minister ecclesiæ Romanæ humilis fuit. Nemo ipsum habuit principis loco. Notæ sunt epistolæ, quas scripsit Gregorius eius nominis primus, episcopus Romanus, contra ambitionem & superbiam præsulũ Constantinopolitanorũ. At mortuo Gregorio impetratũ est à Bonifacio eius nominis 3. ab Orientis imperatoribus & quidẽ à Phoca Imp. vt Roma haberetur prima & capite adeoq; pro matre ecclesiarum omnium, ideoq; Romano pontifici, vt œcumenico & vniuersali episcopo omnes orbis ecclesias obedire debere. Leguntur hæc in historijs apud Bedam, Otthonem Frisingen. Vrspurgen. Albertum Krantium, Naucierum ac Platinam. Hanc prærogatiuam assequuti Romani pontifices (sicut antea quoq; illi etiam qui Gregoriũ præcesserunt, authoritatẽ apud plurimas Occidentis ecclesias, ob causas varias, alibi recitatas, habuerant) subinde magis atq; magis cœperunt cristas erigere, & potestatem sibi in ecclesias iusto solitoq; maiorẽ vendicare adeoq; & parare, ita vt Rom. episcopus iam pro apostolico & primate vel summo pontifice & haberetur & tanquam os Dei in rebus ecclesiasticis consuleretur, adeoq; deferrẽtur ad illum & ad ipsius discussionem res difficiliores & perplexiores omnes. Ergo adiunxerunt se ipsi episcopi per Italiam maximè & vicinią, ipsumq; viribus omnibus adiutarunt. Facta sunt hæc Romæ & in Italia dum inter sese cornua illa belligerarentur, ac Græci cum Gotthis, & Gotthi cum Lõgobardis, & alię cum alijs gentibus colliderentur atq; confligerent. Vnde proprijssimè dixit Daniel, Et ecce cornu aliud paruum, inter illa, vel vt Hieron. vertit, de medio illorum, ascendebat: id est dum inter se regna illa, in quę diuisum erat Romanum imperium, passim multiplicarentur ac inter sese concurrerent, cornu illud paruum, id est prin-

Romani episcopi olim humiles.

ceps

ceps ille, qui tamen imperium nõdum habebat, aſcendebat nimirũ in thronum, ſuccreſcẽdoq́ in authoritate magna eſſe & pro cornu, vel capite haberi cœpit.

Tria cornua deijcit cornu culum.

At quomodo emerſerit plenè cornu hoc paruum, & imperium tandem conſequutum ſit, plenius à propheta explicatur, per conſequẽtia. A quo tria, inquit ex cornibus prioribus ſunt exciſa ſeu euulſa. Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, Per hoc quod princeps hic paruus alios tres reges, qui tunc inter diuiſi imperij reges numerabantur, mutauit ac excidit vel euertit, medius ipſe euectus eſt in imperium. Ac obſeruandum videtur non oſcitanter, quòd Daniel in hac re explicanda, non vno vtitur vocabulo, ſed tribus diuerſis, eundem tamen ſenſum facientibus. Principiò enim dicit, מיתעקרו euulſa ſiue exciſa ſunt (עקר enim excindere ſignificat) à facie eius. Deinde dicit, Et quare נפלו caderent (nam נפל ſignificat cadere) tria à facie eius. Poſtremò dicit, Et יתשפל humiliabit (שפל enim ſignificat humiliare) tres reges. Habes ergo tria vocabula, quibus propriſſimè exprimit papæ epiſcopi Romani facinora erga reges tres ipſorũq́ regna patrata. Excidit vel euulſit, fecit q́ cadere ac humiliauit tres principes, & quidem ex his qui ſurrexerant inter decem illa cornua ex beſtia, vtiq́ ex Romano imperio, quibus ſe immiſcuit velut intermedium cornu illud paruulum.

Contentio de vſu imaginum in templis.

Iam ſi propiùs inſpexerimus hiſtorias iſtorum temporum (quibus vt expoſui in Apocalypſi beati Ioannis apoſtoli, abſolui, debuerãt anni 666. quorum mentio fit Apoc. 13.) exorta eſt antea altercatio grauis, inter Orientis & Occidentis epiſcopos, de vſu imaginum, Chriſti, angelorum & ſanctorum in templis, liceret ne inferre in templa, in his retinere, & colere imagines? Certè Leo Imp. eius nominis 3. didicerat ex ſacris literis, non licere fidelibus habere & colere in templis idola: quapropter eiecit ea ex templis, & omnibus per imperium habitantibus vt idem facerent, mandauit. Habuit tunc Exarchum adhuc in Italia, Rauennę reſidentem imperator Græcus vel Conſtantinopolitanus. Vnde Rauennæ quoq́ & per totum exarchatum proponebantur etiam edicta imperatoria. His verò oppoſuit ſe Roman. papa Gregorius eius nominis 2. collectaq́ Italicorum epiſcoporum ſynodo, declarauit imagines in templis Chriſtianorum & retinendas eſſe & colendas, ideoq́ Imperat. diuerſum ſentientem cum Orientalibus excommunicauit. Vnde factum vt concitato tumultu apud Rauennates, exarchus Imperat. ſit cæſus, & totus exarchatus ademptus Imperatori. Habes quomodo cornu paruum vnum ex cornibus euulſerit atq́ exciderit. Nihil dum tamẽ eius Imperij cedebat adhuc pontifici. Alij em̃ exarchatũ occupabãt.

Childerychus deijcitur, Pipinus in regni adminiſtrationẽ euehitur.

Paulò poſt iſta tempora cum regnaret apud Francos Rex Childerychus, qui multis videbatur ſatis eſſe ignauus & parum aptus ad regni adminiſtrationem, quam moderabatur tunc præfectus prætorio, Pipinus, maior domus vel magiſter ſalæ aut aulæ, denicq́ Mareſchalcus, id eſt maior aut magiſter ſalæ quã vocant aulam, nuncupatus, quæſtio delata eſt ad Romanum præſulem Zachariam, & quid ipſi videatur æquum, ille ne vniuerſo præſideat regno, qui onus regni ſuſtinet, an is qui tantùm nomen inane regis gerit? Pronunciauit hac in cauſſa contra Childerychum pro Pipino pontifex, quo nomine ipſum ſibi totum obſtrinxit. Euectus eſt enim in regnum Francorũ Pipinus, Childerychus verò eſt deiectus & exutus regno detruſusq́ in monaſterium. Habes itaq́ in hoc regem verè humiliatum, ſicuti prædixerat futurum Daniel. Poſtea verò Pipinus à Stephano eius nominis 2. Papa, in Italiam inuitatus contra Aiſtulphum Longobardorum regem, exarchatum Longobardis ademit, & Põtifici Romano dono dedit, atq́ ita effecit vt Pontifices iam & principatum terrenum habere poſſiderẽq́, atq́ adeò in validum cornu excreſcere inciperent. Leguntur hæc paſſim in omnibus hiſtorijs de rebus regis Pipini editis. Succeſſit in

regno parenti Pipino Carolus ille magnus, qui & ipse illectus in Italiam à pontificibus, Italia Longobardos eiecit, & vltimum ipsorum regem Desiderium, occidit. Sic verò cecidit cornu tertium. At Leoni 3. papæ Carolus donationem maiorum & confirmauit & auxit. Ergo quæ fuerant aliquando Romani imperij propria & præcipua ac veluti cor, Roma vtiq; & vicina Romæ loca cũ exarchatu, ea iam omnia cesserunt pontifici ex donatione regum Francorum. Vnde iam cornu illud, id est rex nouus, ceu in regno nouo, imperitare cœpit, perq; successionem augere & retinere suum imperium per omnem Occidentem, omniaq; facere quæ facturum prædixere prophetæ.

Roma & optima Italiæ pars cedit Papæ.

Scio cur regi huic suo clerus triplicatam attribuat coronam, quam gerit in capite suo pont. Roman. Interim tanquam vana reijciendáue coniectura videri debet minimè, si dicamus propter euulsa, deiecta vel humiliata illa cornua tria, ipsum sibi vsurpare coronam suam triplicatam: adeoq; ea ipsa re Deum reuelare mundo, quis ille sit, de quo admonuit per Danielem, simul etiam admonere prophetiæ huius, vt ipsum rectè discamus agnoscere. Cum his nihil pugnat quod in Apocalyp. legimus huic duo duntaxat attribui cornua. Nam his significatur duplex potestas tam spiritualis quam temporalis vel corporalis. Et clauibus potestatem significari ipsimet affirmãt pontificij. Coniungit autem papa triplicatæ suæ coronæ, duas illas suas claues. Qua re Deus iterum nobis fatalem hunc regem aperit, monetq; vt ipsum caueamus.

Descriptio noui regis & regni.

Sequitur in Daniele vberior & diligentior huius regis regniq;, è Romano imperio enati & ad finem vsq; sęculi protensi, descriptio. Quod autem antea dixi, id hic repeto, me in præsentia adducturũ omnia quæ sparsim per vniuersam hanc visionem de hoc cornu dicũtur. Post eos, inquit, consurget alius, differens à prioribus. Nam priores sæculares fuerunt reges, hic noster non regẽ propriè sed pontificem & papam se nuncupat, potestatemq; sibi vendicat & in animas & in corpora, breuiter per omnia diuersus est à prioribus regibus & imperatoribus, id quod res ipsa loquitur, & conferenti palàm apparet. Cum admiratione verò subiungit Daniel: Et ecce oculi fuerunt in isto cornu, velut oculi hominis. Significat hac nota admirãdam fore astutiã calliditatemq; in hoc regno. Quòd si propiùs contempleris papatum, vbi obsecro inuenies homines exercitatiores & omnibus facultatibus instructiores ipsis pontificibus, episcopis, horumq; legatis? Mirifici sunt practicatores. Admirandi sunt in parandis opibus, in retinendis hominum amicitijs, & animis irretiendis, deniq; in ampliando & conseruando suo imperio, sua dignitate potentiaq;. Videmus enim pontificum & pontificiorum artibus effectum, vt imperatores & reges sint huius regis sumi, veluti vasalli, his præstant iuramenta, his deniq; pedes exosculãtur. Nõ dicimus nunc, quòd omnes scholas, omnes sectas vel ordines, omnes diœceses, omnia collegia, omnes deniq; status vel hominum ordines, in suam potestatem plenã redegerunt: & quòd hominum etiam corda & cogitationes sibi per auricularem confessionem aperuerunt. Quot obsecro hodie oculos & corycæos per vniuersum orbem habet Romanus Pontifex? Alij hunc locum interpretantes, In hoc differt, inquiunt, ab alijs cornibus, quòd oculos habet, & speciem gerit hominis, non trucem vultum & efferum, sed blandum, benignum, humanum & religiosum in speciem, &c.

Oculos habuit cornu.

Deinde tribuit Regi huic, Os loquens grandia. Mox subijcit propheta, Sermones ad latus, id est ad partem altissimi (als ob er vff Gottes syten sye) loquetur. Volet omnino is haberi, qui sit & stet & loquatur à partibus Dei, id est ea quæ sunt sancta, iusta, diuina. Non volet videri is qui est, aduersarius Dei. Ipse verò iactitabit se esse iudicem & assertorem omnium ecclesiarum, hostem malleumq;

Os loquens grandia.

leumq; hæresum & hæreticorum, vicarium Christi in terris, sanctissimum & beatissimum, successorem Petri & Pauli apostolorum, & qui in scrinio sui pectoris omnia iura teneat, qui denicq; errare non possit. Huc pertinent sententiæ, quæ in Decretis Decretalibusq; referuntur sub nomine Gelasij, Agathonis & Bonifacij 3.9. quæst. 3. Cuncta per mundum nouit ecclesia, quòd sacrosancta Romana ecclesia phas de omnibus habeat iudicandi, necq; cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellãdum est, ab illa autem nemo est appellare permissus. Dist. 19. Sic omnes sanctiones apostolicæ sedis accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuina voce Petri firmatæ. Extr. lib. 1. Tit. de maioritate & obedientia, Subesse Romano pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino esse de necessitate salutis. In Glossa de Transl. episcopi, Tit. 7. Quanto Papa dicitur habere cœleste arbitrium, & ideò potest sententiam quæ nulla est, aliquam facere. Quia in his quæ vult est pro ratione voluntas. Nec est qui dicat ei, Cur ita facis? Ipse enim potest supra ius dispensare, & de iniustitia facere iustitiam corrigendo iura & mutando. Nam plenitudinem obtinet potestatis. Huius generis alia infinita leguntur in papistarum libris. Quò minus mirandum est quod Daniel postea dixit, Tunc spectabam præcipuè propter vocem grandium sermonum quos cornu loquebatur. Antonius de Rosellis et Gabriel Biel Lect. 4. in Can. Missæ multis prosequuntur hanc huius regis insolentem fastuo famq; ac adeò prodigiosam grandiloquentiam. Attigimus obiter huius quædam Dec. 5, Serm. 3.

Idem arrogabit sibi, inquit Daniel, mutare tempora & leges. Siue, vt alij interpretati sunt, Et putabit se posse mutare tempora & legem. Rectè autem dixit, Putabit, aut arrogabit sibi. Reuera enim nullam eius rei potestatem habebit: & vt vulgò dici solet de ijs, qui vana sibi imaginantur & in ijs gloriãtur seq; efferunt, **er wirts whânen**. S. Hieronymus hunc exponens locum, ait, Antichristum suæ potestati subditurum vniuersam religionem. Verba eius commemorabimus in angeli expositione. Religioni autem veræ solus præest Deus verus, & in solum Deum respiciunt & in verbum eius, qui veræ religionis sunt cultores. At rex iste vsurpabit sibi potestatem in religionem. Instituet pro suo arbitrio ferias: nam & sanctos canonisabit. Instituet ieiunia ordinabitq; tempora, voletq; hoc esse sacrum, illud verò prophanum, in hoc licere has aut illas vsurpare res, in alio non item. Arrogabit sibi præterea & legum mutationem. Lege sua Deus prohibuit imaginum vsum ad cultum, idem inuocare & colere vetuit diuos, idem benedixit coniugio & liberũ esse voluit hoc omnibus. Vsum quoque calicis sacri, in Cœna sacra, propinauit omnibus & dixit, Bibite ex hoc omnes. At papa in his pro sua dispensat libidine, prætexitq; ecclesiæ nomen, quasi hæc diuersum statuat & iure statuere possit. Proinde iubet idola retinere & colere in templis, inuocare item & colere diuos. Prohibet ministris cõtrahere matrimonium. Affirmat sub vna panis specie tantum laicos percipere, quantum sub vtraq; sacramenti specie. Proinde vetat laicis calicis vsum, imò hæreticos & mendaces esse proclamat, qui cõtendunt vtramq; in cœna speciem à laicis quoque percipiendam esse. Infinita alia huius generis pontifex & rex ille facit: quibus si tempora & leges non mutat adeoq; & abrogat, fateor me nescire quid sit mutare & abrogare tempora & leges.

Mutat tẽpora, & leges.

Rex hic nouus magnificentior alijs videtur: Et paulò post dicit Daniel, Aspectus eius maior à suis socijs. Vtcunq; enim reges & imperatores, Persici in primis reges, pompa luxu & splendore fulserint, superat tamen hic pontifex et rex, omnes illos multis modis. Insidet hominũ humeris â quibus gestatur ceu

Magnificẽtior est reliquis principibus.

Deus, adoratur ab omnibus, procidunt ad eius benedictionem omnes, ceu ad Dei terrestris benedictionem, imò istum venerantur vt numen. Beatissimos se putant qui admittuntur ad oscula pedum eius. Ipse sese soli, Imperatorem lunæ comparat, & vt sol lumen infundit lunæ, ita ait omnem potestatem accipere Imperatores à pontificibus. Quoquo venias & te vertas, inuenias palatia pontificiorum & plura & instructiora palatijs principum huius seculi. Quid quod hic rex omnibus præsidet regibus, & omnes reges ab ipso pendent atq; reguntur? Qui hunc regem non adorant & ceu numen patremq; beatissimum obseruant, pro hæreticis & hostibus Dei religionisq; habentur ab illis.

Bellū gerit cū sanctis et vincit

Idem ille prælium facit cum sanctis excelsi, & prævalet eis. Et iterum, Sanctos excelsi inquit Daniel, implicabit vel conteret. Id quod Daniel non sine singulari admiratione & dolore aspexit. Sancti & vncti excelsi, sunt reges ac principes à Deo ad gubernationem vocati. Hos vexauit papa mirū in modum omnibus sæculis, & his grauia bella intulit rex ille nouus. Longum esset hic commemorare, quantis & quàm cruentis crudelibusq; & atrocibus bellis pontifices fatigarint & attriuerint Heinrychum 4. Imp. Friderychum primū & secundum eiusq; liberos vel nepotes, Ludouicum eius nominis 4. Imp. Ladislaum regem Hungariæ & multos alios principes. Vix nostra memoria, aut sæculis iam aliquot, horrendum aliquot bellum gestū esse legas aut audias, cuius author non fuerit rex hic & pontifex cum suis. Sancti præterea sunt omnes qui baptismo, spiritu sancto & sanguine Christi sunt sanctificati, qui si Romanam tyrānidem & idolomaniam non agnoscant, delentur protinus, aut affliguntur ferro, igni, & tormentis quibuslibet. Prævalet autem vincit & fortiter in cathedra illa sua considet, triumphans de filijs inobedientibus. Semper in ore habet, Nauiculam Petri vndis quidem posse quati, mergi autem non posse. Nullos item principes contra Romanam sedem feliciter vlla gerere aut gessisse bella. Iulius 3. monetę suæ inscu!pebat, Gens & regnū, quod non seruierit tibi, peribit: turpiter vtiq; prophetæ verbis abutens, &c. Interim propter hos triūphos & perpetuas hasce victorias iactitat sedē suam fundatam esse à Deo, totumq; suum regnum, mores & instituta prorsus diuina esse omnia. Et quidem qui hæc Danielis verba non probè expendunt, grauiter offenduntur & implicantur, nescientes propè quò se vertant.

Quousq; duraturum sit hoc regnum.

Sed quousq; regnabit tandem hoc regnum & hic rex, & quousq; opprimet sanctos excelsi? Respondet Daniel & dicit, Tradētur in potestatem eius ad tempus ad tempora & ad dimidium temporis. Quæ quidem est ænigmatica loquutio, quam explicaui in Concionibus meis ad Apocal. Sensus est, Durabunt hæc vsq; ad ea tēpora, quæ Dominus in sua potestate habet ac solus nouit, ad ipsum inquam vltimum iudicium vsq;. Ergo tempus hoc quoad Deum satis est certum, quoad nos incertum est. Apostolus enim ad Thessal. antichristi regnum producit vsq; ad aduentum Domini in iudiciū. At nouimus ex doctrina euangelica, diem iudicij nemini esse notum, nisi Deo soli. Ergo scriptura quādo vult ostendere certum tempus rei alicui præfixum esse apud Deum, quod tamē homines scire non possimus, sed Deo totum committere debeamus, siue ille diutius differat, siue citius veniat, certi quòd aduenturus sit opportuno tempore, vtitur ænigmatico illo dicendi genere, Ad tempus & tempora & dimidiū temporis. Manifestissimè enim Daniel in præsenti dicit, quod ænigma eius exponit, Donec veniat antiquus dierum Et iterum, Iudiciū sedit: & dominatum ei, corniculo inquam, ademerunt, vt penitus vastetur & perimatur. Et rursus, Bestia sublata est, & corpus eius peremptum, ipsaq; proiecta in rogum ignitū. Id quod nō tantùm de veteri Romano imperio dixisse, sed de nouo quoq; illo papistico

piſtico regno intelligendum eſſe, author eſt beatus Ioannes Apocal. cap. 19. Di dicimus ergo regnum illud nouum exortum ex veteri illo, duraturũ ad aduen tum vſq; Domini, in iudicium, id eſt, vſq; in finem ſæculi. Apoſtolus enim, Dies Chriſti non veniet prius, inquit, quàm è medio tollatur, nimirum vetus illud im perium, & tunc patefiet iniquus ille, quem Dominus conficiet, (ἀναλώσει id eſt, ad nihilum rediget) ſpiritu oris ſui (doctrina nimirum euangelica) & abolebit claritate aduentus ſui. Oramus itaq; te domine Ieſu, vt venias, eccleſiam tuam aſſeras, & inuocantes te expectantesq; aduentum tuum ſummo cum deſiderio, liberes. Amen Amen.

HOMILIA XXXVIII.

Spectabam vſque dum throni erecti ſunt, & antiquus dierum ſedit, cuius veſtimentum candidum erat, ſicut nix, & capillus capitis eius, vt lana munda: cuius thronus flammæ ignis, & eius rotæ ignis flagrans. Igneum flumen dimanabat egrediebaturq; ab eo: millies mille miniſtrabãt ei, ac decies mille myriades ante ipſum ſtabant: cumq; iudicium conſediſſet, libri aperti ſunt. Tunc ſpectabam (maximè) propter vocẽ grandium ſermonum, quos cornu loquebatur, ſpectabamq; tam diu, dum ſublata eſt beſtia, et corpus eius peremptum, ipſaq; conjecta in rogum ignitum. Cæterùm animalia reliqua depoſuerunt dominatum ſuum, & illis conceſſa eſt diuturnitas in vita, vſq; ad tempus et tempora. Spectabã in viſionibus noctis, & ecce veniebat in nubibus cæli quidam ceu filius hominis, qui vſq; ad antiquũ dierũ peruenit, eumq; adduxerunt ante illum. Et poteſtas eſt ei tradita, & honor & regnum: vt omnes populi, nationes & linguæ ſeruiant ei: cuius poteſtas eſt poteſtas æterna, quæ non auferetur, cuius regnũ nunquam deſtruetur.

PLurima hactenus audiuimus de beſtiarum & maximè corniculi illius exaltati truculentia & blaſphemia inſolentiaq; nepharia & intoleranda: ſubiungitur ergo nunc ad conſolationem ſanctorum, qui in afflictionibus iſtis tentantur grauiter, ſeptimo huius uiſionis loco, diligens iudicij Dei iuſtiſſimi & extremi, quo ſingulis, quæ fecerunt, per corpora ſua, ſiue bonum ſiue malum, rependetur, deſcriptio. Erit hoc tempus iudicij, reſtitutio, ut Petrus ait omnium, veriſſimaq; ſanctorum liberatio vel aſſertio pleniſſima & ideò gaudio refertiſſima. Audiemus itaq; omnia in orbe & vniuerſo mundo regna tollenda & peritura, ſanctos autem & regnum ſanctorum duratura in ſempiterna ſæcula. Ac inuenias aliàs quoq; in doctrina euangelica & apoſtolica hunc locum de iudicio & rependente Deo vnicuiq; pro ſuis ſtudijs, ceu anchoram figi ſacram ſanctis in omnibus tentationibus ac tribulationibus. Nec eſt ſanè aliud quod conſoletur validiùs pios.

Conſolatio ſanctorum pleniſſima.

Iudex imponitur in thronũ antiquus dierum, pater vtiq; Deus, nimirum vt ſub huius perſona oſtendatur iudicium Chriſti futurum fore diuinum & iuſtiſſimum. Nam pater alioqui non iudicat, ſed mox omnem poteſtatem iudicandi quoq; filio hominis tradit; qui quæ iudicat diuino æquiſſimoq; iudicio iudicat, ſuæ.

Chriſtus veniẽs in gloria ſui patris ſedet in ſede maieſtatis

Ioan.5. prout vtiq; accepit à patre. Et dominus Iesus ipse in euangelio Ioannis, Pater, inquit, non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Qui non honorat filium, non honorat patrem, qui misit ipsum. Et mox, Sicut, inquit, pater vitam habet in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicandi quoque, quia filius ille (nimirum de quo Daniel dixit) hominis est. Egregiè ergo inter se distinguuntur personæ patris & filij, & non confunduntur. Alius enim est pater, alius verò filius. At æqua potestas vtriusq; est. Quia coæquales, consubstantiales & coæterni sunt. Nam alibi quoq; ait Dominus, Ego & pater vnum sumus. Sed & audiuimus modò honorandum esse filium vt patrem: habere in semetipso filium vitam, vt patrem. Ergo licet audiamus filium aliquid accepisse & patrem filio aliquid dedisse, nõ inde colligitur quòd inæquales sint, & quòd filius non ab æterno habuerit eam potestatem, quam in tempore accipit à patre. Quid enim clarius est, quam quod ipsemet Dominus dicit, Et nunc glorifica me tu pater apud temetipsum gloria, quam habui priusquam hic mundus esset apud te? Dispensationi ergo tribuimus quod accipere filium & dare patrem audimus, vt nihilominus coæquales & coæterni sint, & æqua sit illis potestas: ergo cum hic audimus adumbrari æquissimum iudicium patris, intelligimus per veram fidem, iudicium hoc & Christi esse, ideoq; & æquissimum iustissimumq; esse: & filium sedere in gloria patris & in sede maiestatis cum sedet iudex viuorum & mortuorum.

Ioan.10.

Ioan.17.

Ante omnia vt superiorum omnium, ita huius vltimæ partis huius visionis diligentissimum spectatorem se fuisse significat, in hoc nimirum, vt omnes spectatores, auditoresq; ad diligentiam excitet non imparem. Fructum enim non pœnitendum referunt ex his diligentes. Ac mox apparatum iudicij diuini incipit describere, humano more, perinde ac si Imperator aliquis cum pompa vel maiestate imperatoria accedat ad thronum suum iudicaturus. Dicit itaque thronos vel subsellia iudicum esse posita vel erecta. Vbi obseruandum est, scripturam ponere thronum quendam sublimem omniumq; maximũ, deinde adiungere huic & alia iudicum subsellia. Nam Apocal.20. legitur, Et vidi thronũ magnum, candidum & sedentem super eum. Nam & in euangelio secundum Matthæum cap.25. dicitur Christus sessurus in solio gloriæ suæ. Et iterum legitur Apocal.20. Et vidi thronos, & sederunt super eos & iudicium datum est illis. Nam & angelus in expositione huius visionis mox subijciet, Porrò iudicium consedit. Et in euangelio secundum Matthæum dicit Dominus, Amen dico vobis, quòd qui secuuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israelis. Diuersissima verò ratione tribuitur iudicium Christo domino, & sanctis eius. Christus enim iudicat vt iudex verus & vnicus, sententiam pronuncians contra omnes impios. Apostoli vel sancti non iudicant potestate iudiciaria, quam sibi non vsurpant, rapientes eam Dei filio, cuius solius est, sed iudicant ceu testes. Vt enim cathedras habuerunt in terris apostoli, ex quibus euangelium prædicarunt, ita in cœlis tempore iudicij thronos habebunt, in quibus illi ipsi appareant, qui olim apparuerunt ex cathedra sacra, vt agniti à suis auditoribus, iudicentur ab ijs ut iudicibus, quos doctores & patres habere noluerunt. Testes enim iam sunt iustæ istorum condemnationis, olim prædictæ ab ipsis his sanctis. Nam sapientiæ tertio & quinto capite legimus, Iusti fulgebunt, & iudicabunt nationes, stabuntq; in magna constantia contra eos, qui ipsos tribulauerunt. Videntes turbabuntur horrore terribili, & mirabuntur. Et reliqua quæ ibi leguntur. Daniel ergo dicens subsellia fuisse

Apparatus diuini iudicij more humano describitur.

Throni iudicũ in hoc iudicio.

Matth.19.

fuisse posita, significat omnia ad iudicium pertinentia fuisse abundantissimè instructa.

Itaq; considet iam antiquus dierum. Antiquum dierum, id est senem nuncupat propheta Deum, propter visionem formasq; quas cernebat. Alioqui scimus Deũ neq; humana habere membra, qui spiritus est simplicissimus purissimusq;, neq; homini seni & imbecillo similem esse. Damnatur hæc opinio vt prava ab apostolo ad Rom 1. Significatur ergo per senium exactissima prudentia, alienissima à iuuenilibus alijsq; ineptis affectionibus, & quòd iudicium illud diuinum & extremum sit futurum sapientissimum, iustissimum, æquissimumq;. Postea traditur filio hominis hoc iudicium, ipseq; verus Deus & homo iudicat: atq; ita dicitur sedere in gloria patris, inq; sede maiestatis Dei. *Considet antiquus dierum.*

Huc pertinet vestis candida, & candida quidem sicut nix, qualis conspicitur & in Christo dum glorificaretur coram discipulis suis in monte. Significatur enim non tam gloria iudicantis, quàm pronunciatorum vel iudicatorum integritas, veritas atq; puritas synceritásue. Hoc ipsum adumbratur & per capillos, mundissima lana mundiores tersioresq;. Nam nulla est iniquitas apud Deum. *Vestis candida*

Iam ipse thronus, & rotæ throni (videtur enim currui insistere thronus, & huiusmodi quidem currui, qualis apud Ezechielem depingitur, & ita omnipotentia immensaq; virtus Dei adumbratur) ignea sunt omnia, adeoq; igni flagrant. Deniq; dimanat & egreditur ex eo flumen igneum. Ignis vindictæ symbolum est. Sunt ergo vires iudici nostro vindicandi & puniendi hostes suos. Ex ore eius procedet ignea prorsus sententia, Ite in ignem æternum vos maledicti, qui paratus est diabolo eiusq; complicibus siue seruis, vt ardeatis in sempiternum. *Ignea circum iudicem omnia*

Reges & iudices terreni suos habent exercitus, ministros ac apparitores. Nostro regi & iudici non desunt ministri, & quidem innumeri. Ponitur enim certus licet ingens numerus vt alibi quoque 12 legionum, & intelligitur incertus. Quis enim numerauerit copias angelorũ? Hac parte iterum ostenditur iudicis potentia, qui ita est instructus, vt iudicium possit subterfugere nemo, nemo item possit pronunciatam spernere aut reijcere sententiam, aut suis viribus ex ea se extricare. Huc respexit Dominus in euangelio, quando dixit Futurum est vt filius hominis veniat in gloria patris sui, cum angelis suis: & tunc reddet vnicuiq; secundum facta sua. Et iterum, Quem mei meorumq; sermonum puduerit in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & filium hominis vbi venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. Rursus item. Et videbũt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute & gloria multa. Et mittet angelos suos cũ tubæ magna voce & congregabunt electos eius, &c. Item, Cum venerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur coram illo omnes gentes, &c. Et apostolus, Reuelabitur Dominus Iesus de cœlo cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, & reliqua 2. Thes. 1 cap. Cum verò angeli dicuntur stare ante iudicem, innuitur illos esse paratos ad obsequia spontanea, expeditosq; esse in omnem euentum. Omnes enim creaturæ nedum angeli obediunt creatori suo, facientes quæ voluerit. *Mille millia assistunt ei.* *Matth. 16.* *Marci 8.* *Matth. 24.* *Matth. 25.*

Compositis autem ad iudicandum rebus omnibus & considentibus iam iudicibus proferuntur libri in mediũ, explicantur atq; leguntur, deniq; & secundùm eos iudicantur iudicãdi. Allusio fit ad iudicia terrena capitalia, in quibus recitatur ex charta confessio accusati vel rei. In Apocalypsi scribuntur & explicantur hæc copiosius, Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu Dei: & libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est vitæ, & iudicati sunt *Aperiuntur libri.* *Apocal. 20.*

mortui ex his quæ scripta erant in libris illis, secundùm opera illorum. Ergo attribuitur more humano liber Deo, non quòd opus sit illi vllo libro, aut habeat librum, sed significatur facta, dicta cogitataq; hominũ in recenti esse apud Deum memoria, illaq; aliquando in iudicium proferenda omnia. De qua re dixi & in Apocal. Quinimò exprimitur iam, quod in iudicio est præcipuum, iudicium vel condemnatio impiorum in corpore bestiæ connexorum. Pronunciat enim iudex mortis æternę sententiam contra omnes impios, contra Antichristianos, Turcas, Iudæos & quoslibet incredulos & impœnitentes. Singulariter tamen Daniel, quod solent omnes pij, contemplatur diligenter paruum cornu, & admiratur quòd Deus tam diu ferat grandia illa blasphemaq; verba, miratur quis finis tandem futurus, & quæ sequutura pœna tantis digna execrabilibus abominationibus. Concurrunt enim hic grauissima imò infanda quæque scelera, blasphemia, idololatria, perfidia, apostasia, oppressio miserorũ, sanguis vel parricidium, omnis generis execrabilis luxuria, sodomia, crapula, auaritia extrema, cum simonia & sacrilegio, quibus omnibus & pluribus adoperti sunt homines & in regno illo peccatore, & in vniuerso mundo immundissimo. Quid ergo mirum si omnes sancti diligentissimè inspiciant & cupidissimè scire cupiãt, quis tandem finis iniuriarum & abominationum, quæ denicq; pœna tantis infligenda sceleribus? Quid ergo? Pronunciatur è cœlo & ex nubibus à filio Dei & hominis contra istos omnes iustissima sententia. Quid autem fit à pronunciata sentẽtia? Bestia est sublata, corpus peremptum, & proiecta in rogum ignitum vel in combustionem ignis, id est, vt igni torqueatur & vratur perpetuò. Tria itaq; dicit, Quartum videlicet regnum & quod ex eo surrexit corniculi imperium, fore abolendum. Deinde corpus eius fore perimendũ. Corpus sunt complices antichristi, omnes hostes Christi & euangelij, increduli, hypocritæ, idololatræ, sectarij, hæretici, & impij ac sanguinarij, illi omnes damnabuntur iusta iudicis sententia. Postremò exponitur etiam modus quo sint puniendi, incendio sempiterno. De hoc qui cupit euidentiora & copiosiora, legat Apocalyp. 17. cap. sub finem. Interpres angelus sub finem explicationis huius visionis dicit quod hæc nostra etiam illustrat, Et potestatẽ ei ademerunt, vt dissipetur atq; perdatur vsq; in finem, id est, penitus. Et hæc quidem hactenus de fine & pœna regis regniq; Antichristi.

Bestia proijcitur in ignem.

Aliæ bestiæ deposuerunt dominatum.

At dicat hic aliquis, quid oro factum est cum alijs tribus bestijs, quò tandem peruenerunt? Præoccupat hoc & ait, Alia animalia deposuerunt dominatum suum, &c. Regnarunt enim imperia illa quousq; Dominus eis dedit regnare, & quousq; vitam eis concessit. Indefinitum iterum tempus notatur per tempus & tempora. Non negat autem impios ex his imperijs etiam perijsse, æternaq; morte damnatos esse, sed innuit nullũ ex omnibus regnis tam horribilem consequutum esse exitum, atq; regnum illud quartum, & quod ex ipso enatum est corniculum. Nam nullum ex omnibus & idololatriam & omnis generis scelera promouit studiosius, nullum effudit plus sanguinis sanctorũ vel Christianorum, quàm hoc postremum. Vnde & grauius meruit puniri. Discamus autem hinc refugere à corruptionibus falsæ doctrinæ aut postremi huius sęculi corruptissimi, quod ipse quoq; Dominus nos docet Apocal. 18. nisi & pœnarum eius participes esse velimus. Discamus omnia in mundo regna, omnem regnorum potentiam, fastum, pompam & vanitatem, vnico interire momento: regnũ verò Christi regnum esse æternum. Fugiamus ergo mundum immundum, vt inueniamur in ęterno sanctissimoq; Christi regno, in quo nulla est impuritas, &c.

Christus est iudex viuorũ & mortuorum.

His ad hunc modum expositis, subiungitur plenior explicatio Iudicis sedẽtis in sede & in gloria patris, hactenus descripta, cui videlicet à patre tradita sunt

sunt omnia, & qui à patre constitutus est iudex viuorum & mortuorum. Is est Iesus Christus Dominus noster. De hoc confitemur in symbolo apostolico, E cœlis venturus est iudex viuorum & mortuorum. Visio autem illa obuenit vati per noctem, non propter electos, qui tunc eruti ex tenebris erunt in luce & glorificabuntur, sed propter reprobos & impios, quibus omnis hactenus in mundo habita felicitas, conuertetur in tristissimas tenebras. In iudice viuorum & mortuorum significatur fore gemina natura, diuina videlicet & humana in vna persona. Nam iuxta diuinam dicitur peruenire ad antiquum dierum. Quo genere locutionis denotat filium hunc iudicem, patri esse coæqualē: sicuti manifestè dicitur Ioan. 5. cap. Accedere enim ad similitudinem dicuntur, quę prorsus inter se sunt similia. Nam de rebus & personis dissimilibus vulgò dicitur, Ea ad istam nunquam perueniet vel accedet, pro eo quod est, nulla erit inter illas similitudo & cōgruētia. Ac in Germanica quoq; lingua dicimus, Er mag jm nit zů. Es kumpt jm nieman zů: das ist es/oder er ist jm nit glych. Proinde cum dicitur, Filius peruenit vsq; antiquum dierum, perinde est ac si dictum fuisset, filius coæqualis est patri, eiusdem cum eo naturæ, potentiæ, ac maiestatis, ergo & Deus verus. Iuxta humanam verò naturam dicitur filius hominis, nimirum homo verus, ex vero homine, Maria vtiq; virgine, progenitus. Quod autem additur particula Ceu, diciturq; non simpliciter filius hominis, sed ceu filius hominis, naturæ humanæ non adimit suam veritatem, aut similitudinem duntaxat hominis, non naturæ veritatem exprimit, sed innuit potius, eo tempore quo hæc vidit Daniel, nondum fuisse filium hominis, nascendū verò tempore suo filium hominis, Galat. 4. Venit autem hic iudex noster in iudicium in nubibus cœli, veluti cœli & vniuersorum Dominus. Certè in euangelio dixit Dominus ipse, A modo videbitis filium hominis sedentem à dextra virtutis, & venientem in nubibus cœli. Et angeli ascendente in cœlum domino, Hic Iesus, inquiunt, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, sicut eum vidistis euntem in cœlum. Ergo quod appenditur, Eumq; adduxerūt ante illum, significat assumptionem vel ascensionem filij hominis in cœlū. Loquitur enim humano more, perinde ac si ante imperatorē & regem adducatur filius à principibus. Ipsum verò sese intulit in cœlum dominus noster Iesus Christus, nec opus habuit vt quisquam ipsum patri præsentaret. Ascendendo autem accepit omnem potestatem etiam iudicandi vniuersum orbem.

Matth. 29. *Acto. 1.*

Id quod significantius exprimitur à propheta verbis consequentibus, Et potestas ei tradita est, gloria & regnum. Tribus verbis complexus est omnē diuinam gloriam atq; maiestatē. Quinimò adiungit illis adhuc clarius, Omnes populi, nationes & linguæ seruient ei. Id quod Apostolus ad Philip. 2. cap. sic exposuit, Deus extulit illum in summā sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat cœlestium, terrestrium & infernorum, omnisq; lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei patris. Nam & ipse in euangelio dixit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, &c. Additur præterea, Potestas vel dominatus eius æternus est: & per interpretationem subiungitur, Qui non auferetur vel interit, & cuius regnum non destruetur. De qua re disseruit & Apostolus in 1. ad Corinth. cap. 15. & sequentur quædam in expositione angeli sub finem capitis. Quæ omnia cum sint certissima, consolantur in his se fideles, in spiritu sancto, & patientius ferunt vniuersas illas suas tribulationes, quibus sub finem vsq; sæculi ab antichristo exercebuntur, scientes tribulationes quibus affligun tur momentaneas esse, regnum verò Christi ad quod vocantur, sempiternum. Christo sit laus & gloria.

Data est omnis potestas Christo domino.

Matth. 28.

Defecit in medio mei Danielis ſpiritus meus, &c uiſa capitis mei terruerunt me. Itaq; accedens quendam ex aſtantibus, rogabam ex ipſo ipſam ueritatem in hac re: qui mihi dixit, &c uerborum interpretationem mihi expoſuit. Quatuor illæ beſtiæ quatuor reges ſunt, qui conſurgent de terra. Sancti autem excelſi accipient regnum &c poſſidebunt regnum in ſæculum &c uſq; in ſæculum ſæculorum. Poſtea uolui habere certam notitiam de beſtia quarta, quæ multum ab alijs omnibus diuerſa, in primis formidabilis fuit, quæ dentes habuit ferreos, &c ungues æreos, quæ deuorauit &c comminuit &c reliquum ſuis pedibus proculcauit. De cornibus quoq; decem in eius capite, &c de alio quod conſurgebat, &c quare caderent tria à facie eius, &c cur cornu illud haberet oculos, &c os loquens grandia, cuius aſpectus maior erat ſocijs ſuis, &c quod cornu me ſpectante prælium fecit cum ſanctis, &c prævaluit eis, donec uenit antiquus dierum, &c iudicium datum eſt excelſis ſanctis, &c præfinitum aduenit tempus, &c ſancti regnum poſſidebant. Sic autem dixit ille, Beſtia quarta eſt regnum in mundo quartum, quod diuerſum erit ab omnibus regnis, et deuorabit terram totam, eamq; conteret &c comminuet. Cornua uerò decem (ſignificant) quod ex eo decē reges conſurgent: &c poſt eos ſurget alius, eritq; diuerſus à prioribus, &c humiliabit tres reges. Et ſermones ad latus altiſſimi loquetur, &c conteret ſanctos excelſos, &c putabit ſe poſſe mutare tempora &c legem, &c tradentur in manum eius, ad tempus tempora &c dimidium temporis. Et iudicium conſedit, &c poteſtatem ei ademerunt, ut penitus uaſtetur &c perimatur. Populo autem ſanctorum excelſorum tradetur regnum &c poteſtas &c amplitudo regnorum ſub toto cælo: cuius regnum eſt regnum æternum, &c omnes poteſtates ſeruient ei &c obedient. Hucuſq; finis ſermonis: Me uerò Danielem uehementer cogitationes meæ turbarunt, &c mea forma in me eſt mutata. Seruaui autem uerbum in corde meo.

Quomodo affectus Daniel ex hac uiſione.

OCtauo & vltimo huius Viſionis loco exponitur à Daniele quomodo affectus ſit ipſe propheta ex hac Viſione hactenus enarrata, & quam eius interpretationem angelus ipſi reddiderit. Alienatus vel ſucciſus, euanuit vel excidit, inquit, ſpiritus meus, ego Daniel, in vagina. Id quod alij verterunt in ventre, alij in corpore meo. Sicut enim vagina conditur ferrum, ſic in corpore animus inhabitat. Et vt ferrum aliquando excidit vagina, ita animus deficit in corpore. Deficit autem cum patitur deliquiū, wenn einer von jm ſelbs kompt. Euenit hoc hominibus cum malis repentinis adobruuntur, aut doloribus maximis coartantur, aut grauiter alioqui percelluntur & terrentur. Et propheta ſubiungit, Et viſa capitis mei perterruerunt ac perturbarunt me. Grauiſsimè ergo

ergo Daniel ad iſtam affectus eſt viſionem, adeò vt præ nimio terrore doloreq; ſibi quodammodo ereptus, animi deliquium paſſus ſit. Cauſa in promptu eſt, cupiebat vnicè promotam vel propagatam Dei gloriam, dilexit populũ ſuum, pijſq; optimè voluit & optima quæque precatus eſt. At vidit in hac viſione, in monarchijs iſtis, Deum & veram Dei religionem continuis prophanandam foreblaſphemijs, idololatriam verò & omnem impietatem cum ſuperſtitione orbi obtrudendam. Vidit ſanctos Dei miſerrimè diuexandos, excruciandos & infandis tormentis atterendos atq; dilacerandos. Licet enim non omnia ſignificanter adhuc intelligeret, ex ſumma tamen vniuerſa tale quidpiam ſuſpicari & vereri potuit. Chalybei ergo fuerimus & Marpeſia cautè duriores, quicunque cernentes palàm & audientes quotidie, quæ patiuntur ob euangelium Chriſti fideles, & quantis conuitijs proſcinditur euangelium Ieſu Chriſti, ſi nihil tamẽ ad ea commoueamur. Vidit Daniel vmbram duntaxat horum, quæ iam ſæculis aliquot facta ſunt & fiunt adhuc in horas, & commotus eſt tam vehementer, nos rebus ipſis ob oculos nobis collocatis, ne tantillum quidem afficimur. O tempora & mores.

Cur ita territus ſit propheta.

Cernebat ergo hac viſione ſibi res graues luctuoſasq; exhibitas eſſe, ſingula tamen nondum capiebat, at quàm maximè quid ſingula ſignificent edoceri cupiebat. Ergo conuerſus ad aſtantium quempiam rogat vt is ei myſterium exponat. Loquitur autem de aſtantibus ad thronum iudicis. Dixit enim miniſtrorum multa millia aſtare ad thronum Dei. Proinde interrogat angelum quempiã, qui haud dubiè à Deo ordinatus erat, vt eſſet myſtagogus & viſionis huius interpres. Vnde & facilem ſeſe prębuit prophetæ, protinusq; ipſi explicat exactè & perſpicuè omnia: nimirum, vt & Viſio hæc vnà cum ſua interpretatione, per Danielem inferretur in eccleſiam Dei, eſſetq; doctrina perpetua admonitio & conſolatio omnium fidelium per omnia ſæcula ad finem vſq; ſæculi.

Daniel doceri cupit.

Diſcimus ex hoc loco caligare oculos & ſtupere animos noſtros ad res diuinas, ita vt niſi cœlitùs detur interpres, diuina oracula minimè ſimus intellecturi. Hæc eſt autem ex primo illo lapſu parentis noſtri miſeria noſtra atq; corruptio. Proinde caueamus ne ingenijs noſtris quicquã hic tribuamus: oremus potius Dominum, vt ille miſſo in pectora noſtra ſpiritu ſancto, nos illuminet & per verbum ſuum dirigat, ipſumq; verbum ſuum ad ſalutem noſtram nobis aperiat. Benignus eſt hac in re Dominus erga eos qui ipſum inuocant & quærunt in veritate, qui inquam quærunt Dei gloriam non ſuam, qui quærunt ſalutem ſuam & non vtilitatem priuatam ac carnalem, cupidi ad explendas ſuas cupiditates, denicq; qui quærunt in verbo à Deo pacem & ſanctimoniam. His apparet Dominus, & aperit ſe & ſua myſteria, per ſpiritum, per verbum idoneoſq; verbi interpretes. Certè Danieli viro ſancto & Deum timenti, diligentiq; dantur ſubinde interpretes angeli, vt apparet in hoc cap. in 8. itẽ, in 9. & in alijs. Chriſtus ipſe diſcipulis ſuis frequentiſsimè, perſpicuè & diligenter rogantibus expoſuit ſua myſteria. Miſit idem Æthiopi Philippum, qui ei Iſaiam exponeret, & ad Chriſtum conuerteret illum: quod narrat Lucas in Actis cap. 8. Non ſolùm autem iſta fecit Chriſtus pauculis iſtis, quinimò omnibus inuocantibus eum in veritate & quærentibus in ſyncritate, mittere vult doctores & interpretes ſanctæ voluntatis ſuæ in verbo. Caueamus ergo ne corruptis affectionibus noſtris, præcludamus viam venientibus ad nos ſanis doctoribus fidelibusq; interpretibus, à Deo ad nos miſsis.

Opus eſt nobis interpretatione oraculorum Dei.

In interpretatione Viſionis huius, principiò generalia explicat, deinde deſcendit, occaſionem ipſi prębente propheta, ad ſingularia. Ergo in genere dicit, Quatuor iſtæ beſtiæ quatuor ſunt reges. Id eſt, per beſtias quatuor, adumbran-

Angelus exponit quid per 4. beſtias intelligamus.

tur quatuor regna, quæ dominabuntur in terra. Nam per Reges intelligenda esse regna, & non tantùm quatuor personas regum, illud euincit, quod mix disertis verbis dicit, Bestia quarta est quartum in mundo regnum. Reges verò dixisse videtur, quòd singulæ monarchiæ plures suos reges habuerunt. Babylonica enim 3. habuit, Persica 10. Græca multò plures; scissum est enim in regna quatuor. Multò illis plures in Romano imperio imperauerunt. Appendit his quatuor monarchijs, Sancti autem excelsi accipient regnum, &c. Ea verò sententia docet angelus ecclesiam per omnes istas monarchias in mũdo futuram. Vtut enim omnes monarchiæ diuexent, excarnificentq́, atq́ adeò excindere cupiant ecclesiam, nunquam tamen excindendã fore, imò permansuram hanc non modò per omnia singulaq́ mundi sæcula, sed & in æterna sæcula. Id quod haud dubiè adiectum est ad consolationem sanctorum, ne dum cernunt inuictam propè regum per monarchias huius sæculi potentiam, timeant per ipsos regnum Christi excindendum fore. Testantur autem historiæ sub monarchia Babylonica, Persica, Græca & Romana, ecclesiam grauissimè quidem afflictã & tantùm non oppressam esse à tyrannis varijs, at semper emersisse illam nihilò minus & saluam incolumemq́ permansisse, gloriã Dei verbumq́ veritatis prædicasse, Deumq́ & Christum eius confessam esse & laudasse, atq́ ita etiam hostes ecclesiæ esse prostratos, & in extremam confusionem adductos. Alij hunc locum interpretantur, quasi bestiæ illæ regnum sanctorũ sint occupaturæ, vsurpaturæq́ regnum sibi, quod debeatur sanctis. Quod quàm aptè dicant nescio. Regnum enim reges isti terrenum occupant, cum Christi & sanctorum regno nihil cõmune habent. Quòd si intelligant reges terrenos occupaturos Christi regnum vel sanctorum, id est, afflicturos fideles, nõ multum à superiore nostra interpretatione discrepant.

Ecclesia semper in mundo futura.

Singulariter cupit erudiri de bestia quarta.

Desiderat autem propheta Dei singulariter erudiri de bestia quarta quid portendat. Cernebat enim hanc viribus, maiestate, diuturnitate, adde & crudelitate reliquas omnes antecellere. Cernebat eminere ex ea cornua decem: & inter decem illa cornua protuberare paruum cornu, quod deiectis alijs cornibus tribus, emerserit, insolentissimeq́ nec nõ truculentissimè, impijssimeq́ sese gesserit. Cernebat præterea iudicium consedisse, & reliqua quæ in ipso acta sunt iudicio. Repetuntur hic ea quæ antea & dicta sunt & exposita. Nolo itaq́ multis repetendo eadem ingerere molestiamq́ vobis exhibere.

Breuiter tamen recolligam hæc disponamq́ in ordinem, quò tenacius animis omniũ inhæreant, perq́ collationem cum superioribus rectius intelligãtur.

Bestia quarta.

1. Bestia quarta, inquit angelus, est regnum in mundo quartum, Romana nimirum monarchia, multum differens à regnis prioribus, non vno tantùm nomine. Eadem horrenda est ac formidabilis, ob truculentiam in primis. Habet dentes ferreos, & æreos vngues. Nam orbem terrarum deuorat, comminuitq́, & quod non deuorauit, petulanter pedibus proterit penitusq́ proculcat.

Decem cornua

2. Ex hac bestia oriuntur decem cornua vel capita. Nam ex Romano imperio discisso, emerserunt in orbe regna plurima, quæ & Romam oppugnarunt, & ipsa inter sese acerrimè conflixerunt. Inspiciantur historiæ Romanorum de rebus Arcadij, Honorij & Theodosij scriptæ, ab anno Domini 412. vsq́ ad tempora Heraclij ad annum Domini 612 apparebitq́ in quot regna Romanum Imperium fuerit dilapsum.

Cornu paruulũ protuberans è medio cornuũ.

3. Cæterùm è medio cornuum enascitur aliud quodpiam cornu paruum, rex inquam alius, per initia non magnarum virium, Papa inquam, qui successu temporum, Papatum condidit. Differt & hic rex ab omnibus prioribus permultùm, non vno tantùm nomine, maximè verò quòd potestatem sibi vsurpat

in cœlo

in cœlo & in terra, gladiumq; gerit duplicem, cùm ſpirituale, tum temporalem. Vnde mirum non eſt, quòd aſpectus (daß ſin anſehen) illuſtrior eſt regibus, cum ipſo, aut tempore illo, quo ipſe imperitat, regnantibus. Ianitor enim & claui ger cœli, & caput eccleſiæ in terris, Chriſtiq; vicarius ſalutatur, pompamq; habet incredibilẽ, &c. Oculos hoc præterea cornu habet. Os habet inſtructum ad grandiloquentiam. Loquitur vt is, qui non vult videri aduerſarius Chriſti, ſed qui ſtet loquaturq; à partibus Dei, Chriſtiq; gloriam vendicet contra hæreſes atq; hæreticos. Arbitrabitur item ſe poſſe mutare tempora ac leges. Certè Hieronymus, In tantam, inquit, ſuperbiam erigetur antichriſtus, vt leges Dei & cæremonias mutare conetur, & eleuetur ſupra omne quod dicitur Deus, religionemq; cunctam ſuæ ſubijciat poteſtati, &c. Præliũ facit cum ſanctis & præualens vincit, ſicq; ſanctos implicat, &c.

4. Iam etiam quouſq; hæc tyrannis duratura ſit exponitur, Donec videlicet iudicium fiat, præfinitumq; tempus à Domino, ſoli Domino cognitum, adueniat: nimirum per tempus tempora & dimidium temporis ænigmate ſignificatum. Veniet autem in gloria patris ſui Chriſtus dominus, cum omnibus angelis & ſanctis ſuis ad iudicandum viuos & mortuos. Et tunc quidem ſpoliabitur cornu illud & beſtia omni ſua poteſtate, deijcietur, perimetur & condemnabitur: & quidem in finem, id eſt penitus vel in ſempiternum. Atq; hic erit finis huius tyrannidis in mundo & in eccleſia ſanctorum. Rurſus & ex oppoſito, populo ſanctorum dabitur poteſtas & regnũ & gloria, tum verò apparebit quòd ſancti, qui in omnibus regnis huius ſæculi diuexati & oppreſſi fuerunt, ſuper omnia regna mundi iudices conſtituti ſunt. Recipientur enim illi in regnum Chriſti. Glorificabit eos Chriſtus. Regnum Chriſti nõ peribit aut mutabitur, ſicut monarchias orbis mutatas & perditas vidimus. Manet regnum Chriſti in æternum. Ergo qui ſunt in regno Chriſti ſancti, manent & viuunt cum Chriſto & regnant in æternum. Nunc quidem dum regna mundi adhuc vigent & florent, Chriſto mundani illi rebellant: à iudicio autem ſubijcientur Domino Chriſto omnes aduerſariæ poteſtates omniaq; regna mundi, quæ ille iudicabit. Dixit hoc futurum ipſe Deus pater, Dauide teſtãte, Dixit Dominus domino meo ſede à dextris meis, donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Impij ergo omnes etiam nolentes parebunt Domino, dum præcipitati in tartara, luent interitum ſempiternum, iuxa ſententiam Domini: rurſus obedient pij omnes Domino, laudantes & glorificantes ipſum in ſæcula ſæculorum. Hæc vt antea quoque dixi, validè conſolantur ſanctos afflictos, adhortanturq; & inſtigant, vt mundum cum omni pompa ſua aſpernantes, perſeuerent in vera confeſſione & diſciplina Chriſti domini, &c. Clauſulam his apponit, Et huc vſq; finis ſermonis: id eſt hucuſq; & hactenus illa mecum loquutus eſt angelus. Addit hæc clauſula authoritatem his quæ expoſita ſunt, vtpote verbotim non ab homine aliquo, ſed ab angelo expoſita.

Iudiciũ in quo puniuntur mali & glorificantur ſancti.

Repetit iterum propheta quomodo adfectus fuerit ad iſtam viſionem. Repetitio illa commendat hęc nobis ſingulariter, admonetq; vt diligenter ea obſeruemus, & imitemur fideliter. Tria autem dicit, Principiò, Cogitationes meæ ex hac viſione conceptæ, vehementer me Danielem perturbarunt ac terruerunt. De quo dictum eſt circa principium huius Homiliæ. Deinde immutatus eſt inquit, vultus meus. Territi enim et circumuenti anxietatibus, pallent & formam facici permutant vehemẽter. Poſtremò, Seruaui autem negotium hoc, inquit, in corde meo. Imitabimur autem Danielem ſanctè, ſi & ipſi ea, quæ vidimus & didicimus in iſta viſione, retineamus in corde noſtro horumq; non obliuiſcamur, confirmantes & conſolantes nos ex his, dirigentesq; omnem vitam no-

Seruanda hæres in cordibus fidelium.

ſtram ad ſalutarem hanc doctrinam, vt mundi immunditiam & Antichriſti artes & impoſturas fugientes, in iudicio illo venturo, hilares & læti coram iudice Chriſto appareamus, ac cum ipſo & ſanctis omnibus ex nubibus transferamur in ſedes beatas. Ipſi gloria & laus in ſæcula ſæculorum. Amen.

VISIO SECVNDA REGNI GRAECORVM & Syriæ.

CAPVT VIII.

HOMILIA XL.

ANno tertio regni Baltazar regis, uiſio apparuit mihi Danieli, poſt illud quod initio mihi apparuit. Et uidi in viſione ac videbar mihi eſſe in Suſis caſtro, in prouincia Elymaide, & videbar mihi eſſe apud fluuiũ Eulæũ. Et leuaui oculos meos & vidi, et ecce Aries vnus ſtabat ad fluuiũ habẽs duo cornua, quæ cornua cũ eſſent prælõga, fuit tamẽ alterũ altero longius, altiusq; excreſcebat poſtremo tempore. Et vidi Arietem cornibus impetentem verſus Occaſum, & Aquilonem & Meridiẽ, ut nulla ei animalia reſiſterent, nec quiſquam liberaret ab eo, ageretq; quæ voluit, & magnificabatur. Dum autem conſidero, ecce Hircus caprigenus, qui veniens ab Occaſu omnes regiones peruagabatur, neq; terram attingebat. Et ille caper inter oculos habuit cornu ſpectabile. Peruenit autem ad Arietem duo cornua habẽtem quem vidi ſtantem ad fluuium, & irruit in eum in calore ſuarum virium. Vidi etiam illum peruenire propè Arietem, & eleuatus impegit in Arietem, eiusq; cornua duo infregit, nec habuit Aries vim reſiſtendi illi, ſed & afflixit eum in terram, & conculcauit eum, & nemo fuit qui Arietem ab eo liberaret.

Argumentũ 8. capitis.

POST deſcriptam oculisq; expoſitam viſionem primam, quæ generalis deſcriptio vel adumbratio & ceu corona compendium vel ſumma eſt omnium monarchiarum, adeoq; & temporum ab initio monarchiæ Babylonicæ ad finem vſq; ſęculi, redit Daniel Viſione hac 2. peculiari ad deſcribendam vtcunq;, & quantum quidem ſuo inſtituto ſatis videbatur, monarchiam ſecundam Perſicam, & tertiam Alexandrinam vel Græcam. In qua ſingulariter iam exponit quid populus Dei paſſurus ſit in regno Syriæ ſub Antiocho Epiphane. Quo ſimul vt in typo explicat euidenter, quid vltimis mundi temporibus eccleſia ſit perpeſſura ab Antichriſto. Poſſumus autem partiri hoc caput 8. in partes duas, in viſionem ipſam, viſionisq; expoſitionem.

Vſus et fructus huius viſionis.

Vbi rurſus & ante omnia ſumus admonendi his ſimilibusq; prędictionibus, doceri nos res noſtras creaturarumq; omniũ non ferri temerè, ſed adminiſtrari vel gubernari omnia ſancta Dei ſapientiſſimaq; prouidentia. Benignum quoq; patrem noſtrum noſtri ſingularem gerere curam. Nã quę euentura ſunt nobis, ſignificanter & maturè prædicit, ne cum mala ingruunt, animum deſpondeamus,

mus, sed fortiter sustineamus, quæ nobis non temere, sed Domino Deo nostro sic disponente, euenire didicimus. Ex quibus ille nos, cum ipsi visum fuerit, liberare ac eruere poterit. Omnino enim Deum suos exercere varijs calamitatibus, tum ob eam quoq; caussam, quòd sancti labuntur in multis & offendunt peccatis Dominum, qui eos afflictionibus iudicat, sicut Apostolus dicit, ne cum infideli mundo iudicentur vel condemnentur. Præterea dum cernimus regna in mundo potentissima, opulentissima, felicissimaq; de repente collabi, discamus nihil fidere rebus mundanis, quantūuis spectabilibus & illustribus, neq; in his, & in hoc mundo quærere felicitatem, sed in alio sæculo stabili & sempiterno: Et vt hanc doctrinam incorruptam contra omnes casus & tentationes & in omnibus periculis synceram retineamus, eaq; animos nostros confirmemus. Iam descendimus ad primam huius capitis partem ad visionem ipsam.

Ab initio Visionis secundæ indicat, quo tempore & loco viderit ipsam sibi exhibitam à Deo, in tertio inquam Baltazaris regis Babylonici anno, & in arce Susiana in Perside: nec admodùm refert siue hoc in loco fuerit corporaliter, siue per visionem visus sit sibi eo versatus in loco, ibidemq; vidisse quæ contẽplanda ei obtulit Dominus. Aũus regni Baltazaris tertius, vltimus fuit regni ipsius. In hoc enim anno ipsum audiuimus cap. 5. periisse. Itaq; potuit hinc propheta intelligere finem malorum & captiuitatis instare: rursus tamẽ ne sancti nimiùm secundis rebus efferrentur, sed gauderent moderatiùs, cernit propheta noua in orbe bella, nouasq; & quidẽ grauissimas turbas in populo Dei exorituras, quo spectaculo cohercet & comprimit sanctos ne supra modum exultent ac effluãt, sed cogitando etiam alia & noua aliquando subeunda pericula, futuris se apparent laboribus, & moderatiùs secundis rebus nunc vtantur. Atq; ita Deus tristitia lætis semper commiscet, vt intra modum subsistamus, & in lætis tristia cogitemus. Vrbs Susarum nomen habet à rosis vel liliis. Nam שושן li'ium est vel rosa, nimirum sic dicta ab amœnitate elegãtiaq; loci, quasi dicamus Florentiam & vt Germanicè exprimamus **Rosingen vnd Gilgingen.** Regia hæc dicitur fuisse Cyri regis, ambitu suo extensa & ampla ad stadia 120. Est & Susiana regio apud scriptores, in qua metropolis & arx videtur fuisse Susarũ vrbs. Elam verò Persia est, & Elymais regio Persidis, cuius mentio fit apud veteres & Plinium, qui lib. 6. cap. 26. meminit Eulæi fluminis, quod in præsenti dicitur Vlai. S. Hieron. Susis, inquit, metropolis est regionis Elamitarum, in qua Daniel secundùm historiam Iosephi turrim extruxit excelsam, & quadro ædificatã marmore, tantæq; magnitudinis & pulchritudinis, vt vsq; in præsens videatur esse noua. In ea regum Persarum atq; Medorum conduntur reliquiæ, & cuius custos siue ædituus ac sacerdos Iudæus est. Et mox idem, Cum essem in Susis castro. Non quòd castrum, inquit, ipsa sit vrbs metropolis, vt diximus, & potentissima, sed quòd tanta firmitate ædificata, vt castrũ esse videatur. Et sciendum est Vlai nomen esse loci seu portæ vt in Troia σκαιὰ porta, & apud Rhomanos Carmẽtalis dicitur, &c. Sic ille. Verùm eorum verisimilior est expositio, qui intelligũt per Vlai fluuium Eulæum. Peropportunè autẽ ac suo sanè loco, Persiæ vel monarchiæ Persicæ fata commonstrantur prophetę Dei in metropoli Persarum celeberrima, ne scilicet suspicaretur aliquis percensèri hic fatum gentis regniq; alterius cuiuspiam. Ita voluit Deus librum à Ieremia scriptum de interitu Babylonis, in ipsa Babylone immergi, in Euphratem, his interim verbis adiectis, Sic pessum ibit Babylon ac demergetur. Oportet enim singulis gentibus et regnis expresse significari iudicia Dei, ne quis se excusare possit.

Quo tempore & loco visio hæc sit exhibita.

Susarum vrbs.

Sequitur iam ipsa Visio prophetæ obiecta à Deo, qua exponitur vtcunq; monarchia Persica qualis sit futura, & quomodo hæc potentissima alioqui flu-

Visio prophetæ.

tata vel ſublata ſit per Macedonicã, & qualis Macedonica fuerit, ac ex ipſa ſuc-
creuerit Antiochus Epiphanes vaſtator populi Dei. Abſoluitur hæc viſio locis
ſex. Primus exhibet nobis contemplandam monarchiam Perſicam, quæ ſubijt
Aries bicornis. in locum Babylonicæ. Adumbratur hæc per arietem bicornẽ. Conſtabat enim
ea monarchia ex Perſis & Medis. Et cornu alterum altero eminebat, & vt pro-
pheta loquitur, altum hoc aſcendebat in poſtremo tempore. Nam ab initio illu
ſtres fuerunt Medi, ſed temporis proceſſu Perſæ clariores facti ſunt, & regnum
vel monarchia à Perſis nomen obtinuit. Quòd ſi mauis referre hæc ad ipſos re-
ges, S. Hieronymus hæc exponens, arietem, inquit, Darium vocat auunculum
Cyri, qui poſt Aſtyagen patrem regnauit in Medis. Cornu autem excelſius alte
ro atq; ſuccreſcens, ipſum Cyrum ſignificat, qui poſt Aſtyagẽ auum maternũ,
cum auunculo Dario, quem Græci χυαξαρέν vocant, Medis & Perſis imperauit.
Cur autem Perſæ arietis ſpecie ſignificati ſint, interpretes non exprimunt, nec
ego poſt coniecturas aliquid certi poſſem dicere. Proinde hoc relinquo in me-
dio. Ad flumen vel aquas ſtetit aries dux gregis, quòd reges Perſarum multis
præfuerint gentibus ac populis. Dicitur Apoc. 17. meretrix ſedere ſuper aquas
multas. Et ſubijcitur, Aquæ quas vidiſti vbi meretrix ſedet, populi ſunt & tur-
bæ & gentes & linguæ. Et quod per arietem bicornem intelleximus Perſicam
monarchiam, vel reges Perſicos, docuit nos angelus, qui Viſionem exponens
hanc Danieli & nobis, Aries, inquit, quem vidiſti habentem cornua duo, ſigni
ficat reges Medorum & Perſarum.

Bella Perſica. Subijcit iſtis Bella Perſica & Cyri maximè, qui multas ſubegit gentes, nec
vlla, quod & Iſaias prædixit, ſe potuit aſſerere ab eius virtute, magnusq; tãdem
euaſit ſicuti & eius ſucceſſores. Geſſerunt enim alij reges Perſarum poſt Cy-
rum grauia bella in pluribus orbis partibus. Id quod ſignificatur per hoc, quod
dicitur, Aries cornibus impetere (ſtoſſen belligerari) contra Occaſum, &c. Ac
pro libidine ſua, res quas voluerunt, Perſici reges, perpetrarunt, dum potiren-
tur orbis dominio, nemine ſe illis opponere audente. Reſtiterũt quidem Græci
Perſis, verùm his nihilominus ad Alexandrum vſq; monarchiam obtinẽtibus.
De Bellis Perſicis attigi quædam in cap. 7. vbi expoſui bolos in ore inter den-
tes vrſi. Et hactenus regnum Perſicum propheta perſtrinxit veriùs quàm accu
ratè deſcripſerit.

Diſſipata Perſi ca monarchia per Alexand. Secundo loco huius viſionis exhibetur nobis hiſtoria diſſipatæ monarchiæ
Perſicæ per Alexandrum magnum. Hircus enim habens inter oculos inſigne
vel ſpectabile cornu, ſignificat Græcam vel Macedonicã monarchiam, in qua
primus rex fuit Alexander. Et Angelus, Hircus, inquit, eſt rex (licet intelligere
& regnum Græcorum) & cornu grande inter oculos eius, eſt rex eorum pri-
mus. Ac loquutione quadam nuncupatur Alexander cornu viſionis, quod alij
verterunt perplexum, alij ramoſum, alij ſimpliciter magnum. Sed ad verbum
eſt viſionis, vel viſibile vel viſendæ magnitudinis, & per omnia perſpicuum &
inſigne. Etenim Alexander, priuſquã in Babylone corrũperetur, habuit egre-
gia à Deo dona, & fuit princeps præclariſſimus, deditq; illi Deus imperium
orbis. Cur verò per hircum hirſutum & caprigenum repræſentatus ſit ipſe,
& cum ipſo Græci, clariſſimus vir D. Melanchton his expoſuit verbis, In
hoc loco alia eſt pictura Græcæ gentis. Capras vocat Daniel. Vt enim hæ exi-
miam habent in ſcandendo ſolertiam, & ſaltationibus aſſiduis gaudent, ita
Græcorum ingeniorum mira fuit in experiundis nouis rebus & artibus con-
ſilijſq; curioſitas. Taxari etiam exiſtimo ludos ſcenicos, quibus ea gens præ-
cipuè dedita fuit, qui quidem multa & magna flagitia pepererunt & confir-
marunt, &c.

Venit

Venit hic hircus ab Occasu, nimirũ ex Macedonia super faciem totius terrę. Nam paucis annis subegit potiora orbis regna: quod historiæ testantur, peruagatus non tantùm Græciã & vicina loca, sed insuper Asiã, peruenitq; in ipsam vsq; Indiam, percurrit furens & Ægyptum. Nec interim terrã attigit. Qua sententia significauit propheta miram & incredibilem Alexandri in perficiendis rebus suis omnibus celeritatem. Alioqui enim in terris hæc gesta sunt, & per terras furia illa Macedonica discurrit, & regna orbis potentissima irrumpens, deuicit subegit atq; vastauit. *Hircus ab Occasu furẽs ruit in regna orbis terrarum.*

Post hæc subiungit etiam quædam de prælijs Alexãdri cum Dario rege Persarum vltimis multo cum sanguine commissis, quibus omnis Persarum potentia adeoq; monarchia est confracta & cõculcata. Ac visio ipsa visionisq; descriptio adeò propriè ac euidenter refert omnia, vt videaris tibi omnia hæc coràm inspicere, hircum videlicet arietem impetere, prosternere & conculcare. Vidit enim hircum peruenisse vsq; ad arietẽ, ac irruisse in ipsum, in calore virium suarum, id est animo planè infesto, ferociq;, & viribus suis omnibus, feruore impetuq; maximo. Id ipsum iterum explicans diligentiùs, addit, Peruenit propè arietẽ eleuansq; seipsum, vt irrueret fortius, impegit in arietem, & confregit ei duo ipsius cornua. Et cùm arieti deessent vires resistendi, prostrauit imò afflixit ipsum in terram, & conculcauit. Nec erat quisquam qui ab hirci feroci potentia arietem tueretur, & liberaret ab interitu. Itaq; aries ab hirco est confectus, & planè attritus, & in nihilum redactus. *De prælijs Alexandri & Darij regum.*

Quæ omnia vt intelligantur rectiùs commemorabo ex historijs, maximè ex Orosij lib. 3. cap. 16. & 17. quæ potissimùm huc pertinere videntur. Alexander vrbe Thebana, Persicis auxilijs tumida, deleta funditus, & rebus in Græcia omnibus probè compositis, exercitũ Hellesponto transmisso duxit in Asiam, contra Darium Arsami F. vltimum Persicorum regum. Referũtur in exercitu eius tunc fuisse peditum 32000. equitum 4050. nauium 180. Hac tã parua manu maximas & incredibiles copias Persarum deuicit. Mirum autem in modum festinasse & celeriter feruideq; omnia egisse dicitur Alexander. Et primo quidem, ad Granicum, congressu cum Dario rege, Persarum in acie steterũt 600000, sed victi & fusi nihilominus, clade affecti sunt maxima, cum in exercitu Alexandri duntaxat desiderati sint 120. equites & 9. pedites. Post hanc victoriam, Sardis vrbem celebrem expugnatam cœpit, & direptioni dedit. Inde nunciato sibi Darij cum maximis copijs aduentu, Taurum montem maximis itineribus & mira celeritate transcendit, vt eluctaretur ex angustijs in quibus fuerat veluti conclusus. Interea Darius cum trecentis millibus peditum & centũ millibus equitum, in aciem procedit, mox apud Issum Ciliciæ ingentibus vtrinq; animis concurritur, pugnaq; committitur. In ea reges ambo Alexander & Darius vulnerantur, ac tam diu certamen anceps fuit, quoadusq; fugeret Darius. Exinde cædes Persarum sequuta est. Ibi tunc peditum octoginta millia, equitum decẽ millia cęsa, capta autem quadraginta millia fuerunt. Ex Macedonibus verò ceciderũt 130. pedites, equites 150. In castris Persarum multum auri cæterarumq; opum repertum est. Inter captiuos castrorũ, mater & vxor eademq; soror & filiæ Darij duæ fuere. Hac potitus victoria Parmenionem Alexander ad inuadendã Persicam classem cũ copijs mittit, ipse in Syriam proficiscitur totaq; vastata, Tyro excisa, Cilicia exinanita, Cappadocia subacta Rhodum atq; Ægyptum pertinaci furore peruadit. Vbi Alexandria vrbe celeberrima condita, reuertens ex Ægypto, in Syriam, ad tertium bellum Persicum festinat. Cui Darius reuertẽti ab Ægypto 400004. peditum & centena millia equitum, apud Tharsum, bello opponit. Ventum tandem vtrinq; ad Arbela, in Assyriam, vbi mense Augusto *Historia triumphaliorum Persarum & Græcorum.*

die 26, vt recitat Plutarchus, pugnatum vehementiùs quàm vnquam antea, & Darij exercitus tandem profligatus est. Vix vllo prælio tantum est effusum sanguinis. Fugientem Darium Alexander est persequutus. Bessus autem Præfectus Bactrianorum cum intelligeret Alexandrum propè esse, Darium trucidauit, quem in curru multis confossum vulneribus Alexander insequens, inuenit, ipsumq; honore regis sepeliri iussit, Bessum verò parricidam comprehensum, alligatumq; reflexis duarum arborum cacuminibus vel turionibus discerpi mandauit. Prælio autem ad Arbela commisso, & Persis ibidem fusis & deuictis, Asiæ vires & regna ceciderunt, totusq; Oriens in potestatem Macedonici venit imperij, adeoq; ita attrita est in hoc omnis Persarum fiducia, vt post imperium tot annorum, ducentorum videlicet & triginta circiter annorum, iugum seruitutis acceperint. Addit his Orosius, quod & superius in cap. 7. consignaui, tribus his prælijs, totidemq; annis quinquies decies centena millia peditum equitumq; esse cõsumpta. Intellexistis imò vidistis in commemoratione hac historica, quomodo hircus erumpẽs ex Occasu, peruaserit cursu celerrimo & furioso planè, quo vix terram attigisse, sed in nubibus vectus videtur, potissimas orbis partes (nondum commemoraui quæ Orosius 18. & 19. cap. recitat) accedensq; propius ad arietem feruore maximo in ipsum irruerit, cornua eius duo infregerit. aries ei resistere nequiuerit, hircusq; afflictum in terram concul carit atq; contriuerit, nemine Dei hoc consilium atq; iudiciũ impedire valente. Quæ quidem modis omnibus congruens cũ vaticinio simplex & syncera expositio, cõfirmat nobis oraculorũ vel verbi Dei veritatẽ atq; certitudinem, & oculis nostris subijcit miserrimam rerum humanarum sortem, inconstantiam & fragilitatem, deniq; iudiciorum Dei rectitudinem, seueritatẽ atq; iustitiam. Nam Persarum mores corruptissimos fœdissimosq; fuisse testantur historiæ omnes. Meruerunt ergo tãtis calamitatibus stragibusq; deleri. Dominus Deus noster concedat nobis hæc agnoscere, & vitam nostram ad voluntatem Dei componere, ne lasciuijs & fœdis addicti voluptatibus, instar Persarum, multiplicibus calamitatibus opprimamur. Dominus Deus misericors misereatur nostri.

HOMILIA XLI.

Caprigenus autem hircus magnificabatur valde, & cum robore polleret, fractum est cornu magnũ, et loco eius quatuor sunt enata, versus quatuor ventos cæli. Et ex vno illorum prodijt cornu modicum, quod magnificatum est maximè contra Meridiem & Ortum & terram desiderabilem. Extendit etiam se contra exercitum cæli, et de exercitu atq; stellis aliquot prostrauit ad terram, & conculcauit eos. Et aduersus imperatorem exercitus magnificauit se (magna se extulit insolentia) vt per illud perenne sacrificium tolleretur, & locus sanctuarij eius proijceretur. Exercitus autem cum iugi sacrificio traditus est per scelus, & affixit veritatem ad solum, & faciet & prosperè ei succedet.

Græcorum monarchia attingitur.

TErtio huius Visionis loco attingit propheta post dissipatam & cõculcatam monarchiam Persicam, Græcorum monarchiam, per Alexandrum magnũ institutam, non tamen citra Dei (vt alibi ostensum est) prouidentiam, qua cuncta reguntur. Hircus ergo caprigenus significat Macedones vel Græcos, qui duce

duce Alexandro suo maximas res in orbe terrarum gesserunt. Nam post deuictos Persas profectus vlterius Alexander, Hircanos, Mardos, & Parthos subegit, regna item reginæ in India Cleophidis oppugnauit, & ad deditionem compulit, Porum quoq; regem Indorum & Ambiram conflictibus acerrimis cruentissimisq; deuicit, totumq; sibi Orientem subiecit.

Cæterùm cum iam victor esset orbis ac potestas eius excreuisset ad summum, vt videretur monarcha omnium qui vnquam fuerunt aut futuri erant robustissimus victoriosissimus felicissimusq;, de repentè frangitur cornu illud magnum, magnus inquam Alexander, & moritur. Quanta verò tunc cum morti erat propinquus fuerit Alexãdri maiestas & authoritas, vel ex his Orosij verbis licet intelligi: Ex India, inquit, lib. 3. cap. 20. celeriter Babylonem redit Alexander: vbi ipsum exterritarum totius orbis prouinciarum legati, operiebantur, hoc est Carthaginensium, & totius Aphricæ ciuitatum, sed & Hispanorũ, Gallorum, Siciliæ Sardiniæq;, plurimæ præterea partis Italiæ. Tantus timor in summo Oriente constituti ducis, populos vltimi Occidentis inuaserat, vt inde peregrinam toto mundo cerneres legationem, quo vix crederes peruenisse rumorem, &c. Cum verò Alexander octo regni sui annis prioribus, non malus à multis princeps fuisse dicatur, postremis tamen annis tribus regni sui, moribus in peius commutatis, factus est sæuus teter & intolerabilis. Cœpit enim totum se voluptatibus impendere, perpotare, amicos & optimos duces ebrius interficere, pollui item vagis sceleratisq; libidinibus. Tandem etiam credi & adorari voluit vt Deus, nec agnouit tanta beneficia sibi à Deo esse collata, quinimò sibi suisq; viribus, vt quondam Nabuchodonozor magnus, omnia illa voluit attribui. Calisthenem inter legatos adorare se nolentem, hominem præclarum & philosophum, occidi iussit. Ergo dum natus esset annos 32 menses 8 & regnasset annos 12. graui oppressus morbo, quem alij ex veneno mixto, alij verò ex nimia compotatione exortum volunt, cum supra vires suas Herculis poculum propè exhausisset, aliquot diebus decubuit & 28 Iunij in Babylone obijt. De quibus omnibus testantur Iustinus, Arianus, Curtius atque Plutarchus. Hæc est autem fortunæ in rebus mortalium inconstantia, hæc generis humani miseria, & ebrietatis voluptatumq; dignus exitus, iustumq; Dei hoc iudicium in homines sanguinarios, &c.

Frangitur cornu & perit Alexander.

Consequenter quarto huius visionis loco, quod reliquum est Macedonicæ monarchię attingitur. Dicit propheta loco Alexandri mortui, quatuor creatos & positos esse principes vel reges, per 4 cornua consignatos, per quatuor cœli ventos vel cardines dispositos, alijs quidẽ occupantibus Occasum, alijs Orientem, his Ægyptum, illis Septentrionales regiones obtinentibus. Et angelus domini in expositione huius visionis paulò post dicet, Quo fracto steterunt quatuor loco ipsius. Quo significatum est, ea de gente, quatuor oritura regna, sed non ita ampla & potentia vt fuerat Alexandri. Et quidẽ à morte mox Alexandri duces inter sese distribuerunt rapueruntq; ad se prouincias, mutuisq; lacerationibus semetipsos crudelissimè contrucidarunt. Nam eo in bello sanè graui sanguinario & horribili, duces Alexandrini 15 sunt mactati. In ijs turbis Cassander & Sardium præfectus, Alexandri genus exciderunt penitus. Interfecta est enim Olympia mater, interfectæ sunt duæ Alexandri vxores cum liberis, Roxane cum Alexandro F. & Barsine cum Hercule F. Cæsa est & Cleopatra soror Alexãdri. Euenisse hic videtur quod legitur aliàs de Iulio Maximino Imp. qui seditione militum exorta apud Aquileiam vnà cum filio discerptus est, cnuctis conclamantibus, Ex pessimo genere ne catulum quidem habendum. Ita verò solet iustus Deus sanguinarijs rependere, quibus etsi parcatur ad tempus, non

Quatuor cornua in locum subeunt.

Extinguitur omnis Alexandri posteritas.

effugiunt tamen iustam Dei vindictam. Tandem verò imperium orbis diuisum est quatuor regibus, obuenitq; Macedonia Philippo Aridæo, Asia Antigono, Syria Seleuco Nicanori, & Ægyptus Ptolemæo Lagi, vnde est potens Lagidarum imperium. Et hęc quidem sunt quatuor illa cornua, quorum meminit Daniel. Antigono successit Demetrius, qui sese dedidit Seleuco Nicanori. Vnde Asiæ Syriæq; regnum coniuncta sunt. Et ex his regibus prognatus est Antiochus Epiphanes.

De rebus Antiochi illustris.

Loco itaq; visionis huius quinto venit propheta ad describendas res Antiochi Epiphanis, octaui regis Syriæ, filij Antiochi magni. Quod verò ille cognominatus est ἐπιφανής id est, illustris, nobilis vel prœcellens, id alij rectius pronunciarunt ἐπιμανή, id est furiosus. Nec enim modò furiosus fuit, sed ipsa contra Deum Deiq; ecclesiam infernalis furia, præcellensq; etiam in omni impietate & malitia. Oportuit autem diligenter eius res exponi populo Dei, ne dum ab eo vexaretur, animum desponderet, à Deo veraq; religione deficeret ad idola & gentilismum. Quod multos tamen sæuiente hoc Antiocho Iudęos fecisse, author est historia Machabæorum. Quod verò superius quoq; monui, solet Deus in tempore suos monere & monendo inhortari ad tolerantiam atque fidei constantiam. Oportuit & hoc nomine diligenter exponi res Antiochi, quòd facem prętulerit antichristo, cuius tyrannidem nouisse oportet vltimum hoc seculum nostrum, vt contra impietatem ipsius se arment pij omnes, caueantq; ne decipiantur istius callidis artibus & à salute propria excidant.

Antiochus cornu paruum.

Antiochus hic sicuti & Antichristus paruum nuncupatur cornu, princeps inquam vilis & cõtemptus ab initio. Etenim fuit Antiochus princeps quidem ab initio, sed sine regno, adeoq; obses & quasi captiuus Romæ cum fratre suo Demetrio, illuc missus à parente Antiocho magno, quem Romani multis magnisq; prælijs vicerant, primùm quidem in Græcia, deinde etiam in Asia, & ad pacem recipiendam compulerant, adempta ipsi florentissima regni parte, denique receptis simul filijs eius vnà cum alijs obsidibus. At Epiphanes Seleuco fratre, qui in regno patri successerat, mortuo, Roma clam (vt quibusdã visum est) fugiens, regnum Syriæ paternum inuasit ac occupauit, eiecto demetrio fratris sui Seleuci filio, qui admodùm puer Seleuco patri in regno successerat.

Creuit cornu versus ortũ, etc

Hic maximè creuisse dicitur versus Ortum, Meridiem & terram desiderabilem. Nam occupauit primùm, vt diximus, Syriã, mox etiam vsurpauit sibi Ægyptum, & inde redeundo in Syriam, terram sanctam etiam inuasit. Nupserat enim Ptolemæo Epiphani Ægyptiorum regi Cleopatra filia Antiochi magni, soror Antioch. huius nostri Epiphanis, ex qua Ptolemęus susceperat filiũ Ptol. Philometora. Huius pupilli à morte patris Ptol. simulauit Antiochus Epiph. se tutelam susc ipere, sed eo prætextu Ægyptum occupauit, præsidijs passim in regno dispositis atq; collocatis. Cæterùm rediens ex Ægypto per Iasonis pontificis proditionem recepit in itinere illo Hierosolymas, diripuitq; admodùm hostiliter. Quod pluribus exponit Machabęorũ historia, & sequentur plura hac ipsa de re in cap. huius operis 11. Notius est autem quàm referre oporteat, terram promissionis appellari terram desiderabilem, quòd amœna & decora fuerit, omnesq; alias regiones fertilitate præstantiaq; superauerit.

Creuit contra exercitũ cœli.

His non contentus Daniel, per consequentia diligentiùs & copiosiùs exponit res Antiochi Epiphanis, eas inquam, quas referebat scire Dei populum, quibus scilicet malis ab eo esset afficiendus, vt tolerantia fideq; constanti se armaret aduersus scandala imminentiaq; pericula. Et quidem in genere dicit, creuisse illum contra exercitum cœli, præualuisse nimirũ sanctis. Hi enim comparantur exercitui cœli. Sunt enim pij lumina quædã orbis, tametsi videantur impijs

impijs esse feces & probra. Consolari hoc nos debet, quòd omni ignominia in mundo perfusos, Deus nos sydera vocat. Hoc ipsum nos etiam inhortari debet ad vitam sanctam viuendam. Sic luceat lux vestra, ait in Euangelio Dominus, coram hominibus, vt videant vestra opera bona & glorificẽt patrem qui in cœlis est. Quinimò mox subijcit Daniel, Et de exercitu atq; stellis aliquot deiecit vel prostrauit in terram: vnde facilè intelligimus, quid significetur per exercitum cœli, populus nimirum Dei & ecclesia sanctorum. Nec obscurum est vel ex Apocalypsi Ioannis per stellas intelligi præclaros fidelesq; in ecclesia homines. Ac stellas veras è firmamento Antiochus minimè detrahere & in terram prosternere potuit, cæterùm sanctos & fidelia ecclesiæ membra, alios quidem impulit in lapsum & ad defectionem pertraxit, alios verò tormentis varijs atq; exquisitis excarnificatos, tandem crudeliter interfecit, adeoq; & conculcauit. Hac de re fusè cõmemorant libri Machab. maximè lib. 1. cap. & lib. 2. cap. 6 & 7. Huc enim pertinet historia Eleazari, & matris illius æterna gloria dignissimę, cum 7. filijs supplicium mortis horrendæ subeuntis. *Stellæ.*

Non satis fuit Antiocho vexasse exercitum cœli, & bellum suscipere contra stellas, nisi etiam prouocasset imperatorem huius exercitus, dominum videlicet Deum Zabaoth, Daniel enim, denicq; aduersus imperatorem inquit, exercitus, magnificatus, id est, magna se extulit insolentia. Etenim Deum Israelis verum, viuum & æternum veluti sedibus suis ac templo eiecit: substituit autem ei Iouem olympium, & hunc tanquam verum Deum coli & adorari præcepit, verum autem Deum Israelis impijssimè blasphemauit. Nam vt passim gentilicium cultum deorum idolorumq; instituit & propagauit, ita effecit, vt è templo Dei tolleretur iuge illud sacrificium, typus vnici & perennis sacrificij Christi, qui verè est agnus ille Dei immaculatus, tollens & expians peccata mundi. De quo iam non est dicendi locus. Idem effecit vt proijceretur, id est, vt haberetur instar eorum quæ proijciuntur & pro reiectissimis vilissimisq; habentur, sedes sanctuarij, id est, templum domini. Etenim dum Iudas Machabæus præsidium ex arce Zione eijceret, templumq; reciperet, prophanatum modis omnibus reperit, & ita vastatum, vt passim succreuissent vepres iaceretq; neglectissimum. Horrenda est hæc narratio & spectaculum stupendum, ideoq; subijcit Daniel, Exercitus autem traditus est cum iugi sacrificio, per scelus Quasi dixerit, Proditorum & sceleratorum in gente Iudæorũ culpa factum est, quòd vrbs & templum ipsum, venerit in hostium manus ac direptum sit tantaq; sanctorum hominũ copia ab Antiocho contrucidata. Id quod Deus violenter ab initio mox non prohibuit, vt sanctorum virtus probaretur & eluceret, vt item multorum hypocritarum corda detegerẽtur, horumq; impietas impleretur, quò deinceps iusto Dei iudicio puniretur. Scelus verò huius gentis diligenter & copiosè exponitur quale fuerit per initia vtriusq; libri Machab. *Tendit & contra imperatorẽ exercitus.* *Aufertur iuge sacrificium, & prophanatur siue polluitur templum.* *Ex sceleratis hæc sunt profecta.*

Adijcitur his tantis malis & aliud malum non leuius, Et afflixit veritatem ad solum, Er hat die warheit vff den boden geschmiitzt, magna inquam indignatione & viribus suis omnibus terræ illisit veritatem. Veritas autem per se collidi & confringi nunquã potest, vtcunq; impetatur, concutiatur allidaturq; fortiter. Verè enim apostolus, Vinctus sum, inquit, at sermo Dei non est vinctus. Exuri potuit Polycarpus, euangelium autem quod prędicauit & propter cuius prędonium fuit combustus, permansit incolume & illæsum. At quantum attinet ad impios, quantum in ipsis est, perdunt & conculcant veritatẽ, ac hanc se oppressisse putant. Ita Antiochus legitur libros combussisse sacros. Sub eo scholæ piæ sunt dissipatæ & abolitæ, impiæ verò & ethnicæ sunt substituræ, in quibus iuuentus corrupta est & pestiferis infecta dogmatibus. Qua re nihil est *Afflixit veritatem ad solum.* *Libri sacri comburuntur.*

Vtetur prospera fortuna.

pestilentius pernicioſiuſq;. Quibus omnibus illud inſuper adijcit Daniel, Et hæc quidem omnia faciet hic, & quidem ſucceſſu proſpero perficiet. Perrupit enim Antiochus, nec quiſquam ei per initia reſtitit, fortunaq; vſus eſt in omnibus rebus ſuis exoptatiſsima. Id quod ideò monet tam diligenter propheta, ne quis ſecunda offendatur fortuna impij regis, & in partes eius deflecteret. Non enim ſemper eius vera & ſyncera eſt religio aut cauſa, qui felici vtitur fortuna, nec eius religio vel cauſa ſemper deterior eſt, qui multis varijſq; calamitatibus exercetur, & his tantùm non atteritur. Id quod poſt multa & infinita exempla comprobat hæc de Antiocho & populo Iudaico hiſtoria.

Illa ordine iam explicanda eſſent & de Antichriſto, & quomodo ſingula ipſi competerent, quod differemus ad finem vſque huius capitis. Nunc gratias agemus Deo pro matura & exacta eius admonitione, eundemq; orabimus, vt vires nobis ſufficiat pugnaturis contra Antiochos theomachos, &c.

HOMILIA XLII.

Et audiui vnum ſanctum loquentem, dixitq; vnus ad Palmoni loquentẽ, Quam diu durabit viſum iugis (ſacrificij) & ſcelerata vaſtatio, vt permittatur proculcationi & ſanctũ et exercitus? Et dixit mihi, Vſq; ad veſperam & mane (id eſt, dies) bis mille & trecentos, & iuſtificabitur ſanctuarium. Dumq; ſpectarem ego Daniel viſum, quæſiui etiam intelligentiam, & ecce ſtabat ante me viro ſimilis. Audiui etiã inter Eulæum vocem hominis, qui exclamans dixit, Gabriel doceto iſtum hanc viſionem. Acceſsit autem propè locum in quo ſtabam, eoq; accedente perterrefactus ſum, & procidi in meam faciem. Et dixit mihi, Fili hominis intelligito, quia ad tempus finis viſio hæc. Cumq; is mecum loqueretur, ceu ſtupore correptus, cecidi in faciem meam ad terram: ipſe aũt me attingens erexit in ſtationem meam. Et dixit: Ecce ego docebo te quid futurũ ſit, finita indignatione: nam ad præfinitum tempus finis erit. Aries quem vidiſti habentẽ cornua duo ſunt reges Medorum & Perſarum. Hircus autem caprigenus eſt rex Græcorum. Et cornu grande inter oculos eius eſt rex eius primus. Quo fracto ſteterunt quatuor loco ipſius: quatuor (enim) regna de illa gente orientur, ſed non pari virtute (potentia) cum illo.

Quàm diu duratura perſecutio Antiochica

EXpoſuit Deus Danieli & populo Dei vniuerſo quantis malis eccleſiã Dei Antiochus rex ſit vexaturus: nec dubium eſt Danielem ad tantas iniurias blaſphemiaſq; obſtupuiſſe, ac cogitaſſe quis tandem iniuriarum & impietatis ſit futurus finis. Proinde ſexto locovisionis huius, diuina bonitas ac ſolicitudo, prophetæ & populo ſuo exponit quàm diu malum hoc ſit duraturum. Ac ea re, voluit conſolari afflictos illis tẽporibus adeoq; omnibus tẽporibus ſanctos: qui etſi fide ſint prædíti, homines tamẽ ſunt, & preſsi malorũ mole, ad defectionem aut impatientiam ſaltem ſolicitantur. Ergo vt retineantur in officio, conſolatur in præſenti. Dicit itaque propheta inſolentiam Antiochi ſuis terminis eſſe concluſam

concluſam, & non perpetuò erupturam vexaturamq; & laniaturam Dei popu lum. Ac ſolet ſcriptura aliàs breuitate malorum conſolari, afflictoſq; ad toleran tiam animare. Loca illuſtria occurrũt Iſaię 26. Matth. item 24. apud apoſtolum quoq; 1 Cor. 10 & 1 Pet. 1 ac 4. Deus enim clemens & propitius homines non conterit penitus nimijs aut perpetuis afflictionibus. Seruat ille modum, licet afflicti hoc ſemper non agnoſcant, prout æquum fuerat. Verùm ea eſt noſtra imbecillitas. Orandum itaque ſedulò in afflictionibus vt bonam Dei in nos voluntatem perpetuò agnoſcamus, & omni ſpe in ipſum coniecta, expectemus finem malorum exoptatum, ſecundum optimam Dei voluntatem. *Breuitas malorum.*

Exponitur aũt hæc res, quò plus inueniat apud homines fidei, & quò animi afflictorum ſolidentur firmiùs, qui aliquoties in anguſtijs conſtituti ſolent fluctuare, per colloquium angeli & Palmoni. Nam propheta dum viſionem vidit, colloquentes illos ſub viſionis finem audiuit. Et quidem interrogat angelus, reſpondet Palmoni, qui tamẽ non ad angelum interrogantem reſponſionem conuertit, ſed ad auſcultatorẽ Danielem: vt vel hinc colligeremus, iſta omnia quæ hic dicuntur, proferri propter nos & ad vtilitatem noſtram, nobiſq; illa non angelis dici. Dicit enim Daniel, Et reſpondit mihi, mihi inquam dicit, & non dicit, Et reſpondit ſancto. Ac dubium non eſt quin per ſanctum intelligat propheta angelum Dei ſanctum Gabrielem. Nam videbatur ſibi Daniel verſari inter angelos, qui non procul ab ipſo in viſione comparebant ac inuicem miſcebant colloquia. Rectè autem angeli Dei vocantur ſancti. Sunt enim incontaminati, denique alienißimi ab omni corruptione, adeoq; pura ſpiritus ſubſtantia, Deum ſumme diligẽtes iptiq; perfectiſsimè inſeruiẽtes. Quo nomine ſuperãt multis modis nos homines, qui etſi dicamur etiã ſancti, ac re vera ſimus ſancti, per ſanguinem videlicet filij Dei & per ſpiritum Dei noſtri ſanctificati, hærent tamen in nobis perpetuę peccatorum reliquię, nec niſi per mortem liberamur à varijs imbecillitatibus, corruptionibus atq; infirmitatibus: angeli verò nullis huiuſmodi ſunt ſubiecti miſerijs. Diligunt autem nos homines, & ſalutem noſtram promouent, adducentes nos ad verum Dei cultum, & pro voluntate Dei erudiunt nos, ſicuti hic Gabriel facit. In quo præuertit Deus petitionem prophetę. Nam de quo ipſe ſolicitus erat, & tamen interrogare non audebat, Deus ipſum ſua ſponte & non rogatus erudit per angelũ, qui eam proponit quæſtionem, quam ipſe aliàs fuerat propoſiturus, niſi timuiſſet. Ita enim Deus perpetuò ſuperat vota noſtra, & præuenit nos in petitionibus noſtris, multò plura faciens & abundantiora largiens quàm nos poſsimus exoptare. Qua re ſemper nobis commendat ſummam erga nos maximam dilectionem ac paternam planè liberalitatem ac ſolicitudinem, attrahens his nos ad ſemetipſum beneficijs tantis, ne diuertamus vel ad angelos, vel ad vllas alias creaturas, ſed ſyncerè ipſi adhæreamus ſoli. Sed & angeli modis omnibus nos non ſecum, ſed cum Deo conglutinare cupiunt. Nolunt adorari, nolunt inuocari, nolunt coli à nobis, ſed vnà nobiſcum volunt adorari, inuocari & coli Deum ſolum. *A quibus hæc res exponatur.* *Sanctus ille eſt angelus Gabriel.* *Angeli gilgũt homines.*

Porrò Palmoni ferè interpretantur ignotum quempiam, aut ſingularem ac præcellentem. Daniel habet פלמוני quaſi tu dicas, loquebatur ad admirabilem illum, cuius nomen ſecretum vel abſconditum eſt. Ita verò Chriſtus Dominus nuncupatur Iſaiæ 9. פלא admirabilis. Cumq; conſtet alias per Meſsiam egiſſe Deum cũ patribus, nihil abſurdi fuerit, ſi dixerimus hunc Palmoni fuiſſe ipſum Dei filium incarnandum, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Qui reuera eſt patris ſapientia, in quo reconditi ſunt omnes theſauri ſcientię & ſapientię Dei. Rectè ergo dicitur hic reuelare abſcondita Dei conſilia. Alioquí ſcimus ſcientiam angelorum eſſe limitatam, ſolum Deum eſſe omniſcium, & quæ norunt *Palmoni eſt Chriſtus ille Meſsias.*

angeli, nosse ex Deo & Dei sapientia, quam & adorant Vnde testatur hic locus Christum esse Deũ quod apostolus probauit in 1 cap. epistolę ad Hebręos. Quærit autem à Messia angelus propter nos, quam diu duratura sit illa prophanatio Antiochica vt iaceat iuge sacrificium vnà cum templo neglectum, oppri manturq; sancti Dei? Notum est scelus vastationis poni pro scelerata vastatione. Respondet autem Messias angelo, sed responsionem refert ad Danielem, vt superius est dictum, dicitq; vastationẽ hanc duraturam per sexennium & paulò amplius, pauculis inquam diebus ad sexennium accedentibus. Principiò enim diem terminat vesperè & manè, & ita palàm indicat se loqui, non de annis aut mensibus, sed de diebus naturalibus, qui absoluuntur horis 12. inter vesperam & mane currentibus. Ergo dum periphrasticè dicit, Vsq; ad vesperam & manè, perinde est ac si dixisset, Vsq; ad dies. Conficiunt autem 2300 dies annos sex & dies 110. Si enim anno communi des dies 365. sexennium conficietur, numero dierum 2190. Restant ergo de 2390. duntaxat 110. Atqui dierum horum vel sexẽnij supputationem auspicare ab anno regni Gręcorum 143 quo Antiochus vrbem Hierosolymorum ingressus, & templum & vrbem diripuit, cædis filiis quampluribus: sicut testatur 1 Machab. lib. cap. 1. In eodem lib. cap. 4 dicitur anno regni Græcorum 148 Iudam Machabeum recepisse vrbem & expurgasse templum. Ergo si supputationem ducas à 143 anno ad annum 148. inuenies annos 6. Residui dies dantur expurgationi vrbis eiusdemq; liberationi. Quàm exactissimè itaq; historia respondet vaticinio huic nostro. Ac colligitur hinc veritas adeoq; & diuinitas quędã scripturæ sanctæ, hoc est quod ipse Deus locutus est nobis per scripturas. Nam prædixit hęc futura Daniel antequam gesta sint supra 380 annos. Nam ab initio huius cap. audiuimus Danieli hæc reuelata esse 3 anno Baltazaris At perstitit monarchia Persica ad annos 228 aut 230 A morte verò Alexandri qui Persarum monarchiam euertit, ciuili inter se bello concurrerunt grassatiq; sunt duces Alexandrini ad annos minimum 13. Tum demum Syria potitus Seleucus Nicanor principiũ dedit regno ei, quod Græcorum nuncupatur in libro Machab. Testatur autem liber ille Antiochũ regnare cœpisse anno regni Græcorum 137. At constat ipsum regnasse annis 12 & extinctum esse anno regni Græcorum 149. Quod apertè dicitur 1 Machab. 5 Hos annos si addas superioribus, inuenies à morte Antiochi ad mortẽ vsq; Baltazaris annos 390 Mirandum est sanè Danielem tanto tempore præuidisse illa & ad amussim impleta esse, quæ prædixit vniuersa. Sed laudanda est, quod modò dixi, Domini Dei nostri gratia ac bonitas, qua fit, vt suis sua aperiat consilia, quantum eis sunt salutaria. Ità aperuit populo noui testamenti omnia per Apocalypsin beato Ioanni exhibitam, quæ scire refert de interitu Romanæ monarchiæ, regnorum mutatione, persequutionibus, turbis & Antichristi tyrannide, contra ecclesiam Dei. Præfigit ibi quoq; suos terminos insolentiæ hostium ecclesiæ nebulonumq; omniũ, & consolatur sanctos suos, hortans ipsos ad patientiam fideiq; constantiam: qui sanè præcipuus est talium oracularum finis. Etha ctenus tractauimus visionis huius partem priorem. Aggrediemur iam partem etiam iuuante Deo, posteriorem.

Supputatio dierum 2300.

Annis propè 400 hæc prædicta priusquã facta.

Daniel petit erudiri.

Secunda visionis huius secundæ pars cõtinet visionis totius expositionem per angelum Dei. Ac præmittit quædam huic expositioni de Daniele & de angelo, quæ & ipsa ad rem faciunt & nos egregiè erudiunt. Principiò enim Daniel conspecta illa visione necdum intellecta planè, instructus tamen tam beni gnè de tempore quo duratura sit Antiochica tyrannis, confidentior propè factus, audet petere expositionem visionis exhibitæ. Docet nos suo exemplo petere à Deo intellectum oracularum diuinorum, & cum videmus passim in scri-

pturis

pturis benignè & abundè aperiri myſteria ſalutaria hominibus, à Deo, confidamus & nos illi, futurum vt & nobis aperiat, quæ ad ſalutem noſtram faciũt. Abſit hic curioſitas, abſit temeritas & nequitia. Ne petamus curioſa aperiri nobis, neq; ea quæ ſunt coniuncta cum ſcelere, prętextum quærentes nequitiæ. Nihil reſpondit Dominus Herodi Antipæ, quòd is tantùm cuperet expleri cupiditates ſuas. Quæramus à Deo in primis quæ ad gloriam eius faciunt, & ad ſalutem noſtram, vt cum audimus vel legimus verbum eius, ille nobis veram fidem donet, dilectionem Dei & proximi, ſtudium virtutũ omnium & fugam vitiorum. *Obſerua hæc.*

Deinde oſtenditur quis ſit interpres viſionis huius, ipſe nimirum Chriſtus Palmoni. Nam videt Daniel quendam ante ſe viro ſimilẽ. Chriſtus enim nondum erat incarnatus, ſed incarnandus expectabatur. Tunc ergo adhuc viro fuit ſimilis. Et dum carnẽ induit, omnia nobis myſteria regni Dei aperuit. Et in præſenti mandat Gabrieli præſtantiſſimo angelo, cuius & in 9. capite & in euangelio Lucæ 1. fit mentio, vt viſionem Danieli exponat. Nam & Dominus eſt angelorum Chriſtus, & angeli ex ipſo accipiunt quæ nobis reuelant. Et Daniel hæc intellexit omnia, vtpote ad flumẽ Eulæũ humana voce prolata. Id quod ipſum & viſioni damus, quæ exhibet non modò quæ oculi, ſed & aures percipiunt. *Quis interpres huius uiſionis.*

Paret autem angelus domini ſui mandato ſponte, & rectà accelerat ad Danielem, quem & attentum reddens excitat & ait, Fili hominis intelligito. Requirit enim à nobis Deus attentionem diligentiſſimam ad ea quæ ille nos docet, ne negligenter audiamus, ſed oremus ipſum vt gratia ſua nos illuminet, vt quę foris dicuntur nobis è verbo Dei, non modò cum diligentia audiamus, ſed & corde percipiamus & retineamus. Nam tametſi Deus à nobis requirat cor docile & attentum, parat ille tamen nos & idoneos reddit ad excipiendum verbum Dei, cuius gratia & bonitate ſeminatur & annunciatur verbum Dei. Diſcamus ergo hinc non tam diligenter auſcultare, quàm ſedulò precari Deũ pro diligentia. Addit angelus, Quia ad tempus finis viſio hęc. Breuitas ſermonis obſcuritatem inducit: hoc ergo videtur dicere. Quæ vidiſti, ſcias vana vel inania non eſſe. Suo enim tempore finientur, id eſt complebuntur. Vel tempore à Deo præuiſo finientur illa tandem, & ad implebitur hæc viſio. Teſtificatur ergo iſta omnia gubernari & regi à Deo, & eſſe certiſſima. *Diligenter auſcultãdum verbo Dei.*

Sequitur iam quomodo ad angeli conſpectum affectus fuerit Daniel, perterrefit, & correptus ſtupore aut ſopore, ac velut animi deliquium patiens, concidit in faciem ad ſolum. Quæ ſanè infirmitas eſt humana atq; miſeria, non ſuſtinens, nondum clarificata, excellentiores reuelationes. Videre hoc licet aliàs in alijs etiam ſanctis, cum eis ſe angeli ſupra humanam ſortem exhibent. Interim tamen humiliari nos oportet coram domino Deo noſtro, ſi modò erudiri volumus. Ad hunc reſpiciam dicit apud Iſaiam in 66. cap. dominus, qui eſt humili & fracto ſpiritu & qui ad verbum meum reuerentia quadam contremiſcit. *Quomodo Daniel fuerit affectus viſo angelo.* *Humilitas.*

Sicut autem in euangelio ſecundum Marcum mulieres ad ſepulchrum Domini venientes & ad angeli conſpectum attonitas, angelus erigit & conſolatur: Ita in præſenti erigit & Danielem angelus Gabriel. Nam certiſſimum eſt confractos ſpiritu & mœſtos atq; lugẽtes Deum conſolari peropportunè ac validè. Mox autem expoſitionem viſionis auſpicans argumentum præmittit dicendorum, Docebo, inquit, te, quid futurũ ſit. Viſio ergo exhibita inſtruit de futuris. Sed cuius nam temporis & ſeculi? Subijcit, Quid inquam indignatione finita ſit futurum. Per indignationem autem vel iram intelligit captiuitatem Babylonicam, in quam populus Dei rebellis, ira Dei efferueſcẽte, eſt inductus. Adijcit iterum, Nam ad præfinitum tempus finis erit. Fuerunt autem 70. anni prędicti à Ieremia hoc præfinitum tempus. His ergo abſolutis aut elapſis, adeoq; nunc *Erigit Danielẽ angelus.*

finis aderit captiuitatis. Nunc itaq; quid à captiuitate futurum sit, & quomodò succeſſura ſit Babylonica monarchia, Perſica & Græca, & quid ſub Græcorum regno populus Dei ſit paſſurus, edocebo te ex hac tibi obiecta viſione: quam & ordine pulcherrimo exponit. Ex illis verò iterum colligimus, afflictionibus ſanctorum ſuos eſſe terminos à Deo conſtitutos, qui omnium regnorum dominus eſt & omnia gubernat.

Expoſitio viſionis.

Sequitur iam ipſa per angelũ expoſitio Viſionis, Primò enim explicat quid per Arietem bicornem ſit ſignificatum, vtiq; reges Medorum & Perſarum. Medorum autem dicit per heteroſim, cum vnus modò Darius priſcus rex Medorum in hunc cenſum veniat. Deinde oſtendit per Hircum caprigenum intelligendam eſſe monarchiam Macedonicam vel Græcam, Perſicæ ſuccedentem, Cornu enim in fronte hirci valido, notari dicit primum illum Græcæ monarchiæ regem, Alexandrum Macedonem, Philippi filium, ex magnificis ab eo geſtis, dictum magnum: qui & Perſicam monarchiam diſſipauit, & Græcam inſtituit. Fractum eſt, inquit, cornu hoc ingens. Mortuus eſt enim Alexander magnus: & in locum eius ſubierunt quatuor cornua, reges vel regna nimirũ quatuor: & quidem de gente illa, græca vtiq; vel Macedonica. Duces enim Alexandrini regnis præfecti ſunt quatuor, Aſiæ, Syriæ, Ægypti & Macedoniæ. Cum autem prius vnus Alexander illa regna obtinuiſſet omnia, iam verò in partes diſſecta eſſet potentiſſima illa eius monarchia, ſingulíq; reges ſingulas ſuas obtinerent portiones, rectè dicit angelus, Sed non pari virtute vel potentia, cum Alexandro videlicet dominabuntur. Perſtringo hæc breuiter, quòd ſuperius ſingula ſint copioſius à me expoſita. Deo dominatori vniuerſorum ſit laus & gloria. Amen.

HOMILIA XLIII.

Et in nouiſſimo regni eorum, cum creuiſſent ſcelerati, ſtabit rex fortis facie et intelligens ænigmata. Et inualeſcet robur eius, ſed non robore eius, & mirabiliter vaſtabit, & proſperabitur & faciet, & deuaſtabit fortes & populum ſanctorum. Et pro ſua calliditate feliciter per dolos negotia ſua expediet. Et in corde ſuo magnificabitur, et in felicitate plurimos vaſtabit. Et cõtra principem principum conſurget, & abſq; manu conteretur. Cæterùm dicta viſio veſperè & manè veritas eſt, & tu obſigna viſionem, quia poſt multos dies (eueniet.) Et ego Dãiel confectus ſum & diebus (aliquot) ægrotaui, & ſurgens feci opus regis, & ſtupebam ſuper viſione, & non erat qui intelligeret.

Expoſitio eorũ quæ dicta ſunt de cornu paruo

QVæ reſtant in viſione exhibita de cornu illo paruo mirum in modum ſæuiente contra Dei populum, vberiore expoſitione his enarrantur ab angelo. Etenim oportuit hanc viſionem omnium copioſiſſimè & planiſſimè explicari, atq; ita eccleſiam de futuris malis præmoneri maturè, & conſolari validè. Nam hic eſt finis omnium iſtorum, per omnes iſtas turbas grauiſſimas, impauida mente perſtare in religione ſana.

Quo tempore regnaturus ſit Antiochus.

Obſeruandum eſt autem expoſitionem hanc angeli non verbotim reddi ad propoſitam viſionem, ſed liberius enarrari ceu nouo quodã vaticinio. Etenim tempus ab initio notat quo peſtis hæc ſit inualitura, In nouiſſimo, ait, regni eorum. Quæ quidem verba neq; de Ægyptio neq; de Syriaco regno intelligi poſſunt,

possunt, sed de Macedonico duntaxat. Inest ergo verbis Enallage numeri vel synechdoche. Neq; mirum quod regni eorum dixit, & Macedonicum solum intellexit. Nam etsi mortuo Alexandro regnum hoc in quatuor regna sit distractum, Macedonicum tamen appellatum est hoc imperium orbis tertium, & à Macedone Alexandro cœptum, & opera Macedonum partum. Iniit autem regnum Syriæ Antiochus Epiphanes, quarto Persei vel Persis vltimi regis Macedonum anno. At regnauit hic annis in vniuersum 11. Vltimo enim anno victus & captus est à Paulo Aemylio, Macedoniæ regno in prouinciam redacto. Restant ergo septem duntaxat anni inter principium regni Antiochi & finem regni Macedonici. Proprijssimè itaq; & veluti acu attigit propheta terminum, quo venturus erat Antiochus. Quo iterum euincitur prophetiam non voluntate hominum allatam esse, sed diuinationem ex spiritu sancto habere certissimam cui meritò credamus, & non credentes iure iudicemur.

Obiter quoq; causam ostendit cur Deus talem voluerit principem suo imperitare populo. Creuerant nimiumq; multiplicati fuerant (hoc enim pollet locutio Hebræa, secũdum perficere sceleratos, id est cum inundassent scelerati) adeoq; & inualuerant in populo Dei sceleratissimi quiq;, quos nihil pudebat abnegata & reiecta imò & calcata Dei lege, vltrò accersere omnem gentium impietatem. Impio ergo & idololatrico gentilicq; populo principem dari oportuit, per omnia sceleratissimum & dignum populi moribus sceleratissimis. De hac populi Dei corruptione fœdissima legatur primum caput primi lib. Machab. & discant hinc omnes Deum propter extremam populi conscelerationem dare principes tyrannos. *Scelera populi merebantur talem accipere regem.*

Sequitur nunc Antiochi descriptio qualis futurus erat, in quo ceu in speculo cernere licet qualis sit & Antichristus, cui Antiochus typum prætulit. Stabit rex, inquit, fortis facie. Notum est autem standi vocem poni pro regnandi: ac forti facie illos nuncupari, qui sunt impudentes, quos inquam nihil pudet, qui frontem meretricis habent, nec erubescere norunt. Græci id respicientes verterunt, ἀναιδὴς προσώπῳ impudens facie. Etenim fuit Antiochus impurissimus & impudentissimus nebulo. Ac idem ille intelligens erat ænigmatũ. Prouerbiali verò figura illi ænigmatũ periti quondam dicebantur, qui acuto erant ingenio, valentes artibus vafris quælibet efficere, & obscura quæuis in lucem suo commodo protrahere. Ipse propheta subijcit huius paulò post explicationem & dicit, Et pro sua calliditate vel vafricie feliciter per dolos negotia sua expediet. Nam historiæ testantur principem hunc ingenio prauo dolisq; instructissimo & artibus malis omnes suas confecisse res. *Antiochi descriptio.*

Ideò sequitur creuisse quidem eius potentiam, sed non suo robore. Dolis enim Ægyptum occupauit, & opera proditorum vsus Hierosolymam recepit. Quibus accedit quòd populi peccata & ira Dei in populum suum roborarunt hunc principem. Sicuti & Turcæ contra Christianos felici vtuntur fortuna. Cuius quidem rei vnica & proprijssima causa esse videtur Christiani populi conscleratio. Antiochus quoq; vastabit mirabiliter, non tam vrbem sanctam, & populum sanctum, sed ipsa etiam Dei sacra. Sequitur enim per interpretationem in propheta, Prospera vtetur fortuna, & faciet vel perficiet quod instituerit, ideoq; fortissimum & constantissimum quemq; in populo, adeoq; ipsum populum sanctum in vera religione constantem trucidabit. Qua de re antea dictum est in ipsa Visione. Repetitur autem iterum quòd vsurus sit in his & in omnibus suis institutis, calliditate & dolis. *Creuit robur eius non suo robore.*

Pergit in descriptione scelestissimi hominis, & addit, Et in corde suo magnificabitur, vel in animo suo maxima præsumet, efferetur q; contra Deum super- *Superbia.*

bia intoleranda. Cuius quidem hisce verbis mentio fit in 9. cap. 2. lib. Machab. Licet morbo correptus esset, ab arrogantia tamen sua non desistebat, sed superbia magis intumescebat etiã. Et paulò post, Qui modò se maris fluctibus imperaturum existimabat, ob insolentiam homine altiorem, & statera se montium iuga putabat libraturum, is terræ illisus gestatorio ferebatur. Exosam verò in primis habet Deus hominum superbiam. Nam ante alias virtutes humilitatem probat. Adijcitur illis, Et in felicitate sua vel copia rerũ opibusq; & fortuna prospera multos vastabit. Solent enim homines sequi fortunam meliorem, maximè si sperent opes & dignitates se consequuturos. Spe autem & muneribus dignitatibusq; propositis dementabat plurimos atq; corrumpebat.

Opposuit se summo principi.

Super hæc omnia summo principi Deo modis omnibus se obijciet, & pugnam cum Deo suscipiet, cuius ipse est vasallus. Deus enim principum est princeps, vt qui principes ponit & deponit. At domino suo resistere ausus est Antiochus, dum in templum collocat statuam Iouis Olympij, dum eijcit è templo Dei omnia sacra, instituta à Deo, dum exurit libros sacros, & impietate sacrilega nihil non loquitur tentat & audet contra dominum.

Conteritur Antiochus.

Dissimulauit illa omnia ad tempus dominus, vbi autem mensuram iniquitatis nebulo ille, quem scriptura vocat radicem peccati (ein stinden dyr[illegible] imple uisset, de repentè è fastigio deijcit eum Deus & conterit. Occulto enim morbo quodam percussit ipsum dominus, quo lẽta, & hoc magis acerba, est morte consumptus. Dicitur ergo sine manu contritus. Non enim interfectus est manu hominis, sed extinctus diuina vindicta. Reseruat sibi Deus puniendos insignes illos hostes suos, quorum è numero est hic Antiochus. Cui annumerari possunt Pharao ille Ægyptius, & Herodes magnus infantium cruore infamis, Maxentius ille Cæsar fœdus, & Maximianus, & cęteri his non dispares. Sciamus ergo certò Deum insignes illos hostes suos suo tempore pro dignitate tractaturum, & absq; hominum manu, sua potentia puniturum. Hæc certè consolabantur populum afflictum in persequutione Antiochica, dum viderent persequutionem illam non sine prouidentia Dei grassari, sed & finem ei destinatum, & pœnas commeritas ei dispositas esse, qui sibi inuictus & Deus quidam esse videbatur.

Collatio Antiochi & Antichristi.

Iam verò locus & res postulat vt perstricta expositione visionis de cornu paruulo angelica, etiam ad antichristum perueniamus, ostensuri breuibus, quo modo hic dictis & factis suis referat Antiochum. Scio esse quibus videatur coactum esse, si hic locus exponatur de antichristo. Quibus & ego accedo, si intelligant propriè hunc locum non de antichristo, sed de Antiocho esse interpretandum. Dissentio ab illis ipsis si contendunt, ne per typum quidem de antichristo posse exponi. Nam propriè competit Antiocho, per typum autem antichristo. Certè S. Hieronymus in hunc locum scribens commentarios, Hunc locum inquit, plerisq; nostrorum ad antichristum referunt, & quod in Antiocho sub typo factum est, sub illo in veritate dicunt complendum. Habemus in his licet breuibus verbis iudicium veteris ecclesiæ, & quod nouum & insolitũ non est ista antichristo accõmodare. Inter neotericos doctissimus Philipp. Melanch. Apostolus, ait, in 2. ad Thess. 2. expresse hæc Danielis verba accõmodat ad antichristum. Et quidem per cornu paruulum audiuimus & in 7. cap. antichristum esse intelligendum. Vt verò Antiochus sub finem Macedonicæ monarchiæ imperitare cœpit, ita ex collapso imperio Romano, exurgit antichristus. Hic impudens est, habens frontem meretricis, sicut alibi quoq; dictũ est. Regnat ille non viribus suis, sed aliorum, & per iram domini. Cum enim pontifices nullos habeant exercitus equitum & peditum, artibus præstigijsq; tamen suis mentes regum & principum incantando mouent, vt ipsi sanctæ sedis & bella & patrocinium

cium ſuſcipiant. Merentur hoc peccata fidelium varia & plurima. Sicut autem Antiochus maximè occupauit terram deſiderabilem, ita antichriſtus in primis eccleſiam ſubiget atq; vexabit. In ea occupanda & retinenda vtetur callidiſſimis artibus, quibus pollet, optimus pertexendarum practicarũ artifex: Id quod res hodiernæ declarant. Cæterùm veritatem adfligit & hic in terram, ſcholas inſtituit corruptiſſimas, linguas ſacras & interpretationes ſacrorum librorum doctrinamq; ſynceram damnat, libros pios comburit, ſtellas deniq;, illuſtres in eccleſia doctores & viros claros in fide conculcatos perdit, & populum confitentem doctrinam euangelicam perſequi non deſinit: vnicum item Chriſti ſacrificium, quod ſemel oblatum eſt in cruce & amplius nõ offertur, tantum non obſcurat & abolet, ac eccleſiam Chriſti veram prophanam imò hæreticam eſſe clamitat. Effertur item intolleranda contra Deum & Chriſtum eius iactantia. Nam omnem plenariamq; ſibi vẽdicat poteſtatem tam in cœlo quàm in terra. Deniq; in his omnibus proſpera vtitur fortuna, et efficit feliciter quod vult. Maxime verò quòd inſtructus eſt opibus, dignitatibus vel honoribus, multos his dementat & in ſuas attrahit partes atq; perdit. Tandẽ verò abſq; manibus conteretur, Paulo quoq; hæc exponente, & dicente, Quem dominus conficiet ſpiritu oris ſui, & abolebit claritate aduentus ſui. Breuior in his ſum, quòd copioſe hæc tractauerim in concionibus meis in Apocalyp. & eadem veniant repetenda cap. 11. Ac ſatis eſſe puto, ſi ſaltem ſumma indicentur rerũ veſtigia. Nam res ita eſt hodie manifeſta, vt ſi quis vnum habeat verbum, eo ipſo multarum ſimul poſſit admoneri ſententiarum & rerum. Sed & res antichriſti tam ſunt apertæ, & vbiq; oculis omnium ſeſe ingerunt, vt qui videre & agnoſcere nolit, apertis oculis nihil videre velit.

Viſioni porrò ac viſionis expoſitioni adiicit vltimo loco coronidem Daniel, qua primùm confirmantur hæc, deinde oſtenditur, quomodo his ſit affectus Daniel, & quid fecerit. Angelus enim magna aſſeueratione affirmat viſionem hanc quæ pertineat ad matutinum & veſpertinum tempus, id eſt ſeruiat tam præſentibus hominibus quàm poſteris multa poſt ſecula futuris, veram & certiſſimam eſſe: vnde & hanc iubet obſignare. Obſignamus enim quæ certa & indubitata eſſe volumus. Alij volunt iuſſum prophetã vt obſignet, id eſt occultet ad tempus. Verùm prior ſententia & ſimplicior eſt & melior. Apparet enim Deum per angelum fidem voluiſſe conciliare huic negotio, ne ſi non protinus omnia complerentur, dubitetur de viſionis veritate. Sicut itaq; credimus tabulis obſignatis, ita iubemur & his credere. Nam ſubiicit iſta poſt multos demum dies fore complenda. Quòd ſi ſupputes annos à tertio Baltazaris anno ad primum Antiochi annum, inuenies annos (ſicut ſupra dixi Homilia 42) plus quàm 300. Longior ſupputatio excreſceret ſi progrederemur ad tempora vſq; antichriſti. Quòd ſi & hunc viderimus diutius regnare in eccleſia Chriſti, & omnia conculcare, ne dubitauerimus & hunc ſuo tempore conterendum eſſe ſine manibus. *Confirmatur hæc uiſio.*

Malè autem Daniel ad hanc viſionẽ eſt affectus adeò, vt confectus & ægrotus decubuerit ad dies aliquot. Vehementer enim doluit illi miſerabilis ſanctorum ſors, & proſpera illa filij perditionis fortuna. Non tãtopere commouentur hodie qui ſub antichriſto re ipſa iam exercentur illis malis, quibus viſis à longè tantũmodo, tantopere eſt cõmotus Daniel. Requiritur ergo à nobis vehementior affectus & oratio ad Deum ardentior. De quo ſuperius quoq; dictum eſt. *Quomodo Daniel affectus ſit uiſione hac.*

Quemadmodum verò Daniel propter infelicem ſanctorum ſortem inerti ocio non computreſcit, ſed redit poſt viſionem ad exequenda regis negotia: ita etſi audiamus multa nobis mala eſſe exantlanda, nihilominus tamen ne ſegne- *Quid fecerit Daniel.*

scamus, sed obeamus officia nobis demandata honesta & vtilia. Danieletsi regi singulariter non erat notus, vt claruit cap. 5. videtur tamen ob ingentia sua dona, à consiliarijs nõnullis adhibitus fuisse regijs negotijs exequendis. Ergo peccatum non est negotia publica & ciuilia obire, modò illa non pugnent cum religione. Licet enim diuinam habuisset reuelationem Daniel, tamen non putat ideò sibi abstinendum esse à ciuili administratione. Interim tamen visionis huius non obliuiscitur. Stupet ad illam vehementer, & sedulò illam secum confert, & frequentissimè apud se cogitat, quod semel viderat: relinquens nobis exemplum magnæ adhibendæ in sacris meditandis diligentiæ. Et tum quidem visio illa nõ intelligebatur ab omnibus, neq; vulgaris erat omnibus. Suo enim tempori reseruabatur. Nam res quæuis suum habẽt tempus. Domino Deo qui hæc nobis reuelauit, sit laus & gloria in sempiternum. Amen.

VISIO TERTIA DE VRBE SANCTA ET MESSIA sub monarchia Romana.

CAPVT IX.

HOMILIA XLIIII.

ANno primo Darij filij Assueri de genere Medorum, qui regno Chaldæorum præfectus fuit, añ (inquam) primo regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factum est uerbum Domini ad Ieremiam prophetam, quòd desolationis Hierosolymæ septuaginta anni implendi sint. Et uerti faciem meam ad dominum Deum, ut orarem & obsecrarem, cum ieiunio & sacco & in cinere. Supplicans autem domino Deo meo, & confitens, dixi, Quæso domine, Deus magne & formidabilis, qui seruas fœdus & misericordiam erga diligentes te, & erga obseruantes præcepta tua. Peccauimus & iniqui fuimus, impiè egimus, rebellauimus, & defecimus etiam à præceptis tuis et iudicijs tuis, neq; obediuimus seruis tuis prophetis qui tuo nomine loquuti sunt ad reges nostros, principes nostros, & patres nostros, & ad uniuersum populum terræ.

Reuelatio magis angeli quã uisio.

VISIO tertia nono hoc capite comprehenditur, quamuis reuera magis sit clara reuelatio vel expositio & doctrina, allata ab angelo, quàm Visio. Ac Daniel ipse seiungit hæc à visione, cum postea dicet, Dum precarer adhuc, Gabriel quem ab initio in viso conspexi, docuit me, &c. Vt autem visione superiore exposuit quid populo Dei euenturum sit, & quid sit passurus sub monarchia Græca, ita nunc dicet quid futurum sit sub monarchia Romana vltima & quarta, quanquam ad Persicam referuntur, quę dicuntur in hoc capite de vrbis reparatione & ædificantium laboribus. Prę-

Argumentum huius capitis.

mittitur autem Reuelationi angelicę occasio eius, oratio videlicet et confessio prophetæ. Nam audit Dgus preces Danielis, & mittit ei angelũ suum Gabrielem, eundem illum qui & incarnationis dominicæ ad virginem Mariam internuncius fuit, qui ipsum doceat prophetam, populum Dei ex captiuitate reducendum,

dum reparandamq; fore vrbem Hierosolymorũ, quamuis multa cum difficultate, Christum deinde venturum, & quę per ipsum mundo sint donanda, quòd moriturus sit, & nouum conditurus testamentum, Iudæos autem vnà cum vrbe & templo fore excindendos, quòd Messiam repudiauerint, proinde & gentem Iudæam vicissim à Deo perpetuo abdicandã fore repudio. His monemur seriò Christum vera fide recipere, & ne & ipsi saluatorem in euangelio se nobis aperientem aspernantes, in perpetuum repudiemur à Domino.

Præponit historico more notationem temporis quando hæc sint facta, in anno vtiq; vno, id est primo Darij prisci. Fuit hic filius Assueri, qui & Astyages dicitur, frater Mandanes matris Cyri, & proinde eiusdem auunculus, & vt historiæ volunt, socer etiam. Collocauit enim filiam suam Cyro in matrimonium. Dicitur idem ille Darius & Cyaxares in historijs. Ac primus eius annus hic numeratur, non regni Medorum, cui præfuerat fortè iam annos circiter 13. sed Chaldæorum vel Babyloniorum, id quod à Daniele disertè exprimitur: quando videlicet interfecto Baltazare vnà cum Cyro Babylonem subegerat. Primus ergo hic annus fuit Persicæ monarchiæ, in quo terminabantur 70. anni captiuitatis Babylonicæ. Hic idem ille Darius est cuius mentio est facta cap. 6 huius operis. Sed & Assuerus ille ipse esse existimatur, qui Hestheram duxit vxorem, & multa per Mardochæum in Iudæos beneficia contulit in captiuitate. De quo extat pulcherrima historia Hesther. *Quando hæc sint facta.*

Totum caput præsens distingui potest in duas partes. Priore exponitur Danielis oratio atq; confessio peccatorum ad Deum. Posteriore redditur nobis archangeli expositio de reparanda vrbe, de Christo Messia, & excidio vrbis gentisq; repudio. Inter præcipuos locos scripturæ vniuersæ hic non est postremus, dignissimus, qui à nobis quàm diligentissimè religiosissimeq; tractetur, & à nobis non minore diligentia & attentione audiatur vel legatur atq; etiam obseruetur. Vberrimus hinc ad singulos redibit fructus. *Distinctio capitis.*

Porrò occasionem confessioni orationiq; dedit, quod propheta legit in Ieremia propheta, & inuenit numerum annorum captiuitatis, prędictum à Ieremia iam impletum esse. Leguntur ista apud Ieremiam in cap. 25. & 29. Tanto verò magis incenditur ad confitendum & orandum, quanto propiùs esse intelligit liberationem. Vnde nos discimus Dei promissionem, licet amplissimam & certissimam, tamen non extinguere auertere aut impedire orationem fidelem, sed promouere potius. Quia enim promisit Deus, ideò oramus ipsum. Tametsi enim sciamus Deum promisisse nobis eundemq; esse veracẽ, nihilominus orandum est nobis. Prophani dicunt, Cur hoc peteremà Deo, quod ille aliàs est daturus? Si precibus peterem, viderer diffidere promissioni ac veritati Dei. Abominanda sunt illa, neq; vnquã à prudentibus & sanctis audita hominibus. Sancti Deo credunt & eundem nihilominus orant. Commendatur item nobis lectio sacrarum literarum. Si enim Daniel, qui habuit spiritum Dei & angelorum colloquia, non dedignatus est legere Ieremiam, cur nos prophetarum & apostolorum scripta fastidiremus? Præterea commendatur nobis singulariter veritas & certitudo oraculorum Dei, per hoc quod 70. anni captiuitatis eum sunt consequuti finem, quem Ieremias prædixerat. Ne ergo dubitemus de scripturarum veritate. Sed descendimus nunc ad orationem Danielis explicandam. *Occasio orationis impletio 70. annorum.* *Promissio orationem non impedit, sed promouet.* *Lectio sacrarum literarum*

Circa principium orationis Danielis attinguntur circunstantiæ quædam piæ orationis. Principio enim conuertit faciem suam ad Dominum. Si tunc placuisset Deo intercessio sanctorum, certè conuertisset se Daniel ad Ieremiæ intercessionem, quam ab eo ad Deum postulasset: iam verò vertit faciem suam ad Deum, orandus est ergo solus Deus, per interuentum Messiæ. Deinde non *Circumstantiæ orationis piæ.*

tantùm orat, sed etiam obsecrat. Alibi enim dixi, Orationē suas habere species. Postremò cohercuit etiam carnem ieiunio, sacco & cinere aspersо, vt ipsam spiritui subderet minusq; hæc contra spiritum ferociret. Oportet enim carnis petulātiam refrenare modis omnibus. Alioqui frigebit oratio. Qua de re dictum est aliàs. Ritus isti externi nisi ex vera fiant fide, inutiles sunt. Vnde Ioel dixit, Scindite corda & non vestimenta. Notissimus est locus Ioelis 2.

Argumentum confessionis & orationis Danielis.

Post hæc sequitur oratio & confessio prophetæ, cuius hoc est argumentum, Ingenuè confitetur tùm sua tùm populi peccata, quæ non imminuit vel extenuat, sed exaggerat potius. Prædicat item Dei iustitiam, qui ipsos iustissimo puniuerit iudicio. Deinde deprecatur, petens sibi populoq; peccatorum admissorum veniam concedi, populum item liberari & reduci, templum quoq;, cultum Dei & vrbem restitui. Possumus ergo his similia etiam petere à Deo, quoties similis nos vrget vritq; necessitas. In hac ipsa oratione adumbratur vera pœnitentia, quæ est conuersio ad Deum, à sathana & à peccatis, peccatorumq; agnitio, & confessio, cum dolore de admissis flagitijs, & vera fide recipiente peccatorum remissionem, operanteq; vitæ immutationem, è praua in sanctam.

Vera pœnitentia.

Ac nisi quis vera & firma in Deum fide præditus sit, non ritè orabit. Vnde Daniel ab initio orationis inuocās Deum, quid de Deo sentiat simul prædicat, & sese erigit in precatione, docens quis & quantus sit hic Deus, qui videlicet iuuare possit. Apellat ergo ipsum magnum, potentia nimirum & gloria, formidabilem suis contemptoribus & impijs nebulonibus, pijs verò vt patrem metuendum vel reuerendum, veracissimum item & constantissimum, quippe qui seruet fœdus, & misericordiam vel beneficentiam præstet diligentibus Deum, & obseruantibus præcepta. Tales verò illi sunt qui per fidem fruuntur Christi iustitia, & studio summo annituntur viuere iuxta præcepta Dei. Precaturos ergo Deum, ante omnia tali in ipsum fide, quæ commemorata in ipso agnoscat, præditos esse oportet, simulq; orare vt Deus huiusmodi fidem concedat.

Oratio ex vera fide.

Mox peccata admissa & agnoscit & deplorat, quæ, sicut dictum est, non extenuat, sed ingenuè agnoscit & exaggerat, Peccauimus, inquit, iniquitatem fecimus, impiè egimus, &c. Gradibus quibusdam assurgit ad summum vsq; impietatis. Hypocritæ dicunt, Gratia Deo, quòd non sumus sicuti cæteri mortales. Impij dicunt, Tametsi peccarim, nulla tamen est de hoc cura superis. Pij simpliciter & ex corde confitētur & scelerum suorum magnitudinem agnoscunt. Sed & per interpretationem subiungit, Neque obediuimus seruis tuis prophetis, modum describens admissorum scelerum. Docuisti nos per verbum tuum, prædicatum per prophetas, quid faciamus vel quid omittamus, verùm nos salutarem hanc doctrinam spreuimus. Cum autem multi soleant dicere, Tametsi contradixerim concionatori, ideò tamen Deo non contradixi, ideò præoccupat hanc impietatem, & dicit, Qui loquuti sunt nobis in nomine tuo. Vnde sanè consequitur quòd qui prophetis contradicit, Deo prophetas mittenti contradicat. Obseruentur hæc diligenter, ne inutili imò scelerata excusatione nos accusemus potius quàm excusemus. Obseruandum & illud est, prophetas mitti à Deo ad Reges, ad Principes, & ad omnes omnium ætatum omnis sexus generisq; homines. Dei enim sunt oratores & nuncij, qui vniuersorum est Dominus. Cui gloria.

Peccata agnoscit et deplorat

HOMILIA XLV.

Tibi domine iustitia & nobis confusio faciei, sicut est dies hæc, viro Iudæ & inhabitatoribus Hierusalē et omnibus Israelitis

litis tam propinquis quàm remotis, in omnibus terris, ad quas eiecisti eos, ob defectionem qua à te defecimus. Domine nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris, quoniam in te peccauimus. Domini autem Dei nostri misericordia est & propitiationes, à quo defecimus. Neq; audiuimus vocem Domini Dei nostri, vt ambularemus in legibus eius, quas proposuit nobis, per seruos suos prophetas. Et omnes Israelitæ transgressi sunt legem tuam, & declinantes non audiuerunt vocem tuam: atque ideò stillauit super nos maledictio & execratio, sicut scriptum est in lege Mosis serui Dei: quoniam in ipsum peccauimus. Et stabiliuit verba sua quæ loquutus est contra nos, & iudices nostros, qui iudicauerunt nos, vt ingens malum induceret super nos, vt sub toto cœlo actum non sit, sicut actum est in Hierusalem. Sicut enim scriptum est in lege Mosis, ita omne istud malum euenit nobis: neque Deo supplices fuimus, vt recederemus à nostris iniquitatibus, & eius veritatem intelligeremus. Quocirca aduigilauit Deus malo nobis inferendo. Iustus est enim Dominus Deus noster in omnibus suis operibus, quæ fecit: & non audiuimus vocem eius.

DAniel confitens peccata, & confitendo detestans, & verè coram Deo lugens suam populiq; miseriam, suo omnes nos exemplo docet, quid singuli quouis seculo, & in qualibet afflictione agamus, cõfiteamur videlicet Deo peccata nostra varia & plurima, contra Deum admissa, propter quæ iste nos iure punit, id quod liberè prædicandum est à nobis. Nam murmurando aut dissimulando extenuandoq; peccata, nunquam eluctabimur ex calamitatibus. Petamus item delictorum veniam. Peccata autem nostra ita sunt Deo confitenda, vt in ipsum nullam malorum nostrorum reijciamus culpam. Tu, inquit, Domine iustus es, & tibi iustitia tribuenda est, nulla nostræ culpa miseriæ: in nobis inhæret omnis culpa. Vnde & meritò coram te erubescimus atq; confundimur. Vbi mox omnis gradus & ordinis homines numerat. Nemo enim hic excipitur. Ac repetit mox iterum, quod dixerat, Domine nobis confusio faciei. Nam singulariter hoc agnoscendum est. Quibus adijcit, Domini esse misericordiam & condonationem. Bonus enim & longanimis fuit Dominus. Nam pepercit eis, peccata condonans & non puniens: Quin misit prophetas per quos reuocauit errantes in viam iustitiæ. Isti verò non tantùm audire prophetas dedignati sunt, sed planè à Deo suo & verbo veritatis defecerunt, sequentes idola & facientes, quę ipsis lubebant: proinde cum iam punirentur, rectè agnoscunt Deum esse bonum & iustum, ex ipsis esse omne malum, meritoq; ipsos erubescere propter istam suam infractam pertinaciam & incurabilem impietatẽ. Ita verò omnes nos coram Deo humiliari oportet, &c. Sed & copiosiùs & diligentiùs peccati ipsorum rationem persequitur, vt modum eius intelligamus & rectiùs de eius qualitate & grauitate iudicemus. Non audiuimus, inquit, vocẽ Dei nostri. Nolle audire omnis est mali initium. In Ieremiæ sermonibus & historia, videre licet populi huius inobedientiam imò rebellionem refractariam. Et nolle audire vocem domini Dei, sacrilegũ est crimen. At negant multi Deum secum esse

Vsus huius Confessionis.

Nulla malorũ culpa in Deum reijcienda.

Quomodo peccarit populus contra Deum.

loquutum. Quia non agnoscunt vocem prophetarum loquentium in nomine Dei, vocem esse Dei. Daniel ergo hic dicit, Deum vocem adeoq; voluntatem suam proposuisse populo per prophetas. Vnde qui reijcit prophetas, reijcit Deum. Quod & in euangelio dixit de apostolis Dominus. Et qui audire nolũt doctrinam propheticam & apostolicam, illi ipsi vitam suam non instituunt secundum legem vel voluntatem Dei, vel iuxta doctrinam propheticam & apostolicam, quam annunciant prophetæ & apostoli. Vnde in Daniele adijcitur, Non ambulauimus in legibus Dei. Quid ergo? Vniuersus Israel legem Dei est transgressus, imò defecit à Deo & lege Dei. Quod videre licet iterum in Ieremia. Hac ratione & hoc modo peccatur hodie quoque non audiendo videlicet euangelium, non obsequendo, vitamq; nostram ad eius præscriptum instituendo. Faciunt vniuersi absq; omni timore Dei, quod ipsis videtur commodum. Ita verò homines refractarij à Deo & euangelio eius deficiunt.

Pœna peccatorum. Sequitur vitam hanc incorrigibilem & impiam, iustissimum Dei suppliciũ, quod videlicet Deus iusto iudicio sumit de impijs. In ijs quoq; prædicatur Dei iustitia, iustè punientis incurabiles. Et quidem non opprimit pœnis de repente peccatores. Minatur multò antea, dum minas in Lege Leuit. 28. & Deut. 28. copiosè recensitas per prophetas denunciat. Dum verò non metuunt Deum pec-

Stillare. catores, iustè incipiunt stillare calamitates super peccatorum capita. Stillare est sensim vel paulatim & tamen indesinenter stillicidij instar immittere mala varia eaq; accumulare vel multiplicare. Mala omnis generis in lege recensita comprehendit sub vocabulis maledictionis & execrationis. Statuit verò vel stabilit verba sua Deus, quando rebus ipsis complet quod verbis minatus fuerat. Videntur minæ prophetarum impijs esse inanes vel vanæ. Verùm Deus, euentu declarat verba ipsius esse verissima. Vnde etiam Daniel addit, adeò plenè completas esse minas Dei, vt sub cœlo nunquam tanta sit visa vel audita calamitas, quanta in vrbem Hierosolymorum & Iudaicam gentem sit effusa. Timeamus ergo nobis coram Domino, quoties minæ eius exponuntur nobis.

Colligitur confessionis summa. Quæ verò hactenus dixit copiosè & repetiuit, ea colligit porrò & ait, Sicut Dominus in lege sua minatus est se puniturum rebelles, ita sanè puniuit Iudæos. Peccarunt enim Domino & rebelles fuerunt. Et quidem principiò, quia Deo non fuerunt supplices, precantes vt condonaret peccata & gratiam emendandi vitam prauam concederet. Deinde quia non mutarunt corruptos mores, sed perstiterunt in sceleribus. Postremò quia inculcatam noluerunt intelligere veritatem mera malitia occludentes oculos. Quia ergo dormierunt in iniquitatibus omnes, inuigilauit Deus malo quod illaturum se incurabilibus prædixerat, malumq; copiosè valideq; eis inflixit, & in captiuitatem hanc diuturnam eiecit. Prædicanda est ergo in his malis omnibus Dei iustitia, qui quæ contra istam gentem fecit, iustissimo iudicio fecit. Quia enormiter & incurabiliter peccauerunt contra ipsum.

Ad hunc verò modum discamus omnes Deo nostra confiteri peccata, & culpam in nos omnem, vt æquum est, deriuare, Dei interim iustitiam & æquitatem prædicare: qui libẽter parceret nobis, ideoq; reuocat nos à sceleribus. Qua de re lege pulcherrimam huius loci Danielis enarrationem in vlt. cap. 2. lib. Paralip. Deo sit laus & gloria semper.

HOMILIA XLVI.

Nunc ergo Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti, manu forti, & fecisti tibi nomẽ secundũ diem

hanc

hanc peccauimus, impiè egimus. Domine ſecundum omnes iuſtitias tuas reſideat obſecro ira tua & furor tuus ab urbe Hieruſalem monte ſanctitatis tuæ. Ob peccata enim noſtra, & ob iniquitates patrum noſtrorum Hieruſalem & tuus populus ludibrio ſumus omnibus regionibus, quæ circum nos ſunt. Nunc igitur Deus noſter audi orationem ſerui tui & deprecationem eius, & illumina faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum, quod eſt deſolatum, propter Dominum. Inclina Deus aurem tuam, vt audias, & aperi oculos tuos, vt videas noſtras ſolitudines, & urbs quæ vocatur nomine tuo. Quia non ſuper iuſtitijs noſtris proſternimus preces noſtras, coram facie tua, ſed in miſerationibus tuis copioſis. Domine audito, Domine ſis propitius, Domine attẽdito, fac, ne differas, propter temetipſum, mi Deus, quia urbs tua & populus tuus appellantur nomine tuo.

POſt pleniſsimam peccatorum confeſsionem, ſequitur iam orationis petitio. Nunc enim à Deo poſtulat, vt populo Iudaico cõdonet peccata, in gratiam cum ipſo redeat, ipſum reducat in patriam atq; ibidem reſtituat, reſtaurato in primis templo & vero Dei cultu. Rationes commemorat varias, cur exaudiri debeat, non quòd Deus huiuſmodi rationibus commoueatur hominis inſtar, ſed quòd illis animus precantis magis ac magis excitatur, ardentiuſq; & fidentiùs obſecrat: & quòd Deus velit ita precari. Placet enim Deo oratio profuſa ad ipſum huiuſmodi ſuffulta rationibus: quibus & Dauid vſus legitur in Pſalmis creberrimè. Cumq; plurima poſsint peti à Domino, vt ſanitas, robur corporis, victus neceſſarius, ſalus familiæ, & quæ huius generis ſunt innumera, nihil tamẽ horum petitur hic à propheta, ſed maximè & ante omnia veri cultus Dei reſtitutio & religionis veræ integritas. Hoc itaq; in primis eſt petendum à Domino, quod ferè pleriſq; nunquam venit in mentem. Sunt enim admodùm carnales, poſtulantes potius corporalia. Et quidem noſtro tempore, quo vi aperta & inſidijs clancularijs venenatiſsimiſq; petitur prædicatio verbi Dei, & hoſtium noſtrorum conſilia huc in primis tendunt, vt prædicatione verbi Dei ſpoliemur, & prædicatio traditionum humanarum rurſus obtrudatur nobis, nihil magis eſt neceſſarium nobis, quàm huiuſmodi precibus, quibus ſedulò & abſque intermiſsione petamus à Domino, ne cibus ille animarum nobis ſubducatur, ne regnet papatus, ſed vincat potius Chriſtus & verbum euangelij. In oratione dominica ſemper poſtulamus panem quotidianum, quamuis in hoc includatur & animæ cibus, frequentius & diligentius multò petimus ſanctificationem nominis diuini, propagationẽ regni Dei, breuiter, vt fiat voluntas Domini Dei. Teneamus itaq; petenda quidem eſſe temporalia, ſed magis tamen ſpiritualia, vt inſtauratio ac propagatio verbi & regni Dei.

Petitio huius orationis & quid fideles potiſsimũ petant.

Cum autem ea quæ petit, à Deo petit, docet vtiq; non à diſs alienis, ſed duntaxat à ſolo Deo vero omnia vota noſtra eſſe petenda. Illum vocat & dominum & Deum ſuum, adeoq; vniuerſi populi. Rationem mox validam admodũ profert petitam ab anteactis. Olim fuit etiam populus Dei in Ægypto captiuus & tantùm non oppreſſus ab Ægyptijs, licet autem tum quoq; multis eſſet peccatis implicitus, liberatus eſt tamen à Domino, qui magna ipſum eduxit potẽtia. Id quod ad gloriã nominis Dei ceſsit, adeò vt hodierna adhuc die facinus hoc Dei pulcherrimũ, in maximo ſit precio atq; præconio. Vnde tametſi nunc quo

A Deo petendũ

que ſimus peccatores, detẽti in captiuitate Babylonica, educes nos tamẽ, ò Domine Deus, & cedet hoc tam inſigne nobis præſtitum beneficium, ad laudem quoq; & gloriam tuam. Iubemur ergo orãtes meminiſſe veterum Dei operum & his nos confirmare & conſolari, & in primis petere vt gloria Dei inclareſcat.

Petit audiri propter Dei iuſtitiam.

Aliam deinde profert rationem, petitam ab ipſo Dei populo, & ab ipſa Dei iuſtitia. Et quantum quidem attinet ad populum, Peccauimus, inquit, imò non peccauimus ſimpliciter, ſed impiè egimus, vt noſtri meriti boni nihil poſsimus obtendere, ſed duntaxat culpam deprecari. Hic verò toti confugimus ad diuinam iuſtitiam, ac per omnes tuas iuſtitias ò Deus ſupplicamus vt auertas iram atq; furorem tuum ab vrbe illa tua Hieroſolymorum, in qua eſt mons ſanctitatis tuæ, arx inquam regia & templum ſanctum. Conſideratur autem iuſtitia Dei, partim ſecundum id quod vnicuiq; retribuit pro merito. Atq; iuxta hunc ſenſum, nemo petit ſibi rependi pro eo quod meruit. Boni enim meriti nihil eſt nobis, mali moles quædam ingens & immenſa. Partim verò conſideratur iuſtitia Dei, ſecundum id quod Deus verax eſt & conſtans iuſtiſsimuſq; in promiſſis, qui quæ promiſit præſtat copioſiſsimè. Quoniam itaque promiſit ſe clementem fore peccatoribus, & hos ſe reſtituere velle, per hanc iuſtitiam orat Daniel, vt reſtauret templum vrbem q; & reſtituat iterum populo iuſtum Dei cultum. Ita verò in Pſalmis Dauid ſæpe implorat Dei iuſtitiam, non quidem confidens ſuis operibus ceu bonis meritis ſed veritati diuinæ. Vides hic quoque quæ ſint malorum cauſæ. Etenim nos ex corruptione noſtra peccamus, propter peccata noſtra iraſcitur nobis Deus. Iuſta ſua ira affligit nos, ſicuti genti Iudaicæ templum ſuſtulit & cultum.

Populus Dei impijs eſt ludibrio.

Rurſus repetit propter peccata populi & maiorum, Deum tradidiſſe ipſos Babyloniſs, quibus ludibrio ſint. Latet tamen euidens ratio in his. Innuit enim opprobrium vel ludibriũ gentilium quo populo Dei illudebant redundare in ignominiam Dei. Tametſi enim peccatis ſuis meruerint omnium ſannis exponi, illuſores tamen nihil magis opprobrabant quàm religionem Iudaicam, in triumpho ductam à Babyloniſs, &c. Id reuera redũdabat in ignominiam Dei, cuius erat illa religio. Petit ergo vt gloriam ſuam contra blaſphemos aſſerat Babylonios. Poſſumus eadẽ ratione & nos poſtulare à Deo noſtro, vt nos aſſerat à ſannis illudentium quales quales illi ſint, verbo Dei & religioni euangelicæ.

Propheta ſeruus Dei orat.

Significantiſsimè porrò exponit quid petat propheta, Nunc ergo Domine mi audi orationem ſerui tui & eius deprecationem. Petita eſt hæc ratio à perſona prophetæ, qui dicit ſe ſeruum eſſe Dei, & ideò audiendũ: & à precibus quoque. Quia non tantùm orauit, ſed ardentiſsimè precatus eſt, ergo audiri debuit. Quid verò faciat Deus? Illuminet vultum ſuum ſuper ſanctuarium deſolatum. Deſolatum ſanctuarium, erat deſtructũ templum, deſolatum inquã atq; ipſius adeò oppreſſus Dei cultus. Illuminat verò vultum ſuum Deus, quando aſpicit vultu ſereno & placato. Huic opponitur nubila facies & indignabunda, quę ſe auertit ab eo, cui eſt irata. Senſus ergo eſt, Concede clemens & propitius, vt reſtituatur templum cum vniuerſo Dei cultu. His ſubiungit grauiſsimum ad impetrandum argumentum, Propter Dominum, לְמַעַן אֲדֹנָי. Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, Concede hoc nobis propter Chriſtum Dominum. Hũc enim Dauid in vaticinio ſuo Pſal. 110. appellans Dominum, dixit, Dixit Dominus domino meo, ſede à dextris meis, &c. Claret itẽ ex 7. Iſaiæ & 37. cap. Deum olim inſignia beneficia præſtitiſſe populo ſuo propter Chriſtum, quem prophetæ agnouerunt mediatorem eſſe, propter quem Deus pater nobis placatus omnigena bona benignè conferat. Quanto magis autem nunc in nouo teſtamento, debemus precari vt Deus vota noſtra nobis propter Chriſtum largiatur? Ioan. 16.

Exaudi propter Dominũ.

Pergit

Pergit impetrare restitutionem templi cultusq; & ait, Inclina Deus aurem, vt audias, &c. Rectè verò Hieronymus hæc dicta dicit ἀνθρωποπαθῶς, nimirum ad modum humanum, quasi Deus aures habeat easq; inclinet. Cupit autem solitudines vrbis & templi reparari. Causſam quæ moueat addit, Vocantur nomine tuo. (Hebraismus est super quæ inuocatum est nomen tuum) Nam vrbs Dei vrbs & Templum domini templum nuncupabantur. Agitur ergo hic iterum de gloria tua, quã asseres, si illa nobis restituas. Et adhuc appẽdit causſam longè euidentissimam, Quia non super iustitijs nostris, &c. Prosternere preces est loquutio vel metaleptica vel synekdochica. Oraturi enim procumbũt corã Deo & se totos prosternunt, atq; hoc habitu preces suas effundunt coram Domino. Dicit autem propheta, Nulla confidentia iustitię operum nostrorum supplicamus tibi, quasi nos audire debeas, quia iusti simus, sed spreta omni nostra iustitia, duntaxat confidimus in tuam misericordiam illam amplissimam. Quia enim misericordia tua exuperat omnia opera tua, ideò speramus nos breui restituendos. Et simili quidem fiducia, non in nostra opera, non in nostram iustitiam, sed in veram & copiosam Dei misericordiam accedere ad preces iubemur, & apud Lucam in cap. 18 vbi exemplo pharisęi opponitur publicanus supplicans, Domine propitius sis mihi misero peccatori.

Petit exaudiri propter gloriam Dei.

Philip. 3.

Videtur autem apostolus Paulus doctrinam suam de Deo iustificante nos gratia sua & non propter opera iustitiæ nostræ, expositam in 3. cap. epist. ad Titum verbotim propemodùm hinc petijsse mutuò, quam & ad Rom. 3. Galat. 2. & 3. & ad Ephes. 2. repetit. Magnus est ergo consensus doctrinæ propheticæ & apostolicæ in dogmate de gratia Dei, qua iustificamur per fidẽ in Christo Iesu, & non per vlla opera.

Dogma apostolicum de gratia Dei iustificãte nos per fidem non per opera.

Iam verò petitionem hanc suam vehementissimo affectu concludit, modo admirando vrgens Dominum, vt audiat, reducat, atque in integrum restituat. Vtitur repetitione & congerie verborum vehementi, Domine audito nos precantes. Domine sis propitius peccatis nostris, ne propter hæc diutiùs nos in captiuitate retineas. Domine videto qualis & quanta sit nostra calamitas, miseria, desolatio. Domine fac, quod te facturum promisisti, & nos te facturum confidimus. Ne differas diutiùs, maximè cum terminus 70. annorum fatalium sit completus. Fac quod facturus es propter temetipsum, id est propter meram tuã bonitatẽ & misericordiã. Hæc enim loquutio repetitur & Isaiæ 37. & Ezech. 36. Fac item quod facturus es propter tuam gloriam. Quoniam tua hic res agitur. cum templum & vrbs tuo nuncupentur nomine. Propheta quoq; in Psal. 74. supplicans ait, Adiuua nos Deus salutaris noster, propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto ¦peccatis nostris, propter nomen sanctum tuum. Nisi verò Deus singulari gratia sua per spiritum suum sanctum incẽdat corda nostra, tam sunt hæc frigida, vt nunquã supplicemus Deo tanto ardore, quanto hic audiuimus supplicasse Danielem. Oremus ergo Dominum vt is indat animis nostris feruorem. Ei sit gloria.

Vehemẽtißmo affectu precatur.

HOMILIA XLVII.

Adhuc autem me loquente & orante & confitente peccatum meum, & peccatum populi mei Israel, & prosternente meas preces ante Dominum Deum meum, pro monte sancto Dei mei. Et adhuc (inquam) loquẽte me in oratione, tunc uir Gabriel, quem vidi in visione ab initio, volando volauit ad me, tangens me,

circa tempus vespertinæ oblationis. Et docuit me, et loquutus est mecum, & dixit, Daniel iam exiui vt intelligere faciam te intelligentiam. In principio deprecationum tuarū exiuit verbum, & ego veni (tibi) nūciatum: quoniam tu desideriorum uir: itaq; attende ad sermonem, & intellige visionem.

Argumentum huius loci.

HIsce prophetę verbis exponuntur nobis duo præcipuè. Exauditas esse preces Danielis à Deo: ideoq; emissum Dei angelum Gabrielem, qui de omnibus necessarijs, ijs maximè, de quibus Daniel solicitus tenebatur, exactè eruditet. De ipsis verò precibus suis tam diligenter & significanter loquitur, vt ex ijs non postremas conditiones orationis veræ liceat colligere, has potissimùm.

Conditiones syncerę orationis.

Prostrauit se Daniel coram domino Deo suo, & corā ipso fideliter & familiariter preces suas effudit. Oportet ergo & nos prosterni, non corā creaturis, sed corā domino deo vero, qui solus est omniscius omnipręsens & omnipotēs. Sed oportet ex fide proficisci preces, & effundi ante Deum ceu benignissimum patrem. Sine fide nemo putet se quicquam accepturū. Prostratus coram patre legitur in euangelio & dominus noster Iesus Christus, in monte oliuarum. Nemi nem ergo pudeat tanta, si per corporis incolumitatem licet, sequi exempla.

Perseuerauit.

Deinde perseuerauit, vt apertè liquet, in precibus, Daniel. Requiritur itaq; & à nobis perseuerantia in spe, & ne obmurmuremus domino inter orandum, sed expectemus eius beneplacitum. Humiliauit item se Daniel, orans coram domino, humiliemur ergo & nos orantes. Nam superbi oratio nec legitima est oratio, nec exauditur superbus orans à domino. Proinde & suum Daniel peccatum, & populi peccatum agnoscit, & confitetur coram Deo, qui antea quoq; palàm dixit, se non precari vlla suæ iustitiæ fiducia, sed credere exauditum se iri, mera Dei misericordia. Quòd si Daniel qui inter orbis iustissimos homines numeratur Ezech. 14. agnoscit se esse peccatorem, quis posthac mundum se dixerit? Adducit hunc locum cōtra Pelagianos Augustinus. Nec pigebit huc asci

Sancti pro se cōfessi sunt peccata, & orauerunt.

bere Canonem 7. ex concilio Mileuitano, qui ad hunc modum habet, Placuit vt quicunq; dixerit in oratione dominica, ideò dicere sanctos, Dimitte nobis debita nostra, vt non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis tam necessaria ista petitio, sed pro alijs qui sunt in suo populo peccatores, & ideò nō dicere vnumquenq; sanctorum, Dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, vt hoc pro alijs potius, quàm pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & iustus erat apostolus Iacobus, cum dicebat, In multis enim offendimus omnes. Nam quare additum est, Omnes: nisi vt ista sententia conueniret & Psalmo, vbi legitur, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et in oratione sapiētissimi Solomonis, Non est homo, qui non peccet. Et in libro Iob, In manu omnis hominis signat, vt sciat omnis homo infirmitatem suam. Vnde etiam Daniel sanctus & iustus, cum in oratione pluraliter diceret, Peccauimus, iniquitatem fecimus, & cætera quæ ibi veraciter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodū quidam sentiunt, hæc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit, Cum orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei domino Deo nostro, noluit dicere, Peccata nostra, sed populi sui dixit & sua: quia futuros istos qui tam malè intelligunt, tanquam præuidit propheta. Hactenus Canon. Humilitatem porrò in orantibus palàm ipse quoque requisiuit dominus, qui inter orandum, docuit nos confiteri peccata ac dicere, Et remitte nobis debita nostra, &c.

Præte-

Præterea neceſſe eſt orationem fieri ex charitate. Nam Daniel non pro ſe & pro ſua ſolius cauſa, ſed et pro vniuerſo populo orauit. Apud Marcũ in 11. cap. dicit dominus, Cum ſteteritis ad orandum, remittat quiſq; ſi quid contra alium habuerit. Non ſapit cibus felle oblitus. Non placet Deo oratio, profecta ex inui dolíuidoq; pectore. Et quando orat propheta pro monte ſancto Dei, docet nos quæ potiſſimum petamus à Deo, religionis cultusq; diuini reſtitutionem atq; profectum. De quo antea dictum eſt. *Oremus ex charitate.*

At huiusmodi orationem exaudiri à Deo, & nunquam vanam eſſe, diligen ter & ſalubriter oſtenditur, vt & nos maiore cum ſpe oremus. Etenim dum adhuc loqueretur Daniel & oraret, accedit ipſum angelus domini, miſſus à Deo. Proinde aſcendunt orationes noſtræ, rectà, ad dominum Deum, cui cogitationes quoq; noſtrę ſunt cognitę. Præterea dicit angelus. In principio precum tua rum exiuit verbum. Id eſt ſimul ac precari cœpiſti, commiſit mihi Deus hanc legationem ad te. Rectiſſimè ergo dixit in euangelio dominus: Nouit pater veſter, quibus opus ſit vobis, priuſquam petatis ab eo. Nihilominus tamen petenda ſunt à nobis neceſſaria animæ & corpori. Sed & alibi in euangelio dicit dominus, Vbi duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Certiſſimum eſt itaq; Deum audire preces fidelium. Quod & in euangelio promiſit dominus, Ioan. 16. & Ioan. quoq; atteſtatur in ſua canonica cap. 5. *Exauditur fidelium oratio à Deo.*

Significatur item tempus quando ſit exaudita oratio, aut quando potius ſignificatum ſit exauditam eſſe, Tempore videlicet ſacrificij veſpertini. Vbi hæc nobis veniunt obſeruanda. Principiò Deum tùm nobis, re ipſa præſtita, commonſtrare, nos exauditos eſſe, quando ipſi fuerit viſum. Expectare itaq; iubemur eius nutum, licet ille differat ad veſperam, ad menſes & anos. Deinde non intelligendum eſt captiuos in Babylone obtuliſſe ſacrificia. Toto enim tempore, quo captiuitate ſunt concluſi, nulla obtulerunt ſacrificia, quę offerre non licebat, niſi in loco commonſtrato à Domino, hoc eſt in templo. Si extra locum definitum quis obtuliſſet, reputabatur ei pro ſanguine: ſicut in lege exprimitur Leuit. 17. Certum eſt itaq; Danielem Deo in captiuitate nulla obtuliſſe ſacrificia. Interim verò dubium non eſt ipſum recenti in memoria retinuiſſe ſacrificia & tempus ſacrificiorum, quo ſcilicet Deo preces obtulit. Fecit haud dubiè, quod hodie ſolent capti & affixi per morbum lectis. Dum enim coit eccleſia ad preces, & ſacramentorum celebrationem, adſunt ſpiritu ſuo hi quoq;, & recordatione religioſa celebrant & ipſi abſentes, & quidem ſpiritualiter, ſacra. Poſtremò myſterium habet, quod ſub veſperam annunciatur prophetæ Chriſtus. Nam & propter Chriſtum eſt exauditus, & idem in fine demum ſæculi venire incarnariq; dignatus eſt. Adducit in expoſitione huius loci D. Oecolamp. Ammonij interpretationem, dicentis, Quoniam in nouiſſimis diebus venturus erat Chriſtus, vt fiat pro ſalute mundi ſacrificium, meritò & Gabriel in tali hora viſus eſt Danieli, incarnationis verbi euangeliſta & præco. *Tempus exauditionis.*

His ad hunc modum explicatis, accedimus porrò ad alterum caput, quod in præſenti tractatur, ad angelum vtiq; à Deo miſſum ad Danielem. Quo inſinuatur & maxima Dei gratia emittentis ſeruos ſuos in miniſterium hominum, et orationis dignitas, elicitis ipſos Dei angelos. Dicitur autẽ angelus vir, quòd in ſpecie viri apparuerit: ſicuti & 8. cap. audiuimus, quo ſpectauit cum dixit, Quem vidi in viſione ab initio. Et viri ſpecie apparuerunt Abrahæ quoque tres angeli, Geneſis 18. Ac Gabriel idem ille eſt archangelus qui incarnationis dominicæ internuncius fuit ad diuam virginem. Nõ enim oportuit myſterium tantum annunciari, niſi per angelum præſtantiſſimum. De quo mox plura dicemus. Idem ille dicitur aduolare ad Danielem; non quòd auium inſtar vo- *Angelus mittitur à Deo ad Danielem.*

tent angeli: sed datur hoc assumptæ speciei. Iam enim virũ dixerat. Angeli alioqui spiritus sunt, non homines, crassa habentes corpora. Sunt autem motus celerrimi. Vnde volare dicuntur. Sunt qui dicant angelos simul & in cœlis & in terra esse. Damascenus verò lib. de orthodoxa fide 2. cap. 3. Circumscripti sunt, inquit, Nam cum sint in cœlo, in terra non sunt. Et in terram à Deo missi, non remanent in cœlo. Non continentur portis, muris, claustris & signaculis. His enim indeterminabiles sunt. Cum mẽtes sint, in intellectualibus locis sunt, non corporali modo circumscripti. Fortes sunt angeli, & prompti ad diuinam implendam voluntatem, & vbiq; confestim inueniuntur naturæ agilitate, vbicunque diuinus iusserit nutus. Omnino autem secundum diuinam voluntatem & præordinationem, supra nos sunt, semperq; circa Deũ existunt. Transfiguranter quomodocũq; dominator iusserit Deus, & sic hominibus apparent, & diuina reuelant mysteria. In cœlo conuersantur, & vnum opus officiumq; habent, hymnis Deum collaudare, & diuinæ eius ministrare voluntati. Et reliqua.

Sententia Damasceni de angelis.

Angelus attingit Danielem.

Tangit autem Danielem angelus, prensando nimirum, vt solent qui contactu familiari promptam benevolamq; mentem indicant. Itaq; gestu significat se consolationis ergò venisse. Quinimò mox exponit, cuius rei gratia missus à Deo, venerit, vt veram cõferret Danieli, imò vniuerso mundo, intelligentiam. Dei quidem solius est dare intelligentiam, cum in manu eius sint corda hominum. Dicuntur tamen & angeli & homines quoq; dare intelligentiam, propterea quod verbum annunciant, quo eruditur homo, Deo interim intus animos commouente. Vnde & angelus in præsenti quoq; dicit diserte, Veni nũciatum tibi mysterium inquam salutis. Ac reuera continet hæc angeli expositio, totam veræ salutis humanæ summam, & complura adoranda mysteria.

Angelus erudit

Daniel vir desideriorum.

Et quamuis propriissima causa sit reuelationis mysteriorum Dei mera Dei gratia, in præsenti tamen dicitur, Venio nũciatum tibi à Deo, quoniam vir desideriorum es: quasi desiderium Danielis excitarit Deum ad reuelandum ipsi mysterium. Cæterùm si considerauerimus etiam desyderium Danielis, esse donum diuinæ gratiæ, attribuemus totum hoc diuinæ gratię. Hoc autem, quia vir desideriorum es, dupliciter exponi potest. Vel quia rerum expetendarum cupidus es, Deus certè desiderium tuum, quod ei placet, faciare instituit. Esurientes enim sitientesq; iustitiam saturat dominus. Vel quoniam Deo gratus vel acceptus est, iccirco te sui consilij conscium esse vult. Patres enim testamenti veteris olim Deo non minus grati fuerunt propter fidem, quàm nos simus hodie per eandem fidem.

Diligentia auscultandi requiritur à nobis.

Postremò hortatur angelus diligentem alioqui prophetam Danielem, vt diligentissimè attendat ad sermonem angeli, quò visionem, id est prophetiam allatam ab angelo, rectè possit intelligere. Requirit ergo dominus ab omnibus suis auditoribus, diligentiam: improbat ignauiam socordiamq;. Alibi quoq; iubemur sapientiam perinde vt aurum quærere, &c.

Maximam authoritatem habet hic locus.

Cæterùm authoritatem non vulgarem conciliat huic vaticinio Danielis, quòd idem ille angelus, qui post annos circiter 543. sanctissimæ virgini incarnationem domini annunciat, idem prophetæ Danieli nũc eiusdem denunciat aduentum, & quidem certo annorum numero nobis non obscurè reddito. Conciliat & hoc vaticinio huic authoritatem, quòd angelus à Deo missus, ista omnia recitat, interim non suis ipsius, sed Dei verbis recitat, nec cuiuis prophetæ, sed Danieli, viro desideriorum, prophetæ excellentissimo, & sanctissimo vel innocentissimo, sapientissimoq;, sicut ipsum prædicat Ezechiel, gubernatori denique præcipuo monarchiæ Babylonicæ & regni Medorum. Si Imperatores nostros atq; reges cũ Danielis maiestate conferas, nihil inuenies æquale. Multis modis

præcellit

præcellit atq; prælucet Daniel omnes imperatores & reges. Voluit autem diuina bonitas, vt veritas eius amplissimumq; & diuinissimum hoc vaticinium nobis exponeretur per virum vsque adeò præcellentem, vt esset in aliqua apud nos existimatione. Neq; dubium est cuiquam S. Petrum quoq; loquutum esse præcipuè de hoc propheta, cum dixit prophetas scrutatos esse, ad quem temporis articulum, venturus esset Messias in mundum. Proinde dignus est hic prophetæ locus, quē obuijs vlnis amplectentes, pectori nostro astringamus, & quo fidem nostram confirmemus, vt sequuri, salutem expectemus partam per Christum. Cui sit laus gratiarumactio & gloria.

HOMILIA XLVIII.

Hebdomades septuaginta præcisæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, ad concludendam præuaricationem, & ad conficiendum peccatum, & ad expiandam iniquitatem, & ad iustitiam sæculorum adducendam, & ad implendam visionem & prophetiam, & ad vngendum sanctitatem sanctitatum.

Argumentum diuini oraculi.

POstquam archangelus Gabriel non Danielem modò, sed nos omnes ad diligentem adhortatus est auscultationem veræ salutarisq; intelligentiæ, subijcit his modò salutarem illam intelligentiam, hoc est oraculum diuinum, paucis aliquot versibus comprehensum. Continet autem hoc præcipua nostræ religionis salutisq; mysteria, quis videlicet Christus sit, quæ ac quanta nobis pater in filio dederit, quodq; per ipsum simus absolutissimè completi. Differit ergo de remissione peccatorum, de vera iustitia populi Dei, de aduentu Christi, eius passione vel morte, de abrogatione legis, de nouo testamēto, de vrbe sub Persis rursus instauranda reparandaq; politia, iterumq; vastanda sub Romanis, propter gentis Iudaicæ incurabilem impietatem, de repudio item Iudæorum, & gentium vocatione, & huius generis alijs capitibus plurimis.

Quæres comprehensæ in his 70. septimanis.

Totum verò hoc vaticinium complectitur atq; cōcludit annis 490. Totidem enim annos efficiunt septimanæ 70. Non quòd vltimum vrbis excidium, & gentis Iudaicæ repudium, perfectum sit etiam intra 70. illas septimanas, aut in earum veniat supputationem, sed quòd interitus causse ex ijs dependeāt. Quoniam enim Iudæi Christum interfecerunt, saluatoremq; suum repudiarunt, & legem contra testamentum vel euangelium retinere voluerunt, excisi sunt vnà cum vrbe sancta & Iudæa vniuersa. Constat autem excidium hoc incidisse in 40. circiter annum post mortem Domini nostri Iesu Christi, & iccirco hos 40. annos non venire in supputationem annorum 490. Proinde his 70. septimanis ea præstanda prædixit, quæ Daniel potissimùm sibi populoq; suo præstari petijt, maximè reparationem vrbis, in ruinis iacentis, restitutionem cultus ac politiæ, adeoq; aduentum Christi. Illa inquam dicit præstanda intra annos illos 490. si inquam hi ab eo supputentur termino, quem angelus præfiget mox.

De hebdomadibus.

Septenarius autem numerus in scripturis sanctis sacer est numerus, & hebdomas 7. comprehendens, variè vsurpatur. Est enim hebdomas vel septimana dierum, in qua Deus absoluit mundi opificium. Et 70. dierum septimanæ non faciunt nisi annum vnum menses 4. & dies 14. Sunt item 7. septimanæ dierum à pascha ad pentecosten. Sunt & annorum septimanæ, sicut clarè cernitur Leuit. 25. Et septimus annus, remissionis annus dicebatur eratq; feriatus, qui septies repetitus induxit Iubileum, qui quinquagesimo quoq; anno recurrebat

populo Israelitico. Septenarij numeri frequentissima fit mentio in Apocalypsi beati Ioannis apostoli: Sunt & 70. anni captiuitatis Babylonicæ. Loquitur autem in præsenti angelus de septimanis annorum. Diximus enim iam 70. annorum septimanas conficere annos 490. Ac per septuaginta supputat nõ sine causa angelus, respiciens nimirum ad 70. annos captiuitatis Babylonicæ, quorum Daniel & in 9. capitis initio meminit, habetq; numerus ille 70 oppositionem occultam, quasi voluerit calamitosis 70. captiuitatis annis opponere septuaginta septimanas longè feliciores, etsi nõ alienas prorsus ab afflictionum exercitatione, quibus tamen quasi septuplum incõmoda illata perpessaq;, resarcire Deus velit, Messiam exhibendo, in quo sit summa absolutissimaq; felicitas. Voluit præterea eorum, quæ in his 70. septimanis futura erant, astruere certitudinem, per collationem ad ea quæ fuerant facta. Etenim finiti iam erant 70 anni, prædicti per Ieremiam prophetam. Inde uoluit omnes colligere, ea quæ perficienda erant adhuc in 70. illis septimanis non minus fore certa, quàm compererant 70 anorum captiuitatis certitudinem. Quia enim populo Dei quamplurima restabant adhuc ferenda patiendaq; sub Persis, Græcis & Romanis, priusquam adueniret Christus dominus, oportuit sanè consolari confirmariq; & bene eruditi animos fidelium, ne labascerent in istis turbis. Et Christus à seculo fuit asylum, sicut & hodie est asylum omnium afflictorum. In eo inuenitur plenissima consolatio. Extra hunc nihil est tutum, nulla consolatio firma.

Septimanæ 70 præcisæ.

Ac ab initio mox, non sine magna consolatione certificationeq; dicit ad Danielem angelus domini, Hebdomades 70 sunt decisæ uel præcisæ super populum tuum. En decisæ, inquit, ut prorsus omne tollat à ueritate oraculi dubium, נֶהֱתַךְ (à חתך statuit abbreuiauit) emphasim habet, quod alij verterunt, designatę vel determinatæ, præfixæ ac definitæ. Vulgata versio habet abbreuiatæ, nimirum certo & immutabili consilio decretæ sunt à Deo, vt de his annis certò complendis nemo addubitare debeat. Testãtur hæc aliâs quoq;, res in mundo non ferri temerè ac fortuitò, sed decretis Dei certis & prouidentia diuina gubernari sapientissimè iustissimeq; omnia, denicq; Dei decreta esse immutabilia, & necesse esse illa fieri, quę Deus vult fieri, & ita fieri sicuti vult fieri. Vtut ergò in regno Persico, Græco & Romano res sursum voluantur & deorsum, & in mediis his turbis periclitetur populus Dei grauissimè, videaturq; ipsum ruiturum cœlum, his tamen consolatur afflictos Dominus validissimè, fore videlicet vt vrbs & populus Dei tantisper duret, donec perficiantur hi anni 490. in quibus omnino illa omnia perfici oporteat, quæ hic ex immutabili Dei consilio prædicuntur perficienda. Proinde firmiter in spe firma persistendum esse sanctis.

De Christo potissimum disseritur hic.

Speciatim verò ac copiosè prosequitur quod in hac causa est præcipuum, quæ videlicet ad Christum pertinẽt, quid mundus per ipsum consequatur, aut quid dederit in illo nobis pater, & quis quantusq; ipse sit. In his sunt vera veræ pietatis mysteria. Affirmat autem principiò aduentu Messiæ per mortem & resurrectionẽ eius remittenda expianda & abolenda fore peccata vniuersi mũdi. Et cùm hæc res momenti sit maximi, tribus eam membris exponit, modũ etiam adumbrans quomodo peccatum sit abolendum per Christum. Nam & in symbolo Apostolico profitemur, Credo remissionem peccatorum. In oratione Dominica oramus, Et remitte nobis debita nostra. Euangeliũ quoq; annunciat nobis peculiariter in Christo remissionẽ peccatorũ. Hoc ipsum in præsenti ab angelo exactissimè explicatur. Et cùm peccato varia tribuit vocabula, vocãs hoc præuarication em, scelus vel rebellionem, item peccatum vel delictum, rursus iniquitatem, significãs omnis generis peccata, quocunq; nomine vocẽtur, siue originale, siue actuale, mortale, vel veniale, denicq; quale quale sit (excepto eo

Remißio peccatorum.

quod

quod est in spiritum sanctum) remitti confitentibus atq; credentibus per Christum, & quidem quoad culpam & pœnam. Vtitur enim non vno vocabulo in modo condonationis vel remissionis peccatorum explicanda, sed dicit, Peccatum Messias concludet, absumet & expiabit. Principiò enim definitũ, inquit, est tempus à Deo ad concludendam prævaricationem. Vel vt alij verterunt, ad cohercendum scelus. Etenim regnauit per vniuersum mundum rebellio contra Deum, & authore sathana, peruagata est petulanter orbem, impudenter, & præfractè peccantibus hominibus. At Deus misso filio suo Domino nostro Iesu Christo, peccatum vel conscelerationem hanc vnà cum sathana concluſit veluti in carcerem, non vt nõ sit in mundo ac in hominibus, sed ne regnet tam impudenter in mundo ac præsertim in fidelibus. Ac videmus per fidem Christianam prædicationemq; apostolicam cohercitos esse idololatras, auaros, scortatores & epulones, & huius generis sceleratos homines, qui ante Christi nomen auditum & ante prædicatum Euangelium, idololatriam, auaritiam, fornicationem & ebrietatem non numerarunt inter peccata, postquam autem audiuerunt Euangelium, & crediderunt in Christum, & spiritum sanctum per fidem acceperunt, non sine pudore illa vel nominauerunt, & si quando per infirmitatem se his contaminauerunt, seria sese pœnitentia rursus repurgarunt. Ita verò coercuit conscelerationẽ mundi Christus. Videre hoc licet in Actis Apost in Corinthijs, Ephesijs, alijsq; sceleratis vrbibus cõuersis ad Christũ.

Concluditur per Christum prævaricatio.

Deinde definitum est tempus à Deo, ait Angelus, ad conficiendum peccatum. Alij verterunt ad absumendum vel consumendum. Alij, vt contegatur, vel vt finem accipiat peccatum. Conficit autem peccatum Christus, quando moriendo peccatum occidit vel eneruauit, vt viribus amissis, damnare amplius fideles vel occidere non possit. De qua re disseruit Apostolus ad Colos. 2. Postremò ad expiandam, inquit, iniquitatem. Expiatio est propitiatio vel satisfactio. Christus enim est sacrificium expiatorium pro peccatis totius mundi. Ergò satisfecit Christus in cruce pro culpa & pro pœna omnium credentium. De qua re alibi fusè disseruimus. Intelligimus autem & authorem peccati diabolum esse deuictum, mortem conculcatam, & confracta tartara, denicq; vitam per Christum esse reparatam omnibus fidelibus. Nam mox sequetur & iustitiam nobis esse donatam.

Christus confitetur peccatum.

Christus expiat peccatum.

Adiungenda porrò his sunt & alia vtriusq; Testamenti testimonia de plenaria peccatorum remissione, & quidem singularia illa quæ leguntur in lege Leuit 16. Zach. item 3. Quò & epistola ad Hebr. pertinet, maximè in 7. 8. 9. & 10. cap. Psal. item 32. & 51. Isaiæ 43. 53. & Micheæ 7. Ezech. 36. Ioan. 1. & 3. Ioan. 1. & 2. Marci. 3. Actor. 10. & 1. Tim. 1. & 2. Rom. 3. & 4. Gratis hæc conferuntur hominibus. Quod dogma diuinissimum & primarium mordicus retinendum & defendendum est contra Papæ indulgentias & monachorum corruptissimam doctrinam de remissione peccatorum, &c.

Doctrina hæc mordicus retinenda.

Deinde consequimur per Christum iustitiam vel iustificamur per Christum. Non enim satis est nos coram Deo esse purgatos, nisi & iusti simus, aut iustitia ornati simus coram eodem. Cæterũ in terris non viuit homo, qui sit coram Deo iustus. Omnes enim sumus peccatores, & destituimur gloria Dei: iustificamur autem gratis, sicut apostolus loquitur, in fide per Christum, sine operibus legis. Daniel ergò de hac iustitia loquens, Et ad iustitiam inquit, sęculorum adducendam. Porrò adducta est illa iustitia, quando Deus filium suũ nobis promissum dedit, qui per omnia legi satisfecit & iustitiam habet absolutissimam, & per fidem suam illam nobis cõmunicat iustitiam, eamq; nobis pater imputat vt iam nostra sit ex gratia; sicut copiosè docuit Apostolus. In summa purgatos sangui-

Christus cõfert nobis iustitiam.

ne Christi ille nos à peccatis, filij nos donat iustitia, quæ absolutissima est vt & nos absoluti simus per Christum. Et certè vt Ieremias in 23. cap. ita & apostolus 1 Corinth. 1 cap. Christum vocat iustitiam nostram. Idem fusè disserit de hac iustitia fidei in epist. ad Roman. & Galat. & in 3 cap. ad Philip.

Christus est iustitia sempiterna.

Obseruandum autem in primis moneo illud, Danielem nuncupare Christum Dominum iustitiam sæculorum, omnium inquam temporum, vel iustitiam sempiternam. Quotquot enim ab exordio mundi sunt iustificati per gratiam Dei, in fide Iesu Christi sunt iustificati. Demonstrauit hoc Apostolus multis exemplis in 11. cap. ad Hebræos. Idem demonstrare volens fideles vel peccatores fide in Christum iustificari, probat Abrahamum fide esse iustificatum, vnde colligit & nos oportere ad eundem modum iustificari fide, Rom. 4. cap. Sed & ipse Dominus Iesus palàm professus dixit, Abraham vidit diem meum & gauisus est, Ioan 8. S. quoque Petrus in Concilio Hierosol. cap. 15. Actorum, de salute loquens patrum, Credimus, inquit, per gratiam Domini Iesu Christi nos saluos futuros, sicuti illi. Teneamus itaq; Christum Dominum iustitiam esse sæculorum omnium vel iustitiam sempiternam, cuius quidem iustitia ad salutem omnibus sit imputata, quotquot iustificati sunt à sæculo, & quotquot hodie iustificantur & in finem vsq; sæculi iustificabuntur. Pudeat ergo disputatores illos suæ impietatis, qui iustificationem referunt ad Legem, vel ad opera ac merita hominum, & ad nugas alias vaniores. Summa enim veræ salutis est, Christum Iesum veram & vnicam esse iustitiam, & nos iustificari fide per ipsum. In hoc, vt palàm in verbis Petri Acto. 10. apparet, est consensus prophetiæ & apostolicæ doctrinæ.

Quis & qualis sit Christus dominus noster.

His insuper addit Daniel, Et ad implendam visionem & prophetam vel prophetiam, Alij verterunt hoc, Ad sigillandam vel obsignandam visionem. Vulgaris versio habet, Vt impleatur visio & prophetia. Quibus ostendit Daniel, vel angelus per Danielem, quis & quantus sit futurus Christus Iesus Dominus noster, nimirum maximus ille propheta, de quo loquitur Moses Deut. 18. & eadem de Christo Domino nostro exponit Petrus Actorum 3. in quo denique omnia complentur, quæ prædicta sunt à prophetis omnibus. Cum Nehemias pepigisset fœdus inter Deum & populum, seniores apponebant sigilla, obsignantes ita fœdus, hoc modo confirmantes se rata habituros quæcunq; continebantur fœdere. Proinde misso filio suo, Deus omnibus suis per prophetas promissionibus, sigillum appendit, adeoq; veracem se ostendit, dum omnia in ipso præstitit, quæ promisit. Concluſit enim omnes prophetias visionesq;, vt iam desinant esse prophetiæ & visiones, præsente iam veritate Christo & re ipsa visionibus significata. Nam Christus est ipsa veritas, ipse finis & ipsa plenitudo legis. Rom. 10. 2. Cor. 1. Quinimò Christus est plenitudo fidelium, de quo omnes prophetæ prænunciarũt nos in ipso habituros omnem plenitudinem & vitam sempiternam.

In Christo complentur omnes prophetiæ.

Christus sanctus sanctorum vngitur.

Accedit his omnibus quod sanctus sanctorum ab archangelo in istis annis dicitur vngendus, id est ordinandus, declarandusq; orbi propheta pontifex & Rex. Alij hoc verterunt, And vngendum sanctuariũ sanctissimum. Alij, Ad vngendum sanctitatem sanctitatum, vel sanctum sanctorum, vel omnium sanctissimum. In quo rursus & quidem maximè eluceſcit, quis & quantus sit Dominus noster Iesus Christus, verus videlicet Deus & homo, propheta excellentissimus, rex omnium maximus, & pontifex modis omnibus summus: quæ quidẽ omnia comprehenduntur in vnico quasi vocabulo sanctuarij sanctissimi vel sanctitatum sanctitatis, qui sanè Christus est sanctus sanctorum. Varius quondam fuit Vnctionis vsus. Loquimur aũt de illa, qua certis & rebus & personis

Vnctionis vsus varius.

facer

facer infundebatur liquor, non quo à medicis perũguntur corpora, aut in orientis partibus, & in Syria, corpora vel purgantur à ſordibus, vel feſſa recreantur. Vngebatur quondam tabernaculum, & hac conſecratione ſeparabatur, vt pote ſanctum Deoq; dicatũ, ab vſibus prophanis. Vngebantur prophetæ pontifices & reges, & ita conſecrabantur Deo, ſignificaturq; ad explendum munus à Deo impoſitum, opus eſſe vnctione vel gratia ſpiritus ſancti. Atqui geſſerunt hi typum Chriſti domini, appellati palàm Chriſti domini, id eſt vncti Dei. Tandem verò impleto tẽpore, aduenit ipſemet Chriſtus adeoq; archichriſtus, princeps inquam & ſummus meſsias, quem vncti illi diu præfiguraſſerant. Is ab archangelo in præſenti appellatur ſanctitas ſanctitatum, & ſanctuarium ſanctiſsimum, vel ſanctus ſanctorum: nimirum hac de cauſa, quòd Chriſtus ipſamet eſt ſanctitas, quam ſanctitates vel ſacra veterum præfiguraſſerunt, ipſe eſt omnium ſanctiſsimus, qui & omnes ſanctos excellit prophetas pontifices & reges, adeoq; & omnes plenè ſanctificat fideles. Ipſe eſt enim ſummus & maximus propheta põtifex & rex omnium ſanctorum, ſanctus ille Iſraelis, purus & incontaminatus, conceptus è ſpiritu ſancto, & natus ex Maria virgine, in quo nulla vnquam labes, nullum peccatum fuit. Ipſe ſummam habet poteſtatem in cœlo & in terra: qui nos quoq; facit prophetas ſacerdotes & reges ſanctificans nos per ſpiritum ſanctum, facienſq; nos verè vnctos chriſmate, id eſt Chriſtianos. Ipſe enim eſt excellentiſsimus in eccleſia doctor & propheta, qui etiamnũ docet in eccleſia, & facit nos (ſicut & Ioel futurum prædixit, & Petrus iam impleri teſtatus eſt) prophetas, gnaros rerum diuinarum. Ipſe eſt pontifex qui in diebus carnis ſuæ interceſsit pro nobis, & corpus & ſanguinem ſuũ in ara crucit obtulit pro nobis, nunc quoq; in conſpectu Dei apparet pro nobis, mediator, interceſsor, hoſtia & expiatio pleniſsima. Ipſe eſt rex & conſultor noſter, qui dirigit nos atq; gubernat, qui defendit nos ab omnibus malis, ac confert bona omnia nobis ſalutaria, conſeruans nos in regnum ſuum æternum. Hæc eſt maieſtas Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui exaltatus ſuper omnes poteſtates & ſublimitates, ipſe ſummum obtinet locum, caput & complementum eccleſiæ ſuæ, &c. Hæc autem omnia comprehenduntur ſub vnico nomine Chriſti. Vnde intelligimus quid docuerit apoſtolus, quando in Actis Apoſtolorum dicitur in ſynagogis docuiſſe ac demonſtraſſe Ieſum eſſe Chriſtum, &c.

IESVS EST CHRISTVS

Quantum autem attinet ad vnctionẽ domini noſtri Ieſu Chriſti, nullibi quidem legitur delibutus eſſe oleo viſibili, aut vnctus eſſe à pontifice Leuita. Nam vmbra fuit externa illa vnctio. Reipſa autem perunctus eſt, ipſa inquam accepta à Deo patre ſpiritus ſancti plenitudine. De cuius plenitudine & nos accipimus, vt vncti chriſmate ſpirituali, id eſt verè Chriſtiani ſimus, donati ſancto ſpiritu. Non tamen citra viſibilem pompam facta eſt & hæc Chriſti vnctio. Dum enim dominus baptizatus eſſet à Ioan. Bapt. & aſcẽderet ex Iordane, apertum eſt cœlum, & deſcendit ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper caput domini, audiebaturq; patris vox ſuper filio, dicens, Hic eſt filius meus dilectus, in quo placata eſt anima mea. Et in mõte ſancto, additur, Hunc audite. Sic inquam vnctus eſt etiam viſibiliter ſanctus ſanctorum, Chriſtus Dominus noſter. De hac vnctione prophetauit & Iſaias in 61. cap. Expoſuit eam prophetiam de ſeipſo Chriſtus dominus apud Lucã in cap. 4. Sed & Ioan. Baptiſta de hac Ioan. 1. cap. Vidi, inquit, ſpiritum deſcendentem ſpecie columbæ de cœlo, & manſit ſuper eum. Qui autem miſerat me vt baptizarem aqua, is mihi dixerat, Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat ſpiritu ſancto. Et vidi, & teſtatus ſum hunc eſſe filium Dei. Et quidem dixi hæc obiter hucuſq; de vnctione Chriſti & de ſancto ſanctorũ, vel de ipſa ſanctitate

Quando & vbi vnctus ſit dominus noſter

& ſanctuario ſanctiſsimo Ieſu Chriſto. Cui ſoli hæc competunt. Abominandum eſt ergo audire in eccleſia, quòd homo peccator Papa, & adopertus pſeudopropheta ſcelerum ſordibus, ſalutari ſe patitur & beatiſsimum patrem, & ſanctitatẽ papalem, Bäpſtlich heiligkeit. Vſurpat hic ſibi quod ſolius eſt Chriſti, & proinde hac veluti certiſsima nota, manifeſtat ſe eſſe illum Chriſti aduerſarium qui ſedet in templo Dei, & oſtentat ſe ceu Deum, cum ſit exuuiũ nequitiæ & omnis impuritatis, &c.

Summa. Habemus autem in hoc primo verſu oraculi vel vaticinij diuini archangeli ac Danielis, perſpicuè & euidẽter expoſitum, quis & quantus ſit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & quæ ac quanta nobis donata ſint in ipſo à patre cœleſti, omnia videlicet quæ veteribus à ſæculo promiſſa ſunt, adeoq; omnem vitæ ſalutiſq; plenitudinem. Ac promiſſus eſt hic quidem aduentus tanti principis Danieli & patribus, apoſtoli prædicarunt nobis aduenisſe illum & impleuiſſe illa omnia. Oportuit autem myſterium fidei noſtræ tam diligenter exponi, vt eccleſia haberet ſolida ſuæ ſalutis fundamenta. Deo ſit laus & gloria.

HOMILIA XLIX.

Scias ergo & intelligas, ab exitu verbi ad habitandam & ædificandam Hieruſalem, vſq; ad Chriſtum ducem hebdomadæ ſeptem & hebdomadæ ſexaginta duæ. Redibit & reædificabitur platea & murus in anguſtia temporum. Et poſt hebdomadas ſexaginta duas excindetur Chriſtus, & non ſibi.

Singula explicãtur exactius PORrò verſu ſecundo & ſequẽtibus diſtinctius ſingula, quæ angelus domini in genere prius attigerat, explicat. Et quoniã dixerat fore hebdomades 70. intra quas liberationis reſtitutionisq; myſteria, quæ obiter perſtrinxerat ſint perficienda, eram vnde videlicet auſpicanda ſit ſeptimanarum 70. ſupputatio diligenter indicat, & hebdomades in tres inter ſe diſtinguit ordines angelus, vt quæ ſigillatim in his futura ſint ſignificanter exponat. Nam quod velit myſteria hęc recõdita exponi & intelligi, id maximè arguit, quod angelus dicit, Scias ergo & intelligas. Alij verterunt hoc, Scito & animaduerte. Qua loquendi formula certitudinem oraculi notat. Nam quando aſſeueranter aliquid affirmamus, dicere ſolemus, Scias, du ſolt das eigentlich wüſſen. Cum addit, Et intelligas, non tam auditorem apparatu hoc quodam ad attentionem apparat, quã ſe ſummam 70. ſeptimanarum propoſitam, & in hac ſumma Chriſti myſterium compendio quodam comprehenſum, ſignificantius & per partes explicaturum ſignificat.

Aera vel terminus vnde ſupputatio eſt auſpicanda. In primis verò eram vel terminum vnde incipiamus 70 ſeptimanarum ſupputationem, diligenter & expreſſe oſtendit angelus. Ab exitu inquam vel progreſſu vel egreſsione verbi להשיב ולבנות ירושלם ad habitandam & ædificandam Hieruſalem. Quod alij verterunt, Ad reuertendum & ædificandam Hieruſalem. Alij, Vt iterum inhabitetur & ædificetur Hieruſalem. Certè Danielis vel angeli verba clara ſunt ſatis & certa, ſignificantia huius ſupputationis initium fieri debere ab eo tempore, quo edictum eſt à Perſicis editum regibus de reparanda vrbe Hieroſolymorum, eaq; iam vt vera vrbe liberè inhabitanda à populo Iudaico.

A quo nam & quando promulgatum ſit hoc edictum. At non conuenit hic interpretibus quod nam fuerit hoc decretum, & à quo vel quando promulgatum. Cæterùm nolim hoc quenquam offendat vel incertum reddat in myſterio tanto ſalutis noſtræ. Vt vt enim varient ſententiæ, ſunt tamen

tamen inter omnes præcipuæ duæ. Sunt enim qui decretum hoc existiment pronunciatum à Dario Hystaspe completumq; esse anno regni eius 32. Incidit is annus in 2 annum Olymp. 72. vrbis autem conditæ 262. Sunt alij quibus videtur decretum hoc pronunciatum esse ab Artaxerxe Longimano, anno regni sui 7. qui incidit in 2. annum Olymp. 80. vrbis conditæ 294. Vtraq; supputatio hæc ducit ad ipsum vsq; Christum, qui est scopus huius supputationis. Vnde neutra videtur omnino aspernanda. Prior pertingit vsq; ad natiuitatem Domini. Posterior ad ipsam eius vsq; passionem. Incidit Natiuitas Christi in 3. annum Olymp. 194. vrbis conditæ 751. Passio autem Domini in 4. annũ Olymp. 202. vrbis autem conditæ 784 Certissimæ omnium sunt autem supputationes, quæ fiunt per Olympiades. Sufficere ergo hanc supputationem arbitror simplicioribus. Diligentius & copiosius de eadem disseretur aliàs, vbi & operosius dicetur de Interpretationum varietate.

Distributio 70 Septimanarum

Nunc pergimus in reliquis, & venimus ad explicationem distributionis septimanarum 70. Diximus illas ab angelo distributas esse in tres ordines. Principio enim commemorantur septimanę 7. quæ faciunt annos 49. Deinde subiunguntur septimanæ 62. quæ faciunt annos 434. Postremò seorsim vnius fit mentio, quæ habet annos septem. Has licet distinguat inter se angelus, non tamen disiungit. Omnes enim coniunctę faciũt 70 septimanas, annos 490. Ergo quamuis disertè dicat, Et post hebdomades 62. occidetur Messias, non tamen ab his discerpendæ, aut in supputatione omittendæ sunt septimanæ septem priores, quæ simul conficiunt annos 483. Quibus si addas 7. annos vnius illius septimanæ, habebis annos 490. Finitis enim his annis proximo insequente anno mortuus est Christus, vt patet in tabula 6. Segregauit tamen has 7. quòd hæ præcipuè contineant reparationem vrbis factam sub regno Persarum. Quia enim dixerat, Scias ergo & intelligas ab exitu verbi ad habitandã & ædificandam Hierusalem, & stupere ad hæc verba potuit Daniel, veluti ad rem nouam multisq; incredibilem visam, nunc significantius & per Epanaphoram id ipsum explicans, השוב Redibit, inquit, vel reuertetur nimirum ex captiuitate Babylonica populus Iudaicus, & ædificabitur, haud dubiè in ruinis iacens ciuitas. Alij legunt, Inhabitabitur & ædificabitur. Alij volunt esse Hebraismũ, Redibit & ædificabitur, id est rursum ædificabitur. Quibus adiungitur iterum per interpretationem, quid ædificandũ sit, Platea & murus. Per quæ omnes vrbis partes omniaq; vrbis iura ipsis restituenda intelligit. Alij pro muro verterunt fossam circum muros. Vult autem significare angelus palàm, & populum ex captiuitate omnino liberandum fore, redituramq; in Iudæam, & ibidem collapsa famigeratissimæ totius Orientis mœnia vrbis restaurãda, denicq; vniuersa quę pertinent ad absolutam vrbem postliminio quasi reducenda. His appendit, In angustia temporum. Alij hoc verterunt, In subactione temporum: vt sit sensus, Vrbs restaurabitur quæ longo tempore ab hostibus subacta fuit. Ita verò appellat subactionem temporum ipsam vrbem, quæ subacta & veluti cõculcata ab hostibus iam multo tempore iacuerat in ruinis inculta. Vt vt verò ea res habeat, certum est prædicere prophetam restaurandam quidem fore vrbem, sed paulatim magnaq; cum difficultate, & laboribus angustijs tribulationibusq; perquàm maximis. Id quod liber Nehemiæ completum esse multis testatur. Inter alia commemorat extruentes mœnia, altera quidem manu gestasse gladium ad repellendum irruentem hostem, altera verò manu trullã tenuisse & ædificasse. Prætulerunt hæc typum ecclesiæ Christi, quæ non nisi per mille discrimina, & per labores durissimos perpetuosq; in hoc sæculo extruitur. Extruitur tamen per gratiam potentiamq; Dei & per ędificantium fidem, patientiã, atq; constantiã,

De reparanda sub Persis vrbe

Difficulter reparabitur vrbs

Ecclesia Christi ædificatur maximis laboribus.

quâ fit ne vllis frangantur diſcriminibus aut laboribus. Pergit ergo & creſcit ædificium Dei pedetentim & continuè, tametſi mundus frendeat & ſathan fremat, inſaniat, & mirificis voluminibus ſe cõtorqueat, inq; omnes ſe formas vertat. Ac tametſi nonnunquam ædificantibus concedatur interſpiratio, tranquillitas & proſperitas victoriaq;, condiuntur hæc tamen iterum crucis amaritudine. Id quod apoſtoli Chriſti diligenter mo[illegible]nt, Petrus in 1 ſua epiſtola cap. 4. & Paulus ad Hebr. 12 & aliàs ſæpe. Vtile eſt autem horum meminiſſe frequenter, vt dum tempeſtas afflictionum oboritur in eccleſia, cogitemus hunc eſſe Dei & eccleſiæ morem, ideoq; in omnibus calamitatibus perſeueremus in vnitate & veritate eccleſiæ, & nuſpiã propter tribulationes deficiamus à veritate Chriſtiana ad impium mundum. Ideò ipſe Dominus noſter nos tanta diligentia de his præmonuit, Matth. 10. & Ioan. cap. 15. 16. & alibi. Ideò & apoſtoli Chriſti Domini tam frequentes ſunt in ſuis epiſtolis in commemoratione calamitatum eccleſiæ, & in adhortatione ad patientiam atq; conſtantiam.

De aduentu & paſſione Chriſti.

Iam verò in ſecũdo ſeptimanarum ordine meminit angelus diſertè, & Aduentus, & paſsionis vel mortis Domini noſtri Ieſu Chriſti veri Meſsiæ. Nam manifeſtè dicit, Vſq; ad Chriſtum ducem vel principem erunt ſeptimanæ 7 & 62. Venturum ergo his in mundũ prædicit per Danielem prophetam angelus Domini. Mox illis addit, Et poſt hebdomades ſexaginta duas interficietur Chriſtus. Ergo diſertè prædixit Chriſtum paſſurum adeoq; moriturum. Et quidem ad hunc locum videtur potiſsimùm reſpexiſſe beatus Chriſti apoſtolus Petrus, quando in 1 ſua epiſtola 1 cap. ſic ſcriptum reliquit, De ſalute (quam in Chriſto annunciamus) exquiſierunt & ſcrutati ſunt prophetæ, qui de gratia erga nos vaticinati ſunt, ſcrutantes ad quem aut cuiuſmodi temporis articulum ſignificaret, qui in ipſis erat ſpiritus Chriſti: qui priuſquam acciderẽt teſtabantur venturas in Chriſtum afflictiones, & quæ has ſequutæ eſſent, glorias. Quæ apoſtoli verba ſi adhibeantur & conferantur cum hoc Danielis loco, pulchrè mutuũ ſeſe illuſtrant, & nobis quid ſpectemus diſcamus ac teneamus in Danielis vel angeli vaticinio commonſtrant, Chriſtum videlicet Dominum olim promiſſum patribus, nobis certò præſtitum eſſe. Hunc enim conſtituto tempore veniſſe in mundum, & verè paſſum eſſe pro nobis, pro noſtra inquam ſalute, vt liberati à morte æterna, æternùm cum ipſo viueremus. Quæ quidem ſumma eſt totius fidei Chriſtianę: quam videmus tanto robore fundatam eſſe in prophetarum & apoſtolorum literis, non humanis, ſed planè diuinis, vt meritò noſtrum nemo de illa vel tantillum addubitet. De temporis vel ſeptimanarum ſupputatione dicetur aliàs exactius. Nobis in præſenti ſatis eſt credere & tenere firmiter, Chriſtum veniſſe & paſſum eſſe, illo ipſo & quidem certo tempore, quod Deus præfiniuit, & per angelum ſuum hic reuelauit: adeoq; ſatis eſt, ſi inhæremus his apoſtoli verbis, quibus ipſe quoq; ad hunc Danielis locũ reſpexit, Eramus quondam ſub lege, in ſeruitutem adacti. At vbi venit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum, natum ex muliere redactum ſub legem, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, per quem adoptionem reciperemus.

Chriſtus eſt dux & princeps ſuorum fidelium.

Cæterùm tria in his pauculis verbis attingit angelus Domini, quæ nos paulò diligentius Deo iuuante ex collatione ſcripturarum explicabimus. Principiò nũcupat Chriſtum ducem vel principem. Quia enim Meſsias vel Chriſtus aut vnctus, rex inquam & pontifex eſt, rectiſsimè appellatur dux rex & princeps populi ſui. Sic enim ſolet eũ vocare pluribus in locis ſcriptura, vt Iſaiæ 9. dicitur princeps pacis. Micheæ 5. legimus, Ex Bethlehem prodibit mihi, qui ſit dux, princeps vel dominator in Iſraele. Et apud Ezech. in 34. ſcribitur, Ego dominus ero eis in Deum, & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum. Nemi-

nem

nem verò offendat, quod cum Daniel habet vocabulum נגזר Isaias ponat שר, Micheas מושל, & Ezechiel נשיא. Sensus enim semper recidit in idem. Et dominus ipse in euangelio omnia illa vocabula sub vnica pastoris voce comprehendens, Ego sum ille, ait, pastor bonus, qui pono animam meam pro ouibus. Et reliqua quæ extant apud Ioan. in cap. 10. vbi manifestè meminit ducatus, dicens, Ante oues emissas vadit, & oues ipsum sequuntur. Et beatus Petrus apostolus, Eratis velut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & episcopum vel curatorem animarum vestrarum. Proinde cum abundè instructi iam simus doctrina prophetica & apostolica, Christum factum esse datumq; nobis pastorem, regem, principem, ducem, desertis omnibus alijs ducibus, accurrentes ad ipsum, ipsi nos ducendos regendos pascendosq; committamus, orantes ipsum vt velit is esse pastor rex & dux noster, qui errores condonet multiplices, & in uia salutis per tenebras huius mundi deducat, ne illæ nobis noceant.

Christus excisus è terra viuẽtium.

Deinde, Excindetur, inquit Daniel, Christus, יכרת quod vulgo interpretantur, occidetur vel interficietur. Sunt qui liberius vertant, affixus (nimirum cruci) perimetur. Nos simpliciter legimus, Excindetur. Eadem locutione vsus est & Isaias in 53. cap. dicens, נגזר succisus est (æquipollent enim כרת & רזג) de terra viuentium. Ac videtur his conatus & voluntas hostium magis quàm effectus esse expressus. Verè quidem occiderunt dominum, ac ita totum Christum conabantur excindere ne vllus ei supereſſet locus, vlla memoria honesta, inter viuentes, sed occidere quidem potuerunt & cruci affixum interimere, excindere autem ex hominũ memoria, & prorsus abolere, non potuerunt. Resurrexit enim tertia die ex mortuis, ascendit in cœlũ, regnauitq; per totum terrarum orbem, Iudæis hostibus suis funditus excisis. Prætera excindendi vocabulo prophetæ vsi sunt, vt significarẽt crudeliter & verè esse interfectum Christum. Et quidem excisus est Christus è gente sua, primùm quidem per excommunicationem, sicut exponitur Ioannis 9. cap. deinde sublatus est per turpissimam ignominiosissimamq; mortem crucis. Vtrunq; videtur complexus dominus apud Matth. in 21. cap. cum per parabolam hostibus suis aperit se non ignorare conatus & consilia ipsorum. Nam inter alia, Et apprehensum filium, inquit eiecerunt ex vinea & occiderunt. Oportuit ergo hominem esse verum, qui occidi potuit. Quo nomine ab initio rerũ vocatur semen mulieris, semen item Abrahæ, sed & germen & fructus ventris Dauidis. Ac passioni mortiq; ipsius typum prætulere in lege domini, agnus ille paschalis mactatus, agni item bini sacrificio iugi, immolati in tabernaculo mane & vespere, serpens quoq; exaltatus in deserto, deniq; sanguis in sacrificijs effusus. Vnde apostolus, Sine sanguinis effusione non fit remissio. *Hebr. 9.* Et apostolus Ioannes affirmat Christum esse agnum illum ab origine mundi immolatum. Vbi non tam obseruandum est Christũ verè esse mortuum & verè effudisse sanguinẽ, quàm credendum firmiter pro nobis esse mortuum ipsum, vt nos viueremus: pro nobis effudisse sanguinem, vt ita nos purgaret ab omnibus peccatis, quod & apostolus Ioã. docet in 1. sua epistola cap. 1. & 2. Mors itaq; & effusio sanguinis Christi, est vita & purgatio omnium fidelium. Et hunc de passione Christi articulum inter præcipuos esse & fideliter credendum, euincit non modò symbolum apostolorum, sed verba insuper Pauli coram rege Agrippa & proceribus Syriæ prætoreq; Romano, clamantis, Iudæi quidem comprehensum me tentauerunt interficere, sed auxilium Dei nactus, vsque in hodiernum diem sto testificans tum paruo tum magno, nihil aliud dicens, quàm ea quæ prophetæ futura esse prædixerunt, & Moses, An passurus fuerit Christus? an primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus sit populo & gentibus? Quæ quidem omnia leguntur in

Actis apostolorum cap. 26. Certè idem Apostolus fructum passionis & mortis Christi eleganter & abunde prosequitur in 8. 9. & decimo capite epistolæ ad Hebræos.

Cur passus Dominus & quòd pro nobis non pro seipso sit passus.

Postremum quod in verbis angeli diligenter obseruandum est, illud est, quod ipse fructum mortis Christi vtcunq; explicans ait. Et non sibi, ואין לו. Id quod variè exponitur atq; etiam vertitur, Vulgata versio, quæ Hieronymiana dicitur, periphrasi vertit, Et non erit eius populus, qui eũ est negaturus. Alius, Et non erit ei opem, videlicet ferens, in passione. Alius, Et nihil de eo, habebunt inquam Iudæi, quod iure conquerantur. Alius, Et non ei, videlicet nocebunt occidendo. Resurget enim tertia die, & 40. ascendet in cœlum. Vel, Non erit ei, quod scilicet Iudæi futurum putabunt, vt scilicet excisus totus intereat & non resurgat. Mihi, citra tamen aliorum præiudicium, videtur omnium simplicissimus esse sensus, si intelligamus Christum quidem occisum esse, sed non sibi. Vnde nos colligamus & causam & fructum mortis Christi: nempe quòd nulla in ipso fuerit causa vel culpa ob quam moreretur. Certè in euangelica historia plurima adducuntur argumenta innocentiæ Christi: cui ipse quoq; Pilatus luculentum fert testimonium. Ergo propter nos & propter nostram salutem est mortuus. Ergo innocentia eius nostram delet noxam, tormenta passionis eius, abstergunt omnes à fidelibus inferni cruciatus. Hoc passim inculcatur nobis in scriptis euangelicis & apostolicis. Nam in euangelio dicitur, Deus dedit filium pro mundo vt viueret mundus per eum. Item, Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei per illũ. Et iterum, Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio, vt in gentes benedictio Abrahæ veniret. His pulchrè consonat celebre illud propheticum, Nos existimauimus illum percussum à Deo, sed ipse vulneratus est propter transgressiones nostras. Et reliqua, quæ leguntur Isaiæ 53. Credamus ergo in Christum, qui nos morte sua redemit, vt per ipsum purgati à peccatis viuamus, æternasq; ipsi agamus gratias. Ipsi gloria & laus in sæcula sæculorum.

EXACTIOR COPIOSIORQVE SVPPVTATIO LXX hebdomadum Danielis, & de Interpretationum varietate, AVCTARIVM.

Varietatem interpretationũ neminem debere offendere.

ANTEA monui hunc Danielis locum De septuaginta septimanis variè expositum esse ab omnium temporum cùm veterum tum neotericorum interpretibus. Id verò contentiosa quædam ingenia huc rapiunt, quasi ex hoc Danielis loco nihil certi possit colligi vel concludi, aut vllus deduci sensus expeditus. Atqui locus hic Danielis de eorum numero non est postremus, qui elegantèr, dilucidè, certo miroq; compendio præcipua religionis nostræ mysteria continet, nosq; de salute vera plenissimè instruit, & in vera fide validissimè confirmat. Vnde affirmare tutò possum, locum hunc memorabilẽ modisq; omnibus obseruabilem esse pijs omnibus, vtpote tradentem nobis certa perspicua & verè salutaria necessariaq; religionis nostræ dogmata. Inuitat itaq; eius præstantia, dignitasq; ad diligentissimam eius considerationem.

Nolim autem quenquam interpretationis diuersitate vel alienari ab eo, vel abduci in desperationem, quasi nihil comperti indubitatiq; ex eo possit tradi. Nam doctrina ipsa quæ hoc loco nobis traditur (quod libenter repeto) non tam certa est, quàm perspicua omnino, satisfaciens pietatem & non contentionem quærentibus. Diuersissimas nonnunquam vias ambulant homines, qui tandem

tandem tamen ad vnum eundemq; locũ perueniunt. Ac licet diuersissimæ sint huius loci interpretum, cùm veterum tum nouorum expositiones, omnium tamen sententiæ in hoc præcipuo cõueniunt concorditer, quòd locus hic scriptus & interpretandus sit de Christo seruatore, & salute fidelium perpetua certissimaq;. Tametsi ergo in supputando non eadem progrediantur ratione ac via, & in ipsa expositione varient, aliisq; alia respiciant, singuli tamen absq; controuersia, ad Christum tendunt, singuli ad Christum ducunt, & singuli in Christo vni eo salutis authore conquiescunt. Fecit suo sæculo quisq;, quod potuit, & in medium attulit, quod tũc ei visum est omnium esse optimum. Si difficiliora singula non explicuit feliciter, tamen à scopo Christo seruatore non aberrauit. Hoc institutum, & hic illorum labor, vtiq; bonus & laudabilis, ab ingenijs moderatis non impetitur calumnijs & conuitijs, sed laudatur potius bonicq; consulitur. Immoderatorum contentiosorumq; iudicia prudentes nihil morãtur. Neq; verò solus hic Danielis locus ab interpretibus variè est expositus. Testari hac de re possunt vel sola in prophetas beati Hieronymi commentaria, cur ergo in præsenti tam iniqui simus iudices, cum alibi longè æquiores esse videamur?

Ego in præsentiarũ recensebo simpliciter quid alijs de supputatione LXX septimarum visum sit, & quid videatur verbis angeli vel prophetæ maximè congruum, per se simplex vel planum esse, quidue incongruum aut nonnihil detortum. Nolui hæc miscere his, quæ dixi homilia præcedente: quòd ecclesia quæ ferè simplices habet auscultatores, non videbatur his mihi vel molestanda vel implicanda. Supputationes ægrè intelligit, offenditurq; interpretationum varietate. Tractaui ergo locum hunc in homilia, vt existimaui inseruire ædificationi simplicium. Concionatoris enim est cibum verbi Dei proponere pro ratione auditorum, & rectè secare verbum salutis, & non implicare & adobruere ingenia simpliciorum sed vnicè anniti, vt explicentur, à contentionibus abstrahantur, & in simplicissima pietatis doctrina conseruentur. In his autem quę nunc propono, desiderantibus exactiora de hac re intelligere, operã meam cãdidè confero: & quibus aliorum sententias recito, nemini odiosius suam sententiam insectari, nemini denicq; præiudicare contendo, libenter ab alijs auditurus meliora explicatioraq;. Quibus & iam me accessurum profiteri non erubesco. Iudicanda enim hæc propono, vt quod bonũ simplex & maximè accõmodum fuerit visum, quisq; amplectatur. Scripsi ante multos annos alibi in libris meis, de hoc Danielis vaticinio quędam. Semper enim à puero plurimùm eo fum oblectatus, in eoq; expendendo plurimùm fum versatus. Ac tum proferebam in medium, quæ mihi tunc videbantur non admodùm incongrua: quæ quidem nunc per hæc mea interpretari illustrariq; volo. His enim quæ iam recito, meliora non habeo: & quod habeo ęquis lectoribus communico, vt si videãtur iustis commonstrata rationibus vel argumentis, ijs mecum fruantur, Dominoq; omnis boni authori, gratias agant, sin secus, sequatur quisque verisimiliora melioraq;.

Argumentum huius tractationis.

Et nunc quidem de Septimana septimanarumq; ratione non est quod plura dicam. Satis hoc argumentum me explicasse arbitror in Homilia 48. Dicam itaq; de æra vel termino vnde ineunda est 70. septimanarum supputatio, quod nam videlicet sit illud edictum, quod egressum est, ad habitandam & ædificandam Hierusalem, & à quonam sit promulgatum. In eo enim, vt cardo rei vertitur, ita inter interpretes plurimum variatur.

Septimana.

De termino vnde incipienda est hæc supputatio

Quidam contendunt decretum illud à Deo per Ieremiam esse pronunciatum, 25. Ierem cap. Ideoq; supputationem 70. septimanarum incipiũt à quinto Zedechiæ regis anno, à Nabuchod. 12. & inde progrediuntur vsq; ad natiui-

A Ieremiæ vaticinio.

tatẽ Dñi. Cæterũ ſupputantur ab anno Nabuch. 12. qui erat conditæ vrbis Romæ 140. & 4. annus Olymp. 41. ad Natiuitatẽ vſq; Chriſti, quę incidit in 3. annũ Olymp. 194. vrbis conditę 751. anni 611. Redundarẽt itaq; anni 121. Vt nihil nũc dicam, diſtributionem ſeptimanarũ dilucidè ab angelo vel propheta factã, illa ſupputatione prorſus perdi, & lere. 1. Nabuch. año prædicaſſe quæ ſunt 25. cap.

A temporibus Cyri.

Alij rurſus exitum verbi de inhabitanda & reparanda vrbe Hieruſalem referunt ad primum annum Cyri, & inde progrediuntur ad natiuitatem vſque domini. At ita quoq; colliguntur anni 544. Redundabunt ergo ſic etiam anni 54. & perit rurſus ſeptimanarum diſtributio. Præterea ſcripturis diſertè non exprimitur facultatem reparandæ vrbis, & hanc muris & foſſis cingendi ſed reparandi potius templi, à Cyro factam datámue eſſe ludæis. Quod autem obijcitur ex delatorũ epiſtola, quæ habetur Ezræ 4. cap. fieri in ipſa & vrbis, quatum reædificata fuerit, mentionem, dicimus certum eſſe ludæos ex Babylone redeuntes, non tantùm iecisſe templi fundamenta, ſed inſuper domos in area deſtructæ vrbis ſibi parauiſſe. Quo nomine taxantur & ab Haggęo propheta, quòd videlicet in proprijs ædibus extruendis ſeduli ac ſtrenui fuerint magis, quàm in extruendo Dei templo. At muros interim portasq; nondum refecerant. Deinde ſatis certum eſt calumniatores illos Samaritas populi Dei hoſtes, vrbis potius apud Cambyſem Artaxerxem mentionem feciſſe, quàm templi, quò magis principis animum contra ludæos irritarẽt. Etenim his defectionem rebellionemq; impingebant. Sed & capitis 4. concluſio atteſtatur templi ædificium eſſe impeditum, atteſtatur & Nehemiæ liber vrbem 20. Artaxerxis anno adhuc iacuiſſe in ruinis, neq; portas neq; mœnia fuiſſe reparata. Ergo licet data fuiſſet facultas, caruit tamen effectu, &c.

A 32. anno Darij Hyſtaſpis.

Sunt item alij qui exitum verbi de reparanda Hieroſolyma exponunt de fine exituq; reparationis, quo vrbs muris extructis & portis adhibitis plenè eſt reſtituta. Id quod factum aiunt anno regni Darij Hyſtaſpis trigeſimo ſecundo. Nam ſeptimo huius principis anno, cum præcedente proximè anno 6. abſolutum fuiſſet templum, aiunt Ezrã vnà cum vaſis reliquis Hieroſolymam rediſſe. Neq; enim hunc pro zelo ſuo erga Deum legem & patriam, diutius, cum facta fuiſſet redeundi facultas, conſediſſe aut retardaſſe in Babylone. Addunt vigeſimo eiuſdem regis anno (qui vt Cambyſes, ita ipſe quoq; Artaxerxes, ſic vt claret ex 1. lib. Ezrę eſt cognominatus) dimiſſum Nehemiam conceſſumq; ei reſtaurare vrbem mœnijs reparatis, foſſis apertis, & portis adhibitis. Quod quidem ipſe perfecerit intra annos 12. trigeſimo videlicet ſecũdo Darij Artaxerxis anno. Incidit autem is annus in Olymp. 72. annum ſecundum, vrbis autem conditæ 262. Inde verò ſi ſupputando progrediare ad Natiuitatem vſq; domini, inuenies exactè ſeptimanas 70. annos 590. Vnde hæc ſupputatio non eſt prorſus repudianda: licet interim ſeptimanarum diſtributio pereat, & interueniant alij quoq; ſcopuli, vt circa annos vitæ Nehemiæ. De quo ſuo loco dicetur.

A 2 anno Art. Long.

Sunt rurſus alij quibus viſum eſt ſupputationẽ annorum 490. auſpicandam eſſe, à 2. anno Artaxerxis Longimani. Eo enim anno aiunt Haggęum & Zachariam prophetaſſe ex ore domini, de reparandis rebus populi Dei. Cæterùm claret palàm ex lib. Ezrę, vtrumq; illum prophetam 2. Darij Hyſtaſpis Artaxerxis anno populum Dei adhortatos eſſe ad extruendum templum domini. Interim ſupputatio illa quoq; quæ procedit à 2. anno Artax. Long. vſque ad prædicationem Chriſti, redundantes nihilo minus annos habet, licet non multos.

Probabilior ſupputatio à 7. anno Artax. Longimani.

Probabilior ergò eorũ videtur eſſe ſupputatio, qui auſpicantur eam à 7. anno Artaxerxis Longimani, & progrediuntur ad ipſum vſq; annum paſſionis domini. Cur autem ſic mihi videatur, hæ ſunt rationes. 1. Euſebius in Chro-

nicis

nicis & Iulius Aphricanus de temporibus affirmant & ipsi, Ezram venisse Hierosolymam anno Artax. Long. 7. Quos sequutus Beda de temporibus idem attestatus est: sicuti & plerique alij Chronographi. 2. Pulcherrimè congruunt inter se carcer & meta, vel principium & finis LXX. septimanarum, si ordiaris à 7. anno Artaxerxis Long Rectà enim peruenitur ad Christum. Manent item incolumia discrimina septimanarum, vt in supputatione inclarescit. 3. Sed & Nehemiæ ætas non fert vt sub Artax. Dario Hystaspe credamus missum venisse Hierosolymam. Aeratē verò Nehemiæ ex ipso eius libro sic colligimus. Conscribit enim ipse Nehemias catalogum summorum pontificum, idq; 12. cap. vbi legis, Iesus genuit Ioachim, & Ioachim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Ioiada, Et Ioiada genuit Ionathan. Hic verò genuit Iaddua. Vnde colligimus Nehemiam adhuc sub Iaddua vixisse. At constat Iadduam Hierosolymis excepisse Alexandrum magnum, vt verisimile sit, Nehemiam vidisse Alexandrum. At à 20. anno Artaxerxis Long. ad primum monarchię Alexandri annum, colligun tur anni 115. Finge iam Nehemiam 20. Artax. anno natū fuisse annos 25. ita conficientur anni ætatis Nehemiæ 140. Et hic quidem numerus non videtur illi sæculo esse absurdus. His verò si addideris annos 57. qui colliguntur à 20. anno Art. Long. sursum ascendendo, vsq; ad 20. annum Darij Hystaspis, inuenies certe annos vitæ Nehemiæ 197. quantam nemo hominum istis sæculis ætatem arti git. Ergo non à Dario sed ab Artax. Long. missus esse videtur Nehemias in Iudæam, ad reparandam vi bem Hierosolymorum. *Aetas Nehemiæ.*

4. Præterea 3. cap. Nehemiæ ita legimus, Et surrexit Eliasib sacerdos magnus, & fratres eius sacerdotes, & ædificarunt portam gregis. Contexit autem Nehem. eo capite catalogum eorū, qui extruxerunt muros, ac palàm dicit Eliasib pontificem sub Nehemia ædificasse portam gregis. Cæterùm Eliasib fuit nepos ex Ioachim, summi sacerdotis Iesu filij Iosedek, qui summus erat pontifex dum sub Cyro ex captiuitate primùm rediret captiuus populus. Ponitur autē primus annus pontific. tus Eliasib in 22. annum Artaxer. Longimani. Ergo portam gregis sub Dario Hystaspe extruere non potuit, quando sub ipso pontifex non fuit, sed auus eius Iesus. Venit itaq; Nehemias Hierosol. 20. Artaxerxis anno absoluitq; vrbis mœnia anno eiusdem 32. qui erat 12. annus pontificatus Eliasib. Quòd si supputando ascenderis à primo anno pontificatus Eliasib vsq; ad 32. annum Darij Hystaspis, inuenies 46. annos intermedios, quibus & auus & parens Eliasibi, functi sunt munere summi pontificatus. *Pontificatus Eliasib.*

5. Huc pertinet quod Nehemiæ 13. sic legimus, De filijs autem Ioiada filij Eliasib sacerdotis magni, quidam gener factus est ipsius Sanaballath Horonitæ, proinde ipsum fugaui à me. Quòd si ascenderis ad annos Darij Hystaspis, maior erit ætas huius nepotis Eliasib ex Ioiada, quē tamen increpauit & à se fugauit Nehemias, quàm verisimile videatur Nehemiā sub Dario reparasse Hierosolymæ muros. *Nepotes Eliasib sub Nehemia.*

6. His omnibus accedit quòd ipsum decretum, quod editum legitur ab Artaxerxe nimirum Long. hoc ipsum esse videtur, quod denotatur ab angelo domini. Loquitur enim non de huiusmodi decreto, quale Cyrus & Darius promulgarāt, licere Iudæis templum extruere, & suis vti sacris. Neq; enim isti duo principes aliud priuilegium reducibus contulere, aut si contulere, hactenus tamen per vicinos ac prefectos qui erant trans fluuium, non licuit vti. Artaxerxes verò Long. edidit decretum de extruenda vrbe, & liberè inhabitanda: pœna etiam illis irrogata qui sese opposuerint, &c. Denique iura ciuitatis restituit. Id quod angelus significasse videtur dum dixit, Ab exitu verbi ad habitādam & ædificandam Hierusalem. Etenim in libro Ezræ sic loquitur Rex, Tu autem *Quale nam decretum de quo locutus est angelus domini.* *Ezræ 7.*

Ezra secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue iudices & præsides, vt iudicent omni populo, qui est trans flumen, his videlicet qui norũt legem Dei tui. Sed & imperitos doceto liberè, & omnis qui non fecerit legem Dei & leges Regis diligenter, citò de eo fiat iudicium. Et reliqua. Quæ demum sunt vera veræ vrbis iura, & vrbem tunc restitutam & tutò inhabitandam arbitramur, quando ciues his frui possunt. Denicp 13. ab hinc anno mittitur in Iudæam Nehemias ad extruendum etiam mœnia.

7. Quid quod per finem vel metam septimanarum 70. non ostenditur ipsa domini natiuitas, sed dicitur, Vscp ad Christum ducem vel principem. Proinde ad principatum & mortem Christi pertingit septimanarum finis. Cæterũ principatus domini nostri Iesu Christi, in ipsa eius prędicatione mirifica operibuscp diuinis planè, adeocp in morte & resurrectione eius sese exeruit. Mox enim à resurrectione ascendit in cœlum accepitcp nomẽ, quod est supra omne nomẽ, Quo & illud pertinet, quod manifestè sequenti versu dicit angelus domini ad Danielem, Et post septimanas sexaginta duas (prius dixi 7. illas priores & vnicam ab his non separari) excindetur Christus, En post septimanas ait illas, non dicit in septimana 62. vel in septimana vnica vel vltima aut in septuagesima illa, sed post septimanas illas occidetur Christus, nimirum 18. anno Tiberij, qui proximè succedit septuagesimæ septimanæ, & in quo finiuntur adeò septimanæ. Mors ergo domini post vltimã, id est 70. hebdomadam consequuta, est finis & conclusio 70. hebdomadum. Proinde supputatio 70. septimanarum, id est annorum 490. incipienda est à 7. Artax. Long. anno & deducẽda ad annum vsque passionis & mortis domini, quam vno eodemcp anno, sequuta est resurrectio gloriosa, ascensio in cœlos, & missio sancti spiritus in apostolos, qui exeuntes in orbem terrarũ, regnũ Christo parauerũt in omnibus populis & gentibus.

Sepputationis demonstratio.

Ergo cum iam didicerimus à quo termino auspicanda sit supputatio LXX. septimanarum, & quouscp producenda, nimirum à 7. anno Artaxerxis Longimani, vscp ad passionem & mortem domini Iesu Christi, facilis & perspicua iam erit supputatio, nẽpe si procedamus per Olympiades & per annos ab vrbe condita. Sic enim & certa erit & clara supputatio, quam omnes planam & veram esse agnoscent. Incidit 7. annus Artaxerxis nostri in Olympiadis octogesimæ annum 2. & in annum ab vrbe condita 294. Mors autem Domini, quod & superius indicaui, incidit in 18. Tiberij, id est, in 4. annum Olympiadis 202. & in annum vrbis conditæ 784. Ordire ergò supputationem ab anno vrbis conditæ 294. His adde annos 6. vt perficias 300. annos. Adde deinde 484. annos. Iam si his 484. annis 6. illos priores annos adieceris, habebis & nostros illos sacros 490. annos, & vrbis conditę 784. Si malis supputare per Olymp. aut per annos regnorum Persiæ, Græciæ & Romanorum, pari facilitate inuenies 490. Danicis annos, sicut manifestè patet in Tabula 3.4.5.6. Hactenus ergò tempora pulcherrimè & exactissimè respondent veritati oraculi sacrosancti.

Ordo Septimanarum triplex

1. Septem Septimanæ.

Verùm cum ab angelo diligẽter obseruetur ternarius ordo septimanarum, tractabimus & hunc qua possumus fide & diligentia, & quantũ gratia Dei concesserit. Primus ordo est 7. septimanarum, hoc est annorum 49. Horum supputatio initium accipit à 7. anno Artaxerxis Long. vt iam satis est demonstratum. Obturbat autem multos, quod hæc referunt ad 7. Darij Hystaspis annũ, quòd tantus fuerit Ezræ sacerdotis zelus, vt post priuilegium à Dario concessum redeundi & extruendi templi, haud verisimile videatur ipsum diutius hæsisse inter Babylonios impios. Cæterùm cum numerentur à 1. Cyri anno ad 7. vscp Darij 31. anni, quibus idem Ezras in Babylone hæsit, quî fit quòd hoc tempus illos non obturbet, nisi quia magnates Iudæorum qui erant in potestate adde & ministerio

niſterio principum Perſarum ita ijs erant obſtricti vt non licuerit ipſis abire, quando ipſis libuit,, ſed quando per ipſorum gratiam licuit. Ac videtur huc plurimum facere ſi paulò diligentiùs, & tamen per compendium, ipſam regum iſtorum temporumq; repetamus hiſtoriam.

Hiſtoria redeũtis populi ex Babylone ſub Cyro, Dario et Artaxerxe.

Redijt quidem pars populi captiui ſub Cyro principe, ſicut in 1. lib. Ezræ legitur, deducentibus reducem populum Zorobabele duce & Ieſu pontifice. Ac cœperunt hi ædificare templum, ſed ædificium perficere non potuerunt. Quia à vicinis gentibus Samaritis impediebãtur. Cyrus verò profectus in Orientẽ, occupatus erat bello Maſſagetico vel Scythico, quod alij vocant Tamiricum, in quo & occubuiſſe traditur. Ergo non potuit priuilegium Iudeę genti datum tueri: filius autem quem reliquerat in imperio Cambyſes, qui in hiſtoria Ezræ & Artaxerxes & Aſſuerus cognominatur, homo erat planè impurus & impius, qui ſcripta epiſtola palàm prohibuit progreſſum templi dominici. Breuibus ergo ſcriptura monet ædificium templi ceſſaſſe vſq; ad 2. Darij, nimirum Hyſtaſpis annum. Oppreſsi enim Iudæi à vicinis gentibus & potentia vel tyrannide Perſica, meliora expectarunt tempora.

Nehemias noſter dimiſſus 20 Darij anno.

Porrò rex Darius priuilegium conceſsit extruendi templi dominici: vt iterum exponit liber Ezrę, abſolutumq; eſt templum anno huius principis 6. Nec vero diſsimile plures ſub hoc quoque principe domum ex captiuitate redijſſe. Vrbs tamen ipſa, vtcunq; ciues ſibi pararent ędes vel habitationes, adhuc iacebat in ruinis. Nec veriſimile eſt, nec cum hiſtorijs congruit, quod regni eius 7. anno Ezras ſit dimiſſus, & 20. anno regni eius Nehemias dimiſſus, ad reficiendos muros Hieroſolymorum. Si enim bellis exteris ſub piſsimo principe Cyro impediri potuit opus Dei, quid mirum ſi ſub Dario quoq;, & ipſo principe optimo, bellicis tamen tumultibus grauiſsimè implicito, impedita eſt vrbis reparatio: maximè cum vicinæ gentes, & in primis Samaritæ nihil clementiores facti ſint erga gentem Iudaicam quàm antea fuerant ſub præcedentibus Perſarum regibus? Quales enim ſeſe præſtiterint cum poſt multos annos Artaxerxes reparationem vrbis mandaſſet, exponit hiſtoria Nehemiæ.

Quibus bellis implicitus Darius mox ab extructo templo Hieroſolymitano.

Porrò operæprecium eſt paucis conſignare quibus bellis implicitus fuerit optimus princeps Darius. Regni eius anno 9. cum ante triennium opus templi fuiſſet perfectum, defecit ab ipſo Babylon, quam longa fatigatã obſidione, fide & arte demum Zopyri, ſicut tradit Herodotus, recepit. Anno regni 11. infelicẽ belli expeditionem facit contra Scythas. Subigit quidem Getas, ſed à Scythis eſt fuſus atq; fugatus. Circa annum 20. belli Ionici & quidem omnium periculoſiſsimi, initia apparent. Cui autem tunc veriſimile videatur tanta ſequuritate dimiſſum Nehemiam? Quid quod 21. anno regni Darij Ieſus ſummus Pont. proficiſcitur ad Darium, neq; reuertitur Hieroſolymas ante 9. annos completos? Illo ipſo enim anno capta eſt Miletus, & Iones victi ſunt à Perſis. Subegit & Mardonius regis gener, Macedones in hoc bello: ſed ad Athon montem naufragio facto 20000. hominum amiſit. Et 31. anno regni eius pugnatur in campis Marathonijs, conſilioq; Milciadis vincuntur Perſæ, cæduntur q; 6300 Ab ea clade toto triennio ſe apparat contra Græcos, ac priuſquam educeret exercitum, moritur ſuccedente ſibi filio Xerxe.

Ioſephus de Xerxe.

Non ignoro quid de Xerxe ſcribat Ioſephus, exiſtimans hunc illũ eſſe principem, qui Ezram 7. regni ſui anno dimiſerit. Addit Nehemiam veniſſe Hieroſolymam anno regni Xerxis 25. abſoluiſſe mœnia eiuſdem regni anno 28. Antiq. lib 11. cap. 5. At ſolus ita ſentit & in hoc diſſentit à cæteris omnibus cũ hiſtoricis tum chronographis. Nec admittit ingenium Xerxis vel turbulentiſsimi Xerxis regnum, quòd Iudæorum in religione vllã habuerit rationem. Etenim

licet instructus esset paternis copijs, apparat se nihilominus tamen toto quadriēnio ad bellum Grecis inferendum. Quinto demum anno multa hominum millia educit terra mariq; . Et circa illa tempora quibus ille scribit Xerxemse tam beneuolum Iudeis præbuisse, pugnatur acerrimè & plus quàm infeliciter, quo ad Persas, ad Thermopylas videlicet, ad Arthemisium, ad Plateas & ad Mycalem montem in Asia. Memini harum rerum & in 8 cap. huius operis. Et quanquam grauiter à Græcis afflictus esset Xerxis exercitus, attamen sub finem regni sui ex integro rursus bellum instruit contra Græcos: quem tamen Cimon dux Athenien. terra mariq; superatum eiecit ex tota Asia.* Moritur ergo anno regni 21 mœrore confectus, & regnum relinquit filio Artaxerxi Longimano, ita appellato, quòd dextra ei lōgior fuerit quàm sinistra. Laudatur hic princeps à bonitate, pietate & studio pacis, gubernationeq; æquissima. Atque hic creditur Ezram vnà cum ingenti copia Iudæorum 7. regni sui anno, & Nehemiam quoque 20. anno dimisisse Hierosolymam. De quo antea satis est dictum. Si ergo ineas supputationem annorum 49. id est 7 septimanarum, peruenies vsque ad 11 imperij Darij Nothi. Ab hac consignatione temporum parum dissentit Marianus Scotus in Chronologia sua. His verò annis 49. multa aduersa sunt passi Iudæi à vicinis gentibus, quæ initio restaurationem murorum vrbis prohibere instituerant, deinde cum hoc se conari frustra intelligerent, & vrbem fossis & muris clausam cernerent, insidias struxere vrbi reparatæ varias. Contra quas vigilijs & laboribus opus erat. Ergo completū est quod propheta prædixit, reparandam quidem fore vrbem, sed in temporum angustia. Et hactenus de primo septimanarum ordine.

* *Sunt qui ab Artabono interfectū aiunt.*

2. 62. *Septimanæ.*

Secundus ordo progreditur ad tempus passionis Domini nostri Iesu Christi. Dicit enim ad prophetam angelus Domini, Et post hebdomades 62. excindetur Christus, nimirum post septuagesimam illam septimanam. Nam prius monui septem illas priores cum vnica, licet distinguantur inter se, à se inuicem tamen auellendas aut seiungendas non esse, & illas coniunctas conficere in vniuersum annos 490. Nam si omnino coneris ad literam supputare annos dunta xat 434. quos conficiunt septimanæ 62. supputando à 7 Artaxerxis anno (qui est conditæ vrbis 294) non progredieris longius, quàm in 18. Augusti Cæsaris annum, qui est vrbis conditæ 728. Ita verò desiderabuntur ad natiuitatem vsq; Domini 23. anni, & inde adhuc ad mortem eius anni 33. in vniuersum anni 56. At ea supputatio planè non congruit cum veritate, quæ nobis ostendit principium hebdomadū 7. Artaxerxis annum & finem, mortē domini. Rursus si adiunxeris his 62. septimanis 7. priores, detraxeris autem septuagesimæ & vltimæ septimanæ annos septē, supputando peruenies ad 26 seruatoris annum, vbi iterum deerunt ad mortem vsq; domini 7. vel 8 anni. Oportet itaq; & 7. priores illas septimanas, & vltimam, hoc est annos 56. coniungere cum 434. annis siue cum 62. septimanis, vt verè possimus colligere mortem domini, quæ certè euolutis annis 490, proximo mox anno (qui est vrbis conditæ 784. & 4. Olympiad. 202) est insequuta ac vnicus est finis 70. septimanarū. Nam vt 7. annus vltimæ septimanæ incidit in annum domini 32. Ita 33. sequente affixus cruci Dominus noster, mortuus est, vt nos viuificaret, sicut antea dictum est copiosius.

3. *Septimana vltima.*

Interim verò seorsim & tertio loco vel ordine vnica illa, id est vltima & 70. septimana collocatur commemoraturq; ab angelo, non alio vtiq; nomine, nisi quòd loco suo causam repudij Iudæorum indicare, vt mox ostendemus copiosius, & quòd in medium eius singulare eximiumq; nobis mysterium addere atq; reponere adeoq; cōmonstrare voluit, noui vtiq; fœderis sanctionem, gentium item vocationem, & abrogationem legis. Nam duo dicit, Principiò testa-

mentum,

mentum, vtiq; nouum, confirmandum cum multis, nimirũ cum vniuersa multitudine Iudæorum & Gentium. Deinde in dimidio huius vltimæ septimanæ abrogandum fore sacrificium & oblationem. Id aũt constat factum esse, quod mox copiosius demonstrabimus, per prædicationem euangelij & mox per mortem Domini nostri Iesu Christi consequutam à fine hebdomadum. Cæterùm initiũ huius septuagesimę hebdomadis incidit in 11. annum Tiberij Cæsaris, & finis in eiusdem annum 17 adeoq; 18. Iam verò Lucas testatur 15 anno Tiberij Ioan. Baptistam cœpisse prędicare pœnitentiam & baptismum in remissionem peccatorum. Testatur & Ioan. apostolus Baptistam verã demonstrasse, in Christum intento digito, hostiam, ac dixisse, Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Medium ergo huius septimanæ, non iuxta rigorem intelligo, annum quartum, sed medios inter primum & vltimum annos intercurrentes. Rectissimè ergo dixisse intelligis angelum & rem acu quasi attigisse, in medio septimanæ septuagesimæ prædicandum euangelium, condendum nouum testamentum, vetus verò abrogandum, idq; per Christum seruatorem nostrum. Cui gloria in sæcula sæculorum.

Hæc habui quæ communicarem tibi lector de supputatione 70 septimanarum beati Danielis. Ea si probantur & videntur esse verisimilia (quod & initio monui & nunc repeto) agamus vnà Deo gratias, sin secus, meliora sequaris licet. At aliud interim nemo inuenerit, quàm quod iam est inuentum certum & compertissimum, & quod inconcussa fide tenendum est, Christum secundum prophetiam hanc, suo & quidem certo venisse tempore, & complesse omnia, quæ angelus ipsum dicit completurum. Fundamentum aliud nemo potest ponere, quàm hoc ipsum quod iam positum, & rectè & firmiter positum esse certissimè constat. Diuersitas supputationum aut interpretationum hoc neq; obturbat aut concutit neq; euertit. Deo sit gloria.

HOMILIA L.

Vrbem autem & sanctuarium destruet populus principis aduenientis: & finis eius in inundatione, & ad finem belli consummatio vastitatum. Et confirmabit fœdus (cum) multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis cessare faciet sacrificiũ & oblationem: & super alam abominationum desolatio, & vsque ad finem & destinatam consummationem stillabit super vastitatem.

AVdiuimus Christum dominum trucidandum Hierosolymis, & quidem à gente Iudaica, ergo ne hæc existimaret tantum nephas se laturam impune, morti Christi coniungit iam excidium templi & vrbis adeoq; gentis huius repudium. Quod breuibus sanè sed euidentissimè describit. Non quòd excidium ilico, id quod & antea monui, sequutum sit mortem Christi, sed quòd prę cipua fuerit causa omnium calamitatum & excidij. Venerat enim Christus vt seruaret populum suũ, verùm hic redemptori suo ingratus, negauit ipsum atq; cruci affixit. Vnde gentem impiam & salutis suæ contemptricem perdi oportuit. Prędixit hoc ei Dominus ipse in euangelio apud Matth. in cap. 21. & 24. & apud Lucam in 19. & 21. cap. Quæ cum omnibus sint cognitissima, nõ est quod multis repetam. Faciunt autem ea ad huius loci expositionem permultum. Et Iosephus in libris de bello Iudaico hæc omnia esse completa verbotim locupletissimus est testis. Nos singula ordine explicabimus.

Excidium templi & vrbis.

Vrbs excindetur.

Principiò prædicit vrbem quæ tãtis anguſtijs & laboribus ſub Perſicis principibus reparata ſit, & poſtea ab Herode ſumptibus immenſis ornata & munita, vaſtandam fore, nec vrbem tantùm, ſed & ſanctuarium, id eſt ipſum templum, domum Dei. Horrendum hoc erat & incredibile in auribus ludæorum. Nam quantum tribuerint Ieremiæ & omnibus propè temporibus templo Hieroſolymitano, liquet ex 7. eius libri capite. Etſi credere poterant vrbem vaſtandam, ſemper tamen templo parcendum ſperabant. Abominandum ergo illis erat audire non tam vrbem ſanctam, quàm ipſum ſanctuarium ſacratiſſimum fore vaſtandum. Ac meruit hoc iſtius gentis nepharia impietas, & indefeſſum infractumq; ſtudium Chriſto & euangelio eius contradicendi. Et quidem templo vtebantur ceu firmiſsimo præſidio contra prædicationem euangelij. Oportuit ergo excindi.

Quis exciſurus ſit vrbem & templum.

Deinde exprimit etiam per quem ſit & vrbs & templum eruendum, vtique per populũ principis aduenientis. Alij legunt, Populus principalis aduenies, Sed in Hebræo eſt נגיד. Erant autem Romani principalis populus, vtpote apud quos erat monarchia vel rerum ſumma. Romanas autem legiones, ſub imperio Cl. Domitij Neronis, adduxit in Iudæam contra Hieroſolymam illuſtris militiæ dux Fl. Veſpaſianus, qui tametſi Romam, ex caſtris in Iudæa collocatis, reuerteretur, & imperatoriam ſuſciperet maieſtatem, reliquit tamen in Iudæa Titum filium, omnium principum longè optimum, qui bellum inchoatum perficeret, quod & ſtrenuè & felicisſimè confecit. Alluſit fortè Daniel vel angelus domini ad illud Balaami vaticiniũ, quod Numeri 24. ſic legitur pronunciatum, Et naues de littore Citthim affligent Aſſur & Heber, & ipſe perpetuò peribit. Eum locum Hieronymus ſic vertit, Venient in trieribus ex Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntq; Hebræos, & ad extremum ipſi quoq; peribũt. Quod poſtremum Hebraicè ſic habet, וגם הוא עדי אבד. Et etiam ipſe vſq; (id eſt certò) peribit. Id quod referri poteſt & ad Romanos, quorum imperium tandem & ipſum fruſtillatim eſt diſcerptum: & ad Hebræos, qui à Romanis funditus ſunt exciſi.

Romani perdunt vrbem.

Modus excidij oſtenditur.

Sed & modũ excidij luculenter deſcribẽs dicit, Et finis eius in inundatione. Id eſt, excidium eius ſimile erit diluuio alicui. Per parabolam enim diluuij, atrocitatem horrendámue faciem excidij proponit oculis ſpectandam. Nam ſicut inundatio aliqua derepentè exundans, validiſsimo curſu furit, & omnia obuia ſecum rapit atq; euertit, relictis poſt ſe ſordibus & vaſtitate horrenda: Itaſanè exercitus Romanus furore militari horribili & incredibili, & vrbem & vniuerſum agrum Iudeæ gentis ipſamq; adeò gentem vaſtauit. Proinde modus excidij eſt, quòd funditus & ex ipſis radicibus, eruẽtur vrbis & templi & religionis Iudaicæ omnia, vt nihil ſit futurum reliquum incolume & integrum. Congruunt cum his verba Chriſti dicentis, Non manebit lapis ſuper lapidem, qui non deſtruetur. Item, Erit afflictio magna ſuper terram, & ira in populo hoc. Et Hieruſalem conculcabitur à gentibus. Libet hic & Ioſephi verba recitare ex 7. lib. belli Iudaici ex cap. 18. Quia, inquit, quos occideret, quidúe raperet exercitus, non habebat, quòd iratis animis omnia deerãt (nec enim parcẽdo ſi eſſet quod agerent abſtinuiſſent) iubet eos Cæſar totam funditus iam eruere ciuitatem ac templum, relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebãt, Phaſelo, & Hippico, & Mariamne, muricq; tanto, quanto ciuitatẽ ab Occidente cingebant, ſpacio. Id quidem vt eſſet caſtrum illis cuſtodiæ cauſa relinquendis: turres autem vt poſteris indicarent, qualem ciuitatem quámue munitam Romanorum virtus obtinuiſſet. Alium verò totum ambitũ ciuitatis, ita complanauere diruentes, vt qui ad eam acceſsiſſent, habitatam aliquando vix eſſe crederent. Addit

Vrbs à fundamentis eruta.

hiſtoricus

historicus, Hic quidem finis, eorum dementia, qui nouas res mouere tentauerunt, Hierosolymis fuit, clarissimæ ciuitati & apud omnes homines prædicatissimæ. Hæc ille. Ex quibus oraculi veritatem palàm intueri licet. Neque pugnat cum verbo Domini, dicentis, Non manebit lapis super lapidem, cum eo quod Iosephus commemorat relictam esse murorum partem integram. Nam Dominus apud Lucam in 19. prouerbiali figura nihil aliud significauit, quàm vrbem funditus fore vastandam. Id quod factum esse constat, tametsi portio aliqua inter rudera videatur relicta. Quid quod Dominus verba illa, Non hærebit lapidi lapis apud Matthæum in 24. de templo dixit? Quod & ita erutum esse constat, vt eius nulla amplius visa sint vestigia. His adjcit angelus Domini, Et ad finem belli destinata consummatio vastitatum. Quod versio vulgata legit, Et post finẽ belli definita vel statuta desolatio. Sic autem eripit eis omnem spem restitutionis. Loquutione enim illa intelligit non tam vastitatem consummatissimam horribilissimamq́, quàm finalem & irrecuperabilem. Finito bello pax succedit, & reparantur cum tempore collapsa omnia: at in præsentiarum nihil tale erit, sed finito bello desolatio, quæ diuinitus statuta est, contra vrbem & gentem, perdurabit in finem vsque. De qua vastitate & desolatione dicetur paulò post iterum ab angelo Dei.

Non manebit lapis super lapidem.

Nunc enim omissis aut suspensis illis, transit ad explicandum tertium septimanarum 70. ordinem, in quo explicat nobis mysterium reconditũ septuagesimæ septimanæ, quam ille solam collocat, certè vt antea quoq́ est dictum propter mysterium. Eam expositionem ideò seorsim ac mediam interposuit in ipsum vrbis excidium, quòd potissimam contineat, id quod antea quoq́ monui, reiectionis Iudaicæ gentis & interitus illius horrendi causam. Abrogauit enim Deus vetus testamentum, nouum instituit atq́ sanguine filij sanciuit. At Iudæi illud saluum & incolume, hoc autem dissipatum & euersum voluerunt. Quapropter cum repugnarent Deo, & testamentũ Dei omnino euersum cuperent, vrbemq́ & templum vrgerent & euangelio opponerent, quasi vrbs esset sacro sancta, templum verò inuiolabile & veræ religionis veluti cardo, euertit Deus & vrbem & templum, gentemq́ ipsam repudiauit imò & dispersit per orbem, quã & nunc quoq́ persequitur omnigenis calamitatibus: vt vniuersus hic mundus videat, Deo non probari amplius templum & cultum illum, licet aliquando instituerit eum. Nunc verò probari ei religionem euangelicam & populum Christianum. Sed redimus ad exponendam septuagesimam & vltimam septimanã. Habet ea capita certa, eaq́ memorabilia, & in primis cognitu necessaria, de nouo testamento vocationeq́ gentium, & de abrogatione legis, &c.

Tertius ordo Septimanarum

Principiò enim, Et confirmabit, inquit, fœdus (quod alij vertunt, Et robo-
rabit, vel ratum habebit, vel reparabit, pactum aut testamentũ) multis, vel cum
multis hebdomada vna, id est finita vnica illa & postrema septuagesima, quæ
continet annos 7. Proinde à septem illis annis vltimæ illius septimanæ confir-
mabitur nouum testamentum: simul illo tempore abrogabitur testamentũ ve-
tus. Obseruandum autem est singulariter, quòd ea quæ hic futura dicit, ad Deũ
vel ad Christum messiam authorem referũtur omnia. Hic, inquit, confirmabit
testamentum, hic vocabit gentes, hic cessare faciet sacrificium & oblationem,
hic inquam, non angelus quidam aut homo aliquis. Quis verò se opposuerit
Deo & Christo eius? Quis vocabit in ius Deum & Christum eius? Quis dixerit
Deum & Christum eius hic fecisse, quod culpari possit? Viderint ergo Iudæi,
quo vultu aut colore se tanta pertinacia opponant euangelio, propter abroga-
tam legem. Deus harum rerum author est & gubernator. Cum Deo itaq́ con-
tentionem suscipiunt, cum propter euangelium, pro lege altercantur, & fidem

Deus ipse vult prædicari euangeliũ & abrogat legem.

Christianam conuitijs & blasphemijs perfundunt, vt suum illum Iudaismum approbent.

De fœdere vel testamento.

Cæterum Berith, quod dicitur testamentum, fœdus, pactum, est actus vel conuentus, quo duo vel plures, (qui mutuum sibi aliquid promittunt, vel in re aliqua conueniunt) verbis disertis mutuum declarant, qua in re conueniant, quo deniq; promissa sanctè confirmant atq; sanciunt. Est ergo Berith vnio ein vereinigung vnd ein Ee. Hinc maiores nostri Heluetij appellitant Vetus & Nouum testamentũ, die alt vnd niuw Ee. Nam Ee est vnio & arctissima coniunctio. Est Berith etiam confœderatio, ein verbindung vnd pundt: cum duo vel plures certis se obstringunt vel religant conditionibus. Vnde fortasis Religio dicitur Christiana, qua Christus nobis & nos Christo religati obstrictiq; sumus. Vult Christus noster esse redẽptor, & viuere in nobis, vt nos viuamus in ipso. In eo versatur Christiana religio. Berith item est pacificatio, cum ab inimicitia & bello vel armis disceditur, & in pacem transitur. Significat quoque Berith ordinationem & testamentum, voluntatem inquam cuiusq; extremam, mentisq; contestationem. Deus autem ab initio rerum inijt fecitq; cum humano genere berith, fœdus, vnionem, conuentionem, confœderationem, pacificationem quoq; & testamentum, quo se nobis & nos sibi arctissimè obstrinxit, ac certis nobiscum conditionibus conuenit, quas beatis patribus exposuit, vt Adamo, Noe, Abrahamo, Mosiq;, subinde sese magis magisq; declarans & fœdus seu testamentum hoc illustrans atq; renouans. Ac habet fœdus quod percusit & solenniter cum patribus illis sanctis inijt, certas, quod sæpe repeto, conditiones, copiose tandem & scripto publico expositas à Mose, præcipuè autem in decalogo. Simul verò prædixerunt prophetæ, Deum hoc scilicet testamentum vetus abrogaturum, & conditurum nouum per Messiam, sicut videre licet apud Ieremiam in cap. 31.

Religio.

Christus noui testamenti mediator.

Huius autem fœderis vel testamenti noui meminit in præsentia archangelus domini, manifestissimè exponens Deum vel Messiam ad vltimam istam septimanam, sub finem vtiq; eius, vt superius ostendimus, confirmaturum fœdus certè nouũ. Etenim Christus dominus, huius testamẽti vel fœderis, vt Paulus ad Galat. & Hebr. ait, mediator est. Proinde à septuaginta illis septimanis sanguinem fundendo in cruce (nam absq; sanguinis effusione non fit remissio) testamentum sanciuit atq; confirmauit, quod in medio vltimæ septimanæ prædicando condidit, denique moriendo (nam testamentum non nisi ratum est in mortuis) nos Deo reconciliauit, omnibusq; fidelibus plenariam peccatorum remissionem acquisiuit & contulit. Quæ quidem plenaria peccatorum remissio & recõciliatio cum Deo, summa est testamenti noui, Ieremia attestante atq; dicente, Et hoc est testamentum, quòd placatus ero super iniustitijs eorum, & peccatorum iniquitatumq; eorum non recordabor amplius. Exponuntur hæc fusius ab apostolo Hebr. 8. 9. & 10. cap. Ergo illa nocte qua se Dominus in manus hostium mortemq; tradebat, in Cœna sua vltima, inter discipulos suos duodecim poculum consecrans, nouum testamentum nuncupat, in sanguine suo vel per sanguinem suum vtiq; dedicatum vel confirmatum. Voluit enim Cœnam hanc mysticam sempiternum esse testimonium sanciti confirmatiq; fœderis, quòd omnes, quotquot in Christum credunt, ipsi coniunguntur, & gratias agunt, plenariam sint consequuti peccatorum remissionem, in eius sanguine & morte, ac hæredes facti vitæ æternæ.

Vocatio gentium.

Hoc testamentum condidit non vni Iudaicæ genti, sicut olim mediante Mose fœdus sanciuit cum populo Israelitico, sed cum omnibus per mundum populis & gentibus. Angelus enim Domini, Confirmabit, ait, fœdus cũ multis.

En cum

En cum multis, inquit, nimirum cum omnibus gentibus, per vniuersum terrarum orbem dispersis. His itaq; attigit vocationem omnium gentium. De qua alij prophetæ, in primis clarissimus Isaias, plurima & apertissima sunt vaticinati. Et certè non ita multo à morte domini tempore intonuit euangelium in ipsa Samaria, à qua & animis promptissimis est receptum. Beatus Petrus, qui circũcisionis erat apostolus, ad Cornelium Italicæ cohortis centurionem primitias gentium mittitur, iubeturq; gentibus prædicare euangelium, idq; visione vel vocatione diuina & solenni quidem illa instructus. Quid quod Antiochiæ, in qua vrbe aliquando Antiochus ille contra Deum & religionem veram insanijt, qui & Antichristo typum prætulit, euangelium Christi gentibus annunciatum & alacri animo receptum est, vbi & fideles primùm nuncupati sunt Christiani? Sed de vocatione gentium dictum est alias copiosius.

Deinde sequitur in verbis archangeli, Et in dimidio hebdomadis huius vltimæ cessare faciet (quod alij verterunt, abrogabit, alij, deficiet, alij, intercidere faciet) sacrificium & oblationem: vel vt alij reddunt, victimam & hostiam. Per has verò species duas, intelligit omnia sacrificiorum genera, quinimò cultum illum externum Aaronicum totum, ipsum inquam sacerdotium cum omnibus ritibus instrumentisq; sacris ad ministerium pertinentibus sacrũ. Hæc inquam omnia abrogata sunt in media, vel in dimidio vltimæ septimanæ. Nam anno illius vltimæ hebdomadis quinto, qui erat Tiberij 15. annus, Lucæ 3. cœpit prædicari euangelium, inde verò anno mox tertio, crucifixus est dominus noster. At per prædicationem euangelij & mortem domini nostri Iesu Christi constat legem esse abrogatam. Nam ipse dominus apud Matthæũ de Ioanne loquens, Omnes prophetæ, inquit, & lex ipsa vsq; ad Ioannem prophetarunt. Ioannes verò ipse est Helias, qui venturus est. Et hic quidem Ioannes (quod & superius monui) manifestè de Christo testificans, declarauit hunc esse ipsum, qui per sacrificia fuit prefiguratus. Ecce, inquit, extento in Christũ digito, agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi, Quasi diceret Non est quod amplius ad templum & ad sacra quæ in eo fiunt spectetis Oculos vestros in Christum hunc dirigite. Hic est qui in sacris illis præfiguratus est. Hic est qui peccata mundat & fideles seruat, &c. Proinde per prædicationem euangelij cœpit abrogari lex, quæ morte Christi plenè est abolita. In cuius quidem rei certissimam approbationem, velum templi, in morte domini, à summo ad imum vsq; est discissum. Mox resurrexit à mortuis dominus, ascendit in cœlum, misit spiritum sanctum in apostolos, qui exeuntes in mundum vniuersum, euangelium, id est nouum Iesu Christi testamentum, toti orbi prædicarunt. Floruit quidem cultus ille Aaronicus etiam adhuc plurimùm à morte domini: & exorti sunt qui legem miscere conabantur euangelio, quasi sine obseruatione legis & cæremoniarum legis, fides Christiana iustificare omnino nequeat. Ideoq; Hierosolymis coijt sacrum concilium, in quo definitum est, fidem in Christum iustificare, absq; operibus legis, quæ sit prorsus abrogata. Fuerunt in eo concilio præcipui apostoli Christi sanctus Petrus, Ioannes atq; Iacobus, vnà cũ apostolo Paulo & Barnaba, multisq; alijs ecclesiæ presbyteris. Quod copiosius exponit Lucas in Actis 15. cap. Insignis est ergo hic prophetę locus de nouo testamento, omniumq; peccatorũ plenaria remissione per mortem Christi nobis collata, testificãs, & de abrogatione legis Mosaicæ, quam & politiæ destructio mox est consequuta. Authore autem Deo hæc sunt perfecta, vt meritò hic cesset omnis disputatio, An iure Abolita sit lex, quæ promulgata est in Sina monte tanta cum authoritate diuina, & quę tam diu durauit, totq; excellentes cultores habuit, pontifices, sacerdotes, prophetas, reges, et viros principes, cũ innumera populi Dei turba? Etenim placuit

De abrogatione legis.

Obserua.

Deo legem illam ad certum tempus in mundo, & in populo suo celebrem esse, quam tamen inducto testamento perfectiore & nouo voluit antiquare vel abolere: sicut Paulus ostendit. Cernimus in his iterum quæ nobis sunt à Deo patre donata in Christo, peccatorum videlicet remissio & liberatio à lege. De quare illustria alia quoq; extant testimonia apostolica, ad Rom. 3. & 8. & in Actis cap. 13. Quinimò disputauit hac de re Paulus per integras ad Galat. & ad Hebræos epistolas. Domino redemptori nostro, sit pro liberatione, laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Hcb. 8.

Interitus vrbis templi gentis.

His ad hunc modum absolutis, redit in expositione sua angelus domini ad interitum gentis Iudæorum, & vrbis certissimum horrendumq; exterminium, cui vltimo adiecit finale gentis Iudaicæ repudium. Et super alam inquit, abominationum vel abominanda desolatio. Id quod alij legunt, Et super extentionem abominationū desolatio. Hieronymus vel Vulgata versio legit, Et erit in templo abominatio desolationis. Videtur autem angelus per desolationem significasse signum vastationis desolationisue: alam verò nuncupare ipsum templum, in quod imponēdum sit vastationis signum. Ala enim tegit vel protegit. Vnde propheta dixit, Sub vmbra alarum tuarum protege nos. Et quidem templum erat populo Iudæorum, veluti ala contegens, asylum item & refugiū. Nam persuaserant sibi, se satis fore tutos, contra omnia imminentia mala atq; pericula, si templum frequentarent, in eo precarentur, atq; immolarent. Quam quidem fiduciam planè vanam atq; peruersam, confutauit olim ipse dominus, in eo colloquio quod habet cū Sólomone rege 1. Reg. 9. cap. & Ieremias in cap. 7. Sed & angelus Dei in præsentiarum nūcupat templum ipsum, alam abominationum (**ein grewenlichen bůben mantel oder decke**) id est integumentum vel præsidium abominandum. Etenim templum, adeoq; populus qui versabatur in templo, erat Deo, propter rebellionem peruicacem contumaciamq; impietatem, abominatio, nec poterant se per illa, quæ colendi placandiq; Dei gratia peragebant in templo reconciliare Deo vel se liberare ab impendētibus malis. Et quod huc maximè pertinet, tradit in historia sua Iosephus, Pilatum Iudææ præsidem, vt Cæsari gratificaretur, imagines Cæsarū intulisse in templum, ibidemq;, multum reclamante populo, collocasse. Quod factum putatur à multis, altero mox à morte Christi anno, idq; factum esse in argumentum & signum indubitatum certissimę vastationis. Ita verò posita est desolatio super alam abominationum. Negarunt Iudæi in conspectu Pilati Christum dominum, redemptorem suum, inficiantes se habere regem, neq; Christum se agnoscere pro suo illo rege, sed profitebantur se agnoscere Cæsarem suum esse regem. Proinde digni erant modis omnibus, vt qui abhorrebant à rege Messia benigno & pacifico liberatore suo, illi ipsi haberent Cæsarem truculentum vel vastatorem. Quemadmodū & hodie dignissimi sunt habere seductores, proditores & perditores, quotquot abominantur fideles doctores veritatis, & consultores integros. Refertur tamen vox abominationum à quibusdam ad desolationem, sensu non alieno. Quasi dixerit, In templo erit abominabilis desolatio, quam videlicet omnes videntes abominabuntur. Et sanè ad vtrunq; referre potes, & ad alam & ad desolationem, citra detrimentum veritatis.

Desolatio signū desolationis.

Ala est templū.

Aquila in templum illata Hierosolymitanū.

Hic Danielis locus à Christo adductus.

Adducit hunc Danielis locum ipse Christus dominus, apud Matth. in cap. 24. & apud Marcum in cap. 13. vbi disserit etiam de gentis Iudaicę & vrbis Hierosolymorum interitu, ac inter alia dicit, Cum videritis abominationem desolationis, de qua dictum est à Daniele propheta, stantem in loco sancto. Pro quo Marcus habet, Stantem vbi non oportet. (Indignum enim putabant nec fieri oportere, quòd idolum, quod Hebraico idiomate nuncupat Βδέλυγμα, staret in loco

loco ſancto (pro quo angelus alam dixit) nimirum in templo Deo cõſecrato (vt ſanè abominatio eſt inueniri in tẽplo Dei vllas imagines) qui legerit intelligat, id eſt diligẽter animaduertat, & obſeruet omnia, vt rectè intelligat. Quid quod exercitus & Aquilæ Romanorum vrbem obſidentes certiſſimi erant prænunciij, inſtantis deſolationis abominabilis? Sic enim ipſe Chriſtus dominus docuit apud Lucam in cap. 21.

Poſtremis verbis huius verſus perorat archangelus de gentis Iudaicę deſtinato finaliq; repudio. Quæ ſane triſtis & horribilis eſt concio, Et vſq; ad finem, inquit, & deſtinatam conſumẽ tionem הנחרצה id eſt ſtillabit ſuper vaſtitatem. Quæ alij interpretati ſunt, Donec conſummatio & quidem deciſa effuderit ſe ſuper ſtupentem, vel admirantem, nimirum populum, admirantem inquam atq; ſtupentẽ ſuper tanta vaſtitate. Hieron. vel Vulgata verſio ſic habet, Et vſq; ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio. Significat autẽ angelus his verbis populum Iudaicum propter contumaciſſimam incredulitatem & odium fidei Chriſtianæ, prorſus à Deo fore repudiandum, & reliquias repudiatas omnibus ſæculis adeoq; perpetuis atterendas calamitatibus. Romani enim à vaſtata vrbe & ab abductis captiuis, reliquerunt pauperem Iudæorum turbã, in Iudęa reliquias miſerabiles, ſed nihilominus ſeditioſas, vt mox audiemus. Alioqui ab eo tempore, quo vrbs ipſorum à Romanis capta direpta & exciſa eſt, nullos amplius habuerunt duces, niſi pſeudochriſtos & callidiſſimos atrociſſimoſq; impoſtores imò latrones, nullos habuerunt prophetas, niſi ſeductores & imperitos audaceſq; nebulones, nulla habuerunt certa diſcrimina tribuum, nullum, templum, nullum pontificem, nullum ſacerdotium, nullam denique vrbem adeó que non ipſam vrbem ſanctam. Dicit ergo angelus, Super vaſtitatem, id eſt ſuper reliquias vaſtatas (quæ videlicet remanebunt ad tempus in Iudæa, ſed & diſpergentur per orbem) ſtillabit, nimirum ira & vindicta Dei, qui non ceſſabit calamitates & pœnas cumulare calamitatibus & pœnis, donec illi perſtiterint in ſua illa impietate. Et hoc quidem fiet, vſq; ad finem & deſtinatam conſummationem, id eſt nullo terminabitur fine hæc miſeria, ſed vrgebit eos perpetua & conſummatiſſima conſumptione, prout iuſtiſſimus Deus iuſto ſuo iudicio contra eos decreuit. Proinde non vult veritas diuina repudiatos Iudæos vllis vnquam temporibus ab exciſa vrbe, vllam ſperare reſtitutionẽ vel cultus vel politiæ. Deſolatio erit perpetua. Quod hactenus impletum abundantiſſimè videmus. His non repugnãt quæ diſputat apoſtolus ad Rom. 11. cap. Loquitur enim ibi de Iudæis ad Chriſtum conuerſis, &c.

De repudio gẽtis Iudaicæ.

De hoc repudio gentis Iudaicæ horrẽdo admodùm plurima vaticinati ſunt & alij prophetæ. Inter quos Iſaias in cap. 50. Ira Dei defluet vel ſtillabit, inquit, ſuper gentem illam in finem vſq; ſæculi. Ad quæ verba videtur alluſiſſe apoſtolus Paulus, quando ad Theſſalon. dixit, Iudæi vt & dominũ occiderunt Ieſum, & proprios prophetas, ita & nos perſequũtur, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur: qui obſiſtunt nobis, ne loquamur gentibus, quò ſalui fiant, vt expleant ſua ſemper peccata. Peruenit autem in illos ira in finem, &c.

1. Theſſ. 2.

Quòd ſi ſcrutemur hiſtorias veteres, inueniemus gentem Iudaicam grauiſſimis oppreſſam calamitatibus, & diuerſis quidẽ temporibus. Commemorabo in præſenti, propter eos, qui hiſtorias ſibi familiares nõ habent, quæ Iudæis acciderunt ſub imperio Aelij Adriani, & Iuliani Rom. Imperat. Et præclarus vir D. Phil. Melanch. copioſam & horrendam Iudæorum hiſtoriam perfidè deficientium furioſeq; tumultuantiũ, ſub Adriano, in Iudæa, contrahens in compendium, in Chronicis ſuis, Vt autem propter religionis ſpeciem, inquit, & plures concurrerent & creſceret audacia, Dux ſeditioſorum tribuit ſibi titulum

Quæ Iudæi paſſi ſub Imp. Adriano.

Bencochab.

Messiæ, & vt alluderet ad vaticinium, Orietur stella ex Iacob, nominatus est Bencochab, vel Barcochab, id est filius stellæ. Hic annos aliquot in ipsa Iudæa tenuit 50. castella, & nongentos & octoginta vicos, & munijt oppidum Bethoron situm in Beniamin & Ephraim: quod olim & Solomõ munierat. Ex ea arce cum eruptiones facerent, sæpe Romanos profligarunt. Sed redijt in Syriam Adrianus, & oppidum Bethoron obsedit annos tres & sex menses. Ibi cum multi in prælijs interirent, & plures fame & pestilentia morerentur, tandem oppidum vi captum est, & interfectus est dux seditionis Bencochab: quem postea Iudæi ipsi (miseri & cæci) nominarunt Bencozba, id est filium mendacij, quòd falsò iactasset se Messiam esse, & recuperatorem Iudææ. Numerus interfectorum dicitur (à Dione historico) fuisse quinquaginta millium hominum. Alij qui peste & fame perierunt, non potuerunt numerari. In hoc bello potentia Iudæorum, quanta reliqua fuit, fracta est. Hæc ille. Addit his Eusebius libro Eccles. hist. 4. cap. 6. Scribit Ariston Pellæus, Tota gens Iudæorum in vniuersum omni Hierosolymitana regione, decreto legis & iussis Adriani, excludi-tur, ita vt iubente illo, paternum solum miseris, ne quidem è specula aliquando cernere licuerit. Hæc Eusebius. His insuper omnibus addunt historiæ, Adrianum in Hierosolymæ ruinis ac ruderibus iterum extruxisse vrbem, quam fecerit Romanam, & nomine suo Aeliam nuncuparit Capitolinam, sue ex marmore sculpta, in odium Iudæorum, & ne quis eorum amplius eam inhabitaret, affixa in fronte portæ eius, qua Bethlæhem itur. Ea Paulus Orosius lib. hist. 7. cap. 13. sic exposuit, Adrianus Iudæos perturbatione sanè scelerum suorum, exagitatos, & Palestinam, prouinciam quondam suam, depopulantes, vltima cæde perdomuit, vltusq; est Christianos, quos illi Cochaba duce (id quod & Eusebius commemorat raptos inquam ad supplicia nisi Christum negassent) quòd sibi aduersus Romanos non assentarentur, excruciabant: præcepitq; ne cui Iudæo introeundi in Hierosolymam esset licentia, Christianis tantùm ciuitate permissa, quã ipse in optimum statum murorum extructione reparauit, & Aeliam vocari de prænomine suo præcepit. Hæc ille. Facta hæc sunt anno domini 136. ab vrbe Hierosolymorum vastata 64.

Talis fuit Rex Monasterien. Anabaptista.

Iudæi Iudæa penitus exclusi.

Quæ Iudæis euenerint sub Iuliano Imp.

Venimus ad imperium Iuliani apostatæ. Is enim defecit à fide Christiana, quam fuerat professus, & in odium Christianorum, Iudæis priuilegium concessit redeundi Hierosolymam, & extruendi illic templi ac sacrificandi. Conferebat in hanc rem perficiundã imperator ex publico sumptus. Congregati sunt itaq; ex omnibus terræ partibus, qui opus aggrediebantur Iudæi, parataq; materia, iam iam iacere instituerant templi fundamenta. Erat tum Hierosolymorum episcopus Cyrillus, qui propter Danielis hoc vaticiniũ certissimum, quod ipse quoq; dominus in euangelio confirmauit, magna constantia asseruit, Iudæos planè nihil effecturos. Nam desolationem fore perpetuam, abolitaq; esse penitus sacrificia à Deo, quæ nullus hominum restituere possit. Res erat in magna omnium expectatione. Et ecce nocte, quæ ad incipiendum opus iam sola restabat, terræmotus oboritur ingens, quo non solũ fundamentorum saxa, longè lateq; iactantur, verùm etiam totius loci penè ædificia complanantur. Porticus quoq; publicæ, in quibus Iudæorum multitudo, qui operi videbantur insistere, manebat, ad solũ deductæ, omnes Iudæos, qui ibi reperti sunt, oppressere. E domo etiam, in qua instrumenta operi necessaria seruabantur, erupit subitò, qui ab alijs cœlo dicitur delapsus, ingens ignis globus, qui incensa illa domo consumptisq; instrumentis omnibus, per medium plateæ percurrens, aduersis & exanimatis Iudæis, vltro citroq; horribiliter ferebatur. Arsit eo die totũ, quicquid incredibilibus & sumptibus & laboribus erat comportatum à cæcissimis

Iudæi templum Hierosolymis restaurant.

Iudæis

Iudæis. At ne casu id factum dicerent Iudæi, sequenti nocte in omnium vestibus signum crucis, tam euidenter apparuit, vt etiam qui eluere hanc vellent, non possent. Sic territi gentiles à Iuliano submissi, & Iudæi infelices, locum simul & inaniter cœpta reliquere. Facta sunt hæc anno domini 367. ab exusta & vastata vrbe Hierosolymorum anno circiter 295. Leguntur autem hæc quæ commemoraui in Eccles. hist. apud Ruffinum lib. 1. cap. 37. 38. & 39. Apud Socratem verò lib. 3. cap. 20. Apud Theodoretum lib. 3. cap. 20. & apud Hermiam Sozomenum lib. 5. cap. 22.

Sed quid vetera commemoro? Exercentur, affliguntur, opprimunturq; Iudæi etiam hodie adhuc innumeris & inexplicabilibus malis. Obambulãt in cõspectu Christianorum, & sunt fabula & dicterium adeoq; iuxta vaticinia prophetarum execratio, non Christianorum modò, sed & omnium nationum & gentium. Apparet in his euidentia & infallibilis immobilisq; propheticorum oraculorum veritas, & horrenda in incredulos rebellesq; ira Dei. Caueamus ergo fratres, caueamus obsecro, horum calamitosissimorum hominũ docti exemplo, ne euangelium Christi nobis annunciatum non tantùm non recipiamus, sed insuper vituperemus, persequamur etiam & oppugnemus. Si enim Deus populo suo electo nõ pepercit, sed omnigenis calamitatibus cohercuit atq; oppressit, profectò vocatis nobis gentibus, non parcet. Quod ipse nos apostolus Paulus docuit in 11. cap. ad Rom. vbi etiã spem vitæ & salutis aperit Christum recipientibus Iudæis. Hactenus qua fide & diligentia potui, exposui insignem & omnium pulcherrimum Danielis locũ de hebdomadibus. 70. Domino Deo nostro sit laus & gloria. Amen.

Quàm contempti hodie Iudæi

VISIO QVARTA CONTINENS PROGNOsticon à Cyri temporibus vsq; ad finem sæculi.

CAPVT X.

HOMILIA LI.

ANno tertio Cyri regis Persarum, Danieli, cui nomen Baltazar, patefactum est verbum, & veritas verbi, & potentia magna, & intellexit verbum illud, & intelligentia illi in uisione. Eo tempore luctui me dabam ego Daniel hebdomadas dierum tres. Panem delicatum non comedi, neq; caro aut uinum os meum ingressa sunt, neq; unguento me unxi, quoad tres hebdomades dierum finitæ sunt. Die verò uigesimo quarto, mensis primi, erã in ripa fluminis magni Hiddakel. Et cum eleuassem oculos meos, ecce uir quidam indutus linea veste, cuius lumbi cincti fuerunt obrizo auro. Cuius corpus velut Tharsis, & cuius facies fulguri similis erat, & oculi eius ut lampades ignitæ, & brachia eius atq; pedes eius, velut splendor politi chalybis, & vox verborum eius ceu vox multitudinis. Ego autẽ Daniel solus vidi visionem istam, & viri qui mecum fuerunt, visionem hanc non viderunt, sed ingens terror eos inuasit, vt fugerẽt ad loca, in qui

bus se absconderent. Ego verò solus relictus sum, & vidi hanc magnam visionem: neq; reliqua facta est in me virtus, & forma mea in me immutata est in deformitatem, nec virum aliquid retinui. Et audiui vocem verborum eius, cumq; audissem vocem verborum eius, velut graui somno, dejectus sum in faciem meam (ut attingeret) terram facies mea. Ecce autem manus contigit me, & mouit (erexit) me super genua mea, & super palmas manuum mearū. Et dixit ad me, Daniel vir desideriorum cognoscito uerba, quæ tibi loquor, & consiste in tua statione, iam enim ad te missus sum. Cumq; uerbum hoc ad me dixisset, constiti pauidus.

Argumentum & usus visionis huius quartæ.

COHAERENT inter se tria hæc vltima capita 10. 11. & 12. & exhibent nobis 4. & vltimam prophetæ reuelatam Visionem. Est hæc prognosticon propheticum & compendium historicum earum rerum, quas operæprecium erat scire ecclesiam. Protrahitur autem ab imperio Cyri ad finem vsque sæculi. Et quanquam de his quoq; aliquid sit dictum in cap. 8. distinctius tamen nunc, & paulò plenius disseritur de rebus Persarum & Græcorum, à quibus ad Antichristum, ex typo delabitur, & ad resurrectionem vsq; corporum, in diem vltimam illam prouehitur: sicuti & Homilia huius operis 34. commemoraui. Dicuntur hæc omnia in hunc finē, vt confirmentur animi fidelium in vera fide fideiq; perseuerantia, ne videlicet turbis & afflictionibus quibus omnibus temporibus exercetur & probatur Dei populus, per impatientiam & propter felicitatem impiorum, deficiant ad impietatem & idololatriam, dubitentq; de puritate & veritate religionis veræ. Id quod ferè fit dum opprimitur Dei ecclesia, & exultant atq; triumphant impij.

Cap. 10. est præparatio ad 4. visionem.

Est autem totum hoc caput 10. operosa παρασκευὴ, splendidaq; præparatio ad Visionem consequentem, qua commendatur nobis, ostensa eius insigni præstantia. Ac ab initio summam contexens, affirmat sibi patefactum esse verbum. Intelligit autem per verbum, totum visionis negotium. Addit, Et hoc verbum veritas est. Vel verbo inest veritas. Sic enim commendat nobis visionem à veritate, & quòd alienissima sit ab omni fuco fictione & mendacio. Addit præterea, Et potentia magna, nimirum inest verbo mihi patefacto. Zaba significat exercitum, in præsenti potentiam atque vim quandam, quasi tu dicas, Visio

Commendatio huius visionis.

hæc est magni ponderis atque momenti, **an deren vil gelägen ist.** Commendatur ergo nobis visio præstantia sua, & quòd res vtiles scitu necessarias, graues atq; maximas nos doceat. Significat etiam Zaba tempus præfixum, præfinitum atq; longum. Vnde sunt qui verterunt. Et tempus præfinitum longum, continet videlicet verbum hoc vel visio. Id quod monuisse videtur propheta, ne fideles nimia se festinatione præcipitent, sed patienter tempus definitum à Deo expectent, firmi in fide. His iterum adiungit se intellexisse verbum hoc: cui subiungit per interpretationem, nactum se intelligentiam visionis. Quo Dei gratiam prædicat, qua illuminatus optimè intellexerit quod ipsi à Deo per angelum in visione fuit propositum. Vnde etiam rectè potuit Visionem ecclesiæ Dei proponere. Quod enim quis ipse non intelligit, vel non rectè intelligit, aliis certè non potest rectè, commodè & verè tradere. Et hæc quidem omnia à Daniele ad hunc modum proposita, commendant ecclesiæ Dei hanc visionem præstantissimam.

Sequitur

Sequitur iam expositio, quo tempore, & per quam occasionem Danieli visio hæc sit exhibita, tertio anno Cyri, vigesima quarta die mensis primi, qui nostro respondet Martio, altera die à ferijs pæsæ peractis. Celebrabatur enim pæsa die mensis primi 14. extrahebaturq; celebritas ad 21. vsq; diē mensis, qui erat dies festus. Atqui cum non licuerit pæsa celebrare, iuxta legē Deut. 16. nisi vno in loco, nempe ad templum Domini, certum est Danielem pæsa in terra Chaldæorum vel Persarum non celebrasse, memoriam tamen solennis diei & beneficij maximi sine ceremonia, precibus & sanctis cogitationibus peregisse vero non est dissimile. Ergo luctus eius incidit in solenne populi gaudium, id est quo alioqui gaudere solebant, rebus ipsorum non infelicibus. At nunc dubium nō est, quin populus qui ex Babylone Hierosolymā redierat, fuerit ipse quoq; grauissimo in luctu. Redierat ille ex Babylone Hierosolymam, mense septimo Cyri anno primo, sicuti futurum prædixit Daniel cap. præcedente 9. secundo verò cœperant extruere templum domino, sed impediebatur ipsorum conatus anno eiusdem tertio, sicut commemoratur Ezræ 1. & 2. Id quod fuit causa luctus maximi, omnibus pijs adeoq; & Danieli. Querebantur apud dominum pij omnes de noua illa sua calamitate, cui inuoluebantur, qui vix emerserant adhuc ex captiuitate Babylonica, ac affligebant se ieiunijs, & supplicationibus perpetuis fatigabant dominum: sicuti & Daniel in præsenti facit.

Quo tempore & qua occasione exhibita sit hæc visio.

Duo autem in his nobis insignia commendantur dogmata, Alterum admiranda ecclesiæ Dei vicissitudo. Quam eleganter in commentationibus suis ad Danielem describens D. Phil. Melanch. Rediere iam, inquit, aliqua Iudæorum ex Babylone in Iudęam agmina, ac incœperant ædificationem. Omnia tunc lætitiæ gratulationum ac bonę spei plena erant. Pij gratias Deo agebant, quòd ecclesiæ reddebatur vetus sedes, templum, cultus. Celebrabant vaticinium Ieremiæ. Laudabant Deum, qui voce Ieremiæ mirabiliter seruarat gentis reliquias. Erat iunioribus dulce videre, maiorum patriam, templum, cultus diuinitus institutos, frui libertate, studijs pijs. Agnoscebant etiam hoc suum exilium profuisse, ad doctrinę propagationem. Videbant Cyrum & multos alios ad veram pietatem conuersos esse, & gaudebant se habere fauentem regem, qui imperio & virtute tunc omnes reges antecellebat. Hæc gaudia Danieli seni etiam exilium leniebant, qui tunc abfuerat à patria annos 86. Nam abductus est ante Iechoniam, vt testatur initium primi cap. Sed vide lector imaginem ecclesię. Hęc tanta gaudia post triennium, sequitur tristissimus luctus. Discedit ex regno Cyrus, prohibetur nouo edicto ędificatio templi. Aliquanto post Cyrus ipse interficitur. In aula fit rerum omnium conuersio. Excluduntur, vrgentur odijs, opprimuntur pij, qui ante authoritate apud Cyrū valuerant. Renouantur ethnicæ superstitiones. Principes impij, inimici veræ doctrinæ, vocantur in aulam. Hic Daniel quanto in luctu fuerit, nemo satis explicare potest. Dolebat regis amici casum, dolebat contumelia affici nomen Dei: præcipuè verò excruciabatur Iudæorum tum imbecillitate tum peruersionibus, quorū multi nullam iam spem esse restituendæ vrbis, & frustra sibi verba dari à prophetis, dicebant. Alij etsi non prorsus desperatione frangebantur, tamen dehortatores erant suis, ne properarent redire in patriam, sed iubebant expectari tempora tranquilliora. Ridebant stultitiam eorum qui incerta spe moti, statim ex Chaldęa discesserāt. Vt igitur initia fuerunt lætitiæ plena, ita nunc boni sunt in luctu, squalore, tristitia. E contra verò pars Iudæorum quæ suum ocium religioni anteferebat, fremit indignatione, distrahit voluntates suorum, perturbat bonos. Habes ecclesiæ imaginem, quam Deus vult & exerceri afflictionibus, & fide expectare liberationes. Et cum liberat, tamen euentus nō respondet nostris coniecturis.

Vicissitudo in ecclesia Dei.

Abstractus bellis contra gentes exteras atq; barbaras.

Cum Cyri beneficium impeditum esset, postea magis conspici potuit à Deo gubernari hanc liberationem, cum tot impedimenta incidissent, quæ humanis consilijs tolli non poterant. Hactenus ille. Quibus si contuleris, quæ hodie eueniunt ecclesiæ Dei, dices ijsdem vicissitudinibus exerceri eandem.

Quomodo nos geramus temporibus calamitosis.

Alterum verò quod hic nobis commendatur, est insigne Danielis exemplum, quo pulchrè erudimur, quo modo nos geramus temporibus calamitosis, vt cum sæuiunt persequutiones, tempestates, bella, pestes. Daniel dedidit se luctui, dominum seriò inuocauit, & quò minus impeditæ essent preces eius, sed feruidæ magis, abstinet ab omnibus delitijs ac cibo, potu, somno similibúsque, duntaxat naturæ & vix quidem satisfacit. Hoc ipsum sanè iubemur in paribus casibus imitantes facere. Panem, ait Daniel, delicatum non edi, id est abstinui ab omni cibo delicatiore. Vinum quoq; & carnem non gustaui, neq; vnguento vllo sum delibutus. Qui mos apud Persas & Indos, sicut ait Hieron. hodie quoque seruatur, vt pro balneis vtantur vnguentis. Nimirum ad roboranda atque purgãda corpora. Daniel ergo ab omni cura cultuq; corporis sua sponte abstinuit, nobisq; veri ieiunij imaginem prætulit. Fuit hoc eius ieiunium priuatum, & sponte susceptum, & quàm alienissimũ à papisticis, quibus vt non abstinent à vino, ita delicatioribus cibis nunquàm vtuntur operosius & diligentius. Perseuerauit in hac abstinentia tres septimanas. Liberum enim est tempus, quod pro ratione rebus atq; temporibus adaptatur. Sed disserui copiosius de ieiunio in meis Decadibus.

Daniel bonis Dei creaturis temperanter vtitur.

Interim cernimus Danielem extra periculum & extra tempora calamitosa, bonis Dei creaturis, vino, carnibus, vnguentis, & delicatioribus cibis vsum esse, cum gratiarum actione & temperantia: sicuti & de Christo domino nostro testantur sancta eius euangelia. Errarunt olim in ecclesia Dei turpiter Encratitę, & alij hypocritę, qui bonas Dei creaturas condemnantes, prohibuerunt, velut immundas. Contra quos apostolus disserit 1. Timoth. 4.

Quo loco Danieli exhibita visio.

Iam etiam locus in quo Danieli exhibita est visio, attingitur, ripa videlicet fluuij magni Hiddakel, qui dicitur nominari etiam Tigris, ob cursum fluminis rapidum. Rarum verò non est visiones ostendi prophetis ad flumina. Nam Ezechiel quoq; visionem habet insignem ad flumen Chobar. Et Ioannes vidit ad ripam Iordanis aperiri cœlos supra dominum. Sunt alia huius generis alicubi etiam consignata. Sunt qui existiment in visione hæc Danieli apparuisse, non re ipsa in loco illo certo & nominato commonstrata esse. Ego verò malo simplicitatem sequi verborum, quæ locum certum nominant. Quo faciunt & sequentia de ijs qui Danielem sunt comitati, &c.

Descriptio angeli per quem hæc exponuntur.

Progreditur porrò his absolutis ad describendum angelum Dei, per quem visionis mysteria sunt exposita, vt commendetur nobis visio hæc, etiam ab authore vel reuelante angelo, omnesq; videamus pariter verbũ vel negotiũ hoc proficisci ex ipso Deo, cui, nisi insanire libeat, extra omnem controuersiam & citra dubitationem vllam credimus. Faciunt hæc ad scripturæ sacræ authoritatem corroborandam, & ad fidem scripturis sacris conciliandam. Scimus enim angelorum reuelatione expositam, eorumq; testimonijs abundãtissimè esse roboratam adeoq; sancitam. Sed & Mosis vultus redeuntis ex colloquio Dei ferentisq; tabulas fœderis, radios ex se fudit lucidissimos. Inprimis verò Christi vultus in monte instar Solis radiauit. Fulsit & Stephani facies in iudicio & consessu senatus Hierosolymitani, quæ sanè testimonia sunt lucem ab his annunciari, nullas tenebras: vt sanè in scripturis nullæ sunt tenebræ.

Authoritas & splendor scripturæ sanctæ.

Vestis candida

Sed inspiciamus descriptionem angeli Dei, quem ex veteribus nõnulli non angelũ sed Christum fuisse volunt. Vestis huius angeli fuit linea, cãdida, pura, & vt

& vt alij dicunt byssina. Eadem his alibi quoq; tribuitur, vt in resurrectione domini. Vnde non est quod his Dei angelis præsentibus & loquentibus aliud cogitemus, quàm purissima hic esse omnia. Lumbi affectionum sedes sunt: ergo femora angeli constringuntur baltheo, non tantùm aureo, sed ex Vphal id est auro obrizo purgatissimoq; parato. Nam non est quod suspicemur angelorum reuelationes vllis corruptas esse affectionibus prauis. Corpus ipsum colore referebat gemmam, quæ vocatur tharsis coloris cyanei, *himelblaw*. Alij chrysolithum, alij hyacinthum esse putant. Rectissimè verò Ioan. Oecol. Mihi cœlestis inquit, angelorum natura describi videtur. Nam cum incorporei sint, rectè tamen immortalitatem suam, gloriam, & incorruptibilem essentiam, cœli eis figura attribuitur, quod stellis interstinctũ nobis apparet, quasi aureis maculis, &c. Tutissimum ergo fuerit his credere spiritibus purgatissimis. Facies eius fulguri est similis. Qualis legitur fuisse illius quoq; angeli in euangelio, qui resurgenti domino amouit lapidem ab ostio sepulchri. Fulgur verò & fulget & terret, sicut angelorum nuncia pios illuminant & exhilarant, impios terrent atq; consternant. Ita oculi angeli rutilant, instar lampadum faciúmue. Alibi enim legimus dixisse Dauidem, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lux semitis meis. Illuminat ergo veritas Dei, reuelata per angelos, cæcorum oculos. Brachia insuper angeli & crura cum pedibus similes sunt chalybi politissimo, in quo nulla conspicitur macula. Per manus atq; pedes scimus adumbrari in scripturis, opera & incessum adeoq; conuersationem hominum. Ergo nõ est quod quisquam vereatur se doctrina angelorum polluendum, vt conuersatio eius opera & instituta Deo displiceant, si omnia sua instituat ad doctrinam angelorum. Iam ipsa angeli vox sonat instar vocis multitudinis, vel hominũ vel aquarum multarum. Nam doctrina angelorũ est sonora, clara & irrefragabilis. Cui si opponas multorum hominum suffragia & vniuersi mundi sententias, nihil proficias. Loquente enim Deo, iure conticescunt omnium ora hominum. Quis iam non videat hæc omnia pertinere ad commendationem eorum, quæ annunciantur per hunc tam præclarum angelum vel nuncium Dei, adeoq; ad conciliandam fidem scripturis sanctis?

Baltheus.

Corpus.

Facies & oculi

Brachia & pedes.

Vox angeli.

Audiuimus ergo hactenus quales sint doctores nostri (vtinam ministri verbi Dei, homines, pro suo modulo imitarentur angelos, in integritate & puritate) audiamus porrò quales deceat esse auditores, tam celebriũ illustriumq; doctorum. De angelis loquor, de patriarchis, prophetis & apostolis, qui nobis dati sunt doctores à Deo. Nos verò illorũ discipuli & auditores sumus. Discamus ergo in consequenti Danielis exemplo, vt afficiantur sancti ad visiones cœlestes, quid agant, & quod nam nostrum sit officium, loquente Domino.

Quales deceat esse auditores & auditorum genera.

Daniel solus conspicit angeli speciem iam descriptam, auditq; vocem eius. Comites eius, vel socij, vel ministri, qui ipsum vt virum principem ad flumen prosequuti erant, prodeambulantem forte animi gratia, vt qui iam latitarat in luctu suo domi, per septimanas tres, hi inquam non viderunt angelum, vocem autem audierunt, ob quam territi diffugiunt, & quisq; latibulum sibi quærebat, in quo se absconderet. Id quod reipsa factum arbitror, non in visione, sicut superius quoq; dixi. Ergo inueniuntur auditorrs verborum domini, qui ex ijs nihil capiunt consolationis, sed duntaxat Deum metuere discunt, vt iudicem seuerum, à quo fugiunt, & nullum Deum esse mallent, ideoq; & varia sibi quærunt latibula. Hi non sunt idonei & veri auditores verbi Dei.

Solus Daniel videt angelum.

Comites Danielis territi diffugiunt.

Quid interim agit Daniel? Qualem illese exhibet ergà loquentem & præfulgida specie angelum apparentem? Solus quidem ipse videt visionem hanc, sicuti & de Paulo legitur Acto. 9. 22. & 26. solus ipse perstat & non refugit, inte-

Imago boni auditoris.

rim terretur ipse quoq; , sic vt expalluerit, mortuoq; factus sit similis (id quod significatum puto per illam loquutionem, Et forma mea mutata est in deformitatem) neq; retinuerit aliquid in se virium, quin conciderit, tanquam graui deiectus somno, ceciderit q; vultu suo in terram. Quæ quidem omnia reuera puto esse facta, ijsq; significatum, idoneum verbi Dei auditorẽ humiliari debere, nihilq; suæ sapientiæ, nihil suis tribuere viribus, sed à sola Dei bonitate & gratia pendere, in solum respicere Deum, & perstare in hoc proposito, cum summa animi sui deiectione. Et hoc est officium boni auditoris. Hoc discimus ex Danielis exemplo. Hoc discimus insuper ex his Isaiæ verbis, Ad quem respiciam, nisi ad eum, qui est humili & fracto spiritu, & qui ad verbum meum (ait Dominus) reuerentia quadam contremiscit?

Qualẽ se Deus exhibeat auditoribus humiliatis.

Sed audi viciſsim quomodo se Deus talibus & ita humiliatis exhibeat auditoribus. Angelus manu sua apprehendit Danielem & mouit id est erigit, ita vt manibus nitendo in genua consurgeret. Iterumq; angelus iubet vt in statione sua consisteret, id est erectus & eo quidem modo consisteret, quo constiterat priusquam in terram fuisset prolapsus. Vnde discimus Deum gratia sua ac verbo eos erigere & stabilire, qui se coram ipso humiliarunt. Rectè ergo alibi dicitur, Deus est, qui deijcit & iterum erigit. Appellat rursus Danielem virum desideriorum, de quo dictum est 9. capite. Et nunc cur ita ipsum stare velit, indicat, Sum enim ad te missus, vt colloquar tecum, & tu me audias. Sta itaq; ad auscultandum ijs, quę tibi dixero. Cognoscito, id est diligenter obseruato & attendito ad ea quæ tibi proposuero, **loß mit allem flyß vf.** Accurata ergo requiritur à nobis diligentia in audiendo verbo Dei.

Pij nunquam abijciunt numinis reuerentiã.

Adijcitur illis, His auditis constiti pauidus & tremens. Pius enim auditor verbi Dei, licet familiarem sentiat sibi Deum, & sciat se coram benigno versari patre, reuerentiam tamẽ non excutit, neq; solicitudinem omnem abijcit, probè sibi conscius, quòd miser peccator versetur cũ æterno & summo bono, ad quod contremiscit, cum fide & scientia. Exemplum hic in Daniele habemus, præterea & in Petro, qui viso miraculo Lucæ 5. clamat, Exi à me Domine, quia homo peccator sum: sed & in Abrahamo, qui familiarissimè colloquens cum Domino, inter alia tamen mirificè se humiliat ac fatetur se cinerem esse vel pulue rem, diligentissimè numinis retinens reuerentiam, Geneſis 18. Dominus concedat nobis vt idonei verbi eius auditores efficiamur.

HOMILIA LII.

Et dixit ad me, Daniel ne timeas, quia primo die quo applicasti cor tuum ad intelligendum, & temetipsum ad affligẽdum coram Deo tuo, exaudita sunt verba tua, & tuorum verborum causa veni. Princeps autem regni Persici restitit mihi vno & viginti diebus. Et ecce Michael vnus de primarijs principibus mihi auxilio venit, ibiq; remãsi apud reges Persarum. Adueni autem vt ostendam tibi, quid euenturum sit populo tuo, in nouissimis diebus, quoniã adhuc visio in dies. Cumq; mecum loqueretur hæc verba, deiectis in terram oculis, obmutui. Et ecce tanquam similitudo filij hominis tetigit labia mea, & aperui os meum, & loquutus sum, ac dixi ad eũ, qui stabat ex aduerso mihi,

Domine

Domine mi, ob hanc visionem conuersi sunt in me dolores mei, nec vires retinui. Et quomodo posset seruus huius domini mei loqui cum hoc domino meo? Nam me virtus modò destituit, neq; in me factus est reliquus vitalis spiritus. Itaq; rursum me contingens tanquam similitudo hominis, & confirmauit me. Dixit autem, Ne timeas vir desideriorum, pax tibi, fortis esto, robora te. Dumq; mecum loqueretur corroboratus sum, & dixi, Loquatur dominus meus, quia confirmasti me. Dixit igitur, Scis ne quam ob causam venerim ad te? Nunc quidē reuertar pugnatum aduersus principem Persarum, & cum egrederer aduenit princeps Græcorum. Verùm indicabo tibi, quod expressum est in scriptura veritatis, & non vnus est, qui mecum strenuè agat, nisi Michael princeps vester. Et quidem anno primo Darij Persæ stabam & ego, vt eum adiuuarem & roborarem.

PErgit propheta in cœpta expositione historica, reliqua etiam pertexere, quæ inter ipsum & angelum Dei vltro citroq; sunt dicta & facta. Quæ omnia vt ad sequentis visionis aut reuelationis commendationem pertinent, ita nos simul de varijs erudiunt.

Cùm Daniel vehementer esset, sicut superius audiuimus, ad aspectum colloquiumq; angeli attonitus, consolatur ipsum angelus Dei, & dicit, Ne timueris Daniel. Ac aliàs quoq; monui, hoc sermone in scripturis sanctis timorē Dei, qui est initium sapientiæ, aut reuerentiam numinis, non tolli, impiamq; induci securitatem, sed requiritur potius à nobis, vt præsentem quem concepimus terrorem deponamus, quinimò ne animū despondeamus ob infirmitatem nostram proiectam admodùm, & ob gloriam illam Dei immensam, sed simus spe bona, dominum gloriæ miseris nobis peccatoribus fore propitium ac beneficum. Ergo ne timeas, inquit, quasi Deo sis ingratus, & oratio tua propter humanas infirmitates parum sit accepta. Ne metuas ob speciem meam gloriosam, &c. Et his iam attexit cuius rei gratia missus à Deo venerit. Principiò vt significet ipsum à Deo esse exauditum. Deinde vt exponat quę consequentibus sæculis per longa tempora euentura sint populo vel ecclesiæ Dei. *Ne timeas.*

De oratione fidelium & quòd ea exaudiatur à domino, sæpe iam diximus etiam in hoc opere. Obseruanda tamen hic peculiariter veniunt, Deum mox si mul ac ad ipsum funduntur preces, audire fideles, licet ipse differat vel respondere in animis precantium vel conferre postulata. Nec tamen inutilis est precatio prolixa & assidua quæ fit post exauditionē, quam tamen nos ignoramus. Nam ipsemet Dominus ait, Oportet semper orare. Oratio quoq; fidelium non petit, nisi sancta & voluntati Dei non aduersa, & humiliant se orantes, carni detrahentes, quæ ipsam ad lasciuiam & socordiam incitant. Ideoq; dicitur hic ab angelo, Simul ac applicasti animum tuum ad intelligendum, res vtiq; sanctas, vtiles & necessarias, atq; cœpisti te affligere corpusq; tuum castigare, exaudita est oratio tua. Nam & Ioan. apostolus dixit in sua canonica, Scimus quòd si postulauerimus secundùm voluntatem eius, audit nos. Et beatus Iacobus, Petitis & nō accipitis, eò quod malè petatis, vt in voluptatibus vestris insumatis. Rursus cum Niniuitę se humiliarunt & Deum inuocarūt in fide & pœnitentia, gratiam assequuti sunt à Domino. Quod autem intelligere cupiuit, ad salutem populi sui pertinebat, de qua fuit valde solicitus. Fundātur ergo nostræ preces ad *De oratione & qualis ea esse debeat.*

Deum ex charitate, ad incolumitatem & salutem proximi. Orationes enim proficiscentes ex corde liuido, & postulantes proximi damna, à Deo non modo reijciuntur, sed puniuntur insuper impiè precantes.

Quare post 21. dies demum data sit responsio Danieli.

Porrò cum exaudita sit oratio Danielis, primo illo die quo precari cœpit, quî factum est, quòd post 21. diē finitumq; tempus ieiunij & luctus, Danieli demum data est responsio? quare non primo protinus die magna illa solicitudine est liberatus? Præoccupat hoc angelus Dei, & ait, Princeps Persarum toto isto tempore mihi restitit, ac certanti cum eo Michael auxilio mihi venit. Ergo detinuerunt me per 21. dies reges Persici, vt venire non potuerim, nunciatum ea tibi, quæ nunc denūcio. Quis sit ille princeps Persicus video controuerti ab interpretibus, quibusdam angelum Persiæ præsidem intelligētibus. Quibus non refragor, cum eum sensum vt vulgarem maximè, aliàs sequutus sim in Decadibus meis. Simplicior tamē & expeditior sensus esse videtur, si intelligamus per principem Persicum ipsum Cambysem, in scriptura etiam nuncupatum Assuerum, eum inquam qui ædificium templi impediuit, & de quo verisimile est credere, vlterius ipsum progressurū fuisse edictis tyrānicis & facinoribus contra miserum Dei populum truculētis, nisi Deus illi obstitisset per angelum suum, fortè Gabrielem, qui frequenter missus est ad Danielem. Ac constat Deum vti opera angelorum in defendendis & asserendis suis fidelibus. Testatur hoc historia Iacobi Israelis miserè Esaum fratrem suum metuentis, Gen. 32. & 33. historia item Helisæi 2. Reg. 6. historia item Ezechiæ & obsessæ vrbis Hierosolymorum ab Assyrijs Isaiæ 37. historia denique apostolorum in Actis cap. 5. 12. & 27. & aliæ historiæ multæ. Quomodo autem vnus angelus alteri suppetias ferat, si hoc non dicitur per Antropopathiam, more huius sæculi, non facilè dixero, nisi quod id eo modo videtur fieri ab angelis, qui congruit beatis spiritibus, ministris voluntatis diuinæ, quæ omnia pulcherrimè administrat. Alioqui in cœlo certissimum est nulla esse bella inter bonos Dei angelos ciuilia, ceu Deos Homericos aut Maronianos. De qua re alibi quoque dictum est.

Deus utitur opera angelorum in tuendis asserendisq; fidelibus suis.

Cur item Deus qui aliquando ministerio vnius tantùm angeli vtitur, & facit per vnum, quæ vult, vt pluribus nihil sit opus, Michaelem hic mittat suppetias Gabrieli laturum, nulla rursus alia causa produci mihi videtur, nisi quod ita Deo placuit, qui nunc per vnum nunc per duos, aliàs per plures exequitur quod vult. Id quod historia sacra innumeris propè in locis testatur. Porrò Michael nominatur vnus de primarijs principibus, quòd virtus eius angeli fuerit insignis. Huius principis angeli fit mentio & 12. cap. huius operis. Apocalyp. itē 12 cap. & in epistola Iudæ. Dicitur hic angelus datus Dei populo peculiariter vt ipsius curam gerat ipsumq; defendat. Docui autem in Decad. meis Dec. 4. Serm. 9. fideles ideò non adorare vel inuocare angelos, quòd audiunt hos & homínibus & regnis esse præfectos, custodes, & adiutores datos à Domino. In scripturis enim palàm tribuuntur omnia soli Deo, ministerium angelis dumxat. Quid enim clarius dici poterat, quàm quod Dauid pronunciauit? dicens, Castra figit angelus Domini circum eos, qui ipsum (certè dominum) timent, & eripit eos: certè ipsus dominus, per angelos. Iterum enim dicit idem propheta, Afflictus ille inuocauit, & dominus exaudiuit eum, & ex omnibus angustijs seruauit eum. En liberatus ille inuocauit Dominum, & seruatus est à Domino, licet interim hic angelorum opera sit vsus: quem angeli ipsi longè à se remouent cultum. De quo vide Apocal. 14. & 22. Interim commendatur nobis perpetuis laudibus celebrāda Dei gratia, qua ille ita erga nos miseros peccatores affectus est, vt suos ipsius etiam, & quidem præcipuos communicet ministros, denique per hos dignetur Danieli causam reddere, cur distulerit extraxeritq; responsum

Michael.

suum

ſuum per dies 21. In qua excuſatione illud quoq; diſcimus, ſi quando differat nobis Deus reſpondere, vel auxilium ferre, id quidem fieri graues ob cauſas, nobisq; ipſis in vtilitatem præclaram. Itaq; in præſenti audimus angelum detentum eſſe apud Perſarum regem & conſiliarios principes, ob ſalutem populi Iudaici, pro cuius ſalute vnicè laborabat & maximè orabat Daniel.

Accedit his expoſitis, ad aliam quoq; cauſam, ob quam venerat ad Danielem miſſus à Deo angelus, cõmemorandam. Aduenì, inquit, vt oſtendam tibi quid euenturum ſit populo tuo, in nouiſſimo dierum, nimirum poſteris temporibus. Quoniam adhuc viſio in dies, id eſt viſio hæc extendit ſe per multa tempora, nec paucis diebus abſoluetur. Pertingit enim ad finem vſq; ſæculi. Vnde & ad nos & noſtra tempora pertinebit, videmusq; & poſtremam huius viſionis partem, propter nos eſſe ſcriptam. Alij interpretantur poſtremum hoc membrum, Quoniam adhuc viſio in dies: id eſt ſuperſunt viſiones de his adhuc, quæ euentura ſunt illis nouiſſimis diebus, cum nondum finitæ ſint omnes viſiones, ſed Haggeus & Zacharias & Malachias etiam prophetaturi ſint. Sed is ſenſus videtur à propoſito longius recedere, cum Daniel loquatur de viſione hac quę ſubijcietur cap. 11. quam affirmat implendam poſt multa demum tempora. *Venit reuelatũ angelus myſteria poſtremi ſæculi.*

Rurſus inſeritur, quomodo Daniel affectus ſit ad colloquium hoc angeli, vt inde colligamus, quomodo ſancti afficiantur Dei eloquijs. Pudore ſuffunditur & oculos deijcit in terram, horret totus, & vox faucibus hæret. Quinimò cum reddita eſſet ei facultas loquendi, per apparitionem hanc, inquit, totus ſum adobrutus doloribus, nullæ ſunt reliquæ in toto corpore vires, & cũ omni robore ſim deſtitutus, vixq; traham ſingultiẽtem anhelitum, quomodo miſer colloqui queam cum domino meo? Ergo ob infirmitatem agnatam contremiſcit omnis caro ad colloquium diuinum. De quo ſuperius quoq; dictum eſt. *Quomodo afficiantur ſancti ad eloquia Dei.*

Mox autem medetur languenti prophetæ angelus domini, qui in ſpecie vel forma hominis ad Danielẽ accedens, contingit labia eius, facultatemq; loquendi dat obmutescenti. Et cum Daniel amplius quereretur de ſua infirmitate, iterum contingit ipſum, additisq; verbis corroborat ipſum & ait, Ne timeas vir deſideriorum, pax tibi, &c. Sic factum legimus & cum Iſaia cap. 6. alibi cum alijs Dei ſeruis. Humiliatos ergo erigit gratia Dei, corda roborat, & mentẽ fidelium & ſeriò quærentium Deum, illuminat, deniq; ora aperit, & plenè inſtruit in pietate. Niſi verò ſic formemur à Deo, nunquam ſanè erimus idonei ſerui Dei, & ſynceri auſcultatores verbi eius. Poſtquã verò Daniel diuina gratia eſt illuminatus confortatus & præparatus, clamat, Loquatur dominus meus. Nunquam enim ſancti ſic ſibi ſatisfaciũt, vt nulla amplius inſtitutione ſibi opus eſſe exiſtiment, ſed indeſinenter clamitant, Doce tu nos domine viam tuam, in hac dirige nos, in ea conſerua nos. Adauge nobis fidem. Semper enim parati ſunt diſcere plus & obedire Deo. Hæc diſcamus ex Danielis exemplo, vt & nos dicamus ex animo, Loquatur dominus meus, &c. Quã verò aliena ſunt hæc ab iſtorum vocibus inſanis, qui poſtquam aliquot in templo audierunt concionẽs ſacras ac legerunt folia aliquot in euangelio, mox exiliunt, & clamant, ſufficiunt hæc mihi, quorſum accederem conciones ſacras amplius? aut cur moleſtarẽ me porrò lectione ſacrarum literarum? ſatis mihi eſt, ſi ſciam Deũ ante omnia diligendum, & proximum meũ ſicut meipſum. Atq; hi vt nihil in religione proficiunt, ita nihil minus faciunt, quàm quod ſibi ſufficere aiunt. *Medetur Deus languenti homino.*

Cum ergo Daniel ſe erudiri plenius de rebus populi ſui & fatis poſtremi ſæculi poſtulaſſet ab angelo, mox hic quid facturus et quid dicturus ſit, cõſequenter & breuiter quidem exponit. Principiò enim quid facturus ſit oſtendit, Vbi, inquit, viſionẽ hanc tibi exhibuero, & res eius expoſuero, reuertar ad pugnam, *Angeli certant pro populo Dei*

id est, proficiscar contra Persarum regem, vt eius furores tyrannidemq; truculentam iterum coerceam, ne longius erumpat, quàm salus populi Dei flagitat. Quibus verbis significat reges quidem Persarum multa tentaturos contra Iudaicum populum, sed non effecturos quod instituerunt, cohibente conatus eorum angelo Dei. Addit his aliud, Dum egrederer vt huc ad te venirem, aduertebat in conspectum Dei princeps Iauan, id est Ioniæ, quæ Græcia est. Nam Iones Græci sunt, absq; controuersia, descendentes à Iauan filio Iapher, Genesis. 10. Ab eo enim Græcæ gentes propagatæ sunt. Ionia alioqui est in Asia. Siue verò intelligas hunc fuisse angelum Græciæ præsidem, siue hominem Græcum qui consultandi gratia in cœlum per visionem, veluti in aulam prodierit maximi imperatoris Dei, in idem recidit sensus. Nam videntur hæc dici per anthropopathiam, nec aliud his significari, quàm Deum nunc etiam consultare incipere de Græcis cum Persis committendis & Persis euertendis. Qua re futurum sit, vt Persæ implicati bello Græco, minus persequi & affligere possint populum Domini. Ac constat ex historijs, Darium Hystaspis, qui Cambysi successit, graue Græcis intulisse bellum, & clade vicissim cruenta affectum esse à Græcis. Xerxem quoq; incredibili expeditione reparasse hoc bellum, sed affectum & ipsum cladibus maximis, vix in cimba piscatoria euasisse in Asiam, qui primo ipsum etiam pontum classe instructissima strauerat. Ea de re dictum est alias. Consolatur ergo angelus Danielem ea narratione, qua quid facturus sit ostendit, simul & quid euenerit in discessu eius ex aula domini Dei sui, obiter attingit. Nostro sæculo sæpe vidimus cruentos hostium euangelij conatus, fractos esse bellis, quibus principes illi, qui euangelium è radicibus eruere voluerant, mutuis sese cædibus, ceu furiosi canes & lupi laniarunt ac lacerarunt, quiescente interim & precante Christi ecclesia.

Certissima sunt quæ hic indicãtur ab angelo.

Deinde quid dicturus sit etiam perstringit compendio, Indicabo tibi, inquit, quod expressum est in scriptura veritatis, Id est exponam tibi ea, quæ decreta & veluti conscripta sunt in ineffabili firmissimaq; Dei prouidentia. Alioqui enim non indiget vllo libro Deus, nulla scriptura, tametsi scriptura sancta eiusmodi libros attribuat. Facit tamen hoc more hominũ, qui habent in curijs suis decretorum legum rerumq; suarum libros authenticos. Significat ergo se expositurum ea per consequentem visionem quæ fidei sint certissimæ, & futura sint absque omni dubitatione, et ita futura vt ipse prædicit, quippe quę deprompta sint ex arcanis firmissimisq; Dei consilijs. Faciunt hæc ad parandam fidem et authoritatem visioni sequenti totiq; huic negotio.

Ecclesia seruatur mera Dei gratia

Addit rursus quædam de sua prouincia & protectione angelus, respiciens ad ea quæ paulò ante dixit de pugna sua contra Persas, Absq; omni alieno auxilio, inquit, perficio hæc et populum Dei assero contra Persas. Nemo enim mihi suppetias fert, nisi vnus Michael, alioqui præfectus populo Dei. Testantur ergo hæc mera Dei gratia & nullis alijs auxilijs, ecclesiã seruari, à suis hostibus. Ne tamen quis suspicaretur vires horum duorum angelorum esse infirmiores, quàm quæ à tyrannide Persarum seruare possint populũ Dei, subijcit, Equidem suppetias tuli & ego Michaeli vicissim in primo anno Darij primi Persici monarchæ. Loquitur autẽ de Dario prisco, cuius mentio facta est in 6. cap. huius operis, & attingit euersionẽ Babylonis. Darius enim hic & Cyrus Babylonem euerterunt. Ergo si virtute Michaelis & Gabrielis, quæ Dei est virtus, subuerti potuit monarchia omnium potentissima Babylonis, quis dubitet porrò virtute eadem Domini, & Iudæos seruari posse, per hos duos angelos, à tyrannide Persarum? Claret ex his, perperam discerpi hunc versum à fine cap. 10. & poni in principium.

In summa cernimus palàm Deum omnibus temporibus opera angelorum suorum defendere & seruare ab omnibus malis ecclesiã suam. Credamus ergo in illum, vocemus illum in quibuslibet necessitatibus, & agamus illi gratias perpetuas per Christum Iesum dominum nostrum.

CAPVT XI.

HOMILIA LIII.

ET nunc veritatem annũciabo tibi, Ecce adhuc tres reges stabunt in Persia, & quartus ditabitur opibus magnis præ omnibus, & in fortitudine sua propter opes suas excitabit omnes contra regnum Græcorum. Et stabit rex fortis, & dominabitur dominatione magna, & faciet secũdum uoluntatem suam. Et vbi steterit conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cæli, non tamen eius posteritati, neq; iuxta dominationẽ eius, qua dominatus est: quia extirpabitur regnũ eius, & alijs (cedet) præter istos. Et roborabitur rex Austri, & è principibus illius, & præualebit illi, & dominabitur, & dominatio eius erit magna dominatio. Et in fine annorum sociabuntur, & filia regis Austri veniet ad regem Aquilonis, ut faciat rectitudines, sed non retinebit fortitudinem brachij, neq; stabit ille & brachium eius. Tradetur enim ipsa, & qui adduxerunt eam, & filius eius, & qui confortabat eam temporibus illis.

POSTQVAM vates abunde fidem Visioni parauit, & auditorem denique ad auscultationem legitimam præparauit, subiungit nunc visionem ipsam vel vaticinium, quæ omnibus modis videtur esse historica narratio, tam videlicet certa & perspicua est prophetia diuina. Ordine hoc progreditur, Principiò breuem quandam texit narratiunculam rerum Persicarũ. Deinde subiungit huic paucula quædam de Alexandro magno, qui initium dedit regno vel monarchiæ Græcorum. Quod commemorat discissum esse in quatuor regna. Præteritis autem alijs, ad Ægyptiacum & Syriacum transit, & peculiares quasdam historias texit, præcipuè pertinentes ad populum Dei admonendum & consolandum atq; confirmandum. Iudæa enim media inter Syriam & Ægyptum sita, non potuit non affligi, Syris atq; Ægyptijs inter sese bella gerentibus. Querebatur olim poeta canens,

Visio ipsa iam exponitur.

Vsus huius expositionis.

Mantua væ miseræ, nimium vicina Cremonæ.

Prædictione ergo hac rerum Ægyptiarum & Syriacarum, & prophetæ populoq; eius, & vniuerso mundo declarare voluit Deus, se sua prouidentia non modò gubernare vniuersum mũdum, sed insuper insignem gerere curam suæ ecclesiæ. Nam dum bellis colliditur hic orbis, & tumultibus perpetuis perturbantur omnia, atq; ita etiam ad ecclesiam quæ in mundo est, portio aliqua malì deriuatur, Deus præmonet de his omnibus maturè suam ecclesiam, & conseruat ipsam in motibus illis impexissimis. Ac ecclesia, vt vt collidatur inter se orbis & confligant regna, sperat tamen illa semper in Dominum, eius consilium & auxilium implorat, adeoq; & perpetuò præsentissimum sentit. In hunc fi-

nem de varijs ecclesiæ calamitatibus, in euangelio quoq; vaticinatus est Dominus, vaticinati sunt & apostoli, vt in periculosissimis illis tẽporibus postremis simus animis præsentibus in fide constantes, cogitantesq; hæc nobis esse prædicta, & mundum, qui totus est constitutus, vt Ioannes ait, in malo, tantis oportere exerceri malis, quibus etsi vtcunq; fiamus etiam participes, Deum tamen & hostes suos punire, & interim nostri curam gerere singularem, qui & suo tempore nos possit & velit liberare.

Exordiolum. Interfatiunculam & exordiolũ præfigit narrationi seu expositioni suæ prophetæ, Nunc tãdem ait, ipsam tibi aperiã veritatem à domino. Affirmat ea quæ dicturus est veritatem esse. Prænouit enim multos futuros, qui de his sint dubitaturi, & in his iudicaturi plurima narrari incredibilia. Quòd si quis ethnicorum historias cum his conferat, dicet certissimam esse fidem eorum quæ hic adferuntur ab angelo.

De regno Persarum. Et primùm quidem loquitur de regno Persarum. Nam sub hoc, & maximè per initia, vsq; ad tempora Artaxerxis Longimani, priusquam mœnia vrbis repararẽtur, populus Domini varijs fuit inuolutus atq; afflictus malis. Concesserat quidem Cyrus reditum, & templi extructionem, mox tamen rescissum est hoc decretum. Darius quoq; Hystaspis concessit facultatem templi reparandi, sed idem occupatus bellis exteris, nõ asseruit Iudæos ab iniurijs vicinorum Samaritanorum aliarumq; gentium. Ergo vaticinatur de 4. illis Persarũ regibus potissimùm, ne cernentes & sentientes calamitates calamitatibus cumulari, desponderent animos, sed firma potius fide crederent, in medijs difficultatibus facillimè ipsos seruandos à Deo, bellaq; illa extera in causa esse, quod minus persequutionis inferatur eis, sicuti & in fine cap. 10. dictum est.

Quatuor reges Persarum. Visio hæc Danieli exhibita est 3. anno Cyri, ergo Cyrus primus est Persarum rex, secundus est Cyri filius, Cambyses. Subrepsit post hunc in regnum Smerdes quidam, sed qui mox interfectus, inter reges Persiæ minimè est supputandus. Tertius ergo Persarum rex numeratur Darius ille Hystaspis, cui filius

Stãt reges Persarum quatuor Xerxes successit, quartus ille rex Persarum. Et quidem stare dicuntur hi reges id est gubernare, & quidem in saluo monarchiæ statu gubernare, rebus regni nihil dum deficientibus. Regnarunt quidem post Xerxem reges Persarum potentissimi adhuc 6. Longimanus, Nothus, Mnemõ, Ochus, Arsames, & Darius Arsami filius in quo penitus defecit regnum: sed tamen non in authoritate & existimatione orbis tanta, quanta regnatum est à primis illis, priusquam Persæ victi à Græcis, inclinare cœpisset regni maiestas. Etenim Darius Hystaspis primus regum Persarum bellum Græcis intulit, sed victus in pugna illa Marathonia à Miltiade, maiori apparatu decreuit Græcis bellum inferre. Congerit ergo opes immensas, paratq; copias militares, omnem propè fidem excedentes. Sed

Quartus rex Xerxes qui Græcis bellum intulit. in medio conatu moritur Darius, succedit Xerxes, de quo propheta noster dicit, quòd omnium regũ fuerit opulentissimus, quippe qui patris immẽsas opes acceperat, vnà cum copijs ex toto Oriente contractis. Vnde dicitur, Excitabit omnes vel omnia contra Græcos. Incitatore enim Mardonio, & frustra bellum dissuadente Artabano patruo, trajicit cum innumerabilibus copijs Xerxes in Græciam, è qua rursus intra biennium magno cum dedecore eiectus est, inuiter profusa immensa illa pecunia, & amissis copijs illis instructissimis & maximis. Commissa sunt 4. prælia & nauales aliquot pugnæ, in quibus victi & deleti sunt Persæ, sicuti alibi in hoc opere dixi. Xerxes in vili nauicula vix euasit. Domi verò immemor tantæ calamitatis & ignominiæ, voluptatibus fœdis sese dedidit, incestamq; cum vxore fratris & filia consuetudinẽ habuit, denicq; fratrem ipsum suum Masistem parricidio sustulit. Vnde mox ipse quoq; ab Artabano

macta-

mactatus est. Ab eo tempore reges Persarum qui hactenus steterant firmi & potentes, declinare cœperunt ad lapsum. Certè post annos 134. regnum in Dario quem Alexander magnus vicit & interfecit, prorsus corruit. Graeca monarchia mox sequuta est Persicam. Cæso enim Dario vltimo Persarum rege, Alexander Macedo princeps potentissimus & victor ac triumphator orbis felicissimus, Græcam excitauit monarchiam. De hoc vaticinans propheta noster, vocat Alexandrũ regem fortem, dominationem & imperiũ eius amplissimum, & qui pro arbitrio fecerit quod voluit, id est, qui quæ voluit, secundo successu, perfecit. De hoc principe fuse dictum est cap. huius operis 8. Inde repetas licet. *Monarchia Græca.* *Regnum Alexandri scissum in 4. partes.*

Addit regnum Alexandri mox esse scissum in partes vel in regna 4. De qua re dictum est & cap. iam commemorato 8. S. Hieron. hunc explicans locum, Post Alexandrum inquit, in quatuor ventos cœli, Orientem videlicet, & Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, regnum illius diuisum est. In Ægypto enim primus regnauit Ptolemæus Lagi filius, id est ad Meridiem. In Macedonia Philippus qui Aridæus, frater Alexandri, id est ad Occidentẽ. Syriæ & Babylonis & superiorum locorum Seleucus Nicanor, id est ad Orientem. Asiæ & Ponti cæterarumq; in ipsa plaga prouinciarum Antigonus, id est ad Septentrionem. Hæc secundum totius orbis plagas dicimus. Cæterùm qui in Iudæa est ad Aquilonem Syriam, & ad Meridiem Ægyptum habet. Hæc ille. Præterea prædicit propheta regni Alexandrini nihil peruenturum ad ipsius posteros. Ratio adijcitur, Quia extirpabitur regnum eius, & alijs, id est extraneis nempe ducibus eius cedet, præter istos vel absq; istis, nimirum Alexandri hæredibus. Vniuersa enim eius familia est trucidata. Sicut dixi cap. 8. Discite hinc cui per vsuram & furta thesaurizes, & quam familiæ tuæ felicitatem pares iniustitia tua. Obtruncabuntur tui, & rapiẽt opes tuas alieni, precium videlicet trucidationis tuorum. S. Hieron. hunc locum sic vertit, Lacerabitur eius regnum, etiam in externos, exceptis his. Et exponit hæc in Comment. sic, Præter regna quatuor Macedoniæ, Syriæ, Ægypti, Asiæ, etiam in alios obscuriores & minores reges, Macedonum regnum laceratum est. Significat autem Perdicam, & Crateron, & Lysimachum. Nam Cappadocia & Armenia, Bithynia & Heraclia, Bosphorusq; & aliæ prouinciæ à Macedonibus recedentes, diuersos sibi reges constituerunt. Hæc ille. Quod autem propheta ait principes hos non dominaturos pari cum Alexandro potestate, clarum satis est. Monarcha enim fuit Alexander, & solus regna illa omnia sub sua habuit potestate, quæ nunc discissa non tantùm imbecilliora fuerunt facta, sed quæ intestinis bellis subinde mutuùm vires atterebant proprias. *Alexandri posteris nil cedit ex regno, sed mactantur omnes.*

Pergit post hæc diligenter vaticinari de regnis Ægypti atq; Syriæ, ea duntaxat attingens, quæ Iudæos scire, intererat, ac regem Austri, id est Ægyptium Ptolemæum videlicet Lagi filium, dicit potentem futurum. De hoc differens Iosephus Antiquit. lib. 12. cap. 1. scribit quòd vrbem Hierosolymorum per dolum cœperit, Iudæos afflixerit, Iudæorumq; plurimos abduxerit captiuos in Ægyptum. Monentur ergo in præsenti Iudæi, potentem ipsum futurum, vt cum suo detrimento senserint illius potentiã, memores sint huius prædictionis, & quòd illa non sine voluntate Dei iusta perfecerit. *Rex Aegypti Ptolemæus.*

Quod iam sequitur, Et è principibus illius, & præualebit illi, &c. nõ eodem modo exponitur ab interpretibus. Nam Hieron vertit, Et de principibus eius præualebit super eũ, & dominabitur ditione. Multa enim dominatio eius. Quæ sic interpretatur in Comment. suis ad Danielem, Iste est Ptol. Philadelphus secundus rex Ægypti, filius Ptolemęi superioris, sub quo LXX. interpretes Alexandriæ scripturam sanctam in Græcum dicuntur vertisse sermonem; qui & *Potentia maxima Ptol. Philadelphi.* *LXX. interpretes.*

Eleazaro pontifici multa Hierosolymam, & in templi donaria vasa transmisit. Cuius Bibliothecæ præfuit Demetrius Phalereus. Idem apud Græcos orator & Philosophus, tantæq; potentiæ fuisse narratur, vt Ptolemęum patrem vinceret. Narrant enim historiæ habuisse eum peditũ ducenta millia, equitum viginti millia, curruum verò duo millia, elephantos, quos primùm duxit ex Æthiopia quadringentos, naues longas, quas nunc Liburnas vocant, mille quingentas, alias ad cibaria militũ deportanda mille, auri quoq; & argenti grande pondus, ita vt de Ægypto per singulos annos quatuordecim millia & octingẽta talenta argenti acceperit, & frumenti artabas, quæ mensura tres modios & tertiũ modij partem habet, quinquies & decies centena millia. Tantum Hieron.

Seleucus Nicanor.

Affertur interim alius horum verborum sensus, qui videtur & simplicior esse, & negotio præsenti congruentior, nempe quòd vates loquatur de Seleuco Nicanore eiusq; posteris. Fuit enim hic sicut dicit Daniel etiam vnus ex ducibus Alexandri. Seleucũ ergo Daniel opponit Ptolemęo, dicitq; Seleucum cum suis factum esse potentiorem & obtinuisse imperium amplissimum. Etenim trucidatus est ab hoc Seleuco Lysimachus, interfectus est ab eodẽ & Antigonus, iccirco addita est ad regnum Seleuci, ad Syriam inquam & Babyloniam, Asiæ pars à Tauro monte, vsq; ad Ioniã, sicut antea Antigonus tenuerat. Ita factum est vt omnium principum efficeretur ille potentissimus, id quod hic aperte Daniel expressit.

Sequitur in Daniele, Et in fine annorum. Loquutio hæc est, perinde vt cum nos dicimus, Exactis aliquot annis per coniugium reges amicitiam contrahere conabuntur. Ptol. Lagi successit filius Ptol. Philadelphus. Seleuco autẽ interrogatus est Antiochus Soter, & huic Antiochus Theos. Hic crebris incursionibus Philadelphi regiones deuastauit. Philadelphus ergo cum pacis esset studiosior, quàm belli, instituit Antiochum sibi deuincire pacemq; sancire tradita sua filia Bernice, Antiocho, in matrimonium. Prauum & infelix erat hoc consilium Ptolemæi, quòd Antiochus haberet antea coniugem Laodicen, ex qua iam susceperat filios duos Seleucum cognomẽto Callinicũ, (καλλινικὸν significat egregium victorem) & Antiochum qui postea ob rapacitatẽ cognominabatur Hierax. Nam ἱέραξ accipiter est auis rapacissima. Non oportuerat autẽ priuaticam modi causa, legitimum matrimonium illegitimè distrahere. Cæterùm solent alioqui principes non rarò ludere in coniugijs, suo tamẽ semper maximo cum dedecore & detrimento. Repudiatur ergo Laodice ab Antiocho, superinducitur Bernice Aegyptia. Non est dubium huc pertractum Antiochum, splendidissima Berenices dote. Nam & D. Hieronymus, Philadelphus deduxit, inquit, Bernicem vsq; Pelusium, & infinita auri & argenti millia, dotis nomine dedit. Vnde φερνοφόρον id est dotalis appellatus est. Moritur postea Philadelphus. Antiochus autem à morte soceri amore precibusq; superatus Laodices, reuocauit Laodicem in regnum: quæ conspecta mariti leuitate, verebatur ne sibi rursus anteferretur Bernice. Curauit ergo maritum extingui veneno, & filio Seleuco cui regnum tradidit, persuasit, vt Bernicem obsidione vnà cum filio & Ægyptiaca sua aula cingeret. Quod cum fecisset, deditione acceptã Bernicem, vnà cum filio, quem Antiocho pepererat, & vnà cum omnibus suis aulicis crudeliter interfecit. Hæc tradunt historici. His si accommmodaueris vaticinium Danielis, videbis singula quàm appositissimè congruere. Etenim, Exactis, inquit, annis aliquot, nimirum sub finem propè regni Philadelphici, iungent reges filij Ægypti & Syriæ amicitiam per connubium. Nam regina Austri, id est Ægypti, deducetur sponsa ad regem Aquilonis, id est Babylonis vel Syriæ Antiochum, sed non retinebit fortitudinem brachij, id est hæc res successu carebit, &

Antiochus Theos vexat Philadelphum.

Iungitur matrimonio Theo Bernice.

Interficitur Bernice cum omnibus suis.

hoc

hoc connubium non erit firmum. Neq; ſtabit ille & brachium eius. Ille inquam, vel Antiochus, vel Philadelphus, & brachium vel robur eius. Vterq; enim eſt mortuus. Alij legunt, Et non ſtabit ſemen eius: id eſt non regnabit filius Bernices, neq; prævalebit hæc. Nam tradetur per deditionem in poteſtatem Seleuci, qui ipſam cum filio, & omnibus deniq; ipſam ex Ægypto ſequutis trucidabit. Qui verò ad tempus Bernicen confortauit, vel pater vel maritus Theos, & ipſe morietur. Ita verò Philadelphi conſilium non proſperabitur. Declarant hæc quem finem ſortiantur tandem coniugia iniquè diſtracta, & illegitimè conciliata. Semper ea res turbas in orbe dedit maximas. Debuerat quidem connubium hoc rectitudines, vt Hebræi loquuntur, facere, id eſt inter reges illos pacem conciliare æquis conditionibus, daß ſy den krieg richte vnd ſchlichte: verùm cum non rectè coijt coniugium, cauſa eſt potius curuitatis multarumq; cædium calamitatúmque, tandem & belli maximi. De quo mox dicetur: ſemper Deus ſeuerè puniuit in mundo coniugia iniqua, inceſtus & adulteria. *Infelicitas coniugiorum malè contractorum.*

Interea dum hæc geruntur bella ab illis regibus, grauiter affligitur miſer Dei populus, in medio illorum conſtitutus. Sed præmonentur maturè de his, vt & tolerantiam diſcant, & liberationem ſperent, quam aſsiduis precibus poſtulent à Domino. Cui ſit laus & gloria.

HOMILIA LIIII.

Et ſtabit de germine radicum eius, in gradu ſuo, & veniet cum exercitu, & ingredietur munitiones regis Aquilonis, & faciet in ipſis, & inualeſcet. Et captiuos ducet in Aegyptum Deos eorum cum conflatilibus ipſorum, & vaſis precioſis argenti & auri, & ipſe ſtabit annis pluribus quàm rex Aquilonis. Et intrabit regnum rex Auſtri, & reuertetur in terram ſuam.

SEquitur in his quid amplius conſequutum ſit ex malè conciliatis & longè peius diſtractis nuptijs Antiochi Thei & Bernices. Proſequitur enim propheta conſequenter bellum, quod geſtum eſt inter Ptol. Euergetem Bernices fratrem, regem Ægypti, & Seleucum Callinicum Laodices & Antiochi Thei filium. Ac hiſtoria ipſa in primis erit perſtringenda nobis, deinde vſus vel fructus eius oſtendendus. *Secundum bellum Syriacum inter Euerg. et Callinicum.*

Tertius Ægyptiorum rex qui ex Lagidarum familia oriundus, & Ptol. Lagi primi ex Philadelpho nepos erat, & ipſe nuncupabatur Ptolemæus. Cognomẽ ei additum εὐεργέτης ob beneficia collata in Ægyptios, Bello enim Syriaco feliciter confecto, ſpolia olim à Cambyſe aſportata ex Ægypto, abunde retulit in Ægyptum. Bernice à Callinico interfecta fuit huius Euergetis ſoror germana, ex communi parente Philadelpho. Loquens ergo propheta de huius Euergetis & genere & ſucceſsione, Et ſtabit, inquit, de germine radicum eius, in gradu ſuo. Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Succedet patri regi, in dignitate maieſtateq; regia, quam gradum ſuum nuncupauit filius, Bernices frater, vtiq; de germine vel propagine radicum, generis inquam vel parentum eius, nimirum Bernices. Interpretes enim monent illud eius, fœminino poni genere. Mirum autem meritò videtur, quòd tam exactè hic à propheta exprimuntur ante annos minimum 280. omnes Euergetis circumſtantiæ. Vnde validè concludimus & credimus, ſcripturam propheticam à Deo eſſe inſpiratam, & nos abſque omni controuerſia verbo Dei credere, cum ſcripturis credimus. *Ptol. Euerget.* *Credimus Deo quando ſcripturæ credimus.*

Colligit hic Euergetes copias maximas & ducit eas in Syriam contra Callinicum, vlturus necẽ ſororis Bernices, & Syriam adiũcturus Ægypto, id quod parens eius Philadelphus vnicè expetiuerat, perficere autem non potuerat. Significans hoc propheta Daniel, dicit, Et veniet cum exercitu. Succeſsit ei inſtitutum eius feliciter. Cum enim munitiora loca Syriaci regni obſideret, dediderunt ſe illi. Proſpera ergo vſus fortuna, omnia pro animi ſui ſententia perfecit, breuiter vicit. Quod propheta ſic effert, Et faciet in ipſis. Quod loquutionis genus, Germanicè ſignificãtius exprimi poſſe putamus, vnd er wirt vnder jnen ſin ſach machen. Et inualeſcet, ſuperior inquam erit, & Callinicum vincet atq; opprimet, in poteſtatem ſuam redacta Syria. Quin deprędabitur, inquit, Ægyptum captiuoſq; ducet in Ægyptum & Deos & principes obſidum loco. Alij legunt & conflatilia, & quidem rectius, item immenſum pondus argenti & auri. S. Hieronymus breuiter ſed eleganter hunc locum in comment. ſuis ad Danielem exponens, Occiſa Bernice, inquit, & mortuo Ptolemæo Philadelpho patre eius in Ægypto, frater illius & ipſe Ptolemæus cognomento Euergetes, tertius ſucceſsit in regnum, de plantatione & de germine radicis eius, eò quod eſſet Germanus, & venit cum exercitu magno, & ingreſſus eſt prouinciam regis Aquilonis, id eſt Seleuci, cognomento Callinici, qui cum matre Laodica regnabat in Syria, & abuſus eſt eis (ſic enim legit Hieron quod Hebraica veritas habet, Et faciet cum eis) & obtinebit, in tantum, vt Syriam caperet & Ciliciam ſuperioreſq; partes trans Euphratem, & propemodum vniuerſam Aſiam. Cumq; audiſſet in Ægypto ſeditionem moueri, diripiens regnum Seleuci, quadraginta millia talentorum argenti tulit, & vaſa pretioſa, ſimulachraq; Deorum duo millia quingenta: in quibus erant & illa. quæ Cambyſes, capta Ægypto, in Perſas portauerat. Denicq; gens Ægyptiorum, idololatriæ dedita: quia poſt multos annos Deos eorum retulerat, Euergeten (εὐεργέτης benefactor aut beneficus & bene de aliquo meritus) eum appellauit. Et Syriam quidem ipſe obtinuit, Ciliciam autem amico ſuo Antiocho gubernandam tradidit, & Xantippo alteri duci prouincias trans Euphratem. Hæc ille.

Euergetes Syriam capit.

Præda in Ægyptum aſportata ex Syria.

Non hic prætereundum puto, quod commemorant hiſtorici, Seleucum in bello hoc Syriaco quod ei intulerat Euergetes, imploraſſe auxilia fratris Antiochi Hieracis, qui Celtas vel Galatas aut Gallos, antea in Græciam duce Brenno (alius hic fuit quàm is qui Romam cœpit) infuſos, attraxit in Aſiam. Ea auxilia cum Seleuco valde eſſent ſuſpecta, ac reuera Hierax fratris regno inhiaret, compoſuit cum Euergete pacem, per annos integros decem. At Hierax nihilominus fratri bellum infert Seleuco, qui niſi adiutus fuiſſet copijs Euergetis, actum fuiſſet de ipſo. Reſtitutus tamen regno, quo ipſum exuerat frater Hierax, non diu vixit, pręceps enim ex equo deturbatus, interijt, cum eodem ferme tempore interficeretur & Hierax. Ita regnum ceſsit duobus Seleuci Callinici filijs Seleuco Cerauno (κέραυνος fulmineus vel fulminator eſt) & Antiocho magno. Apparet autem in hac hiſtoria, quis ſit exitus tyrannorum & fraterno ſanguine ſeſe defœdantium belluarum, infelix & calamitoſus. Veriſsimè ergo cecinit Satyricus Iuuenalis,

Fraternum bellum inter Seleucum & Antiochum.

Exitus tyrãnorum cruentus.

Ad generum Cereris, ſine cæde & vulnere, pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

Subiungit Daniel. Et ipſe ſtabit annis pluribus, quàm rex Aquilonis. Quod alij quidem interpretantur diutius regnaturum Euergetem, quàm Seleucum Callinicum. Hic enim regnauit annos 20. Euergetes 26. Alij verò interpretantur regem Ægyptium diu potiturum pace, quam Seleucus turbare non poſsit. Audiuimus enim compoſitam eſſe pacẽ inter reges ad decennium. Cæterùm prior ſenſus

sensus videtur esse simplicior. Nam mortuo Euergeti Ægyptio regi successit in regno Ptol. Philopator, cui mox per initia regni, bellum graue intulerunt filij Callinici, vt pax non fuerit admodùm diuturna. Concludit nunc propheta hanc partem prophetiæ & ait, Et intrabit regnum rex Austri, & reuertetur in terram suam. Quod perinde est, ac si dixisset, Et hactenus quidem de eo disserui, quomodo rex Ægyptius ingressus sit cum exercitu in regnum Syriæ, saluusq; incolumis & victor redierit spolijs onustus, in terram suam, in regnum vtique Ægypti. Fieri autem non potuit, quin Iudæa hoc bello grauiter fuerit conquassata. Quin imò tributum Iudæis indixit Euergetes. Id quod nunc prædicitur à propheta, admonendi & confirmandi gratia. Dum enim vniuersa horum regum historia populo Dei ob oculos ponitur, fieri non potest, quin inspectis vicibus illis mirandis, & interitu principum istorum, consolationem acceperint Iudæi, cernentes illud in primis, Deum res gubernare mortalium pro sua bona voluntate & iustitia sanctissima. *Iudæa afflicta.*

Istius autem historiæ vsus & fructus præterea varius ac multiplex est. Paucula modò eius attingam. Discimus nos Deum punire grauiter & matrimonia distracta aut coniuncta iniquè, & cædes, licet ex illis consequutas. Ergo audiuimus Euergetem sororis suæ necem vindicasse. Cum autem tempus adest, quo statuit Deus pœnas sumere de hominum sceleribus, nullę sceleratos defendunt munitiones. Ideóque Euergetes omnes irrupit & occupauit Syrię munitiones. His accedit iam bellum fraternum & intestinũ inter Callinicum & Hieracem, & vtriusq; fatum tristissimum. Exerit se in his grauissima Dei ira, omnibus iniquis metuenda hominibus. Quia verò Dij ducuntur captiui, apparet illos nihil minus esse quàm Deos. Apparet religionem ethnicam & quidem vniuersam merum esse mendacium & vanitatem plus quàm inanem. Quales enim Dij sunt, qui captiui ducuntur? Diripuerat olim Ægyptum Cambyses, iam eadem spolia fiunt iterum rapina, & cedunt illis rursus à quibus fuerant ablata. Rectè ergo propheta dixit, Væ qui prædaris, nam & ipse spoliaberis. Experientia hoc nos docere potest. Vides itaq; quàm prudenter rebus suis consulant, qui in bello & pace ceu pyraticam exercent, mendacijsq;, iniurijs, vi, cędibus, vsura, & imposturis quoslibet in medijs oppidis deprædantur. Reuera enim laqueum sibi ipsis & posteris suis nectunt, quo præfocentur & certò pereant. Deus enim iustus est & vltor: sicuti affirmauit etiam apostolus in 1. ad Thessal. 4. cap. Deus item ille est, qui ducit & reducit incolumes eos, quorum vtitur opera in puniendis hominum sceleribus. Sic Euergetes incolumis in Syriam profectus, incolumis & præda onustus magnaq; cum gloria rediit in Ægyptum. Dum hęc fiunt & varia fortuna iactantur res mundi, populus interim Dei affligitur, vt discat nihil hisce corruptibilibus tribuere rebus, sed magis desiderare incorruptibilia. Interim verò non opprimitur ecclesia, tametsi premitur. Deo sit gloria. *Vsus istius historiæ.*

HOMILIA LV.

Et filij illius irritabuntur, & congregabunt ingentem copiarum multitudinẽ, & ueniendo veniet, & inundabit, & transibit, & reuertetur, & incitabitur usq; ad munitionem eius. Tũc exacerbabitur rex Austri, & exibit, ac populus eius cõfliget cum rege Aquilonis, & statuet multitudinem magnam, & tradetur multitudo illa in manũ istius. Vnde multitudo extolletur, eiusq; cor exaltabitur, & prosternet plurimos, & non prævalebit.

Bellum Syriacũ 3. Antiochi.

TErtium his bellum Syriacum graue omnino describitur à propheta. Bellũ enim ferè scritur ex bello, maximè cum Deus bellis hominum visitat iniquitates. Vt autem concione proxima recensui primo historiam Danielis, deinde vsum eius ostendi, ita nũc quoq; Deo volente, faciam. Ptol. Euergeti Ægyptio regi successit in regno Ptolemæus Philopator (φιλοπάτωρ parentum vel patris amans est) cognominatus. Quod quidem vocabulum ei inditũ est per antiphrasim, & vt Iustinus ait, ex facinoris crimine, ex contrario. Fuit enim Ptol. hic bellua truculentissima. Nam parricidio sustulit patrem Euergetem, matrem item ac fratrem. Ideoq; cunctis erat inuisus, nec immeritò, cum aliàs quoq; erga omnes esset crudelis & atrox. Eam occasionem sibi non negligendam putabant filij Callinici, Seleucus Ceraunus & Antiochus magnus, quibus etiam vehementer dolebat ereptam esse patri, ab Ægyptio rege, Syriam. Indignitate ergo rei exardescentes maximum & in regem Ægyptium Philopatorem, & pro recuperanda Syria, exercitum parant. Polybius lib. 5. author est conscripta ab his regibus Syriacis fuisse peditum 70000. equitum verò 5000. Atque hoc significans propheta, Et filij, ait, illius nimirum Seleuci Callinici, Ceraunus & Antiochus magnus, irritabuntur ob ademptam patri Syriam, & congregabunt ingentes copias. Hæc leguntur & apud Iustinum lib. 30. mox ab initio libri.

Ptolem. Philopator.

Antiochus Syriam recipit.

Pergit ille in pertexenda historia, dicens, Veniendo veniet. Iam mutat numerum pluralem in singularem. In ipsa enim expeditione, Ceraunus à Nicanore quodam & Apaturio est interfectus. Solus Antiochus ex multis præclarisq; facinoribus μέγας id est magnus cognominatus, exercitum duxit in Syriã. Notatur autem celeritas eius hac loquutione, Veniendo veniet. Iustinus enim historicus, Multas, inquit, repentino bello Philopatoris vrbes oppressit. Sed & agendi felicitas studiumq; Antiochi assiduum & strenuum, & vis siue copia militum qua Syriam adobruit, significatur cum dicitur, Et inundabit, certè diluuij aut torrentis instar, & pertransibit, vel perrumpet, & reuertetur Syria scilicet in potestatem Antiochi. Vel ipse per quæcunq; Syriæ loca volet, peruadet, nemine ipsi obstante. Neq; erit hac fortuna contentus, ipsam enim adeò Ægyptum aggredietur. Descendit enim cum exercitu suo vsq; ad munitissimam vrbem Raphiam. Sita erat hæc inter Rhinocoruram & Gazam, in foribus, vt inquit Hieron. Ægypti. Iosephus primam facit Syriæ vrbem, distantem 4. dierum itinere à Pelusio. Ad Raphiam verò castra posuit Antiochus.

Philopator prælio fundit Antiochum.

Et hactenus voluptatibus fœdis immersus Philopator, de Antiocho primũ do nihil cogitabat, donec ad fores vsq; Ægypti castra posuisset Antiochus, rebus feliciter gestis & spe potiundæ Ægypti ferocissimus. Ergo exacerbatus dolore Syriæ amissæ, & præsentis periculi amittendæ Ægypti metu exasperatus, de repellendo à ceruicibus imminente hoste consultat: ac suos armat protinus, deinde ex Græcia valida, maximo precio, auxilia comparat Philopator. Pausanias in 5. lib. author est in exercitu Philopatoris fuisse peditum 62000. & equitum 6000. Hunc exercitum ducunt Ptolemæi duces contra Antiochum, cum quo ad Raphiam confligunt, exercitumq; eius cædunt, in fugam agunt, atq; proterunt. Vix vita incolumi, per deserta aufugit Antiochus. Hæc omnia à Daniele præuisa & per angelum pronunciata, hic ceu historia gestæ iam rei describũtur. Dicit enim, Tunc exacerbabitur rex Austri, Ægypti inquam Philopator, & exibit id est producet in aciem suum militem, & confliget cum rege Aquilonis Antiocho. Et statuet multitudinem magnam. Quod ad vtrunq; potes referre regem, cõmodius tamen ad Antiochũ, vt repetiuerit propheta, quod antea dixit, quò significaret nihil effecisse Antiochi copias, quantúuis instructas & copiosas. Sequitur enim, Et tradetur multitudo illa in manus istius, vtiq;

vtiq; tradentur copię Antiochi in potestatem Philopatoris à domino Deo. Qui solus orbis vniuersi dominus victorias dat vincentibus, & corda aufert fugientibus, non Iudęis modò aut suo populo, sed quemadmodum hic videre licet omnibus gentibus populisq; omnium temporum. *Dominus solus dat victoriam & fugientes in fugam agit.*

Ista non temere tam diligenter exponuntur ab angelo. Plurimum enim referebat hæc scire Iudæos, & sese parare contra imminentia mala, precibus ad Deum assiduis & tolerantia forti. Iosephus enim Antiq. lib. 12. cap. 3. Antiocho magno, inquit, in Asia regnante, in continua vexatione tam Iudæa fuit, quàm Cœlosyria, quòd eo bellum gerente cum Philopatore Ptolemæo huiusq; filio, qui Epiphanes cognominatus est, siue vinceret, siue vinceretur, malè mulctarentur, non aliter quàm nauis fluctibus vtrinq; oppugnata, inter prosperam & aduersam Antiochi fortunam, iactata. Tandem victor Antiochus Iudæam suæ ditioni adiecit. Hæc ille. *Iudæi Syriacis afflicti bellis.*

Ipse verò Daniel & aliud malum quod obuenit eis à Philopatore, prænunciasse videtur, cum subdit, ob victoriam illam Raphianam Philopatoris, insolentiorem factum victorem, obtriuisse plurimos, nimirum Iudæos, & tamen nõ præualuisse. Id quod consolationis ergò adiecit. Exponuntur hæc copiosissimè in 3. lib. Machab. per integra cap. 7. vbi commemoratur Philopatorem venisse Hierosolymam, in templum, ipsumq; in ipsa quoque adyta irrumpere voluisse. Quod cum illi negatum fuit, diuinaq; repulsus esset vltione, rediens in Ægyptum, extrema in gentem Iudaicam odia, ex superbissimo insolentissimoq; animo, effudit, ac aliquot Iudæorum coniecit in vincula, aliquot crudeliter iugulauit, aliquot in spectaculis elephantorum pedibus obterendos proculcandosq; obiecit. Verùm Deus suo non defuit afflicto populo, sed auxilijs mirabilibus eum eripuit ex truculentæ bestiæ vnguibus. Vnde Daniel disertè dicit, ipsum non præualiturum. *Multi Iudæi ob triti à Philop.*

Fuit alioqui Philopator exuuium quoddam exquisitissimum libidinis prodigiosæ, fœdissimorumq; scelerum cloaca, atq; lerna. Fouit palàm Agathoclem concubinum & Agathocleam scortum, quæ & Ægyptum regebat. Iustinus lib. 3. Facta pace, inquit, auidè materiam quietis arripuit Philopator, reuolutusq; in luxuriam, occisa Eurydice vxore eademq; sorore sua, Agathocle meretricis illecebris capitur: atq; ita omni magnitudine nominis ac maiestatis oblitus, noctes in stupris, dies in conuiuijs consumit. Adduntur instrumenta luxuriæ tympana & tripudia: nec iam spectator rex, sed magister nequitiæ, neruorum oblectamenta modulatur. Tantum Iustinus. Quæ omnia in hoc commemoro, vt appareat quales habuerit aduersarios vera religio, & quales hodie sint euangelij hostes, sceleribus fœtidi vel hypocrisi turgidi. *Sceleratissimus Philopator.*

Cæterùm historia hæc nobis fructum suppeditat multiplicem. Neq; enim voluit spiritus sanctus hanc frustra tam diligẽter recitare, recitariq; à propheta in ecclesia Dei. Sicut itaq; videmus bella seri ex bellis, & posteriores calamitates prioribus esse grauiores, ita discimus Deum iustum conduplicare imò multiplicare pœnas, si supplicijs subditi pergant in sceleribus, neq; maturam agant pœnitentiam. Arbitratur quidem hic mundus se instructo & copioso exercitu rem suam feliciter posse conficere: vt Antiochus in præsenti bello Syriaco sibi persuaserat: sed copia illa calamitatem auxit: cum vniuersa illa multitudo, vno die ab hostibus crudeliter trucidata fuerit, rex quidem euaserit, sed infando cũ dolore & probro, denicq; seruatus maioribus supplicijs. Ita enim quæ in commodum suum sibi parant homines, à Deo irato vertuntur in detrimentum & exitium. Sunt præterea memorabiles rerũ vices, ac vicissitudo illa, vt his felix est, ita illis perniciosa. Recuperatur iterum Syria ab Antiocho & extorquetur ex *Vsus præsentis historiæ.*

Victores etiam peßimi.

manibus Ægyptiorum, ſed laceratur interim: ac mox ad Raphiam deletur victoris exercitus. Vincit ſceleratiſsimus Philopator. Cernimus itaq; & peſsimos vincere poſſe, & ideò victoriam non eſſe argumentum firmum meliorem eſſe, aut meliorem habere cauſam, eum qui vincit. In his omnibus ſpectanda eſt admiranda Dei longanimitas, qua ſuffert ſceleratos, nec primo quouis momento, delet, qui interim impunè non ſemper ferunt, ſi pergant ſui eſſe ſimiles. Ideoq; veneno extinguitur Philopator, morte verò regis comperta, concurſu multitudinis, vt ait Iuſtinus, Agathocles occiditur, & meretrices, in vltionem Eurydices, patibulis ſuffiguntur. Deus ergo iuſtus eſt & verax. Cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA LVI.

Et reuertetur rex Aquilonis, & faciet ſtare multitudinē magnam, maiorem quàm antea, & exacto tempore aliquot annorum, veniendo veniet cum exercitu magno, et opibus multis. Et in temporibus illis, multi inſurgent aduerſus regem Auſtri, & filij perruptorum populi tui extollent ſe ad ſtabiliendam viſionē, & corruent. Et veniet rex Aquilonis, & fundet aggerem, & capiet ciuitates munitas, & brachia Auſtri non conſiſtent, neq; electus populus eius, nullumq; erit robur ad reſiſtendum. Eum enim aggrediens, faciet ſecundùm voluntatem ſuā, vt nullus illi obſiſtat: & ſtabit in terra deſiderabili, & deficiet in manum illius. Et ponet faciem ſuam, & veniet in robore totius regni ſui, & rectitudines cum eo faciet, & filiam mulierem dabit illi, vt euertat illam, & non ſtabit. Et conuertet faciem ſuam ad Inſulas, & capiet multas, & princeps compeſcet eius probra, retorquens in eum, ſine omni ſuo dedecore. Exin conuertet faciem ſuam ad munitiones terræ ſuæ, & impinget, & corruet, & non inuenietur.

Antiochus magnus contra Ptol. Epiphanē

PErgit his quæ recitauimus deſcribere res Antiochi illius magni. Vicerat hunc ad Raphiam Ptol. Philopator & fugarat, vniuerſoq; exuerat exercitu: poſt annos autem aliquot, in quibus Philopator in fœdis computruerat voluptatibus, moritur, relinquens ex Eurydice vxore hæredem regni Ptol. cognomento Epiphanem, ſed puerum. Ratus ergo Antiochus tempeſtiuum eſſe, vt ſuas recolligeret vires, & Syriam recuperaret, adde & Ægyptum inuaderet, alioquí tumultibus & ſeditionibus, à morte Philopatoris, turbatam, exercitum parauit, & Syriam occupauit. Alexandrini quidem metuentes Antiochi potentiam, legatos miſerant Romam, vt ſenatus tutelam pueri Epiphanis, prout moriens pater Philopator poſtulauerat, ſuſciperet. Quod etſi non grauatim faceret Rom. ſenatus, ita tamen plurimis fuit tunc implicitus bellis, vt nunc non poſſet repentinas ferre ſuppetias, pro vt Ægyptij poſtularant. Legatos quidem Romani miſerunt ad Antiochū, qui denunciarent ei abſtinere à regno pupilli, &c. quos hic contempſit, ac in inſtituto ſuo perrexit. Vnde Ægyptij Scopam ducem valido cum exercitu miſerunt in Syriam contra Antiochum. Significat hoc Daniel cum ait, reuerſurum regem Aquilonis, id eſt reparaturum vires Antiochum, & animum applicaturum ad recuperandam Syriam, atq; in hunc finem ſibi comparaturum exercitum maximum, & quidem longè maiorem illo quem

quem antea duxerat contra Philopatorem, quem tamen à fine demum annorum, id est aliquot exactis annis educturus sit. Quo mihi significare videtur, quòd diuersis temporibus diuersos sit expediturus exercitus Antiochus. Et hoc quidem primum caput est, quod in præsenti narratur de expeditione Antiochi, magna quidem illa variaq; & sumptuosissima. Nam dicit ipsum venturum cum magno exercitu & opibus multis. Ac potest præsens hic locus in certa aliquot adeoq; in 7. diduci capita, gratia perspicuitatis.

Finis eorum quæ dicuntur de Antiocho.

Scit autem charitas vestra fidelibus auditoribus hæc in ecclesia à sancto spiritu per prophetam non in hoc recitari, vt res teneant duntaxat Antiochi magni, quas ex Liuio & alijs historijs alioqui poterant discere: sed vt erudiatur populus Dei affligendus in his turbis, & vt consolationem ex eo accipiat, quod manifestè videt, Deum & rerum istarum omnium præscium esse, & gubernatorem, denicq; eundem habere curam ecclesiæ suæ insignem, quam tam diligenter admonet de rebus futuris. Vnde vult colligi Deum etiam sua auxilia in perturbatissimis illis temporibus non negaturum afflictis. Sed de hoc huius vaticinij aut visionis scopo vnicè obseruando, iam sæpe admonuimus.

Exercitum suũ instructißimũ monstrat Antiochus Annibali.

Etsi verò quinto demum anno aut circiter à Scopa deuicto, ad Iordanis fontes, ab Antiocho, Annibal profugus venerit ad Antiochum, apparet tamẽ Antiochum in expeditione contra Scopam, non minus luxui indulsisse, quàm postea exercitum instruxit contra Romanorum duces. Luxus eius mentionem facit Gellius in Noctibus suis Atticis lib. 5. cap. 5. libẽterq; hic recẽsebo verba eius, vt rectius intelligatur quod Daniel dixit, Et veniet cum exercitu magno, & opibus multis. In libris veterum memoriarum, inquit Gellius, scriptum est, Annibalem Carthaginem, apud regem Antiochum facetissimè cauillatũ esse. Ea cauillatio huiuscemodi fuit, Ostendebat ei Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum populo Romano facturus, comparauerat, conuertebatq; exercitum insignibus argenteis & aureis florentem. Inducebat etiam currus cum falcibus, & elephantos cum turribus, equitatumq; frenis, ephippijs, monilibus, phaleris præfulgentem. Atque ibi rex contemplatione tanti, ac tam ornati exercitus gloriabũdus, Annibalem aspicit, Et putas ne, inquit, conferri posse, & satis esse credis Romanis hæc omnia? Tum Pœnus eludens ignauiam imbelliamq; militum eius precioſe armatorũ, satis planè, inquit, satis esse credo Romanis hæc omnia, tametsi sint auarissimi. Nihil prorsus neq; tam lepidè neque tam acerbe dici potest. Rex de numero exercitus sui, ac de æquiparatione æstimandi quæsierat: respondit Annibal de præda. Hæc ille. Nos certè hinc colligimus robur cuiusq; exercitus non constare precio & luxu, sed robore animi & armorum vsu iusto, omniq; luxu & mollitie carente.

Altero huius loci capite exponitur Antiochum amicitiam & fœdera iuxisse cum alijs populis, quo plures arma Ægypto inferrent, ipseq; Ægyptijs terrori esset maximo. Daniel enim, Illis ipsis temporibus plures, inquit, bellũ intulere regi Austri, Ægyptio inquam. Ac Iustinus lib. 30. refert Antiochum societate cum Philippo rege Macedonum coaluisse, factaq; inter se pactione, regnum Ægypti diuisisse. Verùm hoc fœdus pernicioſum fuit Philippo, quippe quem hoc nomine aggressi Romani, debellarunt. Etenim fractus bello rex Philippus pace à Flaminio Cos. petita, nomẽ quidem regium retinuit, sed omnibus Thraciæ vrbibus amissis, solam Macedoniam retinuit. Certum itaq; est non prodesse omnia fœdera, eaq; non raro gentibus fortissimis fuisse exitio. Stulti ergo sunt qui fidunt fœderibus inter reges & potentes populos ictis, quasi iam sint extra teli iactum; cum his se potius præcipites agant in periculum pernicioſissimum.

Antiochus societate iungit sibi Philippum Macedonem.

Fidere fœderibus & stultum & pernicioſũ.

In his bellis contrarijs inter se studijs scindun tur Iudæi.

Tertio loco iam exponitur quomodo in his bellis Syrorū & Ægyptiorum se gesserint Iudæi. Scissi inter sese partes factionum sunt secuti: quin multi Onia duce, profugerunt in Ægyptum, prætexentes scripturæ authoritatē, velut impleturi quæ olim prædixerat futura Isaias in cap. 19. aram videlicet in media Ægypto fore extruendam. Iosephus Antiq. lib. 13. cap. 6. multis hāc historiam prosequitur, breuius eandem complectitur de bello Iudaico lib. 7. cap. 30. Arbitratus est tamen eam venisse temporibus Ptol. Philometoris: sed si mendum non irrepsit, plus credendum est Danieli, qui inserit hæc historiæ Ptol. Epiphanis. Ac satis diligenter exponuntur hæc à S. Hieronymo in hæc verba, Pugnantibus contra se magno Antiocho & ducibus Ptolemæi, in medio Iudæa posita in

Iudæi Onia duce descendunt in Aegyptum & extruunt templum.

contraria studia scindebatur, alijs Antiocho, alijs Ptolemęo fauentibus. Denique Onias sacerdos assumptis Iudæorum plurimis fugit in Ægyptum, & à Ptolemæo honorificè susceptus, accepit eam regionem quæ Heliopoleos vocatur, & concedente rege templum extruxit in Ægypto, simile tēpli Iudæorum. Quod permansit vsq; ad imperium Vespasiani ānis 250. Ipsa autem vrbs quæ vocatur Onia, dimicantibus postea aduersus Romanos Iudæis, ad solum vsq; deleta est: & neq; vrbis neq; templi vllum restat vestigium. Sub occasione igitur Oniæ pontificis, infinita examina Iudæorum in Ægyptum confugerunt. Eo tempore & Cyrene Iudæorum multitudine repleta est. Asserebat enim Onias se Isaiæ adimplere vaticinium, scribentis, Erit altare domini in Ægypto, & titulus domini in terminis eius. Et hoc est quod nunc dicit, Filij prænaricatorum populi tui, qui dereliquerunt legem domini volentes in alio loco præterquam quod iussum erat, victimas Deo immolare, extollentur in superbiam & visionem: hoc est domini præceptum se implere iactabunt. Sed corruent. Quia & templum & vrbs postea destruentur. Hactenus Hieron.

Studia partium pernicioſa.

Complura hinc discunt auditores pij. Principiò factionibus partiumq; studijs non tantùm regna & respub. discindi, sed etiam euerti. Deinde nunquam simpliciter posse probari, si reges & principes templa ac monasteria extruāt, & anathematis preciosis donent atq; exornēt, cultumq; Dei instituant, ex sui animi sententia, vel iuxta traditionem hominum, & non secundùm verbum Dei.

Damnātur cultus electitij.

Daniel enim hic extruentes Deo vero templum hoc Onium, appellat Parizim. Paraz autem rūpere significat, ergo Parizim sunt ruptores, fœderis nimirum Dei & violatores legis diuinæ & plus quàm quos nos vocamus schismaticos. Nam non tantùm schisma inter homines excitant, sed insuper, quātum in ipsis est, diuina instituta & religionem veram lacerant atq; discerpunt. Itaq; Daniel non nuncupat eos, sicut vulgo fit à monachorum & sacrificum colluuie, deuotos fundatores & cultores Dei, sed Parizim. Ita scriptura sancta respuit atq; condemnat sacrificium Saulis, & templum Ieroboami & quæcunq; alia sunt huius generis. Etenim in lege sua cauit Deus, necubi sacrificaretur, nisi vno in loco & vnam duntaxat ad aram, & prorsus non quidem arbitrario sed eo modo, quo ipse mandauit. Nihil hic nostris relinquit bonis intentionibus. Clara enim sunt verba Dei, Deut 12. & Leuit. 17. Omnibus item est notissima historia Iosuæ 22. quæ tradit Israelitas voluisse Rubenitis & socijs eorum inferre bellum ob erectam aram. Notissima est item historia Ieroboami, & prophetæ, ad cuius prædicationem, scissa est sacrilega ara Ieroboami media. Itaq; minimè licet aliena templa & religionem alienam, à tradita in verbo Dei erigere ac instituere.

Templa aræ et cultus peregrini.

Proinde Oniæ similis est Pont. Rom. qui & ipse templis, aris, sacellis, idolis, sacrificijs, inuocationibus & cultibus creaturarum, cōtra simplicissimum Christi & apostolorum institutum, vniuersum Christianum orbē repleuit. Sed corruent tandem illa omnia, vel ipso saluatore nostro dicente, Omnis plantatio quam

quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Matthęi decimo quinto capite.

Quarto loco enarrat Daniel bellum graue geſtum multo cum ſanguine, in ter Scopam peritiſſimum rei bellicæ, Aegyptiorum ducem, & Antiochum magnum. Hiſtoriam S. Hieron. breuiter, & eleganter contexens, Antiochus, inquit, volens Iudæam recuperare, & plurimas Syriæ vrbes, Scopam ducem Ptolemæi, iuxta fontes Iordanis, vbi nunc Paneas (quæ & Cæſarea Philippi dicitur) condita eſt, inito certamine, fugauit, & cum decem millibus armatorũ obſedit, clauſum in Sidone. Ob quem liberandum miſit Ptolemæus duces inclytos, Eropum, Menocleam & Damoxenum, ſed obſidionem ſoluere non potuerunt, donec fame ſuperatus Scopas, manus dedit, & nudus cum ſocijs dimiſſus eſt. Quod autem dicit, Comportabit aggerem, illud ſignificat, quòd præſidium Scopæ in arce Hieroſolymorum, adnitentibus Iudæis, multo tempore oppugnarit, & cœperit alias vrbes, quæ prius à Ptolemæi partibus tenebantur, Syrię Ciliciæ & Lyciæ. Eo enim tẽpore captæ ſunt Aphrodiſias, & Soloe, & Zephyrion, & Mallos, & Anemurum, & Selenus, & Coraceſium, & Coricus, & Andriacæ, & Limyra, & Patara, & Xãthus, & ad extremum Epheſus. De quibus vniuerſis & Græca & Romana narrat hiſtoria. Hæc ille. Ex his iam facilè intelligitur hic Danielis locus. Venit enim Antiochus probè inſtructus exercitu, & vrbes captas à Scopa Ægyptijſq; obſedit, oppugnauit & cœpit, Ægyptijs illi reſiſtere non valentibus. Quin fractæ ſunt vires Ægyptiorum vniuerſæ, Antiocho cuncta pro animi ſui ſententia perficiente. Eo bello in poteſtatem ſuam redegit Antiochus & Iudæam cum vrbe Hieroſolymorum. Appellat autem ſcriptura terram promiſſam, terram amœnam ac deſiderabilem, id quod alibi oſtenſum eſt. Et Ioſephus lib. Antiq. 12. cap. 3. planè cõſentiens cum expoſitione Hieronymiana, quippe ex hiſtorijs receptis claſſicisq; petita, Defuncto Philopatore, inquit, filius eius magnum exercitum, duce Scopa, miſit in Cœleſyriam, qui & multas eius vrbes & noſtram gentem vi in poteſtatem eius retraxit. Ali quanto autem poſt, Antiochus ad fontes Iordanis, cum Scopa prælio congreſſus, fit ſuperior. Cumq; recepiſſet à Scopa occupatas vrbes Cœleſyriæ, ſimul & Samariæ, Iudæi quoq; vltrò deditionem fecere, receptumq; intra mœnia eius exercitum, & elephantos liberaliter aluerunt, & oppugnantibus præſidium in arce à Scopa relictum, impigrè auxilium tulerunt. Hæc ille. Et hoc eſt quod dixit Daniel, Et ſtabit in terra deſiderabili, & deficiet in manu illius, id eſt deficiet ac ſe tradet in poteſtatẽ Antiochi. Ita verò grauiſſimè afflicti ſunt Iudæi, cùm ab Ægyptijs tum à Syris idq; propter peccata, quibus offendebãt dominum. Mitiorem tamen reddebat aſperam hanc ſeruitutẽ ſub dominio gentilium principum, quod Antiochus pater, filio Antiocho Epiphane, magis ingenuus & clementior liberam Iudæis permittebat religionem: quam hodie multi principes minimè liberam permittunt, ſed quid dico liberam non permittunt, quin ſublata vera falſam obtrudunt?

Prælium ad Cæſ. Philippi Scopæ & Antiochi.

Terra deſiderabilis.

Quinto loco adiungit illis propheta & alia quædam huius Antiochi, quòd ſucceſſu rerum felici in Syria vehementer elatus, adiecit animum ad occupandam etiam Ægyptum: cum autem cerneret bello hoc ſe efficere non poſſe, conuerſus ad artes & dolos, his ſarcire tentabat, quod viribus negatum erat. Ergo filiam ſuam Cleopatram, puellam optimam & formoſiſſimã matrimonio locat Ptol. Epiphani, atq; hac ratione & pacem componit Antiochus, & Ptol. ſibi fœdere coniungit: id quod propheta innuit cum dixit, Et rectitudines cum eo faciet. Nos dicimus, quod & ante ſignificauimus, Er wirt ein richtung mit jm machen. Finem verò addit propheta Antiochici conſilij, Vt euertat illam, &

Antiochus inhiat Aegypto.

inquam perderet ipsam suam filiam. Alij referunt ad regnum, adeoq; ad ipsum regem, Vt euertat illum, nimirum per filiam, quam sibi potius quàm marito fauere, & parentis partes magis quàm Ægyptiorum fouere existimauit, atq; ita marito perniciem siue veneno siue alio modo fore paraturam, atq; hac ratione & semetipsam perdituram. Prophanauit ergo connubium sceleratus, & successu caruit eius nepharium consilium. Daniel enim, Et non stabit, Sa wirt nit vß werden. Etenim Ægyptum obtinere non potuit, quòd Ptol. Epiphanes & duces consiliarijq; eius, dolum sentientes, cautiores fuerunt, sed & Romani bellum Antiocho inferre cogitarent, & Cleopatra parente integrior, maritum amaret, atq; ideò viri partes impensius quàm parentis foueret, adeoq; operam suam ad tam funesta & scelerata consilia præstare nollet. A qua omnes coniugatæ discunt fidem suis præstare maritis: quæ aliàs didicerunt ex verbo Dei, illud vulgare ac celebre modisq; omnibus amplexandum dictum, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Conuertitur enim hæc diuina sententia, in maritum quoq;. Hoc enim vxor marito debet, quod audit sibi à marito deberi. Porrò coniugij huius inter Ptolem. & Cleopatram meminit & Iosephus Antiq. lib. 12. cap. 3. hisce verbis, Posthæc Antiochus amicitia & fœdere coniunctus est Ptolemæo, data in matrimonium Cleopatra filia, & concessa dotis nomine Cœlesyria, vnà cũ Phœnice Iudęaq; & Samaria, diuisisq; inter vtrumq; regem vectigalibus. Et reliqua. Libenter huiusmodi testimonia his nostris inseruo, vt appareat consensus prophetæ Romanæq; & Græcæ historiæ, ac exin appareat veritas & certitudo oraculorum Dei: non quod diuina indigeant approbatione humana, & scriptura testimonio prophano, Absit hoc piaculum, sed vt illi suis conuincantur authoribus, qui de nostris authenticis immeritò addubitant.

Fides coniugalis.

Bellum inter Antiochum & Romanos.

Quinto loco attingit Daniel bellum Antiochi gestum contra Romanos. Cepit Antiochus insulas Eubœam, Phoceam, Samum, Cyprum, Rhodum, Colophonem & alias. Traduxit etiam exercitum in Græciã. Hoc Daniel prædicens, Et conuertet, inquit, faciem suam, id est omnia sua consilia instituet, & se totum dabit vt insulas capiat & Græcia potiatur. Incitabat regem alioqui sua sponte currentem Annibal, summus Romanorum hostis, qui victus in Aphrica à Scipione, profugerat in Asiam ad hostem populi Romani Antiochum. At vicerunt Romani Coss. M. Attilius & Scipiones Antiochum multis & magnis prœlijs. Vnum fuit memorabile admodùm, ad Thermopylas, quo ex copijs Antiochi ceciderunt ad 40000. De quo Liuius Dec. 4. lib. 8. diligentissimè texit historiam De alijs nihil dicam, illud verò prætereire non possum quod Liuius etiam describit Dec. 4. lib. 7. & quidem quam elegantissimè & copiosissimè. Posuerat rex castra sua circa Thyatiram, ad quæ Cos. Rom. P. Scipio aduersa quoq; castra sua collocauit, dein cum rege diu dubio marte conflixit, ipsumq; in fugam egit atq; vicit. Ad quinquaginta millia peditum cæsa eo die dicuntur, equitum 4000. mille & quadringenti capti, & 15. cum rectoribus elephanti. Antiocho pacem petenti nihil adiectum est ad conditiones ante hoc prælium propositas, nimirum vt Europa abstineret, Asia quæ cis Taurum montem est, Romanis cederet, Syriæ regno contentus esset, belli item impensas solueret, & naues vniuersas cum captiuis & transfugis, inter quos in primis Annibalem & Thoantem Aetholum, Aetholici belli authorem traderet, insuper & obsides daret 20. inter quos & filios Antiochum Epiphanem & Demetrium mitteret. Addebat Cos. Rom. Neq; Romanos si vincantur, animis minui, neq; si vincãt, secundis rebus insolescere. Etenim rex multa in Romanos eorumq; auaritiam & insolentiam iecerat probra, quæ Cos. Romanus abstersit & in hostis regessit caput. Id quod

significat

significans Daniel disertis verbis, Et princeps, Cos. inquam Romanus Scipio, compescet eius probra, retorquens in eum, Antiochum scilicet, absq; omni suo (Scipionis & Rom.) dedecore, imò summa sua cũ laude. Alij hunc versum paulò obscuriùs vertentes legunt, Et cessare faciet princeps opprobrium suum illi, vt ne probrum suum illi obijciat. Alij legunt, Et faciet princeps cessare apud illum opprobrium suum, vt non vertat ad se opprobrium suum. Cæterùm satis expositus est sensus verborum prophetæ. Docet nos exemplum Antiochi nostris nos rebus cõtentos esse, neq; nimium nostrę cupiditati indulgere debere, ne dum nimium quæ non habemus appetimus, ne minimum quidem quod habemus retineamus: & ne probris aliorum adoperiamus capita, ne in nostra tandem recidãt omnia, summo nostro cum pudore atq; dolore. Modus hic quoq;, vt in re qualibet, est optimus.

Septimo & vltimo loco interitum attingit Antiochi, eum Iustinus lib. 32. hisce describit verbis, Interea in Syria rex Antiochus cum graui tributo pacis, à Romanis premeretur, & victus oneratusq; esset, seu inopia pecuniæ compulsus, seu auaritia solicitatus, qua sperabat se sub specie tributariæ necessitatis, excusatius sacrilegia cõmissurum, adhibito exercitu, nocte, templum Dindymæi Iouis (Strabo Belli habet) aggreditur, qua re prodita concursu incolarum cum omni militia interficitur. Atq; hoc est quod prędixit vates noster Daniel, Redibit Antiochus in munita loca terræ suæ, atq; ibi impinget & cadet, vt nusquam amplius inueniatur. Notauit his repentinum interitum regis tanti totoq; orbe celebrati. At quantus quantus erat, interijt hic, velut in momento, vulgi furijs oppressus: vt hinc colligamus instabilem esse huius mundi fortunam, & nunquam bene cessisse sacrilegia. De qua re dictum est aliàs copiosius. Hæc hactenus de rege Antiocho magno, & misera populi Dei sorte, &c.

Interitus Antiochi magni.

Sacrilegium.

HOMILIA LVII.

Et stabit in loco illius in magnificentia regni, qui circummittet exigentem (tributa) & in diebus paucis conteretur, & non in faciebus nec in prælio. Et stabit in loco illius despectus, cui non habebunt honorem regium, & veniet in quiete et obtinebit regnum blanditijs. Brachia inundationis obruentur ab eo, & conteretur etiam princeps fœderis. Et cum his qui secum fuerint in confœderatione faciet dolum, ascendetq; & prævalebit in paruo populo. In opulentam & pinguem regionem ingredietur, & efficiet quæ non potuerunt efficere patres sui, & patres patrum suorum: prædas & spolia & diuitias sparget inter eos, & contra munitiones cogitabit cogitationibus suis, idq; vsq; ad tempus. Et excitabitur robur et cor eius contra regem Austri cum exercitu magno: et rex Austri prouocabitur in bellum in virtute magna & admodùm forti, & non stabit, quia cogitauerunt contra eam cogitationes: & comedentes panem cum ipso conterent eum, & exercitus eius inundabitur, & cadent vulnerati multi. Et duorum illorum regum cor intentum erit ad inferendum malum, & super vnam mensam mendacium loquentur, & non prosperabitur, quia adhuc finis ad præstitutum tempus.

Filij Antiochi magni.

CONsequenter vaticinatur angelus domini de filijs Antiochi magni. Reliquit enim filios post se tres Seleucum, Philopatorem cognominatum, Antiochum appellatum Epiphanem, & Demetrium. Antiochus & Demetrius traditi erant Romanis, in pacificatione, cuius in proxima Homilia mentionem fecimus, obsides. Proinde tenebantur Romæ. Seleucus verò regnum à morte patris inibat, quod 12. annis tenuisse dicitur. Angelus successionem eius significans, Stabit, inquit, id est regnabit, in loco illius, nimirum Antiochi patris, in magnificentia regni. Alij appositiuè legunt Gloria regni, & subintelligunt in ea regni gloria ipsum considere quæ ad ipsum iure hæreditario pertineat. Alij exponunt, opes ille congessit, ad magnificentiam regni. Duo deinde de illo Seleuco dicit, nempe quæ sint illius studia futura, & quem sit assequuturus finem vel qualem sortiturus exitum. Quo ad eius studia, auarus erit rapaxq; & in exigendis tributis admodùm durus. Circummittet, inquit, exigentẽ. Id quod ab alijs aliter interpretatur: sed sensus simplex est, regem illum marcidum fore voluptatibus, & proinde profusum, ideoq; & egentem. Solent autem tales varia capere consilia, quomodo opes corradant, quas profundant in consuetas libidines & solitum luxum. Itaq; Seleucus vndiq; venabatur occasiones subditos suos deprædandi, variasq; comminiscebatur tributorum species, colligendisq; his exactores longè lateq; emittebat, qui miserum exhaurirent ac excoriarent populum. Nec dubium est quin in præsenti respectarit angelus ad historiam, quæ contexitur de Heliodoro, submisso ad deprædandum templi Hierosolymitani thesaurum, 2. Machab lib. 3. cap. Atq; vtinam peregrinis & veterum exemplis opus esset ad illustrandum locum præsentem Danielis. Nimis enim multa sunt exempla nostri sæculi principum quorundam, qui & ipsi luxu exactionibusq; nimijs exhauriunt opes subditorum. Cæterùm punit ad hunc modum Deus peccata populi, &c.

Seleucus Philopator.

Seleucus profusus & exactor durus.

Seleucus veneno interit.

Iam & de morte Seleuci vaticinatur angelus, dicens, Et in diebus paucis conteretur, & non in faciebus, nec in prælio. His genus mortis significatur. Regnauit quidem diebus multis, sed intra paucos dies mortuus est, veneno vtiq; fratris Antiochi Epiphanis arte parato, sublatus, vt habent historiæ. Ita enim aditum sibi parauit ad occupandum regnum. Addit itaq; nec in faciebus, nec in prælio illum cecidisse. In faciebus autem idem est quod in prælio, & hoc posterius adijcitur ad præcedens interpretandum. Dicunt enim Hebræi, Mutuum videamus id est descendamus in prælium. Sic enim Amasias rex 2. Paral. 25. ad Ioachaz, Veni, ait, videamus nos facie, vel mutuò. Et paulò post sequitur in historia, Et viderũt sese facie, & fugit Iuda ac cæsus est. Alij non malè exponunt, Ad opprimendum illum non opus erit toruis aspectibus & exercitu magno. Legas passim alioqui in historijs quæstores & exactores principes, non diu regnasse feliciter. Roboam certè propter nimias exactiones à 10. tribubus repudiatus, maximam regni partem amisit. Quod videre est 1. Reg. cap. 12.

Res Antiochi Epiphanis.

Sequuntur iam res Antiochi Epiphanis, ἐπιφανὴς nobilis illustris vel excellens significat. Fuit hic filius Antiochi magni, frater Seleuci Philopatoris, obses, quod sæpe repeto, Romæ. In hac lerna & schola scelerum probè institutus, adeò profecerat, vt mendacijs, malis artibus vel dolis, truculentia & omnis generis sceleribus nepharijs, omnes superaret æquales, ac meritò in scriptura nuncupatus sit radix peccati. Polybius commemorat tantam huius hominis fuisse nequitiam ac tyrannidẽ, vt mutata litera φ in μ, nuncupatus sit ἐπιμανὴς insaniens vel furiosus, pro Epiphanes illustris. Daniel de hoc principe copiosius quàm de vllo alio vaticinatur. Causæ in promptu sunt. Principio enim certum est populum Dei à nullo vnquam principe fœdius grauiusq; oppressum vex-

Cur tam copiosè Daniel disserat de Antiocho Epiphane.

vexatumq; esse, quàm ab hoc Epiphane. Oportuit ergo maturè diligentissimè copiosissimeq; de futura hac tempestate admoneri populum Dei, ne deficeret à Deo, in tentatione tam graui. Deinde prætulit antichristo typum Antiochus. Propheta itaq; res Antiochi exponens, simul etiam res Antichristi prosequitur, & res ecclesiæ sub Antichristo ad finem vsq; mundi deducit. Fuerunt autem apud veteres non pauci, qui totum hũc locum duntaxat de Antichristo exposuerunt. Cõmemorabo hic beati Hieronymi, in hoc cap. Danielis verba. Noſtri, inquit, hæc omnia de Antichristo prophetari arbitrantur, qui vltimo tempore futurus est. Cumq; multa super Antiochi persona conueniant, typum eum volunt Antichristi habere, & quæ in illo ex parte præcesserint, in Antichristo toto esse complenda. Et hunc esse morem scripturæ sanctæ vt futurorum veritatem præmittat typis. Iuxta illud, quod de Domino saluatore in 71. Psalmo dicitur, qui prænotatur Solomonis, & omnia quæ de eo dicuntur, Solomoni non valent conuenire. Neq; enim permansit ille cum sole & ante lunã generationis generationum, neq; dominatus est à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum, nec omnes gentes seruierunt ei, neq; ante solem permansit nomen eius, nec benedictæ sunt in ipso omnes tribus terræ, neque omnes gentes magnificauerunt eum. Ex parte autem, & quasi in vmbra & imagine veritatis in Solomone præmissa sunt, vt in domino saluatore perfectius implerentur. Sicut igitur saluator habet & Solomonem & cæteros sanctos in typum aduentus sui: sic & Antichristus pessimum regem Antiochum, qui sanctos persequutus est templumq; violauit, rectè typum sui habuisse credendus est. Hæc ille. Quæ in hoc adduxi, ne meam expositionem quisquam posset accusare vel nouitatis petulantiæue vel temeritatis. Quæ enim reſtant in hoc 11. cap. enarrabo & de Antiocho & de Antichristo: quæ verò in illũ propriè non competunt sed huic potius tribuenda sunt, suoloco commonstrabo.

Totus hic locus à veteribus expositus de Antichristo.

In typis nõ omnia congruunt.

Expositio angeli de Antiocho varias & multas habet partes, quas ordine quàm possumus perspicuo, prosequemur, ab initio semper ea quæ Antiochi sunt referentes, deinde verò & illa attingentes annotantesq; quæ Antichristi sunt. Principio exponit angelus quomodo Antiochus consequutus sit regnum Syriæ. Sublatus veneno Seleucus Philopator, reliquit post se filiũ Demetrium, nimirum regni hæredem. Antiochus verò Romæ audiens fratrem veneno per suos esse sublatum, conniuentibus Romanis, Demetriumq; fratrem duntaxat obsidem retinentibus, in Syriam profectus est. Non desunt qui illũ Roma profugisse dicant. Et vt Romæ blanditijs multos dementauerat, ita ijsdem artibus multos in Syria in suas partes allexit. Initio quidem nihil præ se tulit hostile aduersus Demetrium ex fratre nepotem. Simulauit amicitiam, donec cerneret se satis esse instructum amicis atq; fautoribus, tum demum Demetrium regno expellere annisus est. Habuit Demetrius in Syria ipsi quoq; fauentes, habuit opes, habuit exercitus. Et Ptolemęi Philometoris (qui Demetrij consobrinus erat, vt pote natus ex Cleopatra filia Antiochi magni, & Seleuci Antiochiq; sorore) consiliarij miserant auxilia Demetrio patrueli contra Antiochum auunculum. Verùm Antiochus omnes illas copias deuicit, & Syriam in suam potestatẽ redegit. Hæc prima est expositio angeli de Antiocho. Dicit enim, Et stabit, id est regnabit in loco illius, nimirum Seleuci fratris, pulso nepote Demetrio, Despectus vilis atq; contemptus. Sic autem vocat Antiochum, quòd licet illustrem se nuncuparet, nobilis ac excellens salutari vellet, coram Deo tamen & omnibus bonis, propter nepharia scelera fuerit scurra & nebulo despectissimus, nullas boni principis dotes habens: & quòd Romæ obses ceu captiuus diu fuerit retentus, minimeq; habitus pro rege. Sequitur enim per interpretationem, Cui

Antiochus regnum Syriæ blanditijs assequitur.

non habebunt honorem regium, non tantùm Romani, sed ne Syri quidem, qui hunc Antiochum neque vocarunt, neq; in regem elegerunt, ipso insinuante se suis malis artibus per initia in Syrorum amicitiam, deinde aperta vi irrumpente & regnum rapiente. Dicit enim Daniel, Et veniet in quiete vel pace, pacificum se vtique simulans, & obtinebit regnum blanditijs. Mox & vim adiunget. Brachia enim inundationis obruentur ab eo. Brachia inundationis vocat copias maximas Demetrij, quas Antiochus oppressit, etiam principem fœderis, Ægyptium, nimirum regem Ptolem. qui auxilia sua consobrino vel patrueli Demetrio miserat. Dicitur is princeps fœderis, quòd propinquitate vel sanguine coniunctus esset & Antiocho & Demetrio Seleuci F.

Probè his omnibus respondet Antichristus, qui cum pauper fuerit aliquando Romanæ ecclesiæ minister, nullamq; vnquam habuerit regiam dignitatem, aut maiestatem, neq; ad hanc fuerit vel electus vel vocatus, blanditijs tamen illam initio, mox & vi armisq; assequutus est, eiectis illis principibus quibus illa iure debebātur quæ ipse in suam potestatem redegit. De qua re olim copiosissimè commentatus sum exponens Apocalyp. beati apostoli Ioannis. Breuibus ergo illa hic perstringam & annotabo duntaxat.

Antiochus occupat Aegyptū

Secundum caput rerum Antiochi Epiphanis, illud est quod Ægyptum occupauit, atq; immensas ex ea opes sustulit. Quæ quidem prima fuit eius in Ægyptum profectio. Audiemus enim tres eius in Ægyptum profectiones ab historicis censeri. Postquam enim Antiochus Syriam occupasset, animum adiecit etiam ad subigendam sibi Ægyptum, quod vt efficeret, rursus miranda vsus est calliditate. Supra enim dictum est, Ptolem. Philometorem filium Ptol. Epiphanis, regem Ægypti, admodùm adhuc iuuenem, filium fuisse Cleopatræ sororis Antiochi. Eo itaq; prætextu in Ægyptum penetrauit. Nam simulauit se, quia Ptolemæi Philometoris auunculus erat, tutorem fore adolescentis nondū idonei ad gubernationem. Collectis ergo copijs non magnis, ne res suspiciosa foret, tanquam tutor, nō vt hostis, proficiscitur in Ægyptum, sed agit hæc dolo malo. Ideò Daniel, Et cum his, ait, qui secum fuerint in confœderatione, faciet dolum. Id est, prætexet iura fœderis vel consanguinitatis, sed faciet hoc dolo malo. Ascendet enim & præualebit in paruo populo. Nam cum modico exercitu Ægyptum ingressus, obtinuit illam, quam & spoliauit, congestis ex ea facultatibus opibúsue immēsis. Id quod hodie quoq; vulgus tutorum sub titulo & prætextu tutorum solet. Tutorum enim opes & census crescūt, pupillorū

Fertilis regio Aegyptus.

quotannis imminuuntur. Interim commendat & laudat à fertilitate & diuitijs Ægyptum angelus. Appellat enim opulentam & pinguem regionem. Id quod ei omnes tribuunt scriptores. Addit, Antiochum effecisse quod nullus ante ei Syrorum regum potuerit. Omnes enim inhiarunt auidè Ægypto, & grauia, fateor, hactenus auditum est, bella gesserunt, nullus tamen ea potiri potuit. Solus Antiochus dolosis artibus in eam peruenit, & spolia ex ipsa collegit, regnum ipsum tamen non retinuit.

Munerum corruptela.

Refert angelus duas artes, quibus ille vsus est, vt regnum ad se pertraheret. Principiò enim prædas spolia opesq; ex Ægypto collectas rursus sparsit, id est profudit in Ægyptios, vt muneribus largitionibusq; corruptos, in suam perraheret factionem, per quam postea adiutus, regno pelleret Philometorem sororis suæ filium sicuti antea Syria eiecerat Demetrium fratris sui filium. Neglexit enim auara ambitio, sanguinis, fœderis, omnisq; amicitiæ iura. Deinde contra munitiones cogitauit cogitationes, id est dolosè & perfidè consultauit de præsidijs suis collocandis in firmas quasq; Ægypti munitiones: sicuti in Mēphim tanquam tutor præsidiū iam induxerat. Hac verò ratione conabatur subigere & retinere

& retinere Ægyptum. Cæterùm angelus dicit, Vsq; ad tempus durabunt scilicet hæc consilia. Non potietur enim regno, sed ad tempus duntaxat dolo malo retinebit, postea ejicientur præsidia & excludetur ipse Antiochus Ægypto. Antiocho huic doloso principi respondet in omnibus Antichristus. Etenim magnificè iactat se esse tutorem ecclesiæ Dei, vtpote quæ eius procurationi, hac Christi commissione, Pasce agnos meos, sit credita. Hoc autem prætextu occupat ecclesiam, eamq; deprædatur, redactis in suam potestatem omnibus ecclesiæ facultatibus. Has deinde spargit in omnes hominum ordines, vt hos in suas attrahat partes. Et quos semel fautores assequutus est largitionibus largis, retinet in officio. Atq; ita prosperè efficit, quod maiores eius, Romanæ ecclesiæ antistites, nunquam se effecturos imò ne incepturos quidem cogitassent. Munitionibus quoq; imponit præsidia: quicquid enim in ecclesia aliquid habet virium, id per suos fautores sibi reddit obnoxium. Cæterùm ad tempus duntaxat ea prosperitate fruetur, manetq; regnum Christo, qui suas periodos antichristianę prosperitati constituit. Orent ergo pij Christum verum ecclesiæ pastorem atq; tutorem, vt is ab ipsis iugum Antichristi tollat.

Antiochus rursus inuadit Aegyptum & pugnat cum Ptol. Philō. ducibus.

Tertium caput rerum Antiochi continet secundam eius in Ægyptum profectionem. Nam Eulaius & Lenæus Ægyptij gubernatores, aulici regis, pupillo sua recuperare conantes, & Antiochum Ægypto excludere, Syriam quoq; ablatam repetere pergentes, Antiochum ad arma prouocarunt. Comparato ergo ingenti exercitu contra duces pupilli Ptolemæi, profectus est. Sed & duces Ptolemæi conscripto exercitu valido, obuiam ierunt Antiochi copijs. Itaq; inter Pelusium & Casium montem committitur prælium atrox, in quo superantur & cæduntur Ægyptij, maxima clade accepta profligati. Hæc in hunc modum prędixit futura angelus, Et toto animi impetu roboreq; copiarum excitabitur Antiochus, in regem Austri, id est Ægyptium: rursus Ægyptius comparabit & ipse exercitum validum occurretq; Antiocho: cæterùm pugnabit infeliciter Ptolem. nec stabit. Causam huius infelicitatis subiungit, referens eam ad proditiones nepharias. Quia, inquit, cogitauerunt contra eum cogitationes.

Proditur rex Aegypti.

Quo loquutionis genere significauit, proditoria & clancularia consilia contra pupillum fuisse instituta, quibus factū sit, vt victus eius exercitus resistere non valuerit. Deinde significantius exprimit, qui nam illi sint futuri proditores, Et comedentes panem cum eo, conterent vel perdent eum. Inteligit autem aulicos & consiliarios ipsosq; duces regis, qui corrupti largitionibus ab Antiocho, eius partes fouerunt, dominum interim suum (qui effectus est largitionum, fœda inquam corruptio) prodiderunt. Subdit itaq; propheta, Exercitus ergo Ægyptij regis inundabitur, id est obruetur & delebitur, perinde vt aquarum eluuione, agri obrui ac præfocari solent. Per interpretationem enim sequitur, Et cadent vulnerati multi. Bellum hoc Ægyptio regi illatum ab Antiocho author primi libri Machab. cap. 1. his descripsit verbis, Et intrauit Ægyptum in multitudine graui, cum currubus & elephantis & equitibus & copiosa nauium multitudine. Et gessit bellum contra Ptolemæum regem Ægypti, & metuit sibi Ptolemæus à facie eius & fugit. Et ceciderunt vulnerati multi. Et occupauit ciuitates munitas in Ægypto, & accepit spolia terræ Ægypti, & reliqua.

Antiochus autem victoria parta penetrauit in Ægyptū, & occupauit Memphim, multis vndiq; spolijs collectis. Conuiuia ibidem agitauit, in quibus reges mutuis sese demulserunt blanditijs: cum interim vterq; de alterius pernicie & interitu cogitaret. Id quod Daniel sic exposuit, Et duo illi reges ad vnam considebunt mensam, simulabunt amicitiā, sed falso. Vterq; enim cogitabit alterum perdere. Addit angelus, Sed non succedent ea consilia. Ratio, Non enim nunc

perire debuerunt, sed in aliud tempus vtrique suum exitum diuina prædestinauit prouidentia. Vnde colligimus apertè omnia diuina regi prouidentia.

Quantum verò attinet ad Antichristum, armatur hic aduersus omnes illos, quotquot ius suum & ecclesiæ ab illius vi atque iniuria defendere volunt. Cum his confligit & vincit, & fideles magna clade sternit. Magis tamen vincit artibus quàm armis, emergitque proditionibus varijs. Multos enim habet in castris ecclesiæ, quos largitionibus suis corrumpit. Simulat omnia & dissimulat, & cum his, cum quibus ad eandem sedet mensam loquitur mendacia, & impostoris instar voluit omnia. Sed non progredietur in solita felicitate perpetuò. Dominus enim qui sua prouidentia omnia moderatur, suam quoque periodum Antichristo constituit quam non præteribit. Dominus Iesus liberet nos ab illo, & euertat regnum sathanæ. Amen.

HOMILIA LVIII.

Et reuertetur in terram cum magna substantia, & cor suum (vertet) contra fœdus sanctuarij, & faciet, & reuertetur in terram suam. Ad certum tempus reuertetur, & ingredietur in Austrum, & non erit sicut antea ita postea. Nam venient contra eum naues Citthim, & consternabitur, & reuertetur & incandescet contra fœdus sanctitatis, & faciet: & reuertetur & cogitabit de desertoribus fœderis sancti.

Antiochus reuersus ex Syria Hierosolymam diuertit.

QVartum caput rerum Antiochi exponit nobis reditum eius ex Ægypto in Syriam, & quomodo in itinere diuertens in Iudæam, venerit Hierosolymam, & templum diripuerit domini: vnde magna suffarcinatus præda domi saluus & incolumis redierit. Sunt autem qui arbitrentur ingentes illas opes non sublatas & auectas esse ex Ægypto, sed tantùm ex Iudæa. Ideoque aiunt principio in genere dictum esse Antiochum ingenti præda oneratum redijsse in Syriam, deinde tamen hoc quod generaliter dixit, sigillatim & significantius explicauisse, vnde videlicet habuerit opes illas maximas, ex templo vtique sancto. Ac fœdus quidem sanctuarij non tam ipsum templum, fœderis sancti sacramentum, nuncupat, sed ipsum etiam populum fœdere sancto cum Deo coniunctum, aut certè qui connexi Deo esse debuissent, si sapuissent. Cæterùm opes illæ importatæ in Syriam raptæ sunt partim ex Ægypto, partim ex Iudæa. Nam author quoque lib. Machab. meminit spoliorum exportatorum ex Ægypto. Idem etiam commemorat 1. Machab. 1. & 2. lib. quomodo Antiochus ingressus templum Hierosolymitanum sacrilegè spoliarit. In culpa tanti mali erat corruptus sacerdotum, perfidia sacrilega pont. Iasonis, & defectio populi à lege Dei ad ethnicas abominationes. Interim erant in populo fœdo boni pijque homines plurimi. In horum gratiam & ad horum admonitionem, confortationem & consolationem, hæc omnia recitantur ab angelo, vt cum mala tanta inciderint super populum Dei, fideles in tantis tentationibus non deficiant à veritate ad ethnicismum: qui sanè vsus & fructus est huius prædictionis. De quo iam dixi sæpius dictaque repetenda necessariò existimamus.

Spoliatur templum Hierosolymitanum ab Antiocho.

Summa autem eorum quæ hac de re copiosè in lib. Machab. texuntur, hæc est, Contendit Antiochus Hierosolymam ingentibus cum copijs, attractus illasone alijsque impuris proditoribus. Vbi verò vrbem occupauisset, templum ingressus omnia instrumenta sacra ornamentaque templi sustulit, aram illam au-

rea

ream portatilem, candelabrum aureum cum vniuerso apparatu suo, mensam quoque in qua panes recentes quotidie proponebantur auream, vasa denique libaminum & sacrificijs destinata omnia, vt pelues, phialas & huius generis alia, aurea omnia: sed & thesauros, quos in templo reconditos inuenit depræda-tus, omnia illa in terram suam asportauit. Ita verò defectionem populi sui puniuit iusto iudicio Dominus, vt hinc omnes discamus quid expectemus, si contempto euangelio Dei sancto, ad traditiones hominum deficiamus, mundoq; magis quàm Deo placere studeamus. Respondet autem Antichristus egregiè Antiocho. Quia enim ecclesia Dei syncerè integreq; non retinuit quod ab apostolis accepit, ideò rapuit ex ea antichristus aram thymiamatis, candelabrum, mensam & reliqua. Prætulere illa typum syncero Dei verbo, quod est lucerna pedibus nostris, panis item vitæ. Corrupta est per illum & pura doctrina de offerendis precibus per solius Christi interuentum. Opes verò ecclesię apud quos sint, & per quos dispensentur, quibus & quomodo dispensentur, manifestius est, quàm multis conueniat recitare.

Antiochi tertia profectio in Ægyptum.

Quinto capite rerum Antiochi exponitur tertia eius in Ægyptum profectio, quæ post biennium à superiore, hac occasione, ab historicis legitur instituta. Cum dispositis præsidijs, maximè in Pelusio, Antiochus in Syriam fuisset regressus, facilè subolfecit Ptol. Philometor, quod & Liuius commemorat Dec. 5. lib. 5. Antiochum inhiare regno Ægypti, sentiebat insuper dissidium, quod ipsi erat cum fratre Ptol. qui cognominabatur Physcon, plurimum facere ad institutum Antiochi iuuandum & roborandum. Ergo totus in hoc fuit, vt concilia retur fratri. Quod cum factum esset, implorarunt fratres reges, Romanorum auxilium fidemq; societatis contra Antiochum. Ea re adeò est offensus Antiochus, vt multo acriùs infestiusq; aduersus duos, quàm antea aduersus vnum pararet bellum. Et Cyprum quidem extemplo classem misit, ipse autem primo vere cum ingenti exercitu Ægyptum est ingressus, fratresq; reges, in Alexandria, quasi conclusos obsedit. Cæterùm profectio vel expeditio hæc non admodùm illi fuit felix. Id significans angelus apud Danielem, Ad certum tempus, inquit, reuertetur, Antiochus inquam post biennium à secunda profectione, instituet tertiam, & ingredietur in Austrum, videlicet in Ægyptum. Et non erit sicut antea ita postea. Quod genus Hebraici idiomatis alij significantius reddiderunt, Attamen posterior profectio non respondebit primæ. Alij, Non erit posterior aduentus priori similis. Priore enim vicit, & spolijs ditatus cum gloria ex Ægypto in Asiam redijt. Posteriore verò Romanorum minis territus imò victus, summa cum ignominia in Syriam recessit.

Naues Citthim veniunt contra Antiochum, et qui Citthim?

Et hoc plenius exponens angelus. Nam venient, inquit, contra eum naues Citthim, & consternabitur, vel dolebit. Interpretes autem hic rectè monent Citthim gentem esse quæ descendit à Citthim filio Iauan, cuius mentio fit Gen. 10. Putant à Iauan ortos Iones sicuti Macedones à Citthim: quod nomen vetustissimum μαχέτης, quo vsa est antiquitas pro vocabulo Macedo à Citthim omnino deriuari videatur, vt sit μαχέτης, Quasi tu dicas oriũdus ex Citthim. Iam cũ constet ex Græcis in Italiam colonias esse deductas, nihil aberrauit angelus, qui dixit venturas naues Citthias, id est Italas vel Romanas, quæ coherceant Antiochum. Alij putant Græca naui adeoq; Cypria aduectũ legatum Romanorum Popilium, qui Antiochum compescuit. Et in nomine huius legati est apud scriptores veteres aliqua diuersitas. Alij enim vocant Popilium, alij Popillium, alij denicq; Pompilium. Sic Cicero Philipp. 8. & Sigonius in Fastis Consularib. nominat eum C. Pompilium. Iustinus P. Popilium. S. Hieron. hunc locum interpretans M. Popilium. Sed hæc non sunt magni momenti: quę tamen moneo, ne

à lectoribus diuersi esse putentur. Vnus & idem enim est hic noster P. Popilius Lænas. Historiam sic contexit lib. 34. Iustinus. Mittitur legatus P. Popilius ad Antiochum, qui abstinere eum Ægypto, aut si iam incessisset, excedere iube-

P. Popilij legati Rom fides & aspera constantia.

ret. Cum in Ægypto eum inuenisset osculumq; ei rex obtulisset (nam coluerat inter cæteros P. Popilium Antiochus cum Romæ obses esset) tunc Popilius facessere interim priuatam amicitiam iubet, cum mandata patriæ intercedant, prolatoq; senatus decreto & tradito (Cicero, Verbis senatus, inquit, nunciauit, vt ab Alexandria discedat, quam obsidebat) cũ cunctari regem videret, consultationemq; ad amicos referre, ibi Popilius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, vt amicos caperet, consulere iubet, nec inde prius exire, quàm responsum senatui daret, aut pacem aut bellum cum Romanis habiturũ. Atque adeò hæc asperitas regis animum fregit, vt pariturum se senatui responderet. Subiungit his Liuius in suæ historæ lib. 5. Dec. 5. Tum demum Popilius dextram regi tanquam socio atque amico porrexit. Hæc autem Daniel prophetiam pulchrè exponunt.

Quo ad Antichristum, conatur & hic subitò opprimere ingentibus suis copijs, non Ægyptios reges, sed passim in orbe fideles: verùm mittit & misit sæpe Deus asperos, duros, constantesq; Popilios, qui ferociam antichristi potentia diuina compescant, & cohercuerunt. Occurrunt hæc passim in historijs Imperatorum, Regum atq; Pontificum, vt nihil sit necesse pluribus hæc recitare.

Antiochus Hierosolymam maxima afficit clade.

Sextum caput rerum Antiochi est de altero eius aduentu in vrbem Hierosolymorum, & posterior hic longè quidem fuit crudelior magisq; funestus populo Iudæorum, quàm fuerit prior. Et reuertetur, inquit, ex Ægypto in Syriã, & incandescet contra fœdus sanctitatis, concœptam nimirum indignationem vehementissimã contra Ægyptios & Romanos euomendo in populum Dei. Tametsi enim plerique in populo Israelis essent desertores perfidi, scriptura tamen adhuc vocat fœdus sanctitatis vel sanctos confœderatos, totum istum populum, propter paucos electos & in fide præstantes. Quæ sanè magna est Dei gratia & misericordia, quæ etiamnum ecclesiam sanctam nuncupat, in quatamen sunt hypocritæ multi & scelerati non pauci. Subiungit huic membrum aliud, Et reuertetur inquam & cogitabit de desertoribus fœderis sancti. Superius enim membrum orationis illustrat, quòd redeundo sit communicaturus sua consilia cum Menelao pont. & proditoribus miseri populi, quorum opera & consilio vrbem sit occupaturus. Author libri Machabæorum cùm in 1. lib. tum in 2. ista fusissimè narrat. Quorum omnium summa hæc est. Et post duos annos, venit Hierosolymam Antiochus cum turba magna, & loquutus est ad eos verba pacifica, in dolo, & crediderunt ei. Et irruit super ciuitatem repente, & percussit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Israele. In secundo enim libro redditur numerus interfectorum, ac dicitur, Præcepit militibus suis, vt occurrantes in plateis, & delitescentes in domibus interficerent. Itaque intra triduum occisa sunt octoginta millia hominum. Quibus insuper addit

simasq; clades omnibus propè sæculis, à sua origine, electis Dei attulit. Dominus liberet nos à malo.

HOMILIA LIX.

Et stabunt ex illo brachia, quæ prophanabunt sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium, et ponent abominationem desolationis. Et improbè agentes in fœdus, ij seducent blandi tijs: populus autem agnoscens Deum suum, fortificabit, & faciet. Et intelligentes in populo dabunt multis intellectum, & corruent per gladium & flammam & per captiuitatem longo tempore. Et cum corruerint iuuabuntur auxilio paruo, & his adiungentur multi fraudulenter. Et ex his qui intelligere facient corruent quidem, gratia conflandi & purgandi & dealbandi vsque ad tempus finis, quia ad huc præstitutum tempus.

SEptimum caput rerum Antiochi exponit nobis quomodo prophanarit templum, abstraxeritq; à fide vera populum Dei, ac grauem persequutionem intulerit in vera religione perseuerantibus. Quæ omnia Antichristo quàm propriſſimè conueniunt.

Ac variè video hunc locum prophetæ ab interpretibus esse expositum. Alij enim totum interpretantur de Romanis, qui duce Vespasiano & templũ euerterunt, & graui afflictione oppresserunt populum Iudaicum. Dicũt hi brachia, id est monarchiam quartam, exortam inter Romanos, Syria & Asia, subacta. In omniũq; manibus versatur doctiſſimi & piſſimi viri D. Ioan. Oecolamp. expositio qui hęc aptat euersioni vrbis Hierosolymorũ, & apostolis ac primitiuę ecclesiæ Christi, quæ plurimos nobis martyres dedit. Nos verò nemini præiudicantes, & iudicium de expositione aliorum & nostra relinquentes lectoribus liberum, vt quod maximè videtur verisimile, sequantur, pergimus nostro more exponere de Antiocho & Antichristo, sicuti constat optimam vetustatis partem etiam exposuisse. *Varie expositus hic locus.*

Proinde brachia ex Antiocho stabunt, nimirum Hierosolymis, Antiocho mittente eò principes & valida præsidia quæ in arce hærebunt, rectè dicta brachia, id est robusta auxilia, sicut antea quoq; eadem vox est vsurpata: quæ quidem prophanabunt sanctuarium fortitudinis. Templum Hierosol. nuncupat sanctuarium fortitudinis, & quòd multa roboris sui Deus argumenta circa templum hoc edidit, & quòd populus templo, vt petræ innixus sit, sperans illo saluo, & se fore incolumem. Id quod ex multis scripturæ locis colligere licet. Prophanarunt hoc templum, dum sustulerunt ex eo instituta & legitima Dei, & intulerunt res prophanas impuriſſimasq;, idola & aras. Sanctificatio enim templi in eo consistit, si ijs seruiat vsibus, quibus destinatũ est diuinitus, eaq; in ipso sancta exerceantur, quæ instituit exercereq; iussit dominus. Prophanatio ergo est in contrarijs. Colliguntur hæc si non aliunde, ex 9. cap. 1. lib. Regum. *Brachia ex ipso stabunt.* *Prophanare templum.*

Iussit autem Antiochus vsurpare omnes sua hoc est Græca sacra: prohibuit ergo in templo sacrificari Deo vero. Vnde angelus dicit, Et auferent iuge sacrificium, speciem ponens pro genere: non enim sustulit hoc duntaxat sacrificij genus, quod sanè erat inter prima, sed omnia etiam sacrificia alia. Quod autẽ præcipuè iuge sacrificium hic exprimitur, postea dicemus factũ esse propter Antichristum, qui reuera perpetuam Christi hostiam sustulit, &c. Addit, Et ponent *Tollet iuge sacrificium.*

abominationem desolationis, id est erigent in templo abominandam desolationem vel vastitatem. Et certè abominabilis vastitas ibi est, vbi nihil videas porrò quod à Deo est institutum, sed nihil aliud cernas, quam quod prohibitum est à Deo: ea demum horrenda est abominatio.

Antiochus prophanat omnia sacra Dei.

Omnia ista fient clariora si recitauero summam eorum quæ in 1. Machab. lib. cap. 1. sic leguntur, Antiochus scripsit vniuerso suo regno, velle se, vt vnus sit populus & vna religio, ideoq; cuiq; suam deserendã religionem & recipiendam eam, quam rex sequatur. Misit quoq; edicta Hierosolymam & in omnes vrbes Iudææorum, præcipiens, vt positis legibus patrijs, sequerentur leges gentium terræ. Prohibuit itaq; ne in templo amplius sacrificarent, aut festa porrò celebrarent, iussitq; coinquinari & sanctum, & sanctum populum Israelis. Iussit item ædificari aras, statui idola, & animas eorum coinquinari in omnibus spurcitijs & abominationibus, vtq; obliuiscerentur legis suæ, & immutarent omnes Dei iustificationes. Præfecit etiam populo principes, qui homines ad hæc compellerent. Et quidem 15. mensis Casleu, 145. anno, ædificauit rex Antiochus abominandum idolum desolationis (alij nuncupant louem Olympium) super altare Dei. Et libros legis igni combusserunt, discindentes eos, & si liber fœderis, vel testamentum, apud aliquem inueniretur, aut alioqui obseruans legis videretur, interficiebatur.

Cum his congruunt per omnia, quæ fecit iam sæculis aliquot Antichristus facitq; adhuc hodie. Nam existunt ex eo brachia, cùm ecclesiastici tùm politici proceres, quorum opera & consilio prophanat templum domini. Ecclesia Christi est templum fortitudinis, vtpote innitens petræ Christo. Ex ecclesia Christi subiata est simplex doctrina euangelica, simplicesq; ritus sacramentorum, substituitaq; est doctrina corrupta per philosophiã & scholasticã theologiam adeoque per traditiones humanas: substituti sunt denicq; superstitiosi ac peregrini ritus sacramentorum, sed & aræ & idola importata sunt & stabilita in ecclesia Dei, quibus sanè rebus est prophanata. Iuge legis sacrificium significabat Christum. Nam mane & vespere immolabatur agnus in templo. Christus verò est agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi: vnica permanens hostia expiatoria, & eorum qui mane sunt, id est ante aduentum Christi vixerunt, & eorum, qui vesperi, id est post aduentum eius viuunt. De quo disputans sanctus apostolus Christi ad Hebræos, ostendit Christum semel tãtum esse immolatũ & amplius sacrificari nõ posse. Nã quod semel oblatus sit, cõcludit q̃d vnico suo sacrificio perpetuam vel iugem absolutissimamq; inuenerit redemptionem, &c. At hanc doctrinam, quæ præcipua esse debebat in ecclesia Dei, sustulit ex ecclesia Antichristus, per doctrinam de quotidianis realibus sacrificijs in Missa oblatis pro expiatione viuorum & mortuorum, &c. Sublata est & cœna dominica ex ecclesia, quæ est commemoratio semel peracti sacrificij Christi in cruce. Simul inducta sunt & alia infinita in ecclesiam, quæ abominabilem constituunt vastitatem. Non dico nunc, quòd codex sacer Bibliorum comburitur, quòd Inquisitores ad supplicia rapiunt, apud quos Testamentum nouum filij Dei inueniunt. Res ipsa ita est illustris, vt nihil opus videatur expositione clariore.

Qualis populus Dei sub Antiocho.

Secundo loco huius 7. cap. exponit angelus qualis sit futurus quidue facturus sub Antiocho populus in tanta rerum conturbatione, Et improbè agentes in fœdus, ij seducent blanditijs: populus autem agnoscens, &c. Ad verbum prima huius versus verba sic sunt reddita, Et improbè agentes in fœdus, peccare faciet sermonibus blandis. Atq; ita referuntur hæc ad Antiochum, qui blanditijs seduxit eos qui alioqui sunt perfidi neq; synceri in fœdere vel religione. Alij legunt, Et impij deserentes fœdus, inducet vt subdolè agant per hypocrisim. Alij

vertunt

vertunt, Et impiè agentes in pactum, simulare faciet blanditijs. Vulgata versio nogit, Et impij in testamentum simulabunt fraudulenter. Est & alia lectio, Et qui impiè agent in fœdus, ij seducent blanditijs: vt referantur hęc verba non ad Antiochum, sed ad seductos per Antiochũ, qui cum sint fluxæ fidei, facilè se decipi sinunt, deinde verò alios quoq; blanditijs vel seducunt vel seducere moliũtur. Proinde significat angelus duo hominum genera futura sub Antiocho. Alterũ quidem eorum, qui cum instabiles sint nec firmi in fœdere, sustinent se seduci. Vel qui tales sunt, conantur etiam alios seducere blanditijs. De his author libri Machab. primi, sic habet, Et multi ex Israele consenserũt Antiocho, & sacrificauerunt idolis & coinquinati sunt. Itẽ, Et cõgregati sunt multi de populo, ad eos qui dereliquerant legem domini, & fecerunt mala super terram. Alterum verò genus hominum est syncerorum in vera religione & verorum Dei cultorum. Sicut autem alij deficiunt à fœdere, blanditijs seducuntur, & alios secum seducunt: Ita hi veræ religionis cultores firmi sunt in fœdere Dei, agnoscunt Deum suum, qui solus est Deus verus, solus vult coli à nobis, & ita coli, vt verbo suo præscripsit. Huic Deo cum adhæreant firmiter, fortificant sese, id est non tantùm erunt animo virili, retinentes mordicus veram religionem, verùm alijs quoq; erunt authores necubi deficiant, sed hortabuntur feruidè vt in vera religione perseuerent. Addit, Et facient, progressus vtiq; in vera religione. Non frustra laborabunt pij, tametsi videantur in omnibus aduersarij feliciores & victores, interficientes etiam fideles. De his loquutus 1. Machab. lib. sic habet, Et multi de populo Israelis definierunt apud se, quòd nollent pollui, sed mallent mori. Illi noluerunt violare legem domini sanctam, & interfecti sunt, &c.

Sub Antichristo quoq; inuenias etiam duo hominum genera, maximè inter se diuersa. Alterum enim, quod parui facit doctrinam euangelicam & apostolicam, facilè sinit se abduci à tramite vero, in auia traditionum humanarum, qui mox blandis verbis alios quoq; pertrahunt ad se in errores. Alterum verò hominum genus, quod ex euangelio & scriptis apostolicis cognoscit Christum rectè, & credit patrem in filio nobis omnia dedisse adeoq; nos ita in Christo absolutos esse, vt nihil opus sit vllis alijs vel subsidijs vel præsidijs, hi firmiter perstant in vera fide & syncera fidei confessione: quinimò cohortantur omnes homines, ad credendum euangelio, & fide firmiter in Christum figenda. Atq; hoc suo studio permultum proficiunt. Quod res ipsa, quæ omnium oculis hodie obuersatur, manifestè demonstrat.

Tertio loco huius 7. cap. rerũ Antiochi duo perstringuntur ab angelo Dei, Primum, Deum in graui ista rerum omnium perturbatione, non deserturum suam ecclesiam, sed daturum doctores & monitores fideles. Secundum, quæ verò sors futura sit docentium in ecclesia, attingit, & de graui persequutione vaticinatur. Quo ad primum, dedit Deus populo suo Israelitico sacerdotes fideles, Matathiam & filios eius 5. atque alios non paucos, qui fideliter docuerunt populum veram religionem, & fortiter sese opposuerunt impijs Antiochi conatibus. Id quod legitur copiosè descriptum. 1. Machab. cap. 2. Hos doctores hortatoresq; & consolatores nuncupat intelligentes vel sapientes in populo. Nam verè sapientes erant, & rectè intelligebant veræ religionis negotium. Ideoq; dabant multis in plebe intellectum, id est erudierunt & confirmarunt in vera pietate populum, abstrahentes ipsum ab impietate Antiochica & à superstitionibus cum lege pugnantibus. Quo ad persequutionem verò Antiochicam & miseram docentium sortem, Et corruent, inquit, in gladio, &c. Copiosissimè hæc exponuntur in 2. lib. Machab. per integra duo cap. 9. & 7. Species persequutionis sunt gladius, non tantùm carnifeis, sed militum quoq; vel exercituum tru-

Deus non deserit suam ecclesiam.

Persequutio grauis.

culenter conficientium confessores veritatis. Ignis quoque non tam à carnifice paratur, quàm à militibus instruitur. Ita captiuitas facultatumq; deprædatio direptióue ijsdem fieri solet authoribus. Causa alia potior nulla quàm veræ syceræq; religionis confessio.

Porrò vniuerso illo tempore quo sæuijt truculenter & horribiliter in ecclesia Antichristus, non desijt bonitas Dei excitare ac mittere ecclesiæ suæ fideles atq; præclaros doctores. Horum catalogum hic non contexam, obuius est legentibus historias, iam inde à septingentis & octingentis annis. Commemorat illæ ipsæ historiæ, & varia tristisq; nostri sæculi experientia testatur, miseram hactenus & cruentam fuisse non tam fidelium in ecclesia doctorum, quàm etiam discipulorum credentium sortem. Sanguine martyrum inundauit Italia. Carceres diu per Germaniam fidelium suspirijs & gemitibus eiulatibusq; intonuerunt. Quot verò pali erecti, quot rogi extructi, horrendiq; passim ignes incensi sunt in Gallia, Hispania, Anglia? Nulla est regio in orbe Christiano, in qua non sæuierit Antichristiana persequutio, & ne nunc quidem post tantum cruorem innoxium fusum sæuire desinit. Ergò quod in Hebræo legitur ימים רבים diebus multis, id alij rectè verterunt, longo tempore, & rectius refertur ad tempora Antichristi, quàm ad tempora Antiochi, quibus non admodùm diu perseuerauit piorum persequutio. At à quingentis & sexcentis annis supputari non potest eorum numerus, qui per varia orbis Christiani regna in ecclesia trucidati sunt, nullam aliam ob causam, quàm quòd Romanum illud caput nec agnoscere, neq; omnia eius decreta recipere vel adorare voluerunt, sed maluerunt confiteri solum Christum esse ecclesiæ suæ caput, & in ecclesia Christi solam valere debere religionem Euangelicam. Atq; vtinam studiosi historiarum qui nostri propè sæculi martyrum historias conijgnarunt, illi ipsi etiam colligerent ex historijs veterum ab annis quingentis & sexcentis lanienas vel persequutiones omnes & singulas, quas pastor ille summus vnà cum grege suo exercuit in ecclesia, & plus Christiani sanguinis hausit, quàm credi possit. Nam Roma noua in locum successit veteris, quę & ipsa maduit cruore sanctorum. Id quod Ioannes Apostolus in Apocalypsi attigit.

Paruis auxilijs Deus populum oppressum asserit.

Quarto loco huius septimi capitis rerum Antiochi ostenditur, Deum in persequutionibus se non subducere prorsus. Parua enim fidelium manu & copijs modicis Iudæ Machabæi, pugnantis contra Appollonium, Seronem, Gorgiam aliosq; Antiochi duces, asseruit Deus miserè populum suum afflictum atq; oppressum. Quod in libris Machabæorum iterum fusè explicatur. Rebus autem fidelium secundis coniungunt se multi hypocritæ fidelibus, qui aduersis abeunt refugiunt, imò & hostibus se fidelium adiungunt. Hoc significauit angelus, dicens: Et his adiungentur multi fraudulenter. Quod factum esse historia Machabæorum iterum significanter attestatur.

Quoad Antichristum, opponitur ei diuinitus non rarò à Christo Domino antagonista aliquis, neq; potentia, neq; generis nobilitate, aut alijs prærogatiuis huius sæculi, præclarus, sed mundo contemptus, per omnia humilis, atque præsidijs omnibus nudatus, & per hunc tamen eiq; similes subleuat Deus electos & contra sæuitiam Antichristi tuetur. Nam tantam dicendi gratiam vehementiamq; præconibus verbi sui concedit, tanta deniq; est veritatis vis, vt resistere non possint familiares Antichristi. Ac experientia docet & historiæ testantur, quàm multi coniungant se Euangelicis, quando triumphat inter eos veritas. Rursus declarant illi ipsi quàm insyncero corde se coniunxerint cum fidelibus, quando aduersa aliqua fortuna fideles obturbat. Tunc enim redeunte ad ingenium, derepentè ex amicis fiunt hostes.

Postremò

Postremo loco huius 7. cap. præoccupat angelus quæstionem alioqui vulgarem & frequenter agitatam etiam à pijs, Quî fiat, quòd Deus patiatur ministros & cultores suos, hostium sucrum truculentia diuexari imò opprimi? cur non potius opprimat hostes suos, amicos verò suos asserat? Præoccupans enim hanc quęstionem, dicit, Et ex his qui docebunt, corruent quidem, verùm conflandi gratia, purgandiq; ac dealbandi. Quasi dicat, Deus subijcit suos cruci, non vt cruce vel afflictionibus ipsos perdat, sed vt purificet. Ac vtitur similitudinibus tribus, prima quidem petita à metallarijs, alterà verò à fullonibus aut abluentibus vestes, tertia ab ijs qui purgant frumenta. Metallarij metallum, vt argentum, imponunt igni, non vt pereat argentum, sed vt purgetur à scoria. Fullones quoq; lintea abluunt, tingunt, contorquent & variè exercent, non vt lacerent & corrumpant, sed vt mundent atq; dealbent. Qui tribulis frumenta excutiunt, purgandi quoq; non perdendi gratia excutiunt, sicuti & illi qui vanno paleas & quisquilias à tritico segregant ventilando. Ita etiam Deus cruci subdit electos suos, non vt exterminet sed vt purificentur à scoria carnis, à mundi inquinamentis, & sordibus quibus obnoxij sunt sancti aspergunturq; quotidie. Et huc pertinet illud apostoli Petri, Charissimi, ne miremini, dum per ignē exploramini, quę res ad experimentum vestri fit, &c. 1. Petri 4. Statuendum est ergo ab omnibus sanctis afflictiones vel persequutiones ac calamitates à Deo immitti fidelibus, vt purgentur atq; dealbentur. Non loquimur nunc de remissione peccatorum & criminū purgatione. Ea enim gratis fit, quo ad nos, & quo ad iustitiam Dei, per sanguinem Christi, non per nostram passionem. Loquimur autem de reliquijs carnis nostræ & infirmitatibus remanentibus dum viuunt in fidelibus, & de sordibus quibus asperguntur ex mundi consuetudine, quæ vt deterantur, iuuant nos calamitates à Deo nobis immissæ, nimirum ad mortificandum veterem illum peccati hominem, qui cruce deteritur, spiritusq; noster & homo nouus magis ad studium pietatis excitatur.

Quare Deus populum suum subdat cruci.

Addit consolationis ergò in tribulationibus, Vsq; ad tempus finis, quia adhuc præstitutū tempus. Dicit enim angelus persequutiones vel afflictiones fidelium non fore sempiternas, sed suo etiam fine esse circumscriptas atq; conclusas. Deum enim rebus omnibus constituisse suos terminos. Præterea Deum etiam aliud tempus nimirum, vitæ æternæ constituisse: cuius gratia fideles libenter temporariam hanc vitam breuem & miseram relinquant, vt consequantur æternam. Poterat hęc vltima sentētia & simplicius sic exponi, Durabit persequutio vsq; ad suum tēpus, quia Deus ei quoq; suum finem certum cōstituit. Iam etiam hic sensus hinc elici potest, Durabit persequutio Antichristiana in finem vsq; sæculi. Expectabūt ergo pij illum finem quem ipse constituit, qui qualis & quando futurus sit, ipse solus nouit. Cōmittent ergo pij & se & omnia sua Domino Deo, cui crediderunt, vt is ipsos pro sua bona voluntate conseruet. Ei sit laus & gloria.

HOMILIA LX.

Et faciet secundùm suam voluntatem Rex, & extollet se & magnificabit super omnem Deum, & contra Deum Deorum loquetur mirabilia: & prosperabitur vsque ad consummationem iræ, quia decisio facta est. Et ad Deum patrum suorum non attendet, nec ad concupiscentiam mulierum, nec ad vllum Deum adijciet animum: quia super vniuersa magnificabit se.

Antichristi per notas descriptio.

VArijs interpretationibus variè distracta sunt hæc angeli verba ab interpr tibus. Sunt qui omnia hæc exponunt de Romanorum monarchia: cui ta men quædã nisi detorta non probè congruunt. Porphyrius & qui eum sequun sunt, de Antiocho omnia intelligunt. Ac vt hoc ipsis demus, negari tamen non potest, propter typum eadẽ & de Antichristo exponi nullo sensu detorto. Ergo scriptores ecclesiastici, inter quos est & S. Hieronymus, rectiùs interpretari vi dentur de Antichristo. Sunt enim hæc huiusmodi vt propriè in Antichristũ com petant: sicuti antea quoque ex sententia ecclesiasticorum diximus, quædam de Solomone legi in oraculis, quæ propter typum congruant & Christo domi no: quædam verò non posse nisi de Christo exponi. Ita & hæc angeli verba pro priè arbitramur interpretari de Antichristo. Cui accedit firmamentũ omnium validissimũ, authoritas apostolica. Paulus enim hæc adaptat ad Antichristum 2. Thess. 2. Simpliciter itaq; arbitror hæc exponenda esse, citra tamen aliorum præiudicium, de Antichristo. Depinxit hunc hactenus nobis angelus domini, in typo Antiochi, nunc notis ita describens insignit, vt non possit non agnosci ab omnibus illis, qui moneri doceriq; sustinent.

Vtilis & per necessaria est hæc cognitio.

Vtilis autem imò pernecessaria est hæc omnibus fidelibus Antichristi descri ptio, nimirum vt agnoscatur, & agnitus fugiatur. Nam vt adueniente Christo in mundum mundus ipsum noluit agnoscere, licet prophetias cernerent Iudæi quoque ad suum peruenisse finem, licet tanta à Christo æderentur miracula, vt pleriq; faterentur ac dicerent, Christus cum venerit, num signa plura ædet ijs quæ hic ædidit? Ita minimè agnoscitur hodie antichristus, tametsi constet pro phetias de illo omnes esse adimpletas, & adimpleri quotidie, constet deniq; ũ alius venturus sit antichristus, hoc tamen præsente turpiorem esse non posse. Iccirco necessaria est planè fidelis admonitio, vt contempto antichristo, soli ad hæreamus Christo domino.

Rex est.

Principiò rex nominatur antichristus, quòd se venditet in orbe terrarum pro rege regum, pro domino imperatorum, & pro primate omnium principum atq; regnorum. Nam in 6. Decretal. lib. 3. Tit. 16. de statu regularium, Totius, in quit, orbis papa tenet principatum. Et maior quidem est imperatore, habens iu ra cœlestis & terreni imperij. De Maior. & obed. Solitæ. Deinde idem ille quæ

Facit quæ vult

vult facit. Vel vt Daniel, ait, faciet hic rex secundum suam voluntatem. Affir mant enim in suis illis Decretis & Glossis, Papam esse exlegem, & qui cunctos iudicet in orbe, à nemine verò possit & debeat iudicari: non ab vlla synodo, non ab imperatore, non à principibus, non ab episcopis, deniq; si totus mundus pronunciaret contra pont. tamen inquiunt, sententiæ standum esse pontificis. Cum enim teneat plenitudinem potestatis, nõ est quod ei quis dicat, Cur ita fa cis? Nam in his ei quæ vult, est pro ratione voluntas. Distinct. 19. 17. Quæst. 4. Nemini. 9. quæst. 3. Cuncta. Extr. de Elect. Significasti. De trãsl. episc. Quanto. Adde Glossatorem. & Dist. 40. Si papa, &c.

Omnibus se præfert.

3 Nota est, Extollet se, superq; omnem Deum magnificabit se. Cum autem vnus modò Deus sit, consequens est angelum loqui de præstantissimis quibus que in toto terrarum orbe, personis, quibus omnibus ille se intolleranda præfert superbia. Neq; obscurum est angelos, & homines præstantissimos, vt reges, po pulorumq; antistites vel proceres nuncupari Deos. At in scriptis põtificiorum legimus Papam esse supra angelos & sanctos Dei. Maior, inquiunt, est authori tas Papæ quàm sanctorum. Quia quem confirmat, nemo infirmat. Apostolus Paulus, Effertur, inquit, aduersus omne quod dicitur Deus, aut numẽ, adeò vt in templo Dei tanquam Deus sedeat, præ se ferens se esse Deum. Vult enim se agnosci pro summo capite in ecclesia Christi, qui potestatem habeat in cœlo & in terra

in terra, peccata quoq; remittendi, imò qui sit vicarius Christi in terra. Extulit se preterea supra omnes orbis vniuersi episcopos. Solem insuper se vocat, imperatorem lunam, quæ lumen à sole accipiat. Euehit enim ille reges, deijcit rursus reges, & obijcit regibus ad oscula pedes. Denicq; Canonistæ, Papa, inquiunt, est dominus dominantium, habens ius regis regũ in subditos, vtpote apud quem est summa potestas, in qua non habet parem. Est ergo ille omnia & super omnia, estq; de necessitate salutis subesse Rom. pont. Dei enim & papæ est vnum consistorium. Hæc isti, exponentes nobis hunc Danielis locum melius quàm vlli interpretes. Quædam huius generis allata sunt & homilia huius operis 37.

4. Nota est, Loquetur contra Deum Deorum mirabilia, adeoq; horrenda. Deus Deorum alius nullus est, quàm Deus ille pater filius & spiritus sanctus, vnus inquam ille verus & solus Deus in indiuisa & superbenedicta trinitate laudandus in sæcula. Contra hunc loquitur horrenda antichristus. Nam cum Deus verus se solum adorare iubeat & inuocare, nõ diuos vllos aut creaturam vllam. Cum ille prohibeat se repręsentari vlla imagine, iubeatq; simulachra tollere. Cum ille instituerit non Missam, sed Cœnam, quam rectè nũcupamus Cœnam domini, in qua iubet omnes non tam de pane dominico, quàm de poculo sanguinis domini participare, diuersum tamen audet astruere & docere Antichristus, imò doctrinam hanc, quod tamen horrendum est auditu, infamare adeoq; & damnare palàm mendacij atq; hæreseos. De qua re dictum est aliàs copiosius. *Loquitur admiranda contra Deum.*

5. Nota est, Et prosperabitur. Nam mundus promptè recepit doctrinam illam, cum plerique sequuti sint eam, quam ipse ornauit titulo sacratissimo, quasi ea sit doctrina diuina, apostolica, catholica, ecclesiæ denique doctrina & per omnia irrefragabilis. Tuentur hanc principes potentissimi. Defendunt hanc viri doctissimi. Extructa sunt breui tempore multa monasteriorum vel cœnobiorum millia, quæ singula nonnunquam superant aut propè certant splendore ædificiorum, cum regijs palatijs, in ijsdem vrbibus exttuctis. Omnia hæc hunc agnoscunt patrem. Mira felicitate omnes ecclesias omnesq; scholas ille occupauit & tenet. Reges & populos ipsi rebellantes aliquot iam sæculis prosperè vicit. Persequutiones institutas contra sedis hostes, & doctrinę Romanę aduersarios, maxima prosperitate perfecit. Sed & prosperitas eius hodie adhuc in multis & apud multos floret atq; triumphat, & plerosq; ita permouet, vt etiam, conscientia nonnihil reluctante, illum nihilominus propter quæstum sequantur. *Prosperè illi cedunt omnia.*

Si quis verò roget, vnde hæc prosperitas, & cur Deus ista ferat, & non potius nepharia illa euertat? præoccupat hoc angelus, & refert omnia illa ad iram Dei. Quia enim Deus iratus est mundo grauiter, iccirco Antichristus prosperitate vtitur tanta, neq; euertit praua eius consilia & facta nepharia Dominus. Vnde verò ira illa Dei? Exponit hoc Apostolus ad Thessalonicen. & dicit, Antichristi aduentus, est secundum operationem sathanæ, cum omni potentia & signis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ, in ijs qui pereunt: propterea quod veritatis dilectionem non receperunt vt salui fierent. Et propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed approbauerunt iniustitiã. Nam misit Deus orbi filium, vt esset lux mundi, misit apostolos sicuti antea miserat prophetas, vt essent totius orbis doctores, dedit episcopos doctissimos & pijssimos, qui veram sanamq; orbi doctrinam tradiderunt, vti acceperant ab apostolis: homines autem tantis Dei beneficijs ingratissimi, malue-unt audire, auersis auribus à veritate prophetica & apostolica, hæreticorum doctrinam corruptissimam, & Mahumedis insaniam, denique Pont. Romani corruptelam, adde quod *Prosperitas illa est ex ira Dei.*

doctrinam veritatis contempserunt, condemnarunt, & persequuti sunt, iccirco iratus tantæ ingratitudini Deus, efficaci eos errore puniuit, sicut & in euangelio dixit, Veni nomine patris mei nec auditis me, alius veniet nomine suo & illum audietis. Durabit itaq; error & prosperitas Antichristi tantisper dum consummata fuerit ira Dei. Et quidem propter electos & in horum consolationem adijcitur, Quia decisio facta est. Dicit enim angelus, certam à Deo latã esse sententiam, quousq; procedat error seductio & prosperitas illa antichristiana. Vbi verò ad finem vel terminum suum peruenerit, non vlterius progredietur, sed intercepta à Deo, corruet de repentè & conteretur. Hunc terminum etsi nesciant, neq; magnopere scire cupiant pij, patienti tamen animo expectant dominum perstantes in fide, scientes Deum electos suos opportuno tempore liberaturum seruaturumq;.

Decisio facta.

Non curat Deũ patrum.

6. Nota, Non curabit Deum patrum. Vel, Ad Deum patrum suorum non attendet. Deus patrũ verus est Deus, quem patres vnum coluerunt, adorarunt, inuocarunt, contemptis dijs alijs omnibus, & coluerunt quidem, secundùm prę scriptũ verbi eius. At ille, rametsi à parte Dei stare videatur, videriq; velit, reuera tamen non ea religione curabit tradetq; doctrinã purã, de solo Deo adorando, inuocando & colẽdo, ad præscriptũ verbi Dei, sicuti patres consueuerunt. Ac scimus monachos ita docuisse de Deo, vt vulgus ab eo ceu sæuo iudice abhorruerit, potiusq; ad virginem matrem cæterosq; diuos confugerit, & plus in hos defixerit fiduciæ quàm in Deum verum. Et quidem patres Antichristi alij non sunt, nisi Petrus & Paulus cæteriq; apostoli, non quòd tantum malum ex his sit, sed quòd ille omnino velit ab illis vt patribus suis Apostolicus appellari. Atqui non ea fide qua apostoli fecerunt, prædicat Deum patrem & filium eius Iesum Christum. Vidimus enim vulgum pluris fecisse diuos & coluisse diligentius quàm Deum ipsum. Res ipsa obseruata diligenter, loquitur, verbis copiosioribus nihil opus est.

Non afficietur desiderio mulierum.

7. Nota, Nec ad concupiscentiam vel desiderium mulierum attẽdet. Alij legunt: Et de amore mulierum nihil intelliget. Hieron. vertit, Et erit in concupiscentijs fœminarum. Ac mirum est, cur ita verterit, cum in Hebræo non italegatur, nec ipsemet dissimulet Aquilæ versionem, quæ sic habet, καὶ ἐπιθυμίαν γυναικῶν καὶ ἐπὶ πάντα θεὸν οὐ συνίσει, id est, & super concupiscentiã fœminarũ, & super omnem Deum non intelliget. Atq; his insuper hanc addit interpretationem. Quibus verbis intelligitur habere antichristum concupiscentiã fœminarum & non habere. Si legerimus & intellexerimus ἀπὸ κοινοῦ, Et super cõcupiscentiam fœminarum non intelliget, de antichristo facilior interpretatio est, quòd ideò simulet castitatem, vt plurimos decipiat. Sin autem ita legerimus, Et super concupiscentiam fœminarum, vt subaudiatur, erit, Antiochi personæ magis adaptabitur, qui luxuriosissimus fuisse dicitur, &c. Hæc Hieron. Cæterùm lectio Hebraica minimè est vel ambigua, vel obscura, negat enim angelus Antichristum curaturum desideriũ mulierum neq; hoc magnopere afficiendum. Et Paulus ad Timotheum affirmat ipsum prohibiturum matrimonium. Atqui matrimonium, sanctum est Dei institutum, cui ipsemet dominus benedixit. Seminarium præterea est reipub & à sanctis vocatur castitas: & sanctissimi quique vixerunt in matrimonio. Ac lex de coniugio Dei & naturæ, plurimum valet apud omnes, qui humanum sensum nondum deposuerunt, & in bestias degenerarunt. Apostolus, Honorabile, inquit, est coniugium apud omnes, & cubile impollutum. Sed & Deus dicit, Non est bonum hominem esse solum: Ergo naturale & diuinum est, vnam amare & ei honestè, atq; pudicè cohabitare. Et de hoc desiderio & non de amore prophano venereo loquitur in præsenti angelus.

gelus. Solomon vxorem vt rem describit præstantissimam. Amorem coniugalem vehementer laudat Prouerb. 5. Ieremias vxorem nuncupat oculorum desiderium. Et apostolus, Virgo, inquit, si nupserit, non peccauit. Quinimò amorem coniugalem commendans eximiè ad Ephesios idem apostolus, non Abrahæ Isaaci & Iacobi exempla, vxores suas, diligentium, proponit, sed Christi domini omnium maximè & castissimè diligentis ecclesiam. Hunc autem amorem, hoc desiderium coniugale, & precium vxorum, vtq; viro cohabitet vxor honesta, & vir probus cohabitet cum coniuge pudica, honesta & cõcessa à Deo cum voluptate, non curabit, nõ intelliget, non attẽdet Antichristus. Neq; enim ipse neq; grex eius rasus, amant mulieres, his nõ impendunt suum honorem, amantes videlicet eas honesto legitimo & casto & perpetuo amore. Nam execrantur oderuntq; matrimonia. Abutuntur interim multi mulierculis vt vasculis ignominiosis. Nam mensibus aliquot aut aliquanto tempore, cohabitant cum eis, vbi autem assuetudine hæ viluerint, sordereq; ipsis cœperint, eiectis his protinus nouas inducunt: imò plures nonnunquam vnà alunt impuri, sed & honestas contaminant nonnunquam matronas, mox etiam miseras & stolidas seductasq; infamant. Itaq; nullo afficiuntur desiderio mulierũ honesto, nulloq; in honore habent mulierculas, neq; eis eum, quẽ Deus voluit, honorem, impendũt, sed eis se coram oculis vniuersi huius mundi, exhibent, ceu hostes generis fœminei. Et illi qui amare eas officiose videntur & plurimi facere, amant eas amore turpi, à Deo prohibito & perdito, Deoq; abominabili, neq; inde vllus honor ad adamatas redit, neq; ipsi amantes desiderio honesto afficiuntur. Sunt enim scortatores perpetuaq; cooperiuntur ignominia, ac tandem venit super ipsos ira diuina. Nihil nunc dico de Venere execranda, quam Sodomiam appellant. Scelus hoc est coram Deo nepharium & maledictum, ac igne cœlitus depluto, olim ab ipso Deo expiatum in Sodomitis & Gomorrheis, cui qui assueuere, hominum portenta & propudia, mulierum desiderium sentiunt nullum, imò mulieres omnes oderunt. Mutum hoc peccatum aliàs quoq; nuncupatur. De quo sanè cum mutum dicatur, tacere, quã loqui præstabilibus esse arbitror. Clamãs certè fit hoc ipsum peccatum, clamans vtq; in cœlum ad Deũ pro vindicta.

8. nota, Nec ad vllum Deum adijciet animum. Nam multi inueniuntur plane ἄθεοι, qui veram religionem vt iucundã fabulam rident, & eam quoq; quam ipsi profitentur nihil, sed & nullam penitus curant, adeoq; nihil reuera credũt, propter quęstum autem se credere fortiter clamant, & multa de fide garriunt, interim verò & dicunt & faciunt quod libet. Sed & magistratum omnem contemnunt, diuinos & sanctos homines conculcant, probrisq; & contumelijs proscindunt. Lusus his est, quicquid sanctum est. Causa huius incredibilis procacisq; petulantiæ & impietatis atq; contemptus est illa, quòd super vniuersa extollit se antichristus. Dominus Iesus humiliet & aboleat illum glorioso suo aduentu in iudicium, & retineat nos interim in vera fide Christiana, per patientiam. Amen, amen.

Non curat vllũ Deum.

HOMILIA LXI.

Deum autem Mayzim in loco suo honorabit, et Deum quem non cognouerunt patres eius honorabit auro & argento & lapide pretioso, & rebus desiderabilibus. Et faciet in munitionibus cum Deo alieno: quem qui agnouerit, eum honoribus augebit, & faciet eos dominari in multis, diuidetq; terram pro precio.

Colet Deum Mayzim.

NOna Antichriſti nota eſt quòd inloco ſuo, vel vt alij legunt, in gradu ſuo, venerabitur Deum Mayzim. Hunc locum monet iterum Hieronymus rectius intelligi de Antichriſto, quàm de Antiocho: & poſt aliquot verba, in ſuis ad Danielem Commentarijs: Antichriſtus multa, inquit, deceptis munera largietur, & terram ſuo exercitui diuidet, quosq; terrore non quiuerit, eos ſubiugabit auaritia. Hæc ille.

Deus Mayzim quis.

Dicendum autem ante omnia quis ſit Deus Mayzim, עוז & מעוז ſignificat robur vel fortitudinem, munitionem item, arcem & petram. Ita Deus in Pſalmis nuncupatur maos, arx, petra & munimentum fidelium, ein ſtarcke burg/ vnd feſt ſchloß/ מעוזים Mayzim ergo Deus, ſignificat Deum munitionum, ein ſchloß/feſte/ſchutz vnd tempel Gott. Græci reliquerũt vocem μαωζείμ, LXX. verterunt fortiſſimum. Aquila fortitudinũ, Hieronymus vt & Græci, repoſuit Maozim. Porrò quæ Latini proferunt per deriuatiua, ea enunciant Hebræi per conſtructionem genitiui, & dicunt Gladius ferri, & vas luti, pro eo quod nos dicimus, gladius ferreus & vas luteum. Eadem ratio obſeruatur & in locabilibus. Dicunt enim Hebræi, Dij montiũ, cum nos dicamus, Dij montani. 2. Reg 20. berg götter/qui coluntur in montibus, quibus præſident. Ita etiam dicunt vir oppidi, & vir vici, de eo loquentes, qui inhabitat oppidum vel vicum. Proinde Deus mayzim propriè is Deus dicitur, qui creditur inhabitare fortalitia munitionéſue, id eſt auguſta illa templa, baſilicas inquam, vel ediculas illas ſacramentarias, quas ciboria nuncupant, validiſſimè inquam ſeris & repagulis communita. Et Chriſtus in euangelio, qui locus huc maximè pertinet, diſertè dicit, ſe poſtremis temporibus commonſtrandum ἐν τοῖς ταμείοις, in ſcrinijs inquam vel in capſis. ταμεία enim loca nuncupantur theſaurorum abſtruſa & munita, vt ſunt ſcrinia vel arcæ, in quas reponuntur pecuniæ. Significant & penetralia & intima ædium, vt ſunt cubicula vel conclauia interiora et reconditiora munitioraq;. Vnde & ταμείας dicitur Græcis quæſtor ærarius vel diſpenſator theſaurorum. Explicato nomine rei, reddemus iam etiam ſenſum verborum prophetæ. Quiſq; iudicet, quàm ſint congrua illa pietati, & quod vero maximè conſentaneum eſt recipiat. Quod ergo Daniel dicit eſt huiuſmodi, Docebit aduerſarius ille Chriſti in poſtremis illis temporibus periculoſiſſimis, Deum præſentem & propitium eſſe in templis illis auguſtis, & ſuam illis alligaſſe gratiam, vt qui eam ibi dari ſibi petierit, aſſequatur. Docebit item ipſum met Chriſtum corporaliter incluſum ciborijs eſſe adorãdum, adeoq; Deum velle coli illa templorum magnifica ſtructura & ornatu vario & precioſo. Sic autem, inquit, honorabit Deum illum Mayzim in loco ſuo. Quod alij exponunt in loco Dei. Alij ſimplicius, In loco ſuo, id eſt in ditione ſua, id eſt in omnibus illis locis, in quibus ipſe dominatur.

Matth. 24.

Deum patribus incognitum colet auro, &c.

Cæterùm ipſemet ſe protinus exponens clarius, Et Deum, inquit, quem nõ cognouerũt patres eius, &c. Nunc enim appellat Deum patribus incognitum, quem antea vocauit Deum Mayzim: & quod antea vno extulit verbo Honorabit, id nunc plenius exponit, Honorabit auro argento, &c. Sancti apoſtoli & beati patres, primitiuę doctores eccleſię agnouerunt quidem Deum verum patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, habuerunt oratoria & templa, habuerunt denique ſacram domini cœnam: ſed de his, neq; ita crediderunt, neq; ita docuerunt, ſicuti cœptum eſt ſerò à pontificijs doceri. Nullæ res precioſæ in oratorijs & antiquiſſimis viſæ ſunt cœtibus. Extant iudicia veterum adhuc de veris templorum ornamentis, non auro aut margaritis conſtantibus, ſed fide vera & quæ ex ipſa ſunt virtutibus. Legantur libri Lactantij vetuſtiſſimi ſcriptoris de Inſtit. Nulla item in templis veterum Chriſtianis reperta ſunt idola. Cœna quoq; domini

mini sacra celebrata est ab vniuersa ecclesia Christi, fractione panis & poculi distributione eo prorsus modo quo ipse celebrauit & celebrandam instituit Christus. Ignorauit vetustas transsubstantiationem, alteram duntaxat speciem & sacrificium offerentis pro viuis & mortuis. Ergo sanctam eucharistiã neq; in ædiculas inclusit, neq; adorandam in monstrantijs exhibuit vel demonstrauit, neq; in pompa celebri indicto & promulgato festo celebri circumportauit. Postremis demum temporibus hæc sensim in ecclesiam Dei sunt illata, & ita inserta hominum animis, vt in his videatur verissimus Dei consistere cultus. Vbi hæc non cernuntur, nullus Dei cultus verus superesse creditur. Et tẽpla quæ simulachris ac huiusmodi, quæ diximus ornamentis cæremonijsq; carent, per contumeliam nuncupantur hæreticorum horrea, areæ item schismaticorum, & stabula equorum boum atq; canũ. Ac vulgus planè persuasus, his se rebus Deum verè colere, non sustinet admoneri & doceri aliud. Nam si quis moneat, hæc in primitiua ecclesia non fuisse vsurpata, neq; his legitimè coli Deum, insurgunt de repente in monitorem & testem hunc veritatis interficiunt. Interim tamen nihil certius est, sanctam vetustatem ista nunquam agnouisse. Notissimæ sunt hæ veterum sententiæ, Qui gemmas & cætera quæ habentur in precio, putat Deo chara, is plane quis sit Deus nescit: cui putat voluptati esse eas res, quas etiam homo si contempserit, iure laudabitur. Item, Cum paupertatem domus suæ pauper dominus dedicauerit, cogitemus crucem eius, & diuitias lutum putabimus. Quid miramur quod Christus vocat iniquum mammonam? Quid suspicimus & amamus, quod Petrus se non habere glorioſe testatur? Item, Qui sine auro misit apostolos, & ecclesias sine auro cõgregauit. Item, Aurum sacramenta non quærunt, neq; auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum redemptio captiuorum est. Et quos meliores thesauros habet Christus, quàm eos, in quibus se esse dixit? Rectissimè deniq; dicebat ille feliciora fuisse tempora, quando aurei episcopi libarint ligneis poculis, quàm cum lignei episcopi aureis sacra faciunt calicibus.

Lactant. lib. 6. cap. 24. & 25.

Hieron. ad Nepot.

Ambros. officiorum lib. 2. cap. 28.

Bonifacius episcopus.

Et quod sequitur, Facietq; (hæc omnia cum auro & argento) in munitionibus id est in templis Mayzim cum Deo alieno, id est in cultu Dei alieni, quem modò & Mayzim vocauit & ignotum patribus dixit, videri poterat adiectum explicandi gratia: vt bene intelligamus Deum Mayzim in templis ipsi instructis sic esse cultum aut colendum ab ijs quibus sordet euangelium Christi. Alij alium sensum afferunt, Faciet cum templis illis Mayzim perinde vt quondam dijs suis alienis ethnici fecerunt. Qui & ipsi, vt liquet ex Arnobio & Lactantio, rebus pretiosis Deos suos studiosè & maximis sumptibus coluerunt. Alij ad hucalium reddunt his verbis sensum, Et faciet, id est vertet in munimenta, id est in defensionem Mayzim, nimirum opes in templis collectas, vt cum suo Deo illo alieno vincens perrumpat. Ideoq; vulgata lectio legit, Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno. Ac reuera notissimum est omnibus ex opibus ecclesiæ sumptus peti, qui fiunt in defendendo papismo. Neq; opus est in ijs quæ notissima sunt omnibus, multa profundere verba.

10. Nota ostẽdit quid præstiturus sit aduersarius Christi, suis illis cultoribus hoc est illis qui suum cultum recipiunt, Tria autem cõmemorat. Principio, Qui eum agnouerit, nimirum in sua illa religione, & agnouerit inquam illum esse caput militantis ecclesiæ, vniuersalem illum & summum pastorem, ecclesiarum omnium dominum & dictatorem cum plenitudine potestatis, eum augebit honoribus, dignitates videlicet in eum conferet amplissimas, easq; magis & magis augebit. Hos enim creat equites auratos, hos ornat varijs titulis, vt filios obedientissimos & catholicissimos. Christo autem & euangelio credentes duntaxat

Terram suis dabit pro precio.

& ſimpliciter, adoperit omnis generis contumelijs atq; probris, tanquam hæreticos & execrabiles. Deinde dominari faciet illos in multis, id eſt conſtituet eos dominos tam in eccleſia quàm in repub. ſuper multitudinem. Ipſe enim creat & confirmat reges, conſtituit principes, ordinat epiſcopos, doctores & prælatos eccleſiæ: nec alios conſtituit per orbem, niſi iurantes in nomen ipſius, & in religionem eius. Chriſto autem ſimpliciter credentes, & euangelium abſq; decretis eius prædicantes deijcit ſuis officijs gradibusq;, imò & ex eccleſia eijcit, ſed & dominijs, ſi quæ habent exuit. Poſtremò, Terram diuidit pro precio. Nam omnis generis fundos, prędia, collationes, officia, præbendas, œconomias, opes denique in terra ampliſſimas, confert ſuo illi gregi: confert autem tanquam mercedem fidelis illorum ſeruitij: & tamen non omnino gratis hoc facit, ſed permutatione ac precio (vmb widergält (recipiens vtiq; partem aliquam ex collato beneficio à ſuis illis beneficiarijs, & requirens obſequia prompta mutuaq; officia. Si qui verò in Chriſtum duntaxat credunt, et aduerſarij Chriſti decreta interim adorare nolunt, interim feuda aut opes aut officia habent, ab his eos deturbat, bonis omnibus ſpoliat, & ad extremam eos adigit inopiam rerum omnium: ſicuti & Ioannes apoſtolus futurum prædixit Apocal. 13. Nihil hic opus arbitror longa harum rerum commemoratione, aperiat quiſq; tantùm oculos ſuos, & videat quid hodie fiat in orbe Chriſtiano, deinde ex rebus compertis certisq; faciat iudicium. Diſcamus autem ex his omnes patientiam in turbis illis, in perſequutione & odijs, ne offendamur aduerſariorũ felicitate & opibus, ſed fugiamus ſtudioſe Antichriſtum, & confugiamus ad Chriſtum, in cuius doctrinæ confeſſione & fide conſtanter in finem vſque perſeueremus, ſemper verborum Domini memores, Qui perſeuerauerit in finem vſque, hic ſaluus erit. Dominus Ieſus concedat nobis gratiam ſuam atq; in vera fide Chriſtiana conſtantiam.

HOMILIA LXII.

Et in tempore finis congredietur cum eo Rex Auſtri, & rex Aquilonis ceu turbo irruet in eum, curribus & equitibus, & multis nauibus: & veniet in terras, & exundabit, & tranſibit. Et veniet in terram deſiderabilem, & multi corruent: & hæc euadent manus eius, Edom, Moab, & principium filiorum Ammon. Et mittet manum ſuam in terras, & terra Aegypti non euadet. Et dominabitur theſauris auri & argenti, & omnibus rebus pretioſis Aegypti: Libyes & Aethiopes erunt in profectionibus eius. Rumores verò terrebunt eum ab Ortu & Septentrione, egredieturq; cum ira magna, ad vaſtandum & occidendum plurimos. Et figet tabernacula palatij ſui inter maria, in mõte inclyto ſanctuarij: & veniet ad finem ſuum, & nemo auxiliabitur ei.

Bella Saraceni ca & Turcica.

VNdecima nota eſt bellum illud ingens & perpetuum quod contra Romanam eccleſiam gerẽt geſſeruntq; hactenus Saraceni, Soldani inquam Babylonius & Ægyptius atq; Turcę. Manifeſtũ eſt omnibus Pont. ſibi vendicaſſe omnes patriarchales ſedes & longè ac latè Orientis aliarumq; plagarum terra eccleſias, quamuis hæ non omnes agnouerint illum. Has verò omnes ad ſe pertinere, veluti ſub caput ſupremum in terris clamitat. Contra hunc, inquit, angelus domini, ſuſcipient bellum rex Auſtri & Aquilonis. Ac tempus quando hoc futurum

futurum sit, exprimitur, In tempore finis, fine nimirum sæculi appropinquãte. Dubium autem nemini est, nostra illa & maiorum nostrorum tempora à sæculis iam aliquot sub finem referri sæculorum. Sed & certissimum est ab Austro & à Septentrione grauissima mota esse bella à Saracenis & Turcis, qui in Concilio Claremontano palàm hostes nuncupantur Pontificis atq; Romanæ ecclesiæ. Vbi autem nos legimus Congredietur cum eo, alij ad verbum reddũt, Cornu petet: quod Germanicè redditum est proprijssimè, wirt mit jm ſtoſſen. Ferocia enim significatur Saracenorum & Turcarum, qui taurorũ instar, irruent passim in regna atque regiones illas. Adijcitur & alia similitudo, qua adumbratur hostilis furor atque inuicta vis, Irruet ceu turbo in eum. Recensetitem copias omnis generis, instructissimos equites, currus & classem, hoc est terra mariq; selectissimum exercitum, ad omnem belli euentum paratissimum. Sequitur enim, Et veniet in terras, exundabit & transibit. Norunt enim historiarum periti, quàm longè lateq; per orbem excurrerint Saraceni & Turcæ, in ipsam etiã vsque Hispaniam penetrantes, in Italiam quoque irruentes, & pleraq; regna diluuij instar perdentes atq; euertentes.

Inter cætera occuparunt illi etiam terram desiderabilem. Dixi autem in hoc opere aliàs, terram desiderabilem esse terram promissam, quam olim obtinuerunt Israelitæ atq; Iudæi, propter amœnitatem vbertatemq; soli, dictam desiderabilem. Nec frustra monet hic corruituros multos. Cum enim Gregorius eius nominis 7. varia cœpisset consilia, de bello inferendo infidelibus, et recuperanda terra sancta liberandoq; sepulchro domini, & morte præuentus, quod instituerat, perficere nõ potuisset, Vrbanus eius nominis 2. Grægorij diligẽs discipulus, coacto ad Claremontem concilio, initia dedit cruentissimo & infelicissimo bello, quod Sacrum vocant historiæ. Copiosè hæc ab historicis enarrantur, à Blondo quoq; Decade 3. lib. 3. Et nos summam quandam rerum harum consignauimus Concione vel homilia in Apoc. Ioan. 88. Quo nomine hic sum breuior. Durauit bellum illud annis plus minus 195. & plus hausit sanguinis humani, pluresq; euertit ecclesias, quàm quisquam recensere aut credere possit. *Bellum sacrum.*

A principio autem, cum Saraceni grassarentur per varias regiones ac ferro flammaq; perderent omnia, maturè sese his adiunxerunt, societatemq; contraxerunt Idumæi, Moabitæ & Ammonitæ cum illis, qua ratione facilè hostilem declinarunt depredationem. Quod autem dicit Principium filiorum Ammon, perinde est ac si dixisset, præcipuè Ammonitæ, vel melior & optima pars Ammonitarum. Si quæris an istis temporibus adhuc floruerint Ammonitę, Moabitæ? &c. Respondeo, Si non floruerunt, de illis certè gentibus loquitur angelus, quæ illarum in locis habitarunt, &c. Adfertur horum verborum longè alia expositio, quam vt alioqui cognitam, inexplicatam prætermimus, ita ea quæ simpliciora & minus coacta videntur, sequi malumus. Deligat ex his quisq; quod maximè verisimile videtur. Occupata est præterea ab infidelibus illis & Aegyptus regnorum orbis nobilissimum. Scimus enim in ea Soldanos multo tempore imperitasse, donec Selymus Turcarum imperator, hũc acie victum occidit, & suæ potestati Aegyptum subdidit, quam & hodie obtinet, & nuper Tripoli recuperata, maximum terrorem beato patri incussit. *Idumæi, Moabitæ & Ammonitæ cuadunt.*

Attinguntur & Soldanorum Turcarũq; opes immensæ, Dominabitur thesauris inquit angelus, auri & argenti, &c. Notissimum est mercatoribus & omnibus alijs, istas orbis partes peragrantibus, quantæ sint opes Cayri, vt de omnibus alijs taceam. Vulgo hodie nuncupatur Alkeyro. Alij hæc exponunt de Antichristi facultatibus & diuitijs maximis. *Opes.*

Iam & fœdera & societates attingit Soldanorum atq; Turcarum, Libyes, in *Societates.*

& ſimpliciter, adoperit omnis generis contumelijs atq; probris, tanquam hæreticos & execrabiles. Deinde dominari faciet illos in multis, id eſt conſtituet eos dominos tam in eccleſia quàm in repub. ſuper multitudinem. Ipſe enim creat & confirmat reges, conſtituit principes, ordinat epiſcopos, doctores & prælatos eccleſiæ: nec alios conſtituit per orbem, niſi iurantes in nomen ipſius, & in religionem eius. Chriſto autem ſimpliciter credentes, & euangelium abſq; decretis eius prædicantes deijcit ſuis officijs gradibus q;, imò & ex eccleſia eijcit, ſed & dominijs, ſi quæ habent exuit. Poſtremò, Terram diuidit pro precio. Nam omnis generis fundos, prędia, collationes, officia, præbendas, œconomias, opes denique in terra ampliſſimas, confert ſuo illi gregi: confert autem tanquam mercedem fidelis illorum ſeruitij: & tamen non omnino gratis hoc facit, ſed permutatione ac precio (vmb widergält (recipiens vtiq; partem aliquam ex collato beneficio à ſuis illis beneficiarijs, & requirens obſequia prompta mutuaq; officia. Si qui verò in Chriſtum duntaxat credunt, et aduerſarij Chriſti decreta interim adorare nolunt, interim feuda aut opes aut officia habent, ab his eos deturbat, bonis omnibus ſpoliat, & ad extremam eos adigit inopiam rerum omnium: ſicuti & Ioannes apoſtolus futurum prædixit Apocal. 13. Nihil hic opus arbitror longa harum rerum commemoratione, aperiat quiſq; tantùm oculos ſuos, & videat quid hodie fiat in orbe Chriſtiano, deinde ex rebus compertis certisq; faciat iudicium. Diſcamus autem ex his omnes patientiam in turbis illis, in perſequutione & odijs, ne offendamur aduerſariorũ felicitate & opibus, ſed fugiamus ſtudioſe Antichriſtum, & confugiamus ad Chriſtum, in cuius doctrinæ confeſſione & fide conſtanter in finem vſque perſeueremus, ſemper verborum Domini memores, Qui perſeuerauerit in finem vſque, hic ſaluus erit. Dominus Ieſus concedat nobis gratiam ſuam atq; in vera fide Chriſtiana conſtantiam.

HOMILIA LXII.

Et in tempore finis congredietur cum eo Rex Auſtri, & rex Aquilonis ceu turbo irruet in eum, curribus & equitibus, & multis nauibus: & veniet in terras, & exundabit, & tranſibit. Et veniet in terram deſiderabilem, & multi corruent: & hæ euadent manus eius, Edom, Moab, & principium filiorum Ammon. Et mittet manum ſuam in terras, & terra Aegypti non euadet. Et dominabitur theſauris auri & argenti, & omnibus rebus precioſis Aegypti: Libyes & Aethiopes erunt in profectionibus eius. Rumores verò terrebunt eum ab Ortu & Septentrione, egredieturq; cum ira magna, ad vaſtandum & occidendum plurimos. Et figet tabernacula palatij ſui inter maria, in mõte inclyto ſanctuarij: & veniet ad finem ſuum, & nemo auxiliabitur ei.

Bella Saraceni ca & Turcica.

VNdecima nota eſt bellum illud ingens & perpetuum quod contra Romanam eccleſiam gerẽt geſſeruntq; hactenus Saraceni, Soldani inquam Babylonius & Ægyptius atq; Turcę. Manifeſtũ eſt omnibus Pont. ſibi vendicaſſe omnes patriarchales ſedes & longè ac latè Orientis aliarumq; plagarum terra ecclesias, quamuis hæ non omnes agnouerint illum. Has verò omnes ad ſe pertinere, veluti ſub caput ſupremum in terris clamitat. Contra hunc, inquit, angelus domini, ſuſcipient bellum rex Auſtri & Aquilonis. Ac tempus quando hoc futurum

futurum sit, exprimitur, In tempore finis, fine nimirum sæculi appropinquãte. Dubium autem nemini est, nostra illa & maiorum nostrorum tempora à sæculis iam aliquot sub finem referri sæculorum. Sed & certissimum est ab Austro & à Septentrione grauissima mota esse bella à Saracenis & Turcis, qui in Concilio Claremontano palàm hostes nuncupantur Pontificis atq; Romanæ ecclesiæ. Vbi autem nos legimus Congredietur cum eo, alij ad verbum reddũt, Cornu petet: quod Germanicè redditum est proprijssimè, wirt mit jm ſtoſſen. Ferocia enim significatur Saracenorum & Turcarum, qui taurorũ instar, irruent passim in regna atque regiones illas. Adijcitur & alia similitudo, qua adumbratur hostilis furor atque inuicta vis, Irruet ceu turbo in eum. Recensetitem copias omnis generis, instructissimos equites, currus & classem, hoc est terra mariq; selectissimum exercitum, ad omnem belli euentum paratissimum. Sequitur enim, Et veniet in terras, exundabit & transibit. Norunt enim historiarum periti, quàm longè lateq; per orbem excurrerint Saraceni & Turcæ, in ipsam etiã vsque Hispaniam penetrantes, in Italiam quoque irruentes, & pleraq; regna diluuij instar perdentes atq; euertentes.

Inter cætera occuparunt illi etiam terram desiderabilem. Dixi autem in hoc opere aliàs, terram desiderabilem esse terram promissam, quam olim obtinuerunt Israelitæ atq; Iudæi, propter amœnitatem vbertatemq; soli, dictam desiderabilem. Nec frustra monet hic corruituros multos. Cum enim Gregorius eius nominis 7. varia cœpisset consilia, de bello inferendo infidelibus, et recuperanda terra sancta liberandoq; sepulchro domini, & morte præuentus, quod instituerat, perficere nõ potuisset, Vrbanus eius nominis 2. Grægorij diligẽs discipulus, coacto ad Claremontem concilio, initia dedit cruentissimo & infelicissimo bello, quod Sacrum vocant historiæ. Copiosè hæc ab historicis enarrantur, à Blondo quoq; Decade 3. lib. 3. Et nos summam quandam rerum harum consignauimus Concione vel homilia in Apoc. Ioan. 88. Quo nomine hic sum breuior. Durauit bellum illud annis plus minus 195. & plus hausit sanguinis humani, pluresq; euertit ecclesias, quàm quisquam recensere aut credere possit. *Bellum sacrum.*

A principio autem, cum Saraceni grassarentur per varias regiones ac ferro flammaq; perderent omnia, maturè sese his adiunxerunt, societatemq; contraxerunt Idumæi, Moabitæ & Ammonitæ cum illis, qua ratione facilè hostilem declinarunt deprędationem. Quod autem dicit Principium filiorum Ammon, perinde est ac si dixisset, præcipuè Ammonitæ, vel melior & optima pars Ammonitarum. Si quæris an istis temporibus adhuc floruerint Ammonitę, Moabitæ &c. Respondeo, Si non floruerunt, de illis certè gentibus loquitur angelus, quæ illarum in locis habitarunt, &c. Adfertur horum verborum longè alia expositio, quam vt alioqui cognitam, inexplicatam præterimus, ita ea quæ simpliciora & minus coacta videntur, sequi malumus. Deligat ex his quisq; quod maximè verisimile videtur. Occupata est præterea ab infidelibus illis & Aegyptus regnorum orbis nobilissimum. Scimus enim in ea Soldanos multo tempore imperitasse, donec Selymus Turcarum imperator, hũc acie victum occidit, & suæ potestati Aegyptum subdidit, quam & hodie obtinet, & nuper Tripoli recuperata, maximum terrorem beato patri incussit. *Idumæi, Moabitæ & Ammonitæ cuadunt.*

Attinguntur & Soldanorum Turcarũq; opes immensæ, Dominabitur thesauris inquit angelus, auri & argenti, &c. Notissimum est mercatoribus & omnibus alijs, istas orbis partes peragrantibus, quantæ sint opes Cayri, vt de omnibus alijs taceam. Vulgo hodie nuncupatur Alkeyro. Alij hæc exponunt de Antichristi facultatibus & diuitijs maximis. *Opes.*

Iam & fœdera & societates attingit Soldanorum atq; Turcarum, Libyes, in *Societates.*

quit, & Æthiopes sunt in gressibus eius. Etenim Aphri, Mauri, Numidæ cæteræq; gentes illarum partium sociati Soldanis atq; Turcis, sequuntur in militia eorum signa. Quæ verò sequuntur, rectè plericq; exponunt de antichristo, qui dum audit à varijs mundi plagis longè lateq; occupari à Turcis omnia, conuocat synodos, principum item auxilia petit, omnes in Turcas armat, frendentium hos omnium animi. Ac videmus in historijs, quot & quanta fuerint à 200. annis bella excitata à pontificibus contra infidèles, & quàm lugubres æditæ sint hominum strages. Nostra memora huius generis horrenda euenerunt ad Rhodum, in Austria atq; Hungaria. Ac mirũ est sanè pontificẽ armis potius, quàm prędicatione rem experiri malle. Ergo bella hæc cruenta significantissima sanè nota sunt aduersarij illius Christi, qui in fine sæculi, ecclesias non extruet & seruabit, sed diruet atq; vastabit.

Sedes Antichristi.

12. nota demonstrat nobis, vbi sedem suam ille sit collocaturus. Paucis sed significantissimis hoc Daniel verbis effert. Tabernacula palatij sui figet inter duo maria, in monte inclyto sanctuarij vel sanctissimo. Vulgata lectio habet, Et figet tabernacula sua Apadno inter maria. Reliquit hic Hebraicam vocem, quæ alioqui, quod & Hieron. monet, significat palatium vel aulam, qualem habent reges & imperatores. Significat ergo antichristum non habiturum aut inhabitaturum casam aliquam vilem pastoralem, aut ædes alioqui augustas vel amplas, sed regium palatium. Hoc, inquit, plantabit vel figet. Nam vt olim Roma prædicata est æterna: ita nunc sædes illa & cathedra, ita dicitur esse radicata atq; fundata, vt nullo vnquam tempore sit eradicanda, sed in finem vsq; permansura. Et sedes hæc est collocata inter duo maria, non Mortuum quidem illud & Mediterraneum, sed inter Adriaticum & Tyrrhenum, in mõte illo inclyto sanctitatis, vbi scilicet sunt limina apostolorum, vbi est sedes illa sanctitatis sanctissimi patris. Vt enim quondam mons Zion celebris fuit, & in mundo omnium reputabatur sanctissimus, ita nunc Roma vrbs sancta, & vt vulgo nuncupatur sedes illa apostolica, non modò Zioni, sed omnibus præfertur & anteponitur patriarchatibus sedibus atq; ecclesijs. Sed et vulgo nũcupatur ab omnibus, der heilig stůl zů Rom des aller heiligisten vatters. Sibylla quoq; Oraculorum lib. 8. sedem antichristi collocat mœstas humidasq; ad Tyberis vndas, vel ripas. Hæc cum notissima sint lippis atq; tonsoribus, mirum est, multos in tanta luce cęcutire adhuc, & nolle sapere, videre ac reuerti ad Christum qui solus sedem regis regum & summi tenet pontificis, spreta illa sede, vnde quotidie erũpunt tot schismata, persequutiones, artes prauæ, scandala, scelera atq; corruptelæ in miseram ecclesiam, &c.

Finis Antichristi & eius interitus.

Postremò, consolationis ergò subijcit angelus Dei, Et veniet ad finem suũ, Quasi dicat, Nemo existimet illum perpetuò, ita vt iactitat cum suis, se regnaturum. Terminum statuit illi Deus, quem non præteribit. Vbi enim finis eius aduenerit, nemo ipsum è manibus iudicis Dei eripere poterit, neq; erit in mundo quisquam, qui etsi maximè velit, ipsi auxiliari possit. Deturbabitur enim è throno & sede illa sua sancta, & dissipabitur regnum eius. Qua de re disseruit copiosissimè beatus apostolus Ioannes, Apocal. cap. 19. & 20. Expectemus ergo liberatorem nostrum in patientia, semper memores verbi eius, in euangelio ab ipso sic pronunciati, A ficu discite parabolam, cum iam ramus eius tener fit, & folia germinant, nostis propè esse æstatem. Ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote illum propè esse & adfores. Erigite ergo & attollite capita vestra. Quoniam appropinquat redemptio vestra. Dominus Iesus confirmet nos per spiritum suum, & liberet nos ab insidijs dolisq; aduersarij sui. Amen.

CAP.

CAPVT XII.

HOMILIA LXIII.

IN tempore autẽ illo ſtabit Michael princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui: et erit tempus anguſtiæ quale non fuit ab eo tempore quo fuit gens vſque ad tempus hoc. Et in tempore illo liberabitur populus tuus omnis qui inuentus eſt ſcriptus in libro. Et multi dormientes in puluere terræ expergiſcentur, hi quidem ad vitam æternam, & illi ad oppropria in contemptum ſempiternum. Et intelligere facientes fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & iuſtificantes multos ſicut ſtellæ in ſæculum & in æternum.

IN fine capitis vndecimi deduxit angelus Domini res mundi ad finem & ad interitum Antichriſti vſque, iam ergo per initium capitis 12. plenius diſſerit de fine ſæculi, hoc eſt de vltimo iudicio, quod ſanè deſcribit elegantiſſimé. Locus hic ſanè admirandus & memorabilis eſt, veluti ob oculos nobis exponens omnia & ſingula iudicij illius vltimi, quæ nos noſſe refert. Certiſſima & prorſus indubitata ſunt hæc, quia recitata nobis ſunt non ab homine aliquo, ſed ab ipſo Dei angelo, adeoq; à ſpiritu Chriſti, qui fuit in prophetis. Scit autem Chriſtus, vtpote iudex in vltimo illo iudicio futurus, totum iudicij proceſſum vel modum & rationem, vt de his nemo vel tantillum dubitare debeat. Neceſſaria quoq; eſt modis omnibus hæc doctrina de vltimo iudicio nobis omnibus. Nam & ſpem & timorem Dei incutit, & articulum ſymboli apoſtolici, Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos, pulcherrimè illuſtrat. *De vltimo iudicio.*

Et principio quidem attingit tempus iudicij, dicens, In tempore autem illo, nimirum finis ſæculi & excidij antichriſti, ſtabit Michael, &c. Alioqui enim non uimus ex verbis ſaluatoris noſtri in euangelio recitatis, de die & tempore illo neminem nouiſſe, ne angelos quidem, qui in cœlo ſunt, nec ipſum quoq; filium ſed ſolum patrẽ. Deſinamus ergo plura velle de illo tẽpore cognoſcere, quàm nobis eſt permiſſum, ne impiæ curioſitatis accuſemur meritò. *Tempus iudicij*

Deinde deſcriptio iudicij incipit à deſcriptione præconis iudicij, Angeli inquam excitantis omnes ad iudicium. Nominat hunc Daniel Michaelem. Significat Michael, Quis ſicut Deus? Vocatur hic princeps magnus. Nam apoſtolus ad Theſſalonicenſes nucupat ipſum archangelum, principem inquam inter angelos, cuius etiam mentio facta eſt in 10. cap. huius operis Homilia 52. vbi dictum eſt ipſum curã gerere populi Iudaici, &c. Hic autem dicitur in tempore illo ſtaturus vel conſurrecturus, id eſt egreſſurus ad miniſteriũ Dei perficiendum. Stant enim angeli cum ſuo funguntur munere coram Deo: & conſurgit Michael, quando emiſſus à Deo, Chriſtum præcedit deſcendentem è cœlis, tubamq; inflat, & omnes euocat ad iudiciũ. De hoc loquutus eſt in euangelio Dominus, atque dixit, Et mittet angelos ſuos, cum voce tubę magna, & congregabunt electos à quatuor ventis, &c. Et apoſtolus ad Theſſal. Ipſe Dominus, inquit cum hortatu & voce archangeli, ac tuba Dei, deſcendet de cœlo, & mortui in Chriſto reſurgent primùm. *Angelus Chriſti præco iudicij.*

Mox attingit etiam Daniel quomodo homines ſint afficiendi illo hortatu & citatione ad iudicium archangeli, Erit inquit, tempus anguſtię. Et rurſus adhi- *Quomodo afficiãtur impij ad nuntiũ iudicij.*

bita collatione, quanta illa angustia vel afflictio futura sit, ostendit, Tanta inquam, quantam nulla vnquam ſecula, ad finem vſq; mundi, ſenſerunt. Quod ſanè intelligendum eſt non de piſs, ſed de impiſs. Anguſtię cordis horum, inquit, ſuperabunt multò omnes totius orbis anguſtias, eorum inquam qui interierũt in diluuio, in Sodomæ incendio, in mari rubro, & in aliis atq; aliis grauiſſimis mundi calamitatibus. Superabit hæc inquam vltima illa anguſtia & afflictio multis hominibus omnes omnium in vniuerſo mundo afflictiſſimorum anguſtias atq; tormenta. Deus enim iuſto ſuo iudicio terrorem, anguſtiam, anxietatem, dolores atq; deſperationem immittet in corda ipſorum ineffabilem & incredibilem. Significauit hoc ipſum quoq; in euangelio Dominus, dicens, Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute magna, & gloria multa. Tunc verò plangent omnes tribus terræ, κόψονται dicit euangeliſta, inſano vtiq; planctu furent, quod fit quando prę doloris magnitudine & impatientia, propria cęduntur & lacerantur corpora, ſingultibusq; clamoribus & gemitibus adimplentur aera. Cum autem audimus hoc facturas omnes tribus terræ, reſtringimus illud iterum ad impios duntaxat. Nam de piſs ſequitur mox, Et in tempore illo liberabitur populus tuus. Nihil ergo incommodi, nihil doloris, anxietatisq; ſentient fideles in die illa. Videbunt enim illum in nubibus, qui eſt ſalus, ſpes & gaudium ipſorum. Petrus certè apoſtolus nuncupauit hoc tempus, refrigerij tempus, Acto. 3. cap. Nam & Dominus in euangelio, Erigite, inquit, capita veſtra, dum illa fiunt, Appropinquat enim redemptio veſtra. Cæterùm diligenter repetendum eſt hic, Danielem in 10. cap. perquiſiuiſſe, Et quis tandem finis malorum? & quando nam liberandi ſint filij Dei? Nunc enim propriè ad eam quæſtionem reſpondetur, in hoc videlicet ſæculo, dum videlicet in hac corrupta carne agimus, & in hoc ſcelerato mundo viuimus, nullam eſſe pacem ſperandam, in fine demum ſæculi, fore tempus refrigerij & liberationis ſeu redemptionis noſtræ. De quo & apoſtolus diſſeruit copioſe ad Roman. 8. & in 2. ad Theſſal. cap. 1. Obſeruandum & illud eſt in præſenti, quòd redemptio ſalus ac liberatio illis duntaxat promittitur, qui ſcripti ſunt in libro vitæ. Quo loquutionis genere nihil aliud ſignificatur, quàm electos Dei fore ſaluandos. Situr ogas, quis electus ſit, Reſpõdebo ex apoſtolo ad Epheſ. 1. cap. eos electos eſſe, qui ſunt in Chriſto. Sunt autẽ in Chriſto qui vera fide credunt & inſiti ſunt in Chriſtum. Non quod fides noſtra ceu meritum quodpiam ſit cauſa electionis noſtrę quæ omnino eſt gratuita. Sed & fides merũ eſt Dei donum, perq; meram Dei gratiam inſerimur in Chriſtum: ſed ideò dicimus fideles eſſe electos, quòd electionis negotium, ſine Chriſto & fide in ipſum, non eſt imaginandum. De qua re alibi quoq; dictum eſt. In Apocal. cap. 20. libri huius etiam fit mentio.

Rom. 2.

Quomodo affligatur illo tempore pij.

Liberanturſcripti in libro.

De reſurrectione mortuorũ.

Poſthæc plenius adumbratur iudicij modus atq; proceſſus. Simul enim atq; angelus euocarit ad iudicium omnes vniuerſi mundi homines, & iudex apparuerit in nubibus, cum virtute magna & gloria multa, excitabuntur & mortui è terra, & ex omnibus elementis, in quæ homines fuerant reſoluti, reuocabuntur, vt tam reſidui ac viuentes in illo die, quàm reſuſcitati ſtatuantur ante tribunal Chriſti. De reſurrectione ergo mortuorũ in pręſenti diſſerit propheta, cuius verba ſingula ſunt emphatica, quæ & ordine expendemus. Principio Multi, inquit, quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, vniuerſa multitudo vel totus cœtus dormientium vel mortuorum. Dixit præterea Multi, quòd iuxta doctrinam apoſtolicam, non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur. Id quod legitur 1. Cor. 15. ſignificantius tamen exponitur in 1. ad Theſſ. cap. 4. Iuxta eandem doctrinam apoſtolicam mortui dicuntur dormire, id quod apoſtoli haud dubiè tranſſumpſerunt ex doctrina prophetica. Sicut enim dormientes facilè

Mortui dormiunt.

iterum

iterum excitantur, ita & mortui in morte perpetuò non manent, sed in iudicio excitantur nullo Dei labore. De loquutione hac disserui in Comment. meis ad epist. Pauli ad Thessalonicen. 1. cap. 4.

Porrò pulueris terræ meminit propheta, non tantùm vt veram exprimeret carnis resurrectionem, sed etiam vt in memoriam reduceret primi hominis primam creationem. Accepit enim Deus è terra puluerē eumq; redegit in corpus hominis, cui mox inspirauit spiritum vitalem, factusq; est homo anima, vt scriptura ait, viuens. Desinunt nunc & ad hoc admirandum Dei opus, omnes in vniuersum disputationes & quæstiones de resurrectione mortuorum, quomodo videlicet possibile sit, vt caro in terram terreq; puluerem resoluta, & quasi ad nihilum redacta, resurgat denuò & reuiuiscat. Nam per potentiam Dei fiunt hæc, quam ignorare dixit dominus Sadducæos, corporum resurrectionem negantes. Ea facilitate Deus vtiq; reparabit resoluta in cinerem corpora, qua primum hominis corpus è puluere terræ condidit. Si ergo hoc credis verum esse, quod ex testimonio scripturę didicisti, cur obsecro dubitas aut queris aut disputas quomodo caro omnium hominum restitui & ex puluere terræ excitari possit in vltimo iudicio? Qui copiosiora cupit de resurrectione mortuorum cognoscere, legat Apostolum in 1. ad Corint. 15. cap. Iob. 19. cap. & aureum librum Tertull. de Resur. carnis.

Ex puluere terræ resuscitabimur.

Matth. 19.

Præterea attigit angelus domini in his quoq; qualitatem resurgentium corporum. Alij enim excitabuntur, inquit, ad vitam, & quidem æternam, alij verò ad opprobria in contemptum sempiternum, id est, vt in æternum sint abominabiles & abiecti. Dominus Iesus ipse ad hęc verba prophetæ respexisse eaq; interpretatus esse videtur, quando in euangelio secundum Ioannem dixit, Veniet hora, qua omnes qui in monumentis sunt (en quid illud sit, quod dixit propheta, Multi dormientes in puluere terræ) audient vocem eius (vt quondam Lazarus ille Bethanien. Mariæ & Marthæ frater) & prodibunt, viui nimirum & suis ipsis cum corporibus, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem condemnationis, certè vt nunquam intereant, sed semper ardeāt: sicuti alibi quoq; dominus expressit Marci vtiq; 9. & Matth. 25. Idem affirmat apostolus quoq; in 2. ad Corinth. cap. 5. & in 2. ad Thess. cap. 1.

Qualitas corporum resurgentium.

Ioan. 5.

Ioan. 11.

Ad resurrectionem carnis pertinet & clarificatio carnis vel corporum resuscitatorum. Non enim corpora tantū resuscitantur & restituuntur in integrum in iudicio, sed etiam glorificantur, id est liberātur ab omni corruptione & miseria, & donantur splendore & perpetuitate in omni gloria. Vnde & angelus domini in præsentia, Et intelligere facientes, inquit, id est, instituentes populum, doctores vtiq; fulgebunt in resurrectione sicut splendor firmamenti: quo sanè nihil est lucidius ac pulchrius: & iustificantes, id est, ad iustitiam adducentes ac promouentes, vt sunt principes, magistratus, parentes, puerorumq; & adolescentum magistri, fulgebunt sicut stellæ in sæculum & in æternum, id est absq; fine, & ad æterna tempora. Quod Christus quoq; in euangelio eodem docuit modo, dicens, Tunc iusti fulgebunt sicut sol, in regno patris. Doctorum autem ideò meminit peculiariter, & ante omnia, quòd in rebus Antichristi monuit doctores populi persequutione graui & tormentis varijs fore excarnificandos. Nunc ergo ne animos despondeant & pusillanimes reddantur, confirmat eos amplissimis his promissis: sicuti & alios homines plurimum laborantes in gubernandis hominibus refractarijs, eadem ampla promissione consolatur & in officio retinet, necubi pertæsi molestiarum, deficiant à Deo ad mundum immundum. Dominus Iesus seruet nos inculpatos in diem vtiq; illum.

Clarificatio corporum resuscitatorum.

HOMILIA LXIIII.

Tu autem Daniel claude verba, & obsigna librum usque ad tempus finis. Discurrent multi, & multiplicabitur scientia.

AVCTARIVM SIVE CORONIS.

Visio V.

PORRÒ ego Daniel vidi, & ecce alij duo stabant, alter hinc in ripa fluminis, alter illinc in ripa fluminis. Et dixit ad virum indutum lineis, qui erat superius ad aquas fluminis, & sublatis in cœlum dextra atq; sinistra manu sua, iurauit per viuentem in sæcula, quòd ad tempus tempora & dimidium, & donec consumetur dispersio manus populi sancti, consummabuntur vniuersa ista.

Daniel iussus scribit.

CLaudit sententia & præcepto hoc angeli principio huius loci commemorato Visionem quartam, quam vsque huc exposuit. Cum verò iubet obsignare librum, manifestissimum est Deum voluisse visionem hanc exhibitam per angelum Dei, conscribi à Daniele in librum, ad perpetuam rei memoriam, & ad eruditionem posteritatis. Neq; verò totum hoc opus suum Daniel mandasset literis, nisi hoc ipsi mandasset Dominus.

Abscondita visio, non nisi in fine reuelabitur.

Cæterùm diuersus horum adfertur verborũ sensus. Arbitrantur enim nonnulli prophetam ab angelo iussum abscõdere verba deniq; & obsignare librum hunc, maximè postremam hanc visionem, idq; ad extrema vsq; tempora. Nam antea non fore intelligendam à quoquã. In fine verò sæculi, abundantissimam huius arcani dandam fore à Deo scientiam vel cognitionem, postremi inquam sæculi hominibus, qui percurrent, id est diligẽtissimè indagabunt & excutient mysteria hæc verumq; eorum intellectum assequentur & mundo exponent, quippe reipsa completis omnibus ijs, quæ prædicuntur hic complenda.

Absolutißimum est huius uisionis negotium.

Quòd si quis hunc amplectitur sensum, per me quidem licet: simpliciter verò is sensus mihi esse videtur, Claude, inquit, verba (totum inquam hoc visionis negotium) nimirum tanquam ea, quæ per se absoluta plenaq; atq; perfecta sunt nullaq; amplius additione indigent. Omnia enim huius negotij quæ scire refert fideles, abunde comprehensa & exposita sunt hac visione. Proinde claudere iussit, vt rem absolutam, cui nihil amplius sit adijciendum. Ergo non censuit abscondendam velut rem quæ neq; legi possit neq; intelligi. Respexit potius atq; allusit angelus, ad receptum hominum morem, quo res cõfectas pleriq; adeoq; instrumenta conscripta atq; iam plenè absoluta claudunt atq; obsignãt.

Certißimum est huius visionis negotium.

Ideoq; subiungitur, Et obsigna librum. Obsignantur literæ aut tabulæ fideifaciendę conciliandæq; gratia. Significatur ergo per obsignationem illa, quæ prędicta sunt hactenus, certissima & indubitata fore, singulaq; illa certò euentura, ad finem vsq; sæculi. Atq; ita oportuit hoc negotium efficaciter cõfirmari, multi enim de his dubitant, sicuti & ex verbis Petri 2. Pet. 3. colligere licet. Quid quod mox sequitur ratio, cur angelus illa à se proposita hactenus claudere atq; obsignare iusserit. Plurimi, inquit, discurrent ac oberrabunt: certè veluti canes famelici & œstro ex oris icti percitiq;. Multiplex enim in mũdo erit scientia, ideoq; opiniones & sectæ erunt in orbe innumeræ. His infecti miseri illi, nihil certi de salute & rebus postremi sæculi habebunt. Ac propter miseriam & infelicitatem

postremi sæculi oportuit hanc uisionem tam diligenter confirmari. Interim breuibus his & quidem obiter adūbratur ab angelo Dei, qualis sit futurus mundus in extremis mundi temporibus, ignarus utiq; rerum diuinarum, incertus item suæ salutis & nescius uiæ ueræ ad uitam æternam, curiosus interim & multis innexus spinis & occupatus circa quæstiones prophanas. Qui uerò tales sunt, oberrant, & varijs sese adiungunt sectis, ac interim persuadent sibi se multiplici scientia donatos esse, cum reuera sint stulti, atq; veræ scientiæ ignari. Docemur proinde ab angelo credere prophetis, doctrinæ videlicet absolutæ & certissimæ, extra quam nihil est absolutum atq; certum. In quiras enim oberres disputesq; vsq; licet, si verbo domini destitueris, in tenebris versaris. In summa, commendatur nobis vltima hac sententia visioni subiecta, verbum domini, cui attendere & tanquam absolutissimo certissimo infallibiliq; iubemur credere.

Scriptura est authentica.

Quòd si nemo quærit vnde sit tanta authoritas obsignatis tabulis, vt iudices absq; controuersia, secundum eas iudicent, cur quæris de authoritate scripturarum, cur his quoq; citra contradictionem oporteat credere? Nam ex verbis his angeli colligimus, scripturæ authoritatem tabulis obsignatis esse, si nō præstantiorem, certè non imparem. Quinimò quantò humanis præstant diuina, tanto interuallo post se relinquunt scripturæ sacræ, tabulas obsignatas. Videant ergo quid cornicentur, qui disputant scripturas citra ecclesiæ approbationem esse dubias aut authoritatis dubiæ. Cur verò authenticæ appellantur scripturę, si veritas & authoritas earum aliunde dependet & non potius ex semetipsa sola existit? Et hęc hactenus de visione Danielis 4. diximus.

Visio Danielis quinta.

SEQVITVR iam Visio 5. quæ tamen cum 4. cohæret eiq; veluti innectitur. Proinde ea quæ sequuntur ad finem vsq; operis, vocaui Auctarium vel Coronidem. Nam quædam superioris visionis in auctario hoc declarantur, vt quę stio de fine sæculi & fine calamitatum ecclesiæ: item quod in 3. visione dictum est de abrogando iugi sacrificio, & huius generis alia quædam pulchra & salutaria. Visio ipsa est huiusmodi, Stat adhuc Daniel ad flumen, coram angelo Gabriele, sicut in principio 10. cap. est expositū. Vnde & hanc 5. visionem cum 4. cōiunximus. Ad Danielem autem ac Gabrielem, veniunt iam alij angeli duo, quorum vnus cōsistit in hac fluminis ripa, alter vero in altera, atq; hi inter se de ijs colloquuntur, de quibus Daniel, pro sua modestia, interrogare non fuisset ausus. Interim eruditur hoc colloquio angelorum non modò Daniel, sed ipsa quoq; Dei ecclesia per omnia tempora, & apparet in his mira Dei bonitas, qua miseros nos homines prosequitur, deq; rebus scitu vtilibus & necessarijs ipse nos sua sponte instituit.

Tres angeli testes.

Ternarius angelorum numerus ad veritatem vel fidem his omnibus concliandam facit. Nam & in lege Dei dicitur, In ore duorum & trium testium stabit omne verbum. Quod verò Gabriel collocatur supra flumen, alij duo angeli ex vtraq; parte flumini astant, adeoq; rapidū Tigridis flumen in medio eorum velut constrictum tenent, significat haud dubiè, angelos ex mandato domini, huius mundi procellas cohibere, ne tantum sæuiant ac noceant ecclesiæ, quantum sathanas cuperet. Consistit enim & ecclesia in angelorum medio, protecta auxilio & prouidentia paternaq; cura Dei.

Gabriel superiora quædam illustrat.

Ex alijs duobus angelis, qui iam primùm aduenerunt, vnus interrogat quidem, sed Gabriel insignis ille Dei angelus, cuius descriptionem habuimus in principio cap. 10. & qui hucusq; cum Daniele loquutus est, & mysteria admiranda ipsi exposuit, respondet, quodq; adhuc vberiore declaratione indigebat, dilucidius illustrat. Quæstio alterius illius angeli hæc est, Vsquequo finis mirabilium? Mirabilia vocat mysteria hactenus commemorata de antichristi sæuitia,

crudeliter ecclesiam diuexantis, deq; sanctorum calamitatibus, item de fine sæculi, de aduentu iudicis & vltimo iudicio, de mortuorum quoq; resurrectione, & vita morteq; sempiterna. Mirabilia enim hæc sunt ipsis quoq; Dei angelis, quanto magis & nobis mira videri debent, nostrasq; excitare mentes ad desiderium rectius illa intelligendi? Interrogat itaq; quando sit venturus rerum istarum adeoq; omnium finis. Ad hanc quæstionem respondet angelus Gabriel, primò quidem facto, deinde autem dicto, vt eius responsio chria quædam videri possit.

Iuramento confirmat angelus ea quæ credimus de fine sæculi.

Principio enim eleuat vtramq; manum in cœlum, & iurat per viuentem in sæcula sæculorum, contestans vtique vniuerso mundo, finem vtique futurum, hoc est calamitates sanctorum fore terminandas, crudelem Antichristi petulantiam & persequutionem fore cohercendam, omnemq; euertendam impietatem & sathanæ exultationem, ideoq; & sanctos certò liberandos à malis omnibus, per illum vtiq; qui venturus sit certò ad iudicandum viuos & mortuos. Certè cum impij existiment se perpetuò regnaturos in terris, absque fine, & pij graviter tententur diuturna illa persequutione ecclesiæ, impiorūq; felicitate, quasi nulla vnquam sit futura, vera & certa liberatio, oportuit confirmari sanctorum mẽtes, solẽni hac actione ac declaratione angeli Dei, vt bene intelligerẽt finienda fore mala, & securè acquiescerẽt his, vtcunq; longo hęc proferantur tẽpore.

Iusiurandum Hebræos 6.

Notissimum est autem ex doctrina apostolica iusiurandum finem esse omnium controuersiarum. Ergo vt Deus firmitatem consilij sui, de fine sæculi & de liberandis pijs impijs autem cohercendis & puniendis atque perdendis, oboculos commonstraret, & dubias mentes in certam spem erigeret pleneq; confirmaret, voluit in præsenti solenniter iurare angelum suum. Iam omnibus quoque notissima est cæremonia vel gestus iurantium. Eleuant enim manum in cœlum, ad illum inquam quem contestantur, & quem credunt residere in cœlis, vltorem malorum, præsertim verò eorum qui peierant. Quod angelus in præsenti vtranq; eleuat manum, dextram pariter ac sinistram, ad plenissimam rerum pertinet confirmationem certitudinemq; rerum præsentium conciliandam: & quidem alludi videtur ad vulgi morem. Cum enim propensissimam suam voluntatem in re aliqua exoptata commonstrare vult, ait, Ea in re vtranq; extollam manum. Huiusmodi quidpiã ferè est, quale illud latinis est, manibus pedibusq; in sententiam discedere. Iurat autem per viuentem in sæcula, quòd iuxta doctrinam apostolicam, & veterem omniũ à seculo sanctorum ritum, duntaxat iuramenta præstentur per nomen summi omnipotentisq; & æterni Dei. Sed de iuramento hoc copiosiora dixi in 10. cap. Apocal. conc. 44. Singulariter autem huc cit is locus apostoli Ioan. ad illustrandum hunc prophetæ Danielis locum. Ad hunc enim respexit Ioannes.

Vtranq; eleuat manũ angelus.

Ad tempus & tempora & dimidium temporis.

Deinde adiunguntur verba quoq; iurantis, quid in quam angelus Dei Gabriel iurauerit & testificatus sit. Duo autem dicere videtur de fine rerum omnium, & præsertim mirabilium istorum. Principio, Iurauit quòd ad tempus & ad tempora, & dimidium videlicet temporis producetur finis & consummanda sint vniuersa mirabilia ista. Nam ea verba ad finem collocata, vt perficiatur sensus, his quoq;, vt sequẽtibus, sunt adaptanda, nempe, ad tempus & tempora & dimidium temporis consumanda sunt hæc, & contrito Dei populo, consummanda sunt hæc. Sententia verò prior illa ænigmatica & obscura est. De qua disserui conc. in Apoc. 46. & 47. & dixi nonnihil cap. 7. huius operis. In summa angelus dicit tempus illud finis certissimum quidem esse apud Deum & numeratum, sed nobis incertũ vel incognitũ. Hebræi pro ratione idomatis sui, circũloquuntur sic, quæ significant esse indefinita. Sed & in lingua nostra, tali quapiam

piam fermè vtimur loquutione, cum dicimus, Es ſye glych über kurtz oder lang/ſo wirts beſchähen, id eſt, certiſsimè quidem id eueniet, ſed quando ſit euenturum ſiue poſt multa ſiue poſt modica temporis interualla, id ſanè nobis non conſtat. Congruunt hæc cum doctrina euangelica, quæ nobis palàm adfirmat, de die & tempore illo, ne angelos quidem certum nouiſſe, ſed patrem ſolum. In eadem doctrina euangelica ſubiungitur mox, Vigilate ergo & orate, neſcitis enim quando dominus veſter ſit venturus, vt ſi vel prima, vel ſecunda, aut tertia vigilia venerit, inueniat vos vigilantes. Atq; hoc ipſum omnino ſignificari puto, per hanc Danielis ænigmaticam ſententiam, finem videlicet rerum producendum ad tempus ad tempora & dimidium temporis.

Marci 13. Matth 24. Lucæ 12.

Deinde ſubiungit angelus, Et donec conſummatur diſperſio manus populi ſancti, nimirum conſumpta hac conſummabuntur & illa. Ad verbum in Hæbræo ea ſic ſonant, Et in conſummando diſpergere manum populi ſancti, conſummabuntur vniuerſa hæc. Quæ nonnulli ſic ordinarunt & interpretati ſunt, quòd hæc omnia euentum habebunt, poſtquam abſolutè diſperſerint manum populi ſancti, vſq; ad præfinitum tempus, ſiue longũ ſiue breue. Ac per diſperſionem manus populi Dei, intelligũt excidiũ vrbis & gentis Iudaicæ, quæ quondam erat gens ſancta, adeoq; intelligunt diſperſionem fidelium, per orbem ad prædicandum euangelium effuſorum: indevolunt ordiẽda eſſe antichriſti tempora & producenda ad vltimum vſq; iudicium, quod quando futurũ ſit, incertum eſſe, vt dictum eſt. Et in hoc proferunt ſententias apoſtolicas, Ioannis, Filioli audiſtis venturum antichriſtum, ſed nunc etiam antichriſti ſunt multi. Nouiſſimũ tempus eſt. Et Pauli, Et nunc quidem myſteriũ iniquitatis agit, ac ſe exerit.

Donec conſummatur diſperſio manus populi ſancti.

Simplicior tamen ſenſus ille eſſe videtur, qui clarius ab illis ipſis apoſtolis redditus eſt. Daniel enim, Et in complemento, inquit, vel conſumptione diſperſionis vel contritionis (vtrumq; enim legitur) manus populi Dei, complebuntur hæc omnia, id eſt aderit finis, deijcietur antichriſtus, & veniet in iudicium Chriſtus, iudicaturus viuos & mortuos, cũ plenè fuerint ſancti in mundo contriti. Nã caſtrenſi vſus vocabulo, Manus populi dixit, & intellexit angelus exercitum ſanctorum, ſignificauitq; non venturũ finem rerum omnium, niſi exercitus, id eſt eccleſia fidelium, inſtructa ad pugnam contra ſathanam mundum atq; antichriſtum, probè & ſæuiſsimis prius modis fuerit afflicta lacerata & contrita, adeoq; niſi eccleſia prius fuerit in plurimas diſſecta factiones, hæreticorum vtiq;, Iudæorum, Gentium, Mahumetanorũ, & Romaniſtarum, à quibus omnibus ipſa media ceu ouicula inter lupos conſtituta, lacerabitur, donec liberatori eam, per aduentum ſuum in iudiciũ, liberare placuerit. Ad eundem certè modum de fine huius ſæculi loquutus apoſtolus, dixit, Quoniam non aduenier Dominus, niſi venerit defectio prius & reuelatus fuerit homo ille peccati, &c. 2. Theſſ. 2. Quo & locus ille pertinet qui legitur 1. ad Timoth. cap. 4. Sed & in Apocalypſi cap. 6. (qui locus apoſtoli ad hunc præſentem locum prophetæ illuſtrandum facit plurimum) animæ ſanctorum propter verbum Dei interfectorum, ſub ara illa in cœlis latitantes, clamant & aiunt, Vſquequo Domine, qui es ſanctus & verax, non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum, de his, qui habitant in terra? Et his eſt reſponſum, vt requieſcerent & expectarent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum fratreſq; ipſorum, qui & ipſi adhuc interficiendi ſint, ſicut & illi. De eadem ergo illa completione in præſenti loquitur etiam angelus Dei, oſtendens Dominum non venturũ in iudicium, niſi prius conſummatus fuerit numerus electorum, qui conterendus ac diſpergendus ſit in hoc ſæculo ab antichriſto. Videtur autem hæc admonitio omnes fideles hortari ad patientiam, vt relictis quæſtionibus curioſis omnibus

in fide & patientia perseuerantes, cogitent non de tempore & articulis temporum, sed de cruce fortiter ferenda, & mũdo atq; antichristo vincendo tantisper dum liberator & redemptor è cœlis veniat, repensurus, in iusto suo iudicio, vni cuilibet, secundum opera sua. Ei sit laus & gloria.

HOMILIA LXV.

Ego autem audiebam, & non intelligebam, ac dicebam, Domine quid erit nouissimum istorum? Et dixit, Abi Daniel, quia clausa & obsignata sunt verba vsq; ad tempus finis. Multi purgabuntur & dealbabuntur & conflabuntur: & impiè agent impij, & non intelligent omnes impij: qui autem prudentes sunt, intelligent.

Explicantur plenius præcedentia.

RECitata faciunt ad explicationem colloquij angelorum dilucidiorem. Daniel ab initio ausus non fuit interrogare angelos, vbi autem audiuisset ab angelo propositam fuisse qnæstionem, de fine sęculi, quam ipse in primis excussam exactius cupiebat, ac angelus ad illam iam respondisset, nec tamen Danieli satis fecisset, vt qui audiret quidem voces colloquentium, sed tamen non intelligeret verborum sensum, aut quis tandem finis malorum futurus, & quando iudex & redemptor fidelium venturus erat in iudicium, vehementi cupiditate cognoscendi hæc, adactus, & aliquanto audentior iam factus, ipse Gabrielem interrogat, & ait, Et quid demum erit nouissimum istorum? Nos diceremus: vnd was wirt aber nahin noch daruß? Wenn wirt doch deß jamers gnůg syn/vnd das end kõmen? Colloquuti estis inter vos sanè, ego verò nondum intelligere potui, quis aut qualis sit horum omnium, quæ exposuistis, futurus finis. Cupio ergo eam quæstionem mihi dilucidius vel significantius copiosiusq; exponi. Ad eundem modum solicitè interrogarunt de fine sæculi Dominum apostoli. Sed & maiores nostri & nos hodie satis sumus curiosi in indagando fine sæculi cognoscendisq; rerum & temporum articulis.

Iubemur abstinere à curiosis quæstionibus.

Sed ne nunc quidem alia Danieli datur responsio à Gabriele, quàm antea est data alteri angelo interroganti, nisi quod hæc aliquanto asperior est. Dicit enim Gabriel, Abi Daniel. Quod sanè repellentis est, vt cum nos quoque non sine indignatione ad eum quẽ amplius audire nolumus, dicimus, Gang nun hinwåg. Vel, heb dich. Non respondebitur tibi ad quęstionem propositam. Rationem verò Gabriel subijcit, cur sic reñciat interrogantem, Quoniã clausa & obsignata sunt verba, vsq; dum finis aduenerit rerum omnium. Nihil amplius dicetur, quam quod antea est dictum, neque adijcietur ijs quidpiam. Reuelatum est tantum, quantum ea de re reuelari potuit & debuit. Clausum iam est negotium hoc, vt nihil possit aut debeat addi. Hoc ipsum est item obsignatum, quia indubiè & certissimè complebuntur hæc quæ dicta sunt, in fine sæculi, venietq; iudex, & singulis rependet pro eo quod quisque vel dixit vel fecit. Nemo ergo de his vel amplius quæsiuerit, vel tantillum dubitauerit, componat se potius fide & patientia ad sustinenda ea, quæ illis temporibus extremis futura sunt: sicuti & Dominus in euangelio dixisse legitur, Vigilate omni tempore, deprecantes, vt liceat vobis effugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Alij hunc locum Danielis ita interpretantur, quasi dixerit angelus, Desine interrogare. Hæc enim quæ dixi abscondita sunt atq; obsignata, vt non possint intelligi, nisi extremis temporibus. De quo sensu dictum est Homilia præcedente.

Christus

Christus certè Dominus rogantibus discipulis suis de fine sæculi, nihil aliud respondit, quàm quod in præsenti respondit Danieli roganti Gabriel, nempe diem & horam finis rerum omnium ab ipsis quoq; angelis Dei ignorari, sciri à solo patre, homines itaq; non debere curiosius in illa inquirere, sed vigilare potius omni tempore, & ea facere quæ Deus mandauit. Ita in Actis quoq; apostolicis, durius quoq; compellans discipulos, curiosius interrogantes, repellit, & ait, Non est vestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua solius potestate posuit, vos ad quid vocati sitis cogitate, & vt vestrum faciatis officium satagite. Non mitiore responso, quondam & Petrum à se reiecit dominus, interrogantem de morte Ioannis, inculcans illi hoc vnicè, Tu me sequere. *Matth. 24. Marci 13.* *Acto. 1.* *Ioan. 21.*

Et in præsenti quoq; repetitur ab angelo rursus, quod antea quoq; dictum est, quales sint futuri homines extremi sæculi, & quid passuri sint ab infidelibus fideles, qua repetitione significat fideles præteritis quæstionibus curiosis, ea potius debere cogitare, quomodo armentur contra graues tentationes & grandia mala ventura in fine sæculi, ne vel in certamine deficiant & turpiter fugiant, vel corruptela enormi vltimi sæculi, & felicitate conscelerationeq; impiorum vltimi sæculi, offensi, corrumpantur & ipsi. Expresse ergo licet paucis exponit Gabriel, quanta pericula futura sint in fine sæculi, nimirum in hunc finem, vt omnes pij, qui inciderint in illa tempora, animos suos præparent ad futuras tentationes, offensiones & persequutiones vel vitandas vel superandas. *Quales futuri homines postremi sæculi.*

Duo itaq; hominum genera dicit Gabriel futura in vltimo illo sæculo, pios & impios. De pijs primò loquitur, deinde verò de impijs. Et quid passuri sint pij ab impijs præcipuè tribus exponit parabolis, Purgabũtur, inquit, Dealbabuntur & Conflabũtur. Prima parabola petita est à re rustica & frumentis, quæ purgantur. Secunda mutuò accepta est à fullonibus, qui pannos abluunt & dealbant, vel à lotricibus, Tertia ducta est à metallarijs, vel aurifabris, qui in igne aurum probant & excoquunt. Quemadmodum itaq; frumentum purgatur, cum vanno ventilatur, & pala exagitatur vt rubigo eius deteratur: Sicut vestes & panni, alioqui nitidi, ex quotidiano vsu sordes contrahunt, & ablutione mundantur? Sicut denicq; aurum igne excoquitur & probatur separaturq; à scoria? Ita omnes pij varijs tentationibus calamitatibus & afflictionibus inuoluuntur, & exercentur, maximè in fine sæculi: sicut in 11. cap. & aliàs quoq; dictum est. Si mul autem exponitur, & obiter quidem ab angelo afflictiones immitti à Deo, non ad perditionem fidelium, sed ad salutem. Sicut enim frumentum contrahit rubiginem, vestis sordes, & aurum scoriam habet coniunctam: ita pij suas habent cupiditates & affectiones prauas, vicia atq; infirmitates in carne sua remanentes, & ex mundi consortio gliscentes. Deus ergo immittit pijs hominibus, huiusmodi laborantibus morbis, crucem tanquam medelam, persequutiones videlicet, tentationes & calamitates varias, quibus rubigo illa carnis deteratur et purgentur pij, Qua de re disseruit elegãter S. Petrus 1. Pet. 4. cap. Proinde admonitionis doctrinæq; adde & consolationis gratia illa sunt nobis ab angelo Dei allata. Vtinam in postremis illis temporibus in quibus viuimus omniaq; & singula hęc impleri videmus, ipsa animis nostris insculpta penitius, exerceamus sedulò fide patientia atq; constantia. *Pij vltimi sæculi exercentur cruce.* *Crux vtilis & salutaris est fidelibus.*

De impijs verò dicit, Et impij agent impiè, ac breuibus multa dixit, Omnem enim impiorum hominum vitam conscelleratam expressit vnico impietatis vocabulo. Simili breuitate vsus beatus Paulus, postquam dixisset omnes pios persequutionem passuros, subiungit, Improbi autem homines procedent in peius, tum seducentes alios, tum ipsi seducti. In euangelio verò dominus copiosius hæc exponens, comparat nostra illa vltima sæcula temporibus Noe & Loth, *Impij pergunt in sua impietate.*

ſicut omnibus cognitum eſt ex Matth. 24. Quò & S. Petri doctrina pertinet, copioſè expoſita 2. Pet. 2. & 3. Loquitur & ipſa res, & videmus palàm, omnia quæ fiunt vulgo ab hominibus noſtri ſæculi. Cauſa quoq; tãtæ impietatis hominum vltimi ſæculi adiungitur ab angelo, Quia non intelligent omnes impij, neq; curabunt, vt aliquando diſcant & intelligant. Nam prophetas Dei irrident, & eruditi multoq; minus corripi ſuſtinent, breuiter, verbum Dei pro verbo Dei non habent, ideoq; audire nolunt. Inde eſt quod obſtipo collo in omni impietate pergunt abſq; pœnitentia. Quod quidem hanc potiſſimum ob cauſſam tam diligenter monetur, ne pij pertinacia inuincibili & felicitate impiorũ offenſi, vel coniungant ſe impijs, vel frigidiores in ſtudio veræ religionis efficiantur.

Cur deſperata & pertinax impietas vltimi ſæculi.

Pij ſtudioſi verbi Dei.

De pijs verò ex oppoſito ait, Qui autem prudentes ſunt, intelligent. S. Hieronymus, Qui docti ſunt, inquit, diſciplina Dei, ipſi intelligere poterunt. Oportet enim omnes Dei filios, doctos eſſe à Deo. Promittũt hæc ſtudioſis ſacrarum literarum & ſuæ ſalutis non negligentibus, cognitionem harum rerum, ſcitu videlicet neceſſariarum, de rebus vltimi ſæculi abundantem, adeoq; oſtenditur pios vltimi ſæculi futuros ſacrarum literarum ſtudioſiſsimos, diligentesq; in propaganda ſcientia ſana ſynceræ religionis, & quæ ſunt de fine ſæculi, &c. Dominus Deus noſter aperiat nobis omnibus mentes noſtras, & adaugeat ſalutarem veritatis ſuę cognitionem ad gloriam ſuam & animarũ noſtrarum ſalutem.

HOMILIA LXVI.

Et de tempore quo tollendum (dixi) iuge ſacrificium, & ponendam abominationem deſolationis dies mille ducenti nonaginta. Beatus qui perſeuerarit & peruenerit ad diem milleſimum trecenteſimum trigeſimum quintum. Et tu vade ad finem, & quieſces, & ſtabis in fine dierum ad ſortem tuam

Quo tempore abolendum iuge ſacrificium & inducenda vaſtitas.

INtelleximus Viſione hac quinta contexi colloquium angelorum, cuiſe tandem & Daniel immiſcuit. Colloquuntur autem de temporibus & fine temporum: quo illa quoq; pertinent, quæ iam nobis recitata ſunt. Verba prophetæ ad verbum ſecundum veritatem Hebraicam ſic habent, Et de tempore tolli iuge ſacrificium, & ad ponendam abominationem deſolationis dies mille, &c. Senſus autem planus eſt. De tempore, quo dixi abolendum iuge ſacrificium, & inducendam abominabilem ſolitudinem vel vaſtitatem, ſcias id terminandum intra 1290 dies. Alij legunt, A tempore autem quo ablatum fuerit iuge ſacrificium ad ponendam abominationem ſtupendam, erũt dies mille ducenti nonaginta. Hebraica enim veritas habet ומועת הוסר, id eſt, Et de tempore tolli. Vel, Erit tempore tolli. Nam ב ſeruilis à fronte (quod norunt omnes) ſignificat ex vel de, item à vel ab. Ergo locus hic non eodem ab interpretibus modo exponitur.

Daniel 3. locis ait iuge ſacrificium tollendũ.

Et quidem tribus locis in hoc opere fecit propheta mentionem ſacrificij iugis è medio tollendi. Principio enim loquens de rebus Antiochi in 8. cap. dicit ab hoc tollendum iuge ſacrificium. Sed illum ipſum locum ibidem expoſuit angelus per dies 2300. vt manifeſtum ſit, eum locum ad hunc nihil pertinere, niſi velimus ſcripturam ſanctam ipſam inter ſe committere. Rurſus verò in rebus Antiochi eiuſdem, iterum fit mentio in 11. cap. abolitionis ſacrificij iugis, ſed ſine numero: & quoniam ſatis conſtat Antiochũ antichriſto prætuliſſe typum, plerique hunc locum præſentem 12. cap. exponunt de antichriſto, nempe quòd is ſublaturus ſit è medio iuge ſacrificium, & inducturus vaſtitatem abominandam, per dies 1290. Tanto enim tempore, id eſt, tres annos cum dimidio, duraturum

raturum regnum eius. Manifestissimum est autem Antichristi regnum se longius extendere, quàm ad tempus vsq; adeò breue. Nisi ergo dies illos eo modo interpreteris, ad quem dies in Apocalyp. Ioan. numeratos interpretati sumus, aut meliorem attuleris explicationem, non congruet illa cum cæteris scripturæ locis. De qua re dictum est Conc. in Apocal. 46. & 47. &c. Et sunt sanè, qui simpliciter hæc exponant & dicant, Quòd si tempus antichristi fuerit prolongatũ, beatus ille qui in finem vsq; perseuerauerit cum Christo in vera fide.

De bello Iudaico sub Vespas.

Restat iam expositio non prorsus expuenda aut aliena ab instituto prophetæ, quam ego quidem cæteris simpliciorẽ esse arbitror. Dixit hic in fine 9. ca. iuge sacrificium fore abolendum, vrbem euertendam, & inducendam vastitatem prorsus abominandã. Eò iã videtur angelus respicere, ac nunc tẽpus supputare belli illius Iudaici. Quo etiam Christus dominus Matth. 24. respexisse videtur, dicens, Cum videritis abominationẽ desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat, &c. Tale enim quidpiam videtur dicere angelus, Rogasti Daniel, quis finis demum rerum omnium futurus sit, Ostendi tibi, finem illum & clausum esse & obsignatũ, neq; tibi, aut vlli mortalium amplius quicquam eius fore reuelandum, quàm reuelatum est. At de fine sacrificiorum politiæ gubernationisq; Iudaicæ, adeoq; de bello à Romanis inferendo Iudæis, de quo antea quoq; in 9. cap. disserui, si scire certum cupis, quando hoc finiendum sit, aut quibus terminis concludendũ, certissimam possum tibi commonstrare supputationem: nempe finiendum hoc intra dies 1290. imò intra dies 1335. Eadem facilitate potuisset Deus, si profuturum sciuisset fidelibus finem vltimum rerum demonstrare, certum ostendere temporis illius punctum: nunc autem placuit ipsi hoc tacere, vrbis verò & templi interitũ suis circumscribere terminis, & auditoribus spectatoribusq; ceu digito cõmonstrare. Fecit hoc Deus, ne quis dubitaret de veritate & certitudine huius vaticinij, de vastanda gente politia & religione. Nunquam Iudæorum plerique induci potuerunt, vt hoc vnquam futurum crederent. Contra S. Stephanum statuerunt falsos testes, qui dicerent, Homo iste nõ cessat loqui verba contumelioſa aduersus locum hunc sanctum & legem. Audiuimus enim eum dicentem, Iesus Nazarenus iste, demolietur locum hunc, & mutabit instituta quæ tradidit nobis Moses. Oportuit ergo excidium hoc miserandũ genti incredulæ, non tantùm maturè prædici, sed diserte prædici & inculcari, plurimas certè ob causas, & illam præcipuè, quòd mirum videtur mundo eam vrbem & gentem vastatam esse à Deo, quam antea multis sæculis prouexerat studio tanto, eamq; ceu æternam (non litera quidem sed spiritu) in hoc mundo prædixerat futuram. Oportuit itaq; huiusmodi prædictionibus disertissimis præueniri scandalo. Oportuit & populum Dei erigi ac roborari.

Non crediderunt Iudæi templum et vrbem vnquam euertenda.

Actor. 6.

Supputatio dierum 1290.

Quantum iam attinet ad certam dierum istorum supputationem, ostendemus ex historia Iosephi de bello Iudaico, quæ videntur esse verisimilia maximè. Aiunt dies illos 1290. conficere annos paulò plus 3. cum dimidio. Quanto sanè tempore protractum & confectum est horrendũ illud bellum Iudaicum, quod mox insequuta est & gentis & vrbis abominanda vastatio. Licet enim Cestius Florus, bellum cum Iudæis aliquandiu gesserit, legionum tamen Romanarum exercitus iustus sub duce præstantissimo Vespasiano, è Ptolemaide eductus est demum 17. die Maij, anno imperij Neronis 13. in Galilæã, quæ & anno eodem vastata est ferro & flamma. Ergo 17. Maij die, anno Neronis 14 primus huius cœpti belli annus absoluitur. Eodem illo anno conficit semetipsum Nero, & succedit ei Serg. Galba, qui imperauit mensibus 7. Subijt in locum istius Otho, mensibus circiter 3. siue vt Suetonius habet, diebus 95. Is cum se gladio transfi-

xisset, successorem habuit Aul. Vitellium, hominem ebrium & impurissimum, qui octo duntaxat præfuit mensibus. Ergo si 14. imperij sui anno interijt Nero, & Galba regnauit fere ad Decemb. vsq, inde 3. mensibus præfuit Otho, perue nies sanè in Februarium. Inde procedit supputatio per imperium Vitellianum, cuius 17. die Maij, secundus perficitur belli Iudaici annus. Cæterùm eiusdem a ni mense Iulio in castris, in Iudæa, creatus est imperator Vespasianus, qui vna cum Vitellio in Octobrem vsq regnauit, imò & bellum cum ipso gessit, quem & vicit atq occidit. Ergo primo anno Vespasiani 17. die Maij, absoluitur ter tius belli Iudaici annus. Ac Iulij mensis prima die anni eiusdem completur pri mus imperij Vespasiani annus. Itaq secũdo anno imperij Vespasiani, qui erat dimidiatus ille annus, tribus illis præcedentibus, annumeratus, capta & exusta est vrbs Hierosolymorum, 8. die Septempris. Is erat annus urbis conditæ 82 natiuitatis uerò domini 73. passionis domini 40. Porrò à capta urbe, inquisi tum est solicitè in latentes Iudæos. Postea etiam multi sunt interempti, crucifi xi, ad metalla & in lapicidinas dãnati, diuenditi item ad seruitutem obeundam grauissimam, multi quoq reseruati sunt ad triumphum, quæ quidem damna re dundantibus illis 45. diebus. De quibus angelus loquens, Beatus, inquit, qui ad perstes manere & attingere potuerit dies 1335. significans vtique à capta vrbe, miserum populum, acerbissimis diuexandum esse tormentis. Finienda tamen illa & finiendum bellum, vastitate horrẽda in medio execrabilis terræ inducta. Hanc expositionem commemoratorum dierum diligentibus lectoribus expen dendam propono.

CONCLVSIO LIBRI.

His ad hũc modum peroratis per angelum, vltimo recitatorum verborum versu concluditur totum Danielis opus. In ea conclusione continetur doctri na & consolatio amplissima & vtilissima. Nam angelus Dei non tam Danieli quàm nobis omnibus ostendit quid faciamus, qui hactenus eruditi de rebus fu turis, agnoscimus in sapientia & planè paterna Dei prouidentia cõsistere & per eandem gubernari omnia. Præceptum ergo sanctum & vtilissimum dat angelus, quod promissionem luculentam habet. Principio enim, Et tu nunc vade, inquit, ad finem. Requirit vt omnes cum Daniele pergamus in via, non secus huius, sed in via Dei, & perseueremus in ea, in finem vsq. Nisi enim hoc adiecisset, In finem, videri potuisset alijs verbis, duntaxat dimissum esse Daniel ab angelo: nunc autem petit vt perstet in studio veræ religionis & syncera pietatis, in exitum vsq vitæ. Nam & Dominus in euangelio, prædicens in mundo futuras mirificas & tristissimas turbas, Qui autem perseuerauerit, inquit, in finem vsq, hic saluus erit. Quod quidem omnibus nobis dictum & in his omnibus vitæ nostræ officia comprehensa esse credimus.

Perstandum in studio pietatis ad finem vsq;

Matth. 24.

Deinde addit promissionem splendidam, ad consolandum perseuerantes. Et quiesces, nimirum anima & corpore. Etenim anima Danielis, per mortem separata à corpore, collecta est ad patres, in sinum Abrahæ, in quo quies est & refrigerium, Lucæ 16. corpus verò eius, sepultum est ad quietem vsq ad resurrectionem quietis perfectionem. In sepulchro quiescunt ac dormiunt nostra corpora maiorumq nostrorum corpora, expectantia suscitationem à domino & tam beatam. Sed & animæ nostræ liberatæ per mortem à corpore corruptionis huius, recipiuntur in sedes beatas, ad Christum Dominum, qui latroni dixit, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Quæ salus certissima manifestissimè applicatur nobis omnibus qui credimus, copiosioribus & clarioribus Christi verbis apud Ioan. in cap. 5.

Promissio consolatione refertissima.

His insuper addit, Et stabis, in fine dierum ad sortem tuam. Stabis, inquit, nimirum totus integerq & anima & corpore: stabis inquam iam resuscitatus

qui cecideras per mortem. Denique stabis ad sortem tuam. Ea loquutio etiam nobis vsurpata est. Dicimus enim, **Du wirst zů dinem teil oder erb stan.** Vindicabis sumesque tibi tuam portionem vel hæreditatem. Quæ verba planissimè & optimè exponuntur hac S. Pauli sententia, Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, vt reportet vnusquisque ea, quæ fecit per corpus, iuxta id quod fecit siue bonum siue malũ. Et hæc quidem est sors vel hæreditas sanctorum, immortalitas vel vita æterna, quæ obtingit sanctis, tam in anima quàm in corpore clarificato. Elegantissimè verò diuinus hic liber sanctissima hac concluditur sententia, qua omnibus pijs ostenditur officium, & simul perseuerantibus promittitur vita sempiterna. Quam nobis largiri dignetur misericors pater noster, per meritum dilecti filij sui Iesu Christi, Domini nostri. Cui sit laus & gloria, & gratiarum actio, pro omnibus beneficijs suis, in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

EPITOME
TEMPORVM ET RERVM AB ORBE CONDITO, AD primum usq; annum Iothan regis Iudæ: in qua præcipuè attinguntur, quæ pertinent ad sacras literas illustrandas, & ad ueram antiquamq; religionem & eius certitudinẽ, progressum item, & mutationem, cognoscendam. Vnà cum VI. TABVLIS Chronicis, à temporibus Iothan usque ad excidiũ urbis Hierosolymorum deductis, potissimum pertinentibus ad Expositionem DANIELIS Prophetæ, authore Heinrycho Bullingero Tigurinæ ecclesiæ ministro.

M. D. LXXVI.

IN EPITOMEN CHRONICORVM PRAEFATIO.

CVM omnes Danielis prophetæ Visiones, sine demonstratione, vt vocant, obscuri, propemodùm cæcæ & mortuæ esse videantur, per tabulas autem chronicas repræsentatæ prorsus perspicuæ & velut viuæ appareant, instituí, diuino inuocato auxilio, in vsum studiosorum rerum sacrarum, meis illis Homilijs, quibus Danielis prophetiã exposui, adiungere, certitudinis euidentiæq; gratia, Tabulas chronicas sex. Ordior autem harum compositionem ab initio Olympiadum, quod insiduum principium regni regis Iothan. Hac verò de causa inde potissimùm ordiar, quòd temporum supputatio per Olympiades & annos ab vrbe condita, post historiam sacram, omniũ propè iudicio, omniũ certissima expeditissimaq; esse videatur. Denique quòd in Homilijs illis meis, hoc suppurationis genus, maximè sum sequutus.

Cæterùm me meaq; illa in hac causa, tot tantisq; viris, qui hoc ipsum argumentum ante me tractarunt, minimè præfero. Debitum enim honorem singulis defero, eorumq;, vt optimè de ecclesia & studijs meritorum, existimationem vel authoritatem illibatam permanere, deniq; auctam quoq; cupio: quin meæ tenuitatis probè conscius, in ima me subsellia deijcio, & dum taxat quid mihi in hac causa videatur, & cur ita videatur, admonendi conferẽdiq; gratia, in medium profero. Ergo quod sæpe in alijs meis lucubrationibus inculco, idipsum nunc maximè repeto, iudicandæ me hæc lectoribus æquis & non ingratis aut calumnijsis proponere, vt collatis inter se singulis, quisq;, quod viderit quam proximè ad scopum simplicitatis veritatisq; accedere, amplectatur atque sequatur. Alioqui verò nullum vnquam argumentum, tanta sententiarum, varietate, à scriptoribus, cùm vetustis tum neotericis tractatum puto, atq; hoc temporum negotium. Ergo si mea quoq; illa omnibus satisfecerint, vel per omnia placuerint, aut non omnia, quod conor, assequor, veniam tamen vnà cum illis meis antecessoribus in causa vna atq; eadem mereor. Neque enim studium illud meum, quo non sine laboribus, studiosis prodesse volui, iure ab æquis potest damnari lectoribus. Quod autem ab iniquis fit, per iniuriam fit, tantaq; animi constantia à beneficis contemnitur, quanta animorum insolẽtia à peruersis & malè gratis impetitur. Faxit Christus dominus seruator noster, qui semper & vnicè in omnibus nostris cogitationibus sermonibus, actionibusq; est spectandus, vt hic meus conatus laborq;, & hoc meum institutum, cedat ad gloriam eius, sitq; gratum pijs, vtile ecclesijs, & dignum posteris.

PARI

PARS PRIMA HVIVS OPERIS.

De instituto primæ partis huius operis, & de diuersitate supputationis annorum mundi ab origine rerum, ad Natiuitatem vsq; Domini.

PRIVSQVAM verò Tabularum nostrarum constructionem aggrediamur, dicam etiam aliquid, ex sacrarum scripturarũ testimonijs, de illis Temporibus, quæ regnum Iothan ab origine rerum præcesserunt: quòd hoc argumentum cum hoc nostro proposito, ita sit cõiunctum, vt ægrè possit disiungi: & quòd sperem illa, quæ annotauero de patriarchis, & prophetis & regibus, denicq; de vetustate, veritate & authoritate cer titudineq; religionis nostræ veræ, de doctrina item & doctoribus, & de falsa doctrina & pseudoprophetis, non sine luculenta vtilitate piorum, cognoscenda, quibus & amplior de his cogitandi occasio suppeditetur, & fides vera in animis multorum confirmetur. Non enim puto historiæ cognitionem simplicem esse lectori vtilem, nisi eam nobis accommodantes, vsum eius pium, & institutionem vitæ ex ea discamus atq; teneamus. *Argumentum huius partis.*

Partitus sum opus ipsum, in partes duas. Prior continet tempora ab origine rerum ad regnum vsq; Iothan. Posterior habet tabulas sex, comprehendentes sæcula à regno Iothan ad Natiuitatem vsq; Domini, adeoq; ad excidium vsquè Hierosolymorum. Et nunc quidem, & ante omnia dicam, de annis ab origine mundi, ad Natiuitatem vsq; Domini, prout eos nobis supputant præclarissimi quiq; historici atq; chronographi: qui, sicut antea quoq; dixi, ita inter se suis dissentiunt sententijs, vt in nulla re magis. Non autem omnium annotabo calculos, sed insigniorum duntaxat breuibus assignabo. *Duæ partes huius operis.*

Iosephus in lib. Antiquitatum numerat annos 4103. Origenes Homil. in Matth. 29. supputat annos 4758. Etenim ab origine mundi ad excidium vsque Hierosolymorum, colligit annos 4830. A quibus si subtraxeris annos à natiuitate domini ad vrbis vsq; interitum 72. habebis remanentes annos 4758. Eusebius Cæsarien. nobilissimus historicus & chronographus, numerat annos 5199. Quem multi alij sunt sequuti. At Theophilus Antiochenus episcopus ad Autolicum habet circiter annos 5531. Epiphanius contra Manichæos assignat annos 5029. Philastrius verò contra hæreses annotat annos 5801. Nicephorus episcopus Constantinopolitanus numerat annos 5500. Cęterùm Hieronymus & Beda de temporum ratione, iuxta Hebraicam veritatem, proferunt annos 3952. Quanquam Beda alibi, alium quoq; numerum ponat. S. Augustinus de Mirabil. scripturæ, supputat 5195. Aurelius Cassiod. numerat annos 4697. Marianus verò Scotus 4193. Chronica Hebreorum ponunt annos 3760. Cum quibus faciunt Hebræi plerique. Alphonsus rex & Ioan. de Regio monte habent 6984. Sed Ioan. Lucidus. de Emẽdationib. Temp. & D. Mart. Lutherus in chronicis suis computant 3960. Philippus Melanch. in 3. libro Chron. nouissimè edito, exhibet nobis annos 3963. R. Gualtherus in chronol. sua præfixa 12. prophetis, ex integro supputat annos 3970. Theod. Bibliãder computat annos 3979. Picus Mirandulanus lib. 5. contra Astrologos, ponit à Mose ad Christum vsq;, vt annos certos, 1509. quibus si addas reliquos à mundo condito, quos scriptura *Supputationes annorum mundi ad natiuitatẽ vsq; Christi præstantissimorum chronographorum.*

etiam certos nobis ſuppeditat, habebis annos 3962. Eum numerum approbat & ſequitur in chronicis ſuis & Paulus Phrygio nō indiligens chronographus. Porrò Ioan. Functius cuius diligentiam & eruditionem in hoc negotio omnes meritò commendant, ſupputat annos 3963.

Euſebij ſupputatio expenſa.

Quod verò Euſebius Cæſarien. & qui eū ſunt imitati, tot ab aliis propè theologis chronographicisq; omnibus diſtat annis, inde eſt, quòd ſecutus eſt Græca Bibliorum, (quod & D. Hieron in Hebraicis refert quæſtionib.) exemplaria, quæ in numeris annorum patriarcharum ante diluuiū & paulo poſt, ad annos Abrahę vſq;, non congruunt cum veritate Hebraica. Ab orbe enim condito ad diluuium vſq; numerat ille annos 2242. Ab anno autem diluuij primo ad natalem vſq; Abrahæ ponit 1720. annos. Si hos cum prioribus redigas in ſummam, inuenies annos illos quos plerique ab exordio mundi ad natalem vſq; ſeruatoris noſtri computant, 3962. Cæterùm congruunt in eo omnes eccleſiæ patres atq; doctores, Græcos & aliarum linguarum codices omnes, emendandos eſſe ad veritatem Hebraicam. Hæc autem cum ab origine rerum, vſq; ad natiuitatem Abrahæ, non plures numeret annos, quam 1948. conſequens eſt, in Euſebiana ſupputatione redundare annos 2014. Ille idem tamen in ſuis tabulis apponit ad primum Abrahæ annum, annos mundi 3185. vt à ſeipſo diſſentiat, & tamen nihilominus abundent anni 1237. ab exordio mundi ad natalem Abrahæ. Supputat deinde à primo anno Abrahæ. qui ipſi eſt vt modò dixi 3185. vſque ad natalem domini annum, annos 2015. quibus ſi addas numerum mundi iam commemoratum 3185. inuenies ſummam, quam ille in tabulis ſuis aſſignat ad natalem Chriſti, nempe 5199. Cæterùm ſi corrigas annos à mundi exordio, ad natalem vſq; Abrahæ, ac ponas annos 1948. & his deinde adiungas Euſebianos annos à natali Abrahæ ad natiuitatem Chriſti, 2014. inuenies annos 3962. Sic congruet ſupputatio Euſebiana cum pleriſq; aliis Chronologis.

Vnde ſupputationum diuerſitas ſubnaſcatur in authoribus.

Præterea naſcitur diuerſitas illa ſupputationum inter eos quoq;, qui veritatem ſequuntur Hebraicam, & quidem ex diuerſis principijs, à quibus calculatores progrediuntur, dum aliquando plures, aliquando pauciores alij alijs annos colligunt: ſicut videre licet in principio diluuij & in annis natiuitatis Aphaxat, in annis item Abrahæ, qui numerantur ab initio peregrinationis eius: dum alij ſuam calculationem incipiunt ab Vra Chaldæorum ab anno Abrahæ 70. alij verò à profectione ex Haran, ab 75. anno Abrahæ. Ita in annis Ioſue & Samuelis & Saulis, denicq; omnium maximè in annis regum Iſrael & Iuda, numerando ratione eadem non progrediuntur. Idem fit in principio ſupputationis annorum Olymp. captiuitatis item Babylonicæ, in annis regum Cyri, Alexandri, Herodis quoq; magni. atq; Cæſ. Auguſti. In quibus ſupputationibus alij alijs excellunt annis, alij pauciores annos colligunt. Inde verò enata eſt illa computationum varietas: cuius rationes exactiores, in ipſis inueniuntur authoribus, vt nolim modò commemoratione prolixiore vllā lectoribus moleſtiorem ciere nauſeam.

Varietate ſupputationum pij non offenduntur.

Interim lectores æqui illa varietate ſupputationum non offenduntur mirum in modum, ſi modò apud ſe perpendant, quenque ſuas habuiſſe, dum ita ſupputaret, rationes, quas ſequutus ſit, & quod maxima parte in rerum ſumma, paucis demptis annis, non male inter ſe congruunt. Cernunt enim pleroſq; & principuos calculatores chronographos conuenire in terminis annorum mundi 3960. & 3970. Intermedij enim, vel 62. vel 63. aut 69. vel paulò plures calculi. Quantula verò eſt in his minutijs varietas? & quidem in tam difficili computatione, quæ tot habet ſcopulos, in quos impingere poſſumus? Hanc itaq; leuiculam diuerſitatem æqui boniq; lectores, non malè conſulūt, neq; ex ea colligunt

omnia

omnia in sacris & in temporibus esse conuulsa, & nihil certi in hoc argumento haberi posse. Peruersa quidem & maligna ingenia ita colligūt: sed ab omnibus pijs contemnuntur, tanquam aphronij nulla ratione vtentes, & quidlibet quantumuis sacrosanctum sit, qualibet de causa leui, in dubium aut suspicionem trahentes, & veritatem pietatemq; non magni pendentes.

His ad hunc modum expolitis, subiungemus iam nostram qualēcunq; Epitomen Chronicorum, in qua quid vbiq; sequamur apparebit in ipsa operis structura. Inferam his breuem & qualemcūq; historię quoq; consignationē, eiusq; vsum pium, quantum quidem per Compendij leges licebit. Dominus qui sapientiam verumq; sapientiæ vsum miseris nobis mortalibus largitur, ex immēsa sua gratia, benedicat & meis & omnium fidelium laboribus. Amen.

ANNI MVNDI A CONDITO ORBE AD VSQVE DILVVIVM, CVM BREVICVLA CONDITI ORBIS ET SANCTORVM PATRIARCHARVM HISTORIA.

Summa orbis à Deo opt. max. conditi.

DEVS æternus, in tempore & ab initio rerū immēsa sua bonitate, sapientia & potentia Cœlum condidit & Terram omniaq; quæ in eis sunt, cùm visibilia tum inuisibilia. Ac bonitate quidem sua, pulcherrimam illam & nunquam satis laudatam admirandamq; habitationem (ideoq; à Græcis κόσμον, à Latinis mundum, nimirum à munditie ornatúue perfecto, & absoluta elegantia nuncupatum) in vsum hominum parauit. Sapiētia autem sua omnia illa ordine pulcherrimo digessit atq; mirificè ornauit. Potentia verò ac verbo illo suo cuncta illa quæ sunt cum non essent, ex nihilo creauit, Dauide nobis attestante atq; dicente, Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. *Psal. 33.* Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. *Hebr. 1. 11.* Eadem illa sua potentia, bonitate & sapiētia, ea quæ creauit vniuersa, optimè conseruat adhuc atq; gubernat, conseruabitq; & gubernabit porrò, dum hic steterit orbis, non quidem sempiternus, sicut perperam philosophi aliqui sunt opinati, sed sub finem rerū omniū, ad iudicium domino veniēte, periturus, prout beatus Petrus 2. Pet. 3. nos docuit, & ante ipsum propheta, Psal. 102. Ac vult omnino Deus, vt hæc agnoscant & horū nunquā obliuiscantur homines. Ideò enim conditis rebus omnibus, vti exponit beatus Moses, intra sex dierum spacium, septima die quieuit Deus, & sanctificauit eam diem, in perpetuam rerum conditarum memoriam, vt scilicet nostrum quilibet acquiescat in his, delectetur item, ac hæc fideliter animo suo versans, agnoscat Deum hunc solū non alios Deos, non alias res vllas, sed solum Deum illum nostrum esse conditorem seruatorem & gubernatorem omnium quæ in cœlo & in terra sunt rerum. Quo nomine etiam toti, spretis Dijs alienis omnibus, ab eo, vt vnico Deo domino & creatore nostro, pendere iubemur, vtpote in quo vno viuimus mouemur & sumus, cui vt summo bono & clementissimo patri toto corde fidere, vni fideliter seruire, & perpetuas pro tantis beneficijs, agere gratias debeamus. *Officium hominis erga creatorem.*

Homo conditus à Deo.

Cum enim ille cōdidisset vniuersa, hominem deinceps sexta illa & vltima creationis die, creauit, ipsum in mundum, quippe propter quem condiderat mundum, introduxit, eidemq; omnia quę condiderat visibilia subiecit, constituto ipso vniuersorum domino, denicq; ne quid desideraretur selectissimorū beneficiorum, in Paradisum, amœnissimum totius orbis hortum collocauit, insuper ei vitæ consortem cōmodissimam suauissimamq; adiunxit fœminam vxorem. Primus ille à Deo conditus homo, nuncupatus est ADAM, quasi tu dicas terrenus aut luteus. *Adam.* Finxit enim corpus primi hominis Deus ex luto, cui mox inspirauit animam viuificam. Ita homo constitutus est à Deo, ex natura duplici, corpore vel carne, & anima vel

ſpiritu. Mulieri quam Adamo coniugem adiunxit, nomen inditum eſt Iſcha, id eſt vira, quia ex corpore vel coſta viri dormiẽtis creata vel deſumpta eſt à Deo. Poſtea dicta eſt Heua, nimirum viua, propter promiſſionem ſeminis benedicti & viuifici. Quæ omnia copioſius à Moſe deſcribuntur, Gen. cap. 1. & 2.

Et quia pulchrum eſt tenere ordinem vniuerſitatemq; rerum creatarum omnium, ſubijciam verſiculos, eleganter totum Dei opificium comprehendentes ac commonſtrantes, authore D. G. Muſculo noſtro,

Prima dies lucem, Cœlum altera, tertia Terram,
Sidera quarta, ſequens Piſcem habet & Volucrem,
Sexta Animal quoduis, Hominemq; ex puluere terræ
Protulit, aſt Sabbatum ſeptima lux tenuit.

ANNI AB ORBE CONDITO AD DILVVIVM VSQVE NVMERANTVR 1656.

Annorum ſupputatio.

COllocabo iam ordine annos patrum primi illius ſæculi antiquiſſimorum, vt inde colligas certò & perſpicuè, annos ab orbe condito ad diluuiũ vſq; 1656. Quòd ſi conſtruxeris tabulam, in qua pingas ſingulos patrum annos, per generationis ſucceſſionem, inuenies certò ſummã illam, quam his iam præfixi.

Vnde petita temporum annorumq; ſeries

Sequar autem in calculatione vel temporum conſignatione authoritatem ſcripturæ ſanctæ, quæ ſola ab initio rerum, certam nobis annorũ temporumq; ſeriem conſignatam reliquit. Voluit enim Deus extare certam iſtarum rerum rationem, vt vel inde colligeremus fabuloſa non eſſe, quæ in illis traduntur nobis. Dubia eſt alioqui temporũ ſeries in ſcriptoribus prophanis, vſq; ad Olympiades & vrbem conditam.

Adam annos natus 130. genuit Seth. Gen. 5.

Lapſus Adam in peccatum & corruptionem.

Ephes. 4.

ADAM parens omnium noſtrum, conditus à Deo, quod modò dictum eſt, felix & beatus, & vniuerſorum Dominus cõſtitutus, & in paradiſum vnà cum coniuge collocatus, præceptum à Deo ſanctum accepit, quod cum inſtinctu ſeductus ſathanæ, & ſuaſu vxoris ſuæ violaſſet, à felicitate ſua vnà cum vxore excidit. Extincta enim amiſſaq; Dei imagine, ſanctitate inquam, iuſtitia, innocentia, integritate, incorruptibilitateq; & beatitudine miſer prorſus, corruptus, infelix peccator & mortalis eſt factus, & peccatum, corruptionem, miſeriam & ipſam mortem propagauit in omnem vniuerſi generis humani poſteritatem. Qua de re manifeſtè & copioſe diſſeruit apoſtolus in epiſt. ad Roman. 5. & in 1. ad Corinth. 15. & poſt ipſum S. Auguſtinus de Originali peccato, contra Pelagium & Celeſtium, ac Iulianum.

Eijciuntur paradiſo in exilium.

Ab admiſſo autem peccato eiecti ſunt parentes noſtri, iuſto Dei iudicio, ex paradiſo, calamitoſiq; per omnia, terram & incolere & colere cœperunt, generantes ſecundum ſuam imaginem, corruptam vtiq; & miſerã, vt habet verbum veritatis, miſeros corruptoſq; homines, quippe ex quibus omne genus mortalium, ex vno vtiq; ſemine & propagine, prognatũ eſt. Exponit hæc ordine Moſes Geneſis 3. & 5. cap. De conſolatione qua per promiſſionem Dei rurſus erecti ſunt priuſquam paradiſo eẽjcerentur, dicetur mox. Porrò inſpicere coacti ſunt Adam atque Eua vniuerſo vitæ ſuæ tempore plurima peccata & nephãda poſteritatis ſuæ facinora. Vnde dubiũ non eſt, quin amara ipſis fuerit potior vitę ipſorũ pars, & ad conſceleration em liberorũ vehementer ingemuerint. Nam probè ſibi erant conſcij, omne malum ortum eſſe ex ipſorum lapſu ac præuaricatione. Ergo cui dubium eſſe poteſt, illos in luctu quodam, & in perpetua pœnitentia,

nitentia, sub disciplina Dei vixisse, & peccata suorum grauissimè increpasse, commendasseq; fidem & vitæ sanctimoniam?

Mortuus est Adam annos natus 930. Marianus Scotus lib. Chron. 1. affirmat Euam ex hoc sæculo migrasse anno mundi 940. nimirum decennio à morte Adam. Constat itaq; Adam vidisse omnes nepotes, pronepotes & abnepotes, per omnes patrum generationes, vsq; ad Noe, qui natus est 126. anno à morte Adam: vnde certum est Adam mortuum esse anno 726. ante diluuium. *Anni Adam.*

Voluit autem Deus certo consilio tot viuere sæcula Patres illos vetustissimos & primi sæculi patriarchas, nimirum vt essent lumina mundi, testes diuinæ veritatis, contra varia mendacia & errores prophanorum in mundo hominum, voluit inquam vt essent doctores ac magistri religionis veræ. Ergo non est quod illos audiamus, quibus visum est, Patres illos non tot superasse sæcula, quòd anni illis fuerint breuiores, quàm nobis. Nam ex historia diluuij, satis liquidò constat, annum istis quoq; temporibus habuisse menses 12. neq; hos paucíores dies. Vixit ergo Adam annos solares & integros 930. quoniam Deus voluit hunc vniuerso orbi, & in primis temporibus diluuium præcedentibus, dare doctorem & prophetam. *Cur olim patres tot vixerint annos.*

Acceperat enim à Deo, quod veluti per manus traderet filijs nepotibus pronepotibus atq; vniuersæ posteritati suæ. Viua & diuina prorsus erat ea traditio, quæ post aliquot sæcula in literas est relata, vt illa hodie, ecclesia Dei, nõ careat, quæ historiam patriarcharum plenam atq; perspicuam habet. Ac certa quidem fuerunt eius traditionis & potissimùm hæc capita, Deum æternum, sapientissimum, potentissimum & summum condidisse mundũ, & omnia quæ in eo sunt, eundemq; prouidentia sua, omnium sapientissima, iustissima & perfectissima, gubernare omnia, quæ in mundo sunt: etiam hominem Deo singulariter dilectum, vtpote propter quem omnia condidit, eidemq; omnia subiecit. Hunc verò Deo benefico malè gratum, præscriptam sibi legem præuaricasse, atq; ita nõ modò ipsum corruisse in peccatum mortemq;, sed secum insuper traxisse in perditionem, vniuersam posteritatem. Quæ tamen rursus bonitate Dei gratuita restituatur. Deum enim omne peccatorum pondus coniecisse in filium vnigenitum, qui ex muliere procreandus, in mortem indebitam se sit daturus, vt abolitis peccatis, debitam nobis mortem inferosq; & sathanam exarmet, conferat autem fidelibus hæreditatem vitæ æternæ. Huc enim iam pertinet fundamentum hoc æternæ veritatis veræq; & nunquam vel mutandæ vel abolẽdæ religionis, quod ipse Deus præfinitum æterno suo consilio, collocat, præter quod nullum aliud poni potest, dum ipse Gen. 3 proprio ore pronuncians, ait, *Traditio patrum viua posteritati tradita.* *Traditionis summa.*

INIMICITIAS PONAM INTER TE ET IPSAM MVLIEREM, ET INTER SEMEN TVVM, ET SEMEN EIVS: IPSVM CONTERET TIBI CAPVT, ET TV CONTERES EI CALCANEVM. *Fundamentum æternæ salutis.*

Hæc promissio Dei euangelica planè, pronunciata apud parentes nostros iam morti immersos & horrendis circumuẽtos doloribus atq; terroribus, ipsos mirificè erexit & consolata est. Neq; dubium est quin illi, illustrante eos spiritu sancto, per semen illud intellexerint ipsum Dei filium, ex virgine incarnandum atq; nascendũ, qui destructurus imò contriturus sit caput serpentis, id est, ipsum diabolum & regnum diaboli, peccatũ inquam, mortem atq; condemnationem, ita tamen vt ipsũ interim calcaneũ conteratur, id est, iuxta carnẽ interficiatur, at *Semen benedictum Christus.*

morte illa sua liberet à diabolo ac viuificet credentes. Sed de semine hoc amplius dicetur in rebus Abrahæ.

Doctrina Adã. Docuit ergo Adam filios omnesq; posteros suos fidem in Deum patrem, & filium eius Iesum Christum, seruatorem mundi, & in spiritum sanctum. Docuit item inuocare hunc solum Deum, eiq; seruire in sanctitate & iustitia, omnibus diebus vitæ. Ergo docuit etiam sancte coniugia colere, & præpositis obedire, & reliqua quæ postea scripta sunt in duas fœderis tabulas, &c. Hæc inquam est viua illa certa diuinaq; traditio per patriarchas, à Deo, per Adam accepta, & veluti per manus posteritati tradita, donec per Mosen scripto comprehẽderetur, & daretur Dei populo. Proinde certum est omnes patres quotquot ab Adã ad Mosen vsq;, & inde vsq; ad Christũ seruati sunt, & quotquot in finẽ vsq; sæculi homines seruabuntur, per gratuitã Dei gratiam, in fide Iesu Christi, seminis benedicti, seruatos esse & seruandos fore. Ideò enim nomen coniugis Adam mutatum est, vt quæ prius dicta fuerat Ischa, porrò vocaretur Heua, à vita, quippe quæ in peccatis fuerat quidem mortua, pariturag; liberos suos in mortem, sed nunc propter promissionem benedicti seminis, sit & ipsa victura & liberos paritura non æternæ morti obnoxios, sed per fidem victuros. Ideoq; scriptura atque ipsa traditio mira diligentia & constantia mentionem seminis vel promissionem eius subinde repetit per varia sæcula, omnibusq; fidelibus inculcat.

Patres omnes seruati sunt per Christum.

Ischa & Heua.

Cultus Dei externus ab Adã traditus. Porrò ex inspiratione Dei veraq; illa pietate erga Deum, qua ardebat pater noster Adam, tradidit suis quoq; cultum Dei externum, interni professionem & exercitium. Nam certum est Patres primis illis temporibus in cœtus coiisse sacros vel ecclesiasticos, atq; in his prædicatam esse viuam illam traditionem, quæ reuera erat verbum Dei, de peccato, hominisq; corruptione & de peccatorum remissione, per mortem benedicti seminis, de officijs deniq; vitæ, de inuocando Deo, & gratiarum actione pro beneficijs Dei innumeris. In cœtibus suis sacrificabant etiam. Sacrificia illorum erant sacramentum incarnandi & moriturii minis benedicti. Ioannes enim apostolus palàm vocat Christum, agnum illum immolatum ab origine mundi. Proinde non crediderunt fideles antiqui patres sua se iustitia iustificari, aut suis se operibus aut meritis seruari, aut per externa sacrificia sibi remitti peccata & se reconciliari Deo: sed crediderunt sibi peccata sua dimitti per mortem Messiæ vel benedicti seminis venturi, & per hunc se iustificatos, & Deo reconciliatos iri. Sic enim & beatus Petrus apostolus docens, dixit, Non aliud nomen esse sub cœlo, in quo saluos fieri oporteat, nisi nomen Iesu Christi. Et iterum, Neq; nos neq; patres nostri, inquit, iugum illud (legis) portare potuimus, sed credimus nos PER GRATIAM domini Iesu Christi saluos futuros, QVEMADMODVM ET ILLI. Quapropter celebrarunt patres sacrificia illa sua, vt sacramenta & mysteria seminis benedicti, id est, Christi venturi, & passuri sacrificandiq; pro salute totius mundi; quibus & sui sunt admoniti officij, vt corpus peccati iugulantes semetipsos viuam Deo hostiam immolent: adeoq; idem illis sacramenti vsus fuit, qui & nobis est. Id quod facilè licet colligere ex doctrina apostolica, quæ traditur 1. Cor. 10. Cert S. Augustinus Tract. in Ioan. 45. Ante aduentum domini nostri Iesu Christi, inquit, quo humilis venit in carne, præcesserũt iusti, sic in eum credentes venturũ, quomodo nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt, non fides. Et mox idem subdit, In signis diuersis eadem fides, sic in signis diuersis, quomodo in verbis diuersis. Et vtiq; non aliud sunt verba, quàm signa. Nunquid non eadem credebant, per quos hæc signa ministrabantur, per quos eadem quæ credimus prophetata prænunciabantur? Vtiq; credebant. Sed illi ventura esse, nos autem venisse. Eadem leguntur apud eundem contra Lit. Petiliani lib. secundo cap.

Sacrificia. Apocal. 13.

Act. 15.

Sacramenta priscorum.

cap.37. Tract. item in Ioan.26.& in Psalm. 73. & 77.ac contra Faustum Manich.lib.19.cap.13.16.17.

Et hæc quidem de traditione religioneq; vera diuina & antiqua beatorum patrum,nõ absq; causa,neq; sine fructu,vt spero,exposui hactenus. Hinc enim religionis nostræ Christianæ vetustàs, nobilitas,synceritasq; colligitur,& possum ego quoq; porrò progredi in temporum cõsignatione & in compendio historico expeditius,qui posthac de religione patrum differens,ad exposita lectorem relegauero. Quod si cui nouum dogma de patribus in Christum credentibus attulisse videor,legat,cui otium est,Euseb.Cæs.Eccles.hist.lib.1.cap.1.Epiphan.mox ab initio libri sui contra hæreses.Nicephorum Callistum lib.hist.eccles.1.cap.2.3.4.& 5.August.item contra Pelag.& Celest.lib. 2.cap.25.& contra duas Pelagianorum epist.lib.3.cap.4.& epist.ad Deogratias 49.& Prosperum Aquitanicum ad cap.Gallorum,Obiect.8.&c.

Illud quoq; hic obseruandum moneo, ab Adam x. ordine patres atq; doctores sibi mutuo succedere ad diluuium vsq;,qui veram hanc religionem in mundo conseruarent & ad posteros propagarent.

Seth natus annos 105, genuit Enos. Genes.5.

Adam nati sunt ex Heua, mox à rerum initio, filij duo, Cain & Abel. Fuerunt his diuersissima ingenia. Cain enim erat prophanus, nihil curans vel patrem vel patris religionem. Abel verò religiosus erat, diligentissimus sectator paternæ pietatis. Ille itaq; hunc odisse ac persequi cœpit, quem tandem & nephario parricidio(non citra grauissimum parentum mœrorem atq; luctum)sustulit.Quæ quidem diligenter exponũtur à Mose Gen.cap.4. Scriptura sancta titulum iusti & veræ fidei religionisq; tribuit Abel, alteri titulum dat hypocriseos imò impietatis & falsi cultus. Aiunt in his duobus fratribus cœpisse ciuitatem Dei & diaboli, sortemq; vtriusq; in illis esse expressam. Patriarcha enim ciuitatis diaboli Cain,mendax est,simulator & homicida,qui nihilominus videri vult cultor veri Dei,cui etiam sacrificat;sed interim vera fide est vacuus,Deum reuera contemnit, & veram religionem persequitur,laqueisq; diaboli se magis atq; magis implicandum tradit. Patriarcha verò ciuitatis Dei,quæ ecclesia est sanctorum,Abel,fidelis est,verax & innocens, sustinens nullo suo merito persequutionem impij fratris. A quo licet interfectus esset,mansit tamen incolumis vera Dei religio,æterna Dei veritas,& verus Dei cultus:qui vtcunq; iam extinctus videretur in Abel,emicat tamen iterum & mox reflorescit.Itaq; obseruandum hoc est,ecclesiam Dei, hic & in Adamo & Eua sua sumpsisse principia; sicuti & ecclesia diaboli in Cain homicida incipit.

Cain & Abel.

Ciuitas Dei & diaboli, ecclesiæ item Dei et diaboli initia.

Adam certè cum primogenitus suus filius Cain, se gereret impiè, vt erat sanctissimus omnis veræ religionis cultor, & omnis impietatis acerrimus hostis, se velut orbum reputans,primogenitum illũ sathanæ pro suo filio amplius non agnoscebat. Ergo cum Heua ipsi alium pareret filium, appellauit ipsum SETH, quasi quis dicat repositus. Existimauit enim hunc sibi repositum esse non tam in deperditi Abelis quàm in latronis Caini locum,ne esset orbus.Ergo vt à Cain ducitur linea impiorum & pseudoecclesiæ imò hostium veræ ecclesiæ, ita per Seth propagatur sanctorum ecclesia, & ab eius linea descendit semen benedictum. Atq; ita à duobus certè his fratribus deducuntur rerum omnium exordia atq; progressus.

Seth.

Natus est Seth anno mundi 130. Vixit annos in vniuersum 912.ergo mortuus est anno mundi 1042.Proinde Noe non vidit.Nam diluuium præcessit annos 614.Natus est ei filius Enos.

Anni Seth.

Enos natus annos 90. genuit Cainan. Gen. 5.

Sub Enos cœptum inuocari nomen domini

ENOS ærumnosum significat. Ergo vt nomen Adam, id est terrenus admonet homines suæ originis, & ne altum sapiant, sed humiles sint: sic nomen Enos ærumnarum & miseriæ admonet humanæ. Testatur historia sacra sub hoc cœptum inuocari nomen domini. Inuocauit sanè Adam, sicut & Abel, nomen domini, & coluerunt Deum verè: sed extincto Abel inualuit Cainica impietas, & abolebatur paulatim vera pietas. Tam citò videlicet, & ab initio mox rerum mutationi & corruptelæ (propter homines) quæ in seipsa est incorrupta, obnoxia fuit vera religio persequutioniq; subdita ecclesia. Vbi verò Adamo natus esset Seth, & hic suscepisset ex vxore sua Enos, reuiresc ere cœpit vera religio, verusq; Dei cultus, ac multiplicari cœpit ecclesia, id est, inuocantes nomen Dei quibusq; cordi erat religio syncera. In his interim, vt & sequentibus, cernere licet, qualis fuerit inimicitia inter semen seminis benedicti, id est, inter filios Dei & inter semen serpentis.

Cain impietas.

Etenim Cain parricida & hypocrita cum sua posteritate, quæ vniuersa diluuio extincta est, non magni fecit religionem, & si foris aliquem Dei cultũ exercuit, fide tamen vera (vt apostolus ad Hebræos testatur) caruit, neq; Deo gratus fuit, totusq; terrenis immersus extitit. Vnde & beatus Ioannes ipsum fuisse ex malo affirmat. Et Iudas apostolus eos ait viam Cain ingressos esse, qui in cædem omnemq; nequitiam sese effuderunt.

Hanoch & Hanochia.

Filius eius Hanoch Hanochiam primam in orbe, de suo nomine, extruxit ciuitatem. Sed & artificia inuenerunt Cainitæ varia, non sine authore Deo. Exponit hæc Moses Geneſis cap. 4. In originibus authoribusq; vel inuentoribus rerum monstrandis, ethnici plurimum errarunt, dum aliis atq; aliis inuentas res attribuunt, qui reuera primi authores non sunt.

Inuentores rerum.

Anni Enos.

Natus est Enos anno mundi 235. Vixit annos vitæ suæ 905. Ergo mortuus est anno mundi 1140. Proinde omnes vidit patriarchas, ipsum etiam Noe. Præcessit diluuium annis 516.

Cainan natus annos 70. genuit Malalehel. Gen. 5.

Anni Cainan.

Natus est itaq; anno mundi 325. Vixit annos 910. Proinde mortuus est anno mundi 1235. Vidit itaq; patriarchas omnes, & diu cum eis vixit. Præcessit diluuium annis 421.

Malalehel natus annos 65. genuit Iared. Gen. 5.

Anni Malalehel.

Natus est itaq; anno mundi 395. Vixit annos 895. Moritur itaq; anno mundi 1290. Ergo vidit & hic omnes patriarchas & diu cum eis vixit. Præcessit diluuium annis 366.

Iared natus annos 162. genuit Enoch. Gen. 5.

Anni Iared.

Natus est itaq; anno mundi 460. Vixit annos 962. Moritur itaq; anno mundi 1422. Proinde vidit & ipse omnes patriarchas cum quibus etiam vixit. Diluuium præcessit annis 234.

ENOCH natus annos 65, genuit Mathusalem. Genes. 5.

Enoch non moritur sed transfertur.

Natus est ergo anno mundi 622. Vixit annos 365. Primus post mortem Adam, non moritur, sed bonitate Dei anima & corpore transfertur in cœlum,

anno mundi 987. anno autem à morte Adam 57. Scriptura dicit, Ambulauit Enoch cum Deo. Quo loquutionis genere significat Enoch instituisse vitam suam ad voluntatem & placitum Domini Dei, vixisseq; in mundo hoc immundo, & in carne sua vitam sanctam. Terruit haud dubiè plurimos Adam protoplasti & sanctissimi patriarchæ mors. Deus ergo sublato in cœlos Enoch, testari voluit in Adam quidem verbum Dei completum esse, quod pronunciarat, Terra es, & in terram reuerteris, nihilo minus tamen certissimam esse & animæ immortalitatem & corporum resurrectionẽ, adeoq; pijs paratum esse gaudium cœleste & vitam sempiternam, & quidem quo ad animam & corpus. Voluit præterea mundo impio attestari, præmia esse parata ambulantibus cum Deo. Denicq; voluit per rarum hoc Enoch exemplum omnes hortari ad vitę innocentiam & obedientiam Dei. Attigit hoc postremum Syracides, dicens Eccli. 44. Enoch domino Deo placuit, & translatus est, exemplum (factus) pœnitentię generationibus. Prætulit Enoch etiam typum Christo, qui & ipse perfecta redemptione nostra corpore & anima ascendit in cœlum. Præcessit diluuium annis 669. Omnes ergo patriarches vidit, vno Noe excepto. Ac præstat huius exemplo nos excitare ad virtutes, & confirmare nos in spe immortalitatis, contra omnes Epicureos.

Mathusalem natus annos 187. genuit Lamech. Gen. 5.

Natus est itaq; anno mundi 687. Vixit hic annos 969. plures quàm vllus vnquam in mundo mortalium vixerit. Mortuus est illo ipso anno, quo inundauit diluuium, hoc vtiq; paucis mensibus vel diebus præcedens. Vidit omnes patriarchas, & vixit cum Adam annis 243. Quod hic ideò moneo, quòd postea huius rei iterum meminero. *Anni Mathusalem.*

Lamech natus annos 182. genuit Noe. Gen. 5.

Lamech hic pater Noe, alius longè est ab eo, cuius mentio fit Gen. 4. qui & ipse vocatur Lamech & homicida fuit & author primus Polygamię, prognatus non ex linea Seth, sed Cain. Natus est hic noster Lamech anno mundi 874. Vixit annos 777. Vnde mortuus est anno mundi 1651. præcedens diluuium annis duntaxat 5. Vidit & hic patres ordine omnes, & vixit cum Adam annos 56. *Anni Lamech.*

Noe anno sexcentesimo inundauit diluuium. Gen. 7.

NOE ergo inter patriarchas recẽsitos licet postremus numero & ordine sit, tamen fide, virtutibus rebusq; gestis non est postremus, sed cũ primis collocandus atq; conferendus, natus est anno mundi 1056. Vixit annos in vniuersum 950. Proinde vidit omnes ante se patres, exceptis primis duobus, Adã atq; Seth cuius mors natiuitatem Noe antecessit annis 14. Vixit tamen cum Mathusalem, qui omnes patres vidit & nouit, annos 600. Vixit diu & cum patre suo Lamech: qui & ipse omnes patres vidit. Post diluuium vidit Noe omnes ordine patriarchas, ad ipsum vsq; Abrahamũ, cuius anno vitæ 58. Noe demũ è viuis excessit. Noe ante diluuiũ patriarcharũ doctorumq; mundi, decimus fuit ab Adã. Et Petrus Noe apertissimè nominat præconẽ iustitiæ diuinæ. A diluuio Abraham decimus est patriarcharũ à Sem filio Noe. Ita enim Deus immensa sua clementia mũdo, licet corruptissimo & ingratissimo immundissimoq; optimè semper prospexit, & lumina aliquot splẽdida ex his patribus dedit, quæ & doctrina traditionis diuinæ & exemplo præluceret omnibus versantibus in huius mundi tenebris, ne vlli perirent ex electis, & reprobi nõ haberent quo se excusarent. *Noe anni & eius præstãtia.* *Viginti celebres in mundo Patriarchæ.*

Corruptio & conscelerati o mundi ante diluuium.

Proximo ante diluuiũ sæculo nepharia & extrema obtinuit in mundo con- sceleratio. Hactenus ex linea sanctorum in ecclesia Dei prognati, sese non con- iunxerunt extra ecclesiam cum impijs, sed pro pietate opposuerunt se impera- ti cõcertaruntq; cum semine serpentis, temporibus verò Noe remissiores facti, impijs nimis sunt familiares redditi, vnde tandem exorta est incurabilis corru- ptio. Scriptura hoc non dissimulat, significans terram malitia hominum fuisse refertam. Cęterùm corruptio hæc extrema exordium sumpsit ex imparibus pro phanis & libidinosis coniugijs. Nam filij Dei capti forma elegantiaq; filiarum hominum, non pro ratione & religione, sed pro libidine sibi vxores duxerunt. Ac filios Dei vocat scriptura eos, qui descendebant ex protapia Seth & sancto rum patrum erantq; in ecclesia Dei: filios hominum autem nuncupat progna- tos ex genere Cain prophanos & impuros extra Dei ecclesiam. Porrò ex pro- phanis irreligiosisq; illis coniugijs nati sunt illi, quos scriptura vocat Nephilim, quod alij verterunt gigantes, oppugnatores nimirum Dei, sed vox Hebræa po- rinde sonat, ac si tu dicas apostatas vel defectores, qui à Deo & sancta patrum traditione ecclesiaq; Dei vera deficientes, & corruptissimis suis obsequen- affectibus, nephanda quæuis patrare contra Deum & omnem æquitatem au- sunt facinora. Vt enim vxores impiæ maritos suos à pietate ad impietatem ab- straxerunt, ita & liberos impia educatione prorsus corruperunt, vt hi tandem nullam amplius religionem habuerint. Elanguit ergò, imò extincta est prorsus omnis pietas & virtus, æquitas, iustitia, temperantia atque humanitas, succes- autem in horum locum summa impietas, iniustitia, crapula, luxus, inhumanitas atque barbaries. Victitarunt tunc plerique ex rapto, & oppresserunt tyrannide, quos potuerunt, fuso etiam sanguine innoxio, nequelibidinis nephandæ vllus erat modus finisq;: & vt scriptura habet, corrupta est terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Omnis enim caro corruperat viam suam super terram, &c. Le- guntur hæc Genesis capite 6.

Corruptionis extremæ initiũ ex coniugijs imparibus.

Deut. 7. 3. Reg. 11.

Deus peccatores reuocat in viam.

Nihilominus tamen Deus immensa sua misericordia clementer ad pœni- tentiam sceleratos inuitauit per prædicationem Noe, Lamech item & Matho- salem aliorumq; patrum, atq; his quoque si fortè commoueri possent, certum

Arca extruitur

pœnitentiæ tempus præ plit, annos 120. Istis ipsis annis extruxit Noe, iube- te, & omnia ædificij delineante Deo, arcam admirandæ structuræ & singulare diuinæ prouidentiæ opus, cui dubito an conferri possint mirabilia mundi & a- dificia vllorum temporum vlla. Erat hæc iræ diuinæ signum, & pœnitentiæ pę conium. Verùm inueterata & iam omnium conspiratione communis & vehi concatenata inuincibilisq; iniquitas, ista omnia contempsit, ac in conscelerato ne impiè & pertinaciter perrexit. Iccirco decurtato etiam tempore præfixo de repentè immisit Deus incorrigibili nepharioq; sæculo diluuium horrendum

Diluuij vsus.

sed commeritum, quo extincta est omnis caro in vniuerso mundo. Et quidem aqua diluuij superauit altissimos quosq; orbis montes, cubitis quindecim. Sic verò edidit Deus iustus, clemens & longanimis, exemplum omnibus sęculis ob seruandum, quo discant omnes, Deum non ferre impietatem impunitam, ma- xime verò irasci pœnitentiam oblatam gratiamq; Dei contumaciter respuen-

Temporibus Noe nostra tempora similia.

bus. Eam historiam paulò copiosius sum in hoc Compendio, & fortè contra leges Epitomes, prosequutus, quòd Dominus Iesus in Euangelio dicit, nos illa tempora postrema, in quibus modò viuimus omnes, per omnia respon- ra deplorando Noe sæculo. Verba Saluatoris, apud Matthæum, sic habent: Sicut erat in diebus Noe, qui præcesserunt diluuium, edentes & bibentes, trahentes matrimonium, & nuptum dantes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt, donec veniret diluuium, & sustulisset vni-

uer-

uersos. Ita erit & aduentus filij hominis. Matth. 24. Faxit misericors Deus, vt dum nostro sæculo hæc audimus, imò & videmus, ipsa animis obseruantes religiosis, vigilemus sobrij, in aduentum domini, caueamusq; nobis à conscelerationc incorrigibili & nephanda.

Ante diluuium suscepit Noe ex vxore sua (quam Berosus vocauit Tyteam magnam, & quam alij putant fuisse prophetissam & Sibyllam) filios tres, primo genitum Iaphet, medium Sem, minimum natu Cham. Hos secum vnà cum vxoribus ipsorum, denicq; cum sua etiam vxore, in arcam, sic iubente Deo, deduxit, ingruente iam diluuio. Dicit enim beatus Petrus, Noe octauum in arca conseruatum esse. Collegerat prius etiam omnis generis animantia, (Deo ipsa ad Noe adducente) in arcam, vt finito diluuio nulla noua animantium creatione opus foret, sed ex his propagarentur animalia per vniuersum orbem. Quãtum verò dolorem mœroremq; contraxerit in arca, ex clamoribus eiulatu & interitu miserrimo vniuersi mundi: quantos itẽ labores, in alendis curandisq; tot animantibus, toto illo diluuij tempore, sustinuerit vnà cum suis, nemo facilè dixerit. At utile est harum pœnarum impijs à Deo irrogatarum, denicq; calamitatum laborum afflictionumq; sanctorum sæpe meminisse, & hinc quoq; discere timorem domini, patientiam item, Deumq; solum esse, qui seruet inuocãtes ipsum, etiam rebus alioqui desperatissimis. Deum item seruare electos suos in hoc mundo per lignum, non arcæ quidem typicum, sed per lignum crucis, id est per crucifixum Dei filium. Certè S. Petrus manifestè ait aquam diluuij typum prætulisse baptismi. 1. Pet. 3.

Filij Noe.

Luctus Noe.

DILVVIVM ipsum durauit annum integrum & dies decem. Etenim mense 2. die mensis 17. inundare cœperunt aquæ super terram, & mox insequentis anni mense 2. die mensis 27. arefacta est terra, anno Noe 601. Quæ quidem describuntur singula diligenter Geneſis cap. 7. & 8. Subsidit autem arca Noe in montibus Ararat, quam Iosephus Armeniam interpretatur, alij putant mõtem esse Phrygiæ. Inde egressus Noe cum vxore & filijs filiorumq; vxoribus etiam animantia in terram & in aerem dimisit, vt orbem noua veluti sobole fœcundarent. Ab ipso certè & tribus eius filijs omnes gentes descenderunt. Quod Moses copiosè exponit Geneſis 10. cap.

Diluuij tempus

Cæterùm Noe pro liberatione & salute sua, Deo, qui mera ipsum sua gratia seruarat, non fuit ingratus. Mox enim atq; in terram egressus esset, sacrificiũ domino offert. Dominus autem benedicit ei, & antiquũ fœdus, initum cum Adã, cum ipso reparat, nouumq; pangit, promittens se posthac mundum aquis non submersurum. Ac in huius rei signum, dat in nubibus Iridem. Quasdam itẽ leges promulgat Deus, sanguinis esu interdicens, adeoq; omnem crudelitatem prohibens, contra verò humanitatem atq; dilectionẽ proximi præcipiens. Noe constituit rerum dominum. Proinde terrã diuisit vniuersam suis filijs, qui sunt genearchæ omnium populorum gentiumq;. Et magna quidẽ pars orbis cessit Iaphet. Recepit enim Europam, oppleuit insulas, Septentrionem possedit, à Tanai ad Orientem vsq;. Itaq; cessit illi & posteris eius bona Asiæ pars. Atq; ita habitauit, iuxta benedictionem Noe, in tentorijs Sem. Sem enim accepit Asiam. Chamo diuisa est Aphrica, Syria, Arabia, Assyria. Inde progressum est ius gentium, ne quis alterius fines inuadat, quisq; suis sit contentus. Id quod posteri Cham, nimis citò violarunt. A Sem verò deducitur stemma vel linea seminis benedicti.

Noe non ingratus Deo.

Diuidit Noẽ terram filijs suis.

Exercuit autẽ Noe agriculturã pecuariamq;, vinũ primus plantauit ex inspiratione Dei, & suo vicio ebrius est factus, quòd nondũ ei perspecta esset virtus vini. Proinde sectatores ebrietatis nihil habent in exẽplo Noe, quo suam ebrie-

Noe vites plantauit & ebrius est factus.

tatem, imò ingurgitationem defendant. Quinimò cum Cham irrisisset patrem in tabernaculo satis turpiter iacentẽ, maledictus est à patre & seruituti subditus: vt rectè dicat Ambrosius, ab ebrietate seruitutem esse exortam. Certè egestas & omnis generis calamitas etiam hodie consectatur potãdi studiũ, &c. Existimatur à multis Noe inhabitasse agrum Damascenum, illisq; etiam oris delectatum fuisse, quibus postea impositus est Abraham euocatus ex Chaldæa & patres reliqui, &c.

Vixit Noe post diluuium annis 350. in vniuersum annis 950. Ergo, quod antea quoq; dixi, mortuus est anno Abrahæ 58. Sem verò filij sui 447. Vixit itaq; omnes post se patriarchas, vsq; ad Abraham numero 10. Hæc autem hactenus de annis à condito orbe ad Diluuium. 1656.

ANNI MVNDI A DILVVIO AD EXITVM VSQVE FILIORVM ISRAEL EX AEGYPTO, CVM BREVI RELIGIONIS ET SANCTORVM PATRVM HISTORIA.

COlliguntur anni à Diluuio ad exitum vlque filiorum Israel ex Ægypto 792. qui sanè in scriptura sancta sic inueniuntur,

Noe erat in arca per integrũ annum.

Primus annus à Diluuio est annus vitæ Noe 601. Sic enim habet scriptura Geneseos 7. In anno 600. vitæ Noe mense 2. die 17. mensis rupti sunt fontes. Et eodem die ingressus est Noe in arcam. Mansit autem in arca per annum et dies 10. Rursus enim Gen. 8. sic legitur, Factum est autem anno Noe 601. mense 1. die mensis 27. vt exiccata appareret terra. Et dixit Dominus ad Noe, Egredere ex arca, &c. Proinde initium annorum Diluuij incipiendum est ab anno Noe 601. qui erat Sem 98.

Sem erat 100. annorum cum nasceretur ei Arphaxat, biennio post Diluuium. Gene. 11.

Annni Arphaxat

Rursus in his aliqua inuenitur authorum varietas. Sunt enim qui collocent 1. annum Arphaxat in 602. Noe, & in 99. Sem. Alij collocant primum annum Arphaxat in 604. Noe, qui erat Sem 101. Cæterùm scriptura diserte dicit, Sem cum esset natus 100. annos, genuit Arphaxat, biennio post diluuium. Proinde natiuitas Arphaxat collocanda est in Noe 603. Sem verò 100. His enim perfectis biennium post Diluuium. Inde verò vixit adhuc Sem annos duobus minus 500. & in vniuersum 600. annos. Proinde vidit & audiuit ante Diluuium proauum Mathusalem, & auum Lamech, vt de patre Noe nihil dicam. Cum his omnibus conuersatus est iam non puer sed adultus supra annos 70, imò &c. Et amplius. Ab his & maximè à Noe pijssimo patre & proauo Mathusalem discere potuit vniuersam Adami, cum quo vixit Mathusalẽ annis 243. traditionem vel doctrinam vel veram theologiam, de Deo, de origine rerum, de creatione cœli & terræ, de hominis lapsu & reparatione, per semen illud benedictum, de cultu Dei, & de legibus iustitiæ iuris & æqui. De quibus omnibus antea dictum in rebus Adami. Parauit ergo Deus simul cum Noe patre hũc Sem prophetam vel doctorem sanctissimum & maximum, vt in sæculo à diluuio in mundo vniuerso apud omnes posteros cùm suos, tum fratrum suorum Iaphet & Cham, esset testis veritatis & doctor veræ religionis, sicut & Adã & Noe pater fuerant ante diluuium. Superauit hic Sem vitæ suę annis Abrahamum. Nam mortuus est 36. año à morte Abrahami, Isaaci verò ætatis año 111. Iacobi autẽ Israelis 5. Ergo

Anni Sem.

Sem irrefragabilis orbis doctor.

Ergo Iacob traditionem vel doctrinam veritatis primùm à Deo per Adam traditam atq; plantatam, discere à Sem, & filio suo Leui tradere, qui & nepoti suo ex Cahath, Amram, patri Mosis, pari fide commendare potuit. Nam iuxta supputationem scripturæ sanctæ quæ legitur Exodi 6. Amram vixit cum Leui supra annos 40. Sed & Amram multis annis vixit cum filio suo Mose. Ergo quæ Moses scripsit & solus quidem (nam quæ Iosephus habet, ex Mose mutuò accepit, ita & Berosus, nisi idem sit scriptor fabulosus, quod quibusdam est visum) de origine & progressu rerum omnium, de peccato & remissione peccatorum per semen benedictum, & huius generis quamplurima alia, quæ ætatem eius antecesserunt, habere potuit (vt iam taceam ipsum à spiritu sancto inspiratum, scripsisse diuinaq; non humana protulisse) à quarto vel quinto teste. Veritatem enim hanc Deus per Adam primus reuelauit. Exceperunt hanc testes vt iam dixi libenterq; repeto, oculati & auriti & fide dignissimi Mathusalem, (vt Noe taceam) Sem, Iacob, Leui, Amram, viri in mundo præclarissimi. Hæc sæpe cogitare prodest contra Epicureos & Aphronios, scripturam sanctam suggillantes, & maximè Mosis authoritatem eleuantes atq; cornicantes. Et quis oro dixit illa Mosi, de quibus scripsit? Iam enim audiuimus Deum per spiritum sanctum hæc ipsi reuelasse, deinde illa & per sanctissimos patriarchas, quorũ existimatio in ecclesia Dei maxima est, veluti per manus Mosen accepisse, qui mox eadem iubente Deo, fideliter retulit in literas.

Traditio per manus tradita.

Moses ex spiritu sancto & traditione patrũ habet, quæ literis mandat de temporibus ætatem suam antecedẽtibus.

In Mosen respiciũt prophetæ ecclesiæ Dei omnes, vt & in hos electi & sanctissimi Christi apostoli. Quid quod ipse Christus dominus sæpe relegat nos ad Mosis lectionem, vt multis locis videre licet in historia euangelica. Illa non inutiliter, spero, de his exposui per digressiunculam, nõ tamen ab instituto nostro alienam: nunc in viam redimus.

Authoritas Mosis.

Arphaxat natus annos 35. genuit Sale. Gen. 11.

Natus est itaq; Arphaxat anno mundi 1659. Vixit in vniuersum annos vitæ 438. Proinde mortuus est anno mundi 2096. Vidit itaq; omnes patriarchas à Sem vsq; ad Abrahamum, cum quo vixit annos plurimos, sicut aliquot etiam cum Isaac.

Anni Arphaxat.

Sale natus annos 30. genuit Heber. Gen. 11.

Natus est itaq; anno mundi 1693. Vixit annos 433. Mortuus est itaq; anno mundi 2126. Vidit ergo & Isaacum & Iacobum. Quinimò migrauit ex hoc sæculo anno à morte Abrahami 3.

Anni Sale.

Heber natus annos 34. genuit Phalec. Gen. 11.

Natus est proinde Heber anno mundi 1693. Vixit annos 464. Iccirco mortuus est anno mundi 2186. annis à morte Abrahæ 63. Ac vixit cum Isaac annos 138. cum Iacobo autem 78. Inde restabant fortè anni 52. vsq; ad descensum Israelis in Ægyptum. Ideoq; vltimus ex hoc sæculo migrauit, ex eorum patriarcharum numero, qui sequuti sunt Noe & Sem, & præcesserunt Abrahamum: vt post mortem Heber Iacobus vnà cum patre Isaac solus fuerit tunc ecclesiæ Dei patriarcha eximius.

Anni Heber.

Heber ultimus moritur inter antiquos patriarchas.

Ab hoc Heber aiunt omnem posteritatem Sem accepisse nomen Hebreorum. Hebrei sunt transeuntes, si quis etymon vocis spectet.

Ab Heber dicti Hebrei.

Phalec natus annos 40. genuit Reu. Gen. 11.

Natus est itaq; Phalec, qui & Peleg, anno mundi 1757. Vixit annos 239. Ita que mortuus est anno mundi 1997. Ætate Abrahami 48. Porrò Pæleg Hebraica vox Latinis sonat diuisio vel partitio. Et Moses, Nati sunt Heber, inquit, filij duo. Nomen vni Pæleg, eò quod in diebus eius diuisa sit terra, &c. Aiunt enim historici, Noe filijs suis vniuersam (cuius rei superius in rebus Noe mentionem feci) distribuisse terram. Ac Nimrothum occupasse campos Sinnear & ibi cum suis construxisse Babylonem. Id quod veritas quoq; scripturæ commemorat Gen. 10. Eadem testatur inde egressum Assur, qui extruxerit Niniuen vrbem magnam, nimirum caput & regiam regni Assyriaci haud dubiè ab Assur sic dicti. Accepit autem Niniue nomen ab amœnitate, quasi tu dicas Amœna & speciosa, certè propter situm pulcherrimum. Ergò à Nino rege, qui post multos demum annos natus est, nomen habere non potuit, vt falsò tradunt aliquot scriptores.

Diuisa terra.

Nimroth.

Assur & Assyrij & Niniue.

Babylon extruitur.

Porrò BABEL nomẽ habet à confusione, vt Babylonia hoc ipsum sit quod confusio. Cum enim impiè ambitioseq; ad extendendam nominis sui famam & quidem præfractè, contra Deum, extruere pergerent athei illi Nimrothei turrim præcelsam Babylonicam, cõfudit Deus, inq; varias dialectos commiscuit linguas ipsorum (cum prius vnum & idem omnibus fuisset sermonis genus) vt opus cœptum intermittere cogerentur: deniq; dispergerentur per orbẽ. A qua re & Pæleg nomen suum accepisse videri poterat. Exponuntur hæc breuiter, sed perspicuè à beato Mose Geneseos cap. 11.

Babylonciuitas Deo & rebus Dei contraria.

Sicut autem ante diluuium fuit certamen perpetuum inter semen benedictũ, vel filios Dei & inter semen serpentis, id est filios diaboli Cainitas, ita nunc quoq; extruebatur ciuitas diaboli Babylon mater omnis idololatriæ, vt paulò post dicemus, contra ciuitatem Dei. Quod autem Deus ilico consilium impiorum irrumpit, linguasq; impiorum confundit, sed & præfractos illos dispergi, declarat se quouis tempore, vtcunq; altè radices figant impij, & præsidijs munitionibusq;, artibusq; ac eloquentia sint instructi, deniq; ædificia sua in cœlum vsq; prouehant, tamen deijcere & velle & posse, & quidem nullo negocio omnia impiorum hostiumq; ecclesiæ molimina artes atq; potentiam. Inde nunc colligere licet cur beatus Ioannes Romam (quæ & ipsa mater est omnis superstitionis) vt visum est Tertulliano & Hieronymo, in Apocalypsi sibi exhibita nuncuparit Babylonem.

MONARCHIA ASSYRIACA.

Initium regni Assyriaci.

CHronographi collocant initium regni Babylonici vel Assyriaci in 131. annum à diluuio: qui est ætatis Noe 731. mundi autem 1787. Addunt Nimrothum Babylonicum, quem & Saturnum Babylonicum vocant, primùm regnasse imò tyrannidem exercuisse per annos 56.

GERMANI & Reges corũ

Antiquitatum indagatores referunt principiũ Germanorum regniq; GERMANICI, ad tempora Nimrothi. Filius Iaphet vel Iapeti fuit Gomer (à quo, nonnulli Cimbros deducunt) Gomeri filius fuit Aschanes, Gen. 10. Ab eo volunt denominatos esse Thuyscones die Tütschen. Affirmãt Thuysconẽ, quem Moses nuncupauit Aschanes primum fuisse THVYSCONVM regem. Deinde scribi quòd Thuysco gigas Sarmatas apud Rhenum informarit legibus, anno à diluuio 155. Catalogum regum Thuysconum huiusmodi contexunt, 1. Thuyscon. 2. Mannus. 3. Ingæuon. 4. Hermion. 5. Marsus, vel Mars. 6. Gambriuius. 7. Sueuus. 8. Vuandalus. A quo nomen indeptæ sunt & gentes & ciuitates Vuãdalicæ, die Wenden vnd Wendischen Stett, inter quas numeratur & nobile Dantiscum: dictum etiam Gedanum. 9. Theuto, à quo Germani dicuntur

dicuntur Theutones. 10. Hercules Alemannus. Æquipollent autem Garmañ & almañ id est, omnes viri. Nimrotho successisse aiunt filium eius, qui nuncupatur eis Iupiter Belus, & regnasse dicitur annos 62. Tertium ponunt regem Ninum Beli iam nominati filium, qui Niuiuem vrbem ornasse perhibetur, & omnium primus templum Belo patri & matri Iunoni & Rheæ auiæ, & statuas in medio Babylonicæ vrbis erexisse legitur apud Berosum, in Vita Nini. Nino successit in regno Assyriorum Semiramis regina & regnauit annos 42. Illa diuitijs & victorijs atq; triumphis nulli mortalium cessisse dicitur, Babylonẽ quo que extendisse ornasse & muro cinxisse, Æthiopiam subegisse, & Indis bellum intulisse, sed victam fuga sibi salutẽ quæsiuisse. Inhabitarunt autem reges Assyriorum vtramq; vrbem tam Babylonem quàm Niniuẽ. Quanquam hæc fuerit illustrior vsq; ad tempora propè Merodach Baladã & Nabuch. prisci regnum. Nam illis temporibus Niniue est euersa, iuxta vaticinium Nahum prophetæ. Quòd si quis cupiat audire omnium regum Assyriorum catalogum, recensebo eum à Semiramide. Annos quibus imperitarũt non adscribo, propterea quod diuersitas in his nonnulla (sicut in summa mox apparebit) apud scriptores reperiatur: neque hæc res omnino videatur admodùm esse necessaria. Catalogus regum hic est.

Ninus author idololatriæ.

Regia regum Assyriorum.

Regum Assyriorum catalogus.

5 Zameis Ninias, quem putant nominari Genesis 14. Amraphel, quem deuicit Abraham.

6 Arius
7 Abalius, Analius & Aralius quoq; dictus.
8 Baleus Xerxes. Balaneus.
9 Armathrites.
10 Belochus Priscus.
11 Baleus Iunior.
12 Altades.
13 Mamitus.
14 Mancaleus.
15 Opherus. Ipherus. Spherus.
16 Mancaleus 2. qui & Mamelus & Mameius.
17 Sparetus.
18 Ascatades. Ascades.
19 Amynthes.
20 Belochus Iunior.
21 Bellopares.
22 Lamprides.
23 Sosares.
24 Lampares.
25 Pannias.
26 Sosarmius.
27 Myrteus.
28 Tautanes.
29 Tauteus, Theuteus.
30 Thyneus.
31 Dercillus.
32 Eupales.
33 Laosthenes.
34 Pyrithiades, Pyrithidias.
35 Ophrateus.
36 Ophragane 9. ophratanes
37 Ascrasaperios, qui et Ocrazapes, & Ascrazapes.
38 Tonos concoleros. Hunc uocant & Sardanapalum, quem præsides Babyloniorum atq; Medorum Phul Belochus & Arbaces, alij vocant Arsacem, mori in regia incensa coegerint, occupato & diuiso Assyriorum imperio: cum stetisset hoc regnum Assyriacum annos 1358. Alij numerant 1351. Eusebius 1240. Ctesias Gnidius ponit annos 1360. Alij supputant 1238. Fuit hæc prima in orbe monarchia, quæ ne in Sardanapalo quidem est extincta, licet per Phul Belochum & Arbacem mutata. Durauit enim adhuc ad Baltazarem vsq; nepotem magni Nabuchod. quo cæso regnum vel monarchia trãslata est ad Persas. Et scriptura reges succedẽtes Phul Belocho, nominat reges Assyriorum, mox tamen ab imperio Merodach Baladan, reges Babyloniorum. De qua re fortassis suo loco aliquid dicemus. Incidit mutatio hæc & cædes Sardanapali in regnum Vsiæ regis Iuda, qui & Azarias vocatur aliàs. Quæ verò de vetustis illis Assyriorum regibus habentur ac circumferuntur, petita sunt ferme ex Beroso Babylonio, sacerdote Chaldæo, & ex

Assyriaca monarchia non desinit in Sardanapale.

Berosus & Methon.

Supplement. Manethonis Ægyptij sacerdotis & historici: quibus quantum fi tribuendũ monuerunt alij. Iudiciũ de Berosо Iosephi, extat 1. lib. contra Appionem Alexandrinum. Habentur illi interim inter vetustissimos historicos, qui tamen Mosen & prophetas nostros, multis sequuti sunt sæculis. Iosephus enim affirmat Berosum res quoq; Nabuchodonosoris attigisse.

DE REGNO AEGYPTIORVM.

Initium regni Aegyptiorum.

CHronographi præterea ponunt initium regni Ægyptiorum in 15. annum Nimroth, qui est annus Noe quidem 745. mundi autem 1801. Aiunt in eo primùm regnasse Mizraim, quem & Oceanum nũcupant. Eusebius Cæsarien. regnum hoc per Dynastias distinguit. Scriptura reges ei attribuit. Hos vnico

PHARAO.

nomine & communi appellat Pharaones. Omnes enim Ægypti reges sic sunt nominati, sicuti postea Romanorum principes Augusti & Cæsares. Significat autem Pharao vindicem vltorem ac dissipantem, vt fuisse videatur nomen officij dignitatisq;. Nam vindicta concessa est à Deo regibus vel magistratui. Et Solomon dicit Prouerb. 20. Rex qui sedet super solium iudicij dissipat omne malum, Et iterum, Dissipat impios rex sapiens, & circũducit super eos rotam.

Gene. 12.

Sub Pharaone in Ægypto refert scriptura Abrahamum periclitatum, ob vxoris suæ formam, cum tamen fugisset ex terra Chanaan. Pharaoni regi Ægyptio exponit somnium Ioseph, & dominus Ægypti ab eodem cõstituitur. Nec dubium est, quin in ea veram religionem plantarit Ioseph, parens item Iacob, & fratres eius, quam tamen mox superstitio & idololatria rursus obscurauit, & tantum non aboleuit. Legitur enim Ægyptus superstitione & idololatria cæteras superauisse vniuersas. Vnde tot eam calamitates sustinuisse credẽdum

Aegyptus schola habuit sapientiæ.

est, Deo animaduertente in ipsorum impietatem. Sapientiæ tamen studium in ea diu floruisse ostendunt profectiones ex diuersis mundi plagis sapientissimorum hominum, qui studiorum vel sapientiæ causa in Ægyptum venisse leguntur. Venit eò Plato. Meminit Strabo ædium & collegiorum sapientum vel sacerdotum Ægypti, &c. Reliquiæ hę haud dubiè fuerunt populi Dei, aliquandiu Ægypto habitantis.

Pharao demergitur in mari rubro.

Pharao item rex Ægypti commemoratur in scripturis oppressisse populum Dei grauiter, denique ob hanc tyrannidem grauissimè à Deo afflictum, postremò etiam demersum in mari rubro, anno regni Ægyptiaci 647. Abeo tempore nihil de regibus aut regno Ægypti memorabile legimus in sacra historia. In rebus demum Solomonis dicitur primùm quidem Solomonem duxisse vxorem Pharaonis regis Ægypti filiam. Deinde verò Ægyptium regem

Solomon rex ducit vxorem Aegyptiam.

Sesak (quam vocem interpretantur saccum munerum, id est auarũ & inexplebilem, alij vocarunt hunc Sebacum) vel socerum vel fratrem vxoris Solomonis, hospitio excepisse fugitiuos hostes Solomonis, Adadum & Ieroboamum, ingenti cum discrimine regni Israelitici. Sesakum quoq; Roboami filij Solomonis anno regni eius quinto, & regiam & templum ipsamq; vrbem Hierosolymorum diripuisse. Tam feliciter scilicet cessit Solomoni connubium cum idololatri filia contractum

Rex Aegypti diripit Hierosolymam.

Temporibus Ezechiæ regis pangunt Iudæi cum Ægyptijs fœdus, contra voluntatẽ Dei. Mox Tharraca rex Ægypti funditur & fugatur à Senacherib Assyrio. Post annos verò circiter 100. occiditur in prelio Iosias rex Iuda à Nechaone rege Ægyptio, qui & Iudæam in suam potestatem redigit, abducto Ioachaz rege filio Iosiæ, & substituto Ioachim, qui tamen à Babylonio rege iterum Ægyptiæ potestati ereptus Babylonijs est subditus. Verùm non desijt Ioachim hic & Zedechias, qui post Iechoniam Ioachimo successit in regno Iudaico,

consili

consilia miscere & conspirare cum rege Ægyptio, vnde factũ est, vt Ægyptus facta sit in ruinam regno Iudaico, quod diu futurum prædixerunt prophetæ. Quinimò cum Nabuchodonosor reliquisset in Iudæa numerum non exiguum populi Iudaici, & ei Godoliam virum optimum præfecisset, cæso hoc, perfidè aufugerunt reliquiæ illæ in Ægyptum, & vnà secum inuitum abstraxere Ieremiam. Excepit fugitiuos rex Ægypti Apryes, qui & Vaphres dicitur, & à Ieremia Hophram nominatur, sub quo & Ieremias interfectus dicitur. Sequutus est autem fugitiuos rex Babylonis Nabuchod. vt simul Ægypto, cum qua ei antiqua intercedebant odia, bellum inferret. Ac commissis aliquot prælijs, iuxta Ieremiæ vaticinium, Ægypto est potitus, quæ Babylonicæ subiecta est monarchiæ, cum regnum ad 23. vsq; Nabuchod. annum obtinuisset annis 1568.

Reliquiæ Iudæorum fugiunt in Aegyptum.

Nabuch. Aegyptum occupat.

Porrò Ægyptij, vel ob confossum Baltazarem & captam Babylonem, vel ob infelicem Cyri contra Thomyrim pugnam, à Babylonijs defecerunt. Nam à Cambyse filio Cyri bello graui, Persicæ monarchiæ subditi leguntur. Defecerunt tamen iterũ a Persis sub imperio Darij Nothi, regnũ vsurpante sibi Ægyptum Amyrtheo Saitæ. Ochus tamen rex Persarum, non ita multis post Amyrtheum regnantibus, Ægyptum recuperauit. Quam fortè post viginti annos occupauit Alexander Macedo. A cuius morte regnum hoc deuolutum est ad Lagidas, qui hoc obtinuerunt vsq; ad Cleopatram, quam cum vnà cum Antonio Augustus vicisset, ipsaq; sibi mortem conscisuisset, Ægyptum redactam in prouinciam, Romanæ subdit monarchiæ. Hæc paulò fusius exposui de regno Ægyptiorum, quòd plurimum facere videantur ad rectius intelligendum historiæ sacræ cursum.

Cambyses Aegyptum capit.

DE MONARCHIIS.

ET quia iã in rebus Assyriorũ & Ægyptiorũ meminimus sępius Monarchię, & eadẽ sæpius in hoc opere nobis occurret, sciendũ est Monarchiã vocem alioqui Græcã, Latinis tamen vsurpatã, significare ad verbũ vnius principatũ. Suetonius interpretatur arbitriũ orbis terrarũ. Eutropius summam rerũ potestate. Nunquã tamen alicui in orbe principi datũ est, vt solus imperitaret, omnẽq; solus haberet potestatẽ, nullo alioqui rege aut principe dominãte in aliqua mũdi parte. Cũ ergo monarchiam audis, noli rem ita ęstimare, quasi sub vnius principis potestatem, omnia, quę in mundo sunt regna, vnquam redacta fuerint, sed potiora & pleraq; tamen, & quòd monarchia inter alia omnia eminuit, omnibusq; terrori fuit, & omnium maximam vim atq; potestatẽ qua alios compescere valuit, habuit. Sunt ergo qui monarchias vocarunt summa in orbe imperia. Alioqui enim Assyrijs Babylonijsq; monarchiam in mundo obtinentibus regnarunt nihilo minus in Ægypto, in Israele, in Græcia, & apud Latinos, aliasq; gentes, reges potentissimi præclarissimiq;. Ita Persis rerum summam obtinentibus, regnarunt tamen Macedones atq; Romani. Sic factum est Græcis ipsis, & postea Romanis imperitantibus, vt simul alij alibi pauculi tamen reges suis præfuerint: interim tamen apud monarchas summa in orbe fuerit potestas.

Monarchia quid?

Daniel certè quatuor dũtaxat orbis monarchias recensęt, in sua illa visione cap. 7. Babylonicam, Persicam, Alexandrinam vel Græcam, atq; Romanam. Quæ tãdem dilapsa, vt idem ille propheta prædixit, in regna plurima, Antichristum Latinum, vt beatus martyr Irenæus ait, nobis peperit, & Saracenicam illam vel etiam Turcicam, barbaram potius tyrannidem, quàm moderatam dominationem. Post quam expectamus dominum Iesum, qui regna illa mundi aboleat atq; adeò minutatim comminuat, ipse verò solus monarcha verus regnet cum omnibus sanctis suis in sæcula sæculorum.

Quatuor orbis monarchiæ.

Imperia sunt à Deo summo monarcha.

Certissimum est autem originem imperiorum, monarchiarum vel regnorum existere ex ipso Deo summo monarcha. Verissima est enim illa diuinissimi Danielis prophetæ sententia, Deus est, qui mutat tẽpora & occasiones temporis, qui deponit reges & creat reges, &c. Quoties verò beatus Ieremias attestatur imperium Babylonicum atq; ipsum adeò Nabuchod. à Deo esse constitutum? Solomon quoq; inducit loquentem sapientiam vel Deum, atq; dicentem, Per me reges regnant, & principes principatum gerunt, &c. Prouerb. 8. Verissima est præterea & illa diui apostoli sententia, Non est potestas, nisi à Deo, Quæ verò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Etenim Deus hominum amator vult omnino societatem hominũ in mundo munire saluamq; & incolumẽ manere, leges item æquas honestatemq; ac pacẽ publicã conseruare, denicq; homines per magistratum retinere in officio, sceleratos autem refrenare, prohibere iniurias, & punire cædes & latrocinia. Inde enim præfecti regnis nuncupantur reges, quasi tu dicas rectores atq; gubernatores, iudices item & vindices. Ideò etiam Deus potentiam, victorias, opes & gloriam confert monarchis, vt hoc possint ad quod à Deo sunt ordinati. His qui resistunt, vt inquit apostolus, ordinationi Dei resistunt, & iudicium Dei in se prouocant miserecq; intereunt. Quod verum esse testantur historiæ. Fit tamen non rarò, vt ipsimet principes à suo exorbitantes principio, & sequentes impulsorem sathanã atq; prauos suos consiliariorumque suorum affectus, officium suum non modò non faciant, sed ipsi societatem hominum pacemq; publicam perturbent, & iniurijs bellis ac tyrannide cœlum terræ misceant, imperiaq; sua ipsorum & aliorum crudeliter lacerent. Hanc crudelitatem atq; tyrannidem, nemo referre debet ad Deum, quasi is crudelitatis seu tyrãnidis causa vel origo sit, qui reuera magistratus vel regnorum omnium est author. Odit enim ac punit omne malum dominus. Omnis ergo iniquitas ad homines referenda est corruptos, qui sua malitia, sua negligunt officia, nec faciunt ad quod à Deo sunt instituti. Interim tamen tyrannos dare dicitur ipse dominus Deus, qui & malitia tyrannorum benè vtitur, & iustè punit per tyrannos peccata hominum, vel certè probat & exercet suorum patientiam atq; fidem: qui rursus tyrannos non sinit impunitos aut tantum quantum voluntatiuire in miseros. Euersis enim illis atq; conculcatis, sæpè mutat imperia, & erigit oppressos, pro sua misericordia. Iob enim dixit, Zonam potentum laxat Deus, & ipsos euertit, facitq; errare illos tanquam ebrios. Sed & alibi iterum legitur in libro Iob, Deus regnare facit hominem hypocritam, propter peruersitatem populi, &c. Vnde beatus August. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 19. Etiam tyrannis dominandi potestas, inquit, non datur, nisi summi Dei prouidentia, quando res humanas iudicat talibus dominis dignas. Et idem de Natura boni contra Manichæum cap. 32. Iniustum, inquit, non est vt improbis accipientibus nocendi potestatem, & bonorum patientia probetur & malorum iniquitas puniatur. Rursus verò dicit scriptura, Regnum à gente ad gentem transfertur, propter iniustitiam, &c. Sed hæc hactenus de Monarchijs. Redeo nunc in viam.

Finis regnorũ ad quem à Deo instituta sint.

Iusto Dei iudicio reges sæpe pestes sunt regnorum.

Tyrannis & syranni in regnis quomodo à Deo.

Reu natus annos 32. genuit Saruch. Gen. 11.

Anni Reu.

Proinde natus est Reu anno mundi 1787. Vixit annos 239. Ideò mortuus est anno mundi 2026. qui erat annus Abrahæ 78.

Saruch natus annos 30. genuit Nachor. Gen. 11.

Anni Saruch.

Natus est itaq; anno mundi 1819. Vixit annos 230. Ergo moritur anno mundi 2050. anno Abrahæ 102.

Nachor

Nachor natus annos 29. genuit Thare. Gen. 11.

Itaq; natus est anno mundi 1849. Vixit annos 148. Vnde moritur anno mundi 1996. Abrahæ anno 48. *Anni Nachor.*

Thare natus annos 70. genuit Abraham. Gen. 11.

Natus est ergo Thare anno mundi 1878. Vixit annos 205. Proinde moritur anno mundi 2083. Anno ætatis Abrahæ 135. *Anni Thare.*

Abraham natus annos 70. euocatus est ex Vra Chaldæorum. Genes. 11. Actorum 7.

Natus est itaq; Abraham anno mundi 1948. Euocatus autem ex patria sua à Deo cum suis migrat anno vitæ suæ 70. in terram Chanaan, sicut exponit Moses Gen. 11. & 12. ac nos quoq; paulò post demonstrabimus. Incidit 70 Abrahæ annus in annum mundi 2018. qui erat à diluuio 362. Sem verò 459. Proinde vixit Abraham cum omnibus à Sem patriarchis, quorũ ipse à Sem decimus, ab Adam verò vigesimus numeratur. Vixit & cum Noe annos 58. Moritur enim Noe anno 58. Abrahę: nempe à diluuio 350. anno. Potuit autem Abraham à Noe & Sem, cum quo etiam vixit annos 175. id est, omnes dies vitæ suæ, discere certam historiam successionemq; rerum omnium, ab exordio mundi, deniq; synceram de vera religione doctrinam. Pulchrum & consolatione plenum est hoc nouisse, vtpote ex quo colligimus certò, non modò Deum in hoc corrupto mundo in quo nunc viuimus, electam sibi paraturum habiturumq; ecclesiam, sicuti illis vetustis & corruptissimis alioqui sæculis habuit: sed & doctrinam religionis nostræ multò certissimam confirmatissimamq; esse, quippe quæ nobis, veluti per manus tradita est à tantis tantæq; fidei testibus. Ac dubium non est tradidisse beatum patrem Abraham Isaaco filio & Iacobo nepoti, quæ spiritu sancto illuminãte, acceperat à Deo, per traditionem Adami, Mathusalem, Noe & Sem aliorumq; sanctorum patrum. Et constat alioqui ipsum quoq; Isaacum & Iacobum vixisse aliquandiu, non tantùm cum patre Abraham, sed & cum sanctis illis patribus Sem, Sela & Heber, &c.

Abraham vixit cum omnibus patriarchis etiam cum Noe.

Ecclesia Dei in mundo licet corruptissimo.

Authoritas religionis nostræ

Video autem non frustra de his patriarchis qui Heber ad Abrahamum vsque sequuti sunt, dubitari, an integri puræq; religionis fuerint omnes. Nam Iosue dux populi Dei de postremis loquens, Iosue 24. Sic dixit dominus Deus Israel, inquit, Trans fluuium habitarunt ab antiquo patres vestri, nempe Thare pater Abrahæ & pater Nachor, seruieruntq; Dijs alienis, & ego tuli patrem vestrum Abraham trans fluuium & duxi illum in terrã Chanaan. Et Epiphanius Salaminæ Cypri episcopus, in opere suo contra omnes hæreses, mox ab initio perhibet Saruch interpretari irritationẽ. Nam eo tempore incœpit idololatria, inquit, nondum tamen in statuis, sed duntaxat in imaginibus per colores repræsentatis. Et mox, Nascitur ipsi Saruch filius Nachor, & huic Thare. Hinc fieri cœperunt statuæ ex luto & arte figulari, per industriam huius Thare. Hæc ille.

Postremos patriarchas antecedentes Abraham non fuisse integros in fide.

Origo idololatriæ.

Hinc eorum error redargui potest, qui idololatriam referunt ad primũ authorem Prometheum: quem vixisse perhibet Eusebius circa finem vitæ Ioseph. Cum interim scriptura commemoret (vt nihil de Saruch dicam & Nachor) Rahelem matrem Ioseph, suffuratum esse idola parenti Laban, in Mesopotamia. Potuit quidem Prometheus in aliqua regione primus fuisse author, sed non primus in orbe inuentor idolorum. Nam antea quoq; commemoraui, quid Ninus Assyriorum rex fecerit. Et Cyrillus 3. lib. cõtra Iulianũ, affirmat ante diluuium

nullam fuisse inter homines idololatriam, eam postea exortam esse in Babylone in qua Arbelo, diuini honores primùm sint exhibiti, post quem imperitarit filius Arbeli Ninus. Arbelus ergo ille alius non fuit, quam Iuppiter Belus. De quo antea dictum est.

Prima traditionis patrũ mutatio, veræq; religionis corruptio.

Satis ergo constat ex his, principiò quidem traditionem illam paternam, à Deo acceptam, & per Noe ac Sem filijs nepotibusq; traditam, à posteris Cham, & quidem in Babylone, diaboli ciuitate, primùm fuisse adulteratam spretam atq; abiectam, ingenti nimirum cum dolore Noe & sanctorum in ecclesia Dei. Susceperunt enim apostatæ illi religiones imò superstitiones, quas quisq; voluerunt, & pro bona sua intentione (quæ semper est fuitq; mater omnis in vera religione corruptionis) sibi inuenerunt, & ab alijs inuentas delegerunt. Vnde inter gentes & populos dij multi & cultus deorum varij sunt enati. Peruasit enim perrupitq; hoc grande & sceleratum malum superstitionis & idololatriæ per vicinas qualesq; gentes. Nec dubium est veterem illum serpentem hic omnes suas exeruisse artes omneq; suum sparsisse venenum letiferum, vt populos ac gentes passim à sancta patrum traditione, tanquam à senili delirio, abstraheret, & sibijpsi mundanæq; prudentiæ, id est, omnium stultissimæ ineptiæ, mentes miserorum mortalium agglutinaret. Et hæc quidem prima fuit mutatio, imò corruptio veræ religionis in falsissimam & deprauatissimam, quæ per tempora consequentia in mundo vires serpendo accepit, multaq; regna inuoluit, imò & populum Dei quoq; infecit, atque ita negotium præbuit arduum & molestissimum beatis patribus, prophetis atq; apostolis, qui illam tandem euerterunt. Deinde satis & illud constat vltimos illos patriarchas & maximè Thare, quem ipsa nostra scriptura, non integros in vera religione fuisse. Ex quibus & hoc colligitur, mera Dei gratia, & nulla parentum sanctitate aut prærogatiua, nullóue merito proprio, cum ipse etiam Noe inuenerit gratiam apud Dominũ, euocatum esse Abrahamum à Deo ex Chaldæa, & ereptum ex media impiorum idololatria, & traductum in terram Chanaan, illuminatumq; à Deo, & repurgatum à gentilitijs Babylonicisq; sordibus, constitutum esse patrem omnium fidelium, & prophetam multarum gentium, imò doctorem & magistrum vniuersi orbis, idq; propter Christum semen benedictum.

Abraham mera Dei gratia vocatus.

De beatorum Patrum Abraham, Isaac & Iacob, eorumq; filiorum & nepotum temporibus atque rebus, breuis consignatio.

Abraham patriarcha celeberrimus.

Permouet mei rei dignitas atq; vtilitas, vtq; historia illustretur, & commendetur lectoribus vera pietas, paulò fusius, vt compendij tamen leges non transiliam, disserere de temporibus & rebus insignis amici Dei & præclarissimi venerandiq; patriarchæ, adeoq; patris nostri Abrahæ: cuius sanè crebrior fit in vtroque Testamento honorifica mentio, quàm vllius alterius sancti & celebris viri.

Vocatur Abraham ex Vr Chaldæorum & non ex Haran.

Dicam autem primùm de vocatione eius ex terra natiuitatis suæ. Constat Abrahamum ab initio inhabitasse terram Chaldæorum ac idololatrarum. Sic enim affirmat dux populi Dei Iosue, vt dictum est superius. Locum autem in quo ab initio Abraham cum parente Thare habitauit, nominat Moses Gen. 11. Vr vel Vram, vrbem Chaldaicam. Inde egressum idem Moses testatur profectumq; Haran vel Charras vsq; vrbem Mesopotamiæ, posteris temporibus Magni Crassi interitu nobilem, vt inde digrederetur in terram Chanaan, in quam vocabatur à Deo. Ac ex Vra & non ex Haran vel Charran primitus vocatus est, & in

& in Vr Chaldæorum accepit promissionem, & nõ in Haran. Nec ego primus hæc dico, sed scriptura idem ante me testata est. Nam Moses, quod modò dixi, ex Vra egressum affirmat vt proficisceretur in terram Chanan. Id quod 11. cap. legitur, Et mox in 12. cap. idem subiũgit illis. Dixerat autem Dominus ad Abraham, Abi è terra tua, & è cognatione tua, & è domo patris tui, &c. Monent autẽ interpretes, Dixerat legendum esse per præteritum plusquam perfectum, vt intelligamus hæc dicta esse, non quidem postea, cum habitaret apud Charras vel Haran, sed antea cum esset adhuc in Vra Chaldæorum. Et hæc quidem fuit terra natiuitatis suæ & domus patris sui, non Haran. Neq; peregrinationem suam cœpit, cum ex Haran recederet, sed quando egressus est ex Vr Chaldaica. Huc facit quod martyr Christi Stephanus, in Actis cap. 7. disertè dicit, Deus gloriæ visus est patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charran, & dixit illi, Exi de terra tua, & de cognatione tua, &c. En vocationem Abrahæ deducit Stephanus, non ex Charran, sed ex Vra, quæ erat Abrahæ patria. Ibidem quoq; affirmat promissionem Dei Abrahæ esse factam. Neq; verò quenquam offendere debet, quòd Vra fuit vrbs Chaldæa, Charran Mesopotamica. Mesopotamiæ enim vocem vtriq; Stephanus communicat. Ne tamen commiscere videretur inter se vrbes, disertè dicit, Priusquam habitaret in Charran. Ergo promissio facta est non in Charran sed in Vra, inde & vocatio incipit & peregrinatio.

Ergo quod mox sequitur in cap. 12. Geneseos. Et erat Abraham 75. annos natus, cum egrederetur de Charran, intelligendum est, Abrahamum, vbi Vram deseruisset, apud Charras in itinere, versus Chananiticam terram, hæsisse quinquennio, deinde demum profectionem instituisse in terram Chananæam. Cum autem non acceperit promissionem apud Charras, neq; inde peregrinationem suam cœperit, ex terra natiuitatis suæ, supputationem certè annorum promissionis & peregrinationis Abrahæ non oportet ordiri à 75. anno ętatis Abrahæ, sed à 70. anno. Sic autem citra difficultatem & pulcherrimè colliguntur anni promissionis factæ Abrahæ, nec non peregrinationis eius atq; patrum, 430. Nã à 70. anno Abrahæ ad 100. vsque eiusdem colligis annos 30. Inde verò hoc est à natiuitate Isaac ad egressum vsq; filiorum Israel ex Ægypto colligis annos 400 in vniuersum apud omnes concorditer confessos annos 430. At chronographi pleriq; ineunt supputationem annorum promissionis & peregrinationis à 75. Abrahæ, itaq; differunt à nobis in annorum summa, 5. annis.

Anni promissionis & peregrinationis Abrahæ & Patrum.

Marianus Scotus qui Fuldæ floruit circa annum Domini 1060. in Chronicis suis ad annum Abrahæ 16. hæc ad verbum annotauit, Hoc anno Trebeta filius Nini, à Semiramide expulsus ex regno, Treuerim condidit, vrbem in Gallia, ante Romam conditam annis 1250. Tantum ille. Et Tigurinæ vrbis chronica vetustissima perhibent primis illis sæculis, Treuirorum vrbem, Tigurinorum arcem ac ciuitatem vocauisse & agnouisse sororem. Etenim testantur 30. annis à Treuirorũ vrbe condita, & quidẽ Abrahæ temporibus extructã esse, à principe quodã istius tractus Thurico, in colle, ad Limagũ fluuiũ, vbi è vicino euoluitur lacu, arcẽ insignẽ & munitã, quæ à conditore dicta sit Thuricensis & Thuricũ castrũ. Populus certè eius tractus cõstat ex historijs & geographis tẽporibus vetustissimis Tigurinos esse nũcupatos. Vnde postea ipsa ciuitas ad arcẽ extructa, & Thuricẽsis ab arce, & Thuregum denique & Tigurũ, vtpote quæ Tigurinorũ erat metropolis est appellata: Germanicè verò dicta Zürych/ voce à Thurico conditore (quẽ Thürych etiã nominare possis) modicè deflexa. Itaq; iuxta Mariani supputationẽ Thuricẽsis arx, ante extructã Romã, condita esset annis 1220. aut circiter. Nã Abrahæ annus 46. id est 30. à 16. incidit in annũ Nos

Treueris & Thuregum vel Tigurũ vrbes conditæ temporibus Abrahæ.

938. mundi verò conditi 1994. At anno mundi 3219. ponuntur à Romulo fundamenta Romæ. Ita sanè facta essent Tigurinæ vrbis principia, annis antenatum Christum circiter 1975. At à Christo nato eadē variis afflicta, fatigata, tandem & euersa, quibus tum orbis inter se collidebatur bellis, redacta est in pagi, cuius quidem rei nomina quædam adhuc in vrbe remanent. Quæ tamen rursus ab annis hinc 300. cincta mœnijs & fossis, admodùm facta est celebris. Sed hæc obiter per digressionem. Redimus ad res Abrahæ consignandas.

Abrahā ingreditur terram Chanaan.

Porrò Abraham ingressus terram Chanaan & ea peragrata inter Bethel & Hai consedit, ibidemq; illico & ante omnia extructa ara Deū adorans, legitimo cultu coluit, nec tantùm Deo se gratum exhibuit, sed se totum & vniuersam domum suam Deo obligauit atq; commendauit, insuper & benedicti seminis sacramentum celebrauit. Inualescente autem in terra Chanaan fame, descendit circa annum ætatis suæ 77. in Ægyptum, vnde iterum redijt in Chananæam, atq; ibidem rursus vbi prius adorauerat dominum, eisdem sacris celebratis religiosè Deo supplicauit. Describuntur hæc à Mose Gen. 12. & 13. cap.

Abrahā seiungitur à Loth.

Cæterùm circa annum ætatis suæ 80. secedit à nepote suo Loth, vt vitaret discessu hoc suo pastorum lites atq; iurgia. Tunc Sodomam sibi deligit ob soli fertilitatem amœnitatemq;, eoq; concedit Loth. Abraham verò illis temporibus Hebronem migrauit in locum sanè celeberrimum, in quo & Noe aliquando habitasse putatur. Historia autem illa fusius exponitur Gen. 13. Rursus circa annum ætatis Abrahæ 48. Loth ob consortium cum impijs Sodomitis sanè infelix

Loth captiuus abducitur, sed ab Abrahamo iterum liberatur.

fertili illa terra, quam sibi delegerat, captiuus vnà cum Sodomitis suis abducitur in Orientem, ab Orientis regibus potentissimis quatuor. Quos mox fiducia erga Deum fortis parua manu insectatus Abraham, vnà cum pauculis aliquot suis confœderatis, immensas regum istorum copias, Deo victoriam concedente, fundit atq; fugat, reducitq; Lothum vnà cum captiuis omnibus in patriam columem. Ibi obuiam in reditu à cæde regum habuit Melchizedek regē Salem & pontificem, qui ipsi de victoria admirāda & de salute libertateq; recuperata congratulans benedixit, ciboq; & potu prætereuntes refecit. Quod describitur

Melchizedek.

Gen. 14. & adaptatur religioni nostræ ab Apostolo ad Hebr. 7. Sunt qui existiment Melchizedekum istum fuisse Sem patriarcham. Verùm refutātur ab apostolo, qui affirmat hunc Melchizedekum fuisse sine patre & matre, vtpote quorum nomina non sunt edita. At notissimus est pater Sem, Noe. Bona ergo pars interpretum rectius sentit Melchizedechum hunc fuisse principem Chananæum veriq; Dei cultorem eximium, atq; ideò sacerdotem. De qua re dictum est aliâs. Fuit autem hæc Abrahæ victoria admodùm insignis, si vlla hominum memoriâ in orbe alia, & ideò omni laude dignissima, præsertim quòd Abrahā Deo decimas offerret de vniuersa præda acquisita, ac ne teruntium quidem acciperet à liberatis.

De fœdere quod iniit Deus cum Abrahamo.

Anno Abrahæ 85. videtur sancitū imò reparatum illud fœdus sanctissimū & celebratissimum inter Deum & Abrahamum, quod Genes. 15. multis & elegantèr describitur à Mose. Equidem pepigit Deus ab initio fœdus, amicitiamq; iniit cum Adam & Noe cęterisq; sanctis patribus, quo se illis gratia sua, & ipsos sibi fide officijsq; pietatis obstrinxit: at nunc & vetus quidem illud reparat, & nihilominus peculiare quoddam cum Abrahamo ferit fœdus: in quo singulariter Abrahę promittit, se fore eius defensorem & thesaurum bonorum omnium, se item ipsi copiosissimum daturum semen, quod vniuersæ imperaturum sit Chananiticæ terræ. Sed & tempus designat, quo illa posteris eius sint præstanda, post exactos videlicet 400. annos, interim prædicit etiam quòd descensuri sint in Ægyptum, vbi & miserè opprimendi, rursus tamen inde liberandi, gra-

uiter

uiter punitis Ægyptijs oppressoribus. Cæterùm ineũda est hæc 400. annorum supputatio à natiuitate Isaac, propterea quod cum hæc loqueretur Deus ac diceret, Semen tuum futurum erit in terra aliena, Abraham semen illud nondum accepisset, sed in Isaac primùm acciperet. Præterea quo minus Abrahæ de his fides fluctuaret, ibidem etiam adhibitis cæremonijs consuetis, fœdus solenniter sancit Deus. Vbi & præclara illa iustificans & promissionem Dei recipiens Abrahę fides commẽdatur, eademq; illa ab apostolo Paulo ad Rom. 4. vniuersis Judæis & Gentibus prædicatur, ac demonstratur, si hoc Abrahæ exemplo docti, credamus ipsi quoq; in Dominum Iesum, mortuũ propter peccata nostra, & resuscitatum ex mortuis propter iustitiam nostram, fore vt & nobis fides illa imputetur ad iustitiam. Vnde certum est, fidem Abrahæ, defixam fuisse non tantùm in semen promissum carnale, sed etiam & in primis quidem in semen illud benedictum spirituale, cuius promissionem primus Adam in paradiso accepit. Cui postea crediderunt patres beati omnes, in primis verò Abraham. Ideoq; & pater omnium credentium siue Iudæorum siue gentium ab Apostolo appellatur.

Fides Abrahæ iustificans.

Anno ætatis eius 86. nascitur Abrahę Ismael ex Agar ancilla Ægyptia, quã ei Sara vxor adiunxerat: id quod Moses describit Genesis 16. Ex Ismaele verò exortæ sunt gentes plurimæ & potentissimæ. Duodecim numerantur principes familiarum descendentes ex Ismaele, Gene. 25. Id quod refero vt omnibus veritas Dei alioqui decantatiss. adhuc celebrior fiat. Promisit Deus Abrahæ semen quod multitudine vel copia æquet stellas cœli & arenas maris. Ac licet in Isaac, non in Ismaele, vocatum sit semen Abrahæ, tam copiosa tamen fuit eiusdem & per Ismaelem propago, vt mirari cogatur præmodum, quisquis res Saracenorum diligentius expenderit. Agareni enim qui & Saraceni dicuntur, originem suam ex Ismaele Agaris filio trahere leguntur. Quam verò potentes fuerunt in orbe aliquando propè facti orbis domini? & quam celebres sunt Turcæ oro etiam hodie? Rectissimè ergo Dauid cecinit, Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsq; ad nubes. Psal. 35. Mortuus est Ismael, ano ætatis suæ 137. cum prius Abrahæ parenti iusta piè persoluisset.

Abrahæ nascitur Ismael pater gentium multarum & potentißimarũ

Veritas promißionum Dei

Anno autem Abrahæ 99. reparat iterum Deus cum Abrahamo solenniter fœdus, & promissiones de semine benedicto, & terra promissa Chanaan, fortunisq; posteritatis eius amplissimis, splendidissimè illustrat Genesis 17. Vbi & sacramentum Circuncisionis instituit Deus, quo segregauit sibi Deus semen Abrahę ab omnibus alijs gentibus sibiq; peculiariter consecrauit. Hactenus vetustas ab exordio mundi, per annos 2047. post sacrificia, nulla alia habuit sacramenta, nunc demum instituitur Circuncisio, de qua qualis sit, copiosè disserui in meis Decadibus.

Deus reparat iterum fœdus cum Abrahamo.

Circuncisio.

Circa illa ipsa tẽpora (99. Abrahę annũ ponit Eusebius) Abrahã suauissimũ habet colloquium cum tribus Dei angelis, quos & mensa excipit, sicuti legitur Gene. 18. Sunt qui existiment ipsum Dei filium cum Abraham tunc fuisse colloquutũ, & in specie corporali ab Abrahamo exceptum conuiuio. Vt vt verò ea res habeat, constat Deum eo tempore singulariter reuelasse Abrahæ, quàm misericors sit erga reuerentes nomen ipsius, & quòd propter hos parcat etiam meritis extrema.

Colloquium Abrahæ cum angelis.

Mox autem ab eo colloquio, in quo & fata Sodomæ exposui. Deus Abrahamo, insequitur Sodomæ & vicinarum vrbium agrorumq; & pagorum horribilis interitus. Nã igne demisso cœlitus, Sodoma, Gomorra, Adama, Seboim, & loca contigua igni penitus conflagrarunt. Subijt in locum lacus Asphaltites nulla re commendabilis, nisi horrendis iræ Dei vestigijs. Testatur de eo quædã

Interitus & conflagratio Sodomæ.

& Ioſephus in ſua hiſtoria. Solus Loth vnà cũ duabus filiabus per angelos edu-
citur ex incendio. Vxor perit in itinere, nimis ſolicita de rebus amiſſis & nimis
ingrata liberationi Dei. Loth ereptus tantis malis, ac ebrietate adeò ſibi ipſi ere-
ptus, ex filiabus ſuſcipit duos filios, Moab & Amon, duos genearchas maxima-
rum potentiſſimarumq; gentium, quod legitur Gen. 19. Vbi ſe rurſus immenſa
Vſus conflagrationis Sodomæ Dei exerit miſericordia. Qui interim etiã voluit Sodomæ & Gomorræ horren-
dum apud omnes omnium ſæculorum gentium extare argumentum, quantò-
pere odiat Deus prodigioſas libidines, omnem intemperantiam, luxum, contu-
maciam atq; ſuperbiam. Ezechiel, Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, inquit, fa-
ſtus, copia ciborum, felicitas, ocium, quæ quidem ipſa & filiæ eius habuere, &
manum pauperis atq; egeni non firmauerunt. Ezech. 16.

Naſcitur Iſaac. Et quidem anno Abrahæ 100. natus eſt ipſi, ex Sara coniuge, ſicuti promiſe-
rat Deus, Iſaac filius, quem magno cum gaudio excepit, qui multis annis patien-
tia admiranda, & nobis imitanda, expectauerat promiſſionem Dei, nec fuerat
fruſtratus.

Abraham magno in precio apud principes Breuitatis gratia prætereo, quæ Moſes pluribus exponit de his, quæ geſta
ſunt inter Abraham & regem Abimelech, apud quem omnesq; eius familiares
Deus maximam authoritatem & gratiam Abrahæ conciliauit. Id quod videre
licet Gen. 20. & 21. cap. Inde diſcunt pij, Deum cultores ſuos non tam tueri & ex-
periculis liberare, quàm charos reddere hominibus, omnigenisq; ornare bono-
ribus atq; dignitatibus.

Abrahã offert Iſaac filiũ ſuũ. Ioſephus in ſuis antiquitatib. collocat in annum Abrahæ 125. immolationem
Iſaac, lib. Antiq. 1. cap. 3. Eum ſequitur Marianus Scotus. Cæterùm Rabbi Ben
Ezra & Rabbi Solomon noſtriq; interpretes plerique factum id putant anno Iſa-
aci 13. Vtcunq; verò id habeat, conſtat certò, Deum ſic exploraſſe animum Abra-
hæ num ſupra omnia Deum diligeret, atq; hac in re ipſum omnibus fidelibus
ſtatuiſſe puri amoris Dei, ſed & ſpontaneæ Deoq; placentis obedientiæ exem-
plum, denique typum immolationis filij Dei, & reſurrectionis, vt Apoſtolus ad
Hebræos 11. mortuorum. Deſcribitur elegans & ſuauis illa hiſtoria à Moſe pul-
cherrimè Geneſis 22.

Eodem illo tempore, & loco eodem vbi immolare voluerat filium pater, in
monte videlicet Morijah, vbi poſtea templum eſt collocatum, & imolatus Chri-
ſtus, repetijt atq; cumulauit Deus Abrahæ promiſſiones, in primis eã quæ per-
tinet ad Chriſtum mundi ſaluatorem. Dicit enim per angelum ſuum Deus,

ET BENEDICENTVR IN SEMINE TVO
OMNES GENTES TERRAE.

Abraham pater Chriſti. His cõſtituit atque deſignat Deus Abrahamum propatora filij ſui, vt qui ab
hac didicimus ſemen eſſe promiſſum Adamo, nunc exactius ſignificatum
tiusq; ſciamus ex qua linea expectemus Meſſiam. Ideò & Matthæus Chriſtiani
cupat filium Abrahæ. Deinde obſeruandum eſt in primis Deum retinere cõ-
genter vnum atq; idem genus dicendi in maxima illa & prima promiſſione ſa-
Chriſtus ſemẽ. lutis noſtræ. Sicut enim Adamo promiſerat & dixerat, Semen mulieris conte-
rabit caput ſerpentis: ita nunc eandem repetens & illuſtrans promiſſionem Abra-
hæ dicit, In ſemine tuo. Chriſtum dominum & Dei filium vtrobiq; vocat ſe-
men, & illic quidem mulieris, hic verò Abrahæ. Maria enim virgo, Dei mater,
Abrahæ fuit filia, id eſt ex ſemine Abrahæ prognata. Semen denique vtrobiq;
vocatur vt verum hominem incarnatum verè ex hominibus crederemus. Ac
ne quis de hac noſtra interpretatione, qua exponimus per ſemen ipſum Dei &
homini

hominis filium, dominum nostrum Iesum Christum significari dubitet, en optimi & irrefragabilis verba interpretis apostoli Pauli adducimus, ad Galatas dicentis, Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Nō dicit, Et seminibus tanquam in multis, sed tanquã de vno, Et in semine tuo, qui est CHRISTVS. Iam etiam beneficium quod accipimus à Christo per incarnationem, mortem, & resurrectionem, in pauculis his verbis promissionis illustrat, Benedicentur, ait, Ad Adam dixerat, Conculcabit caput serpentis. Benedictionem ergo opponit maledictioni. Quicquid ergo maledictionis generi humano accessit per serpentem ex peccato, id vniuersum iam tollitur per Christum, insuper confertur benedictio, iustitia, sanctificatio & salus: & quidem per solum Christum. Præterea exponitur quorum sit hæc benedictio, omnium vtiq; gentium terræ, non Iudæorum tantùm, sed diserte omnium, ait, gentium terræ. Nemo ergo ab hac benedictione Christi excluditur, nisi qui semetipsum excluserit per incredulitatem. Fide enim promissionem recipientes in Christo benedicuntur, in incredulis manet atq; hæret maledictio, ira Dei peccatum, & damnatio. Et his quidem credidit Abraham, & iustificatus est fide, per solum Christũ. Et hæc est vera orthodoxa & catholica Abrahæ omniumq; sanctorum patrum fides. In hac perseuerandum censeo constanter in finem vsq; vitæ nostræ. Certent ergo alij de fide veteri & vera quoad libet, quæ nam illa sit, & apud quos sit, apud papistas ne? an apud Iudæos aut Turcas aut sectarios? &c. Nobis satis est nouisse hanc, quam diximus patrum fidem, veram esse fidem. Eadem est fides Christiana vera certa & permansura in finem vsq; sæculi, adeoq; in æternum.

Quid conferatur nobis per semen illud.

Qui sint participes benedictionis.

Ioan. 3.

Catholica fides omniũ filiorum Dei.

Cum autem Sara fœmina sanctissima electissimaq; & omnium fidelium mulierum, vt beatus Petrus ait, mater & exemplum, vixisset annos vitæ 127. feliciter migrauit ex hoc sęculo, ad dominum, circa annum Abrahę 137. A cuius funere Abraham vxorem filio Isaac opera fidelis serui sui Eliezer, puellam Syram Rebeccam despondet. Quod multis eleganter describit Moses Gene. 24. Reliquit autem omnibus parentibus exemplum præclarum, quid & ipsi cum liberis suis adultis agant, monenturq; vt maturè ac piè eis prouideant, coniungendo eis coniuges, non tam forma & genere opibusq;, quàm vera religione honestateq; laudatas.

Saræ mors.

Nuptiæ Isaac.

Deinde ipse quoq; Abraham animum ad secundas applicat nuptias, Cethuram ducens. Ex ea plurimos suscipit liberos, qui genearchæ & principes maximorum potentissimorumq; populorum facti sunt. Quod describit Moses Gen. 25. Ergo etiam ad literam impleuit Deus promissionem Abrahæ factam de semine & stellas & arenas maris, æquante copia vel numero.

Abraham ducit Cethuram.

Postremò autem moritur Abraham, cum explesset annos vitæ 175. Incidit is annus in annum mũdi 2123. Fuit Abraham Deo singulariter dilectus, & fidei in Deum selectissimæ, virtutumq; omniũ, quæ ex fide existunt, lumen & exemplar splendidissimũ. Ipse de eo dominus disserens & amplissimè ipsum laudans Ioan. 8. inter alia, Abraham, inquit, vidit diem meum, & gauisus est. Et iterum apud Matthæum, Multi, inquit, ab oriente & occidente venient, & accumbent cum Abraham Isaac & Iacob in regno cœlorum. Vnde nimirum in euangelio secundum Lucam mentio fit sinus Abrahæ, qui est locus in alio mũdo & receptus animarum beatarum fidelium, hinc in fide Abrahæ migrantium.

Abrahami mors.

Abrahamsingularis Dei amicus.

Sinus Abrahæ.

ISAAC filius Abrahæ, anno ætatis suæ 60. ex sua vxore legitima Rebecca Syra, suscepit gemellos, Esau & Iacob, typum Iudæorum & gentium; sicut alibi est demonstratum. Esau primogenitus Isaaci homo fuit durus ferox & venationi deditus. Prophanus idem appellatur ab Apostolo, quòd edulio sibi à Iacobo fratre propinato, ius primogenituræ vendidit fratri suo Iacobo: quẽ tamen

Isaaco nascuntur gemelli.

Esau.

postea graui & letali odio persequutus est, ob benedictionem sibi apud patrem Isaac à Iacobo præreptam. Quæ à Mose omnia diligenter describuntur. Gē. 25. Ex varijs autem vxoribus Esau plurimos suscepit filios, qui facti sunt duces populorum, & genearchæ ac reges potentissimi, qui Idumęam occuparunt & late per montana imperitarunt: sicut Moses Gen. 36. fusè exponit. Elucescit iterum in hac re excellentissima Dei veritas amplissimè seruantis promissa. Iacob iram fratris fugiens profectus est in Mesopotamiam. Isaac verò firmiter perseuerauit in religione accepta à patre suo Abraham. Et Deus fœdus ictū cum Abraham reparauit cum Isaac, & promissiones veteres repetiuit sanciuitq; Vnde non ingratus Deo Isaac, extructa ara, Deum adorans inuocauit, ac sacramenta fœminis benedicti celebrauit, seruiens Deo in veritate, per omnes dies vitæ suæ. Tandem natus annos 180. feliciter moritur in Hebron anno mundi 2228. qui erat Iacobi 120. & Iosephi 29. Vidit ergo omnes filiorum suorum liberos, Iacobi in primis, & sepultus est cum patre Abraham & matre Sara à filijs suis Esau videlicet & Iacobo.

Religio Isaaci.

Mors Isaaci.

Res Iacobi.

IACOB verò fuit vir miræ pietatis sanctitatisq;, imitator fidei aui Abrahæ & patris Isaac, ab ipso etiam domino per angelum cognominatus Israel, quòd Deo præualuisset in lucta: sicut à Mose exponitur Gen. 32. Hoc nomen postea datum est vniuersæ genti, quæ vocata est populus Israel. Ac reparauit cum hoc patriarcha Deus fœdus ictum antea cū patribus, repetiuit item illustrauitq; ipsi promissiones. Ipse verò omnibus diebus vitæ suæ Deo vera fide adhæsit, eundemq; syncero coluit cultu. In Mesopotamia multis annis inseruiuit Laban suo auunculo fidelissimè. Huius filias Leam & Rahelem duxit vxores, ex quibus earumq; ancillis filios suscepit 12, à quibus propagatæ sunt 12. tribus filiorum Israel.

Catalogus filiorum Israel. 12.

Ac præstat scire principū patrumq; populi Dei nomina. Ex Lea vxore prima, nati sunt Iacobo 1. Ruben 2. Simeon 3. Leui. 4. Iuda. 5. Issachar. 6. Zebulon & Dina filia. Ex Leæ porrò ancilla Zelpha nati sunt, 7. Gad. 8. Aser. Item ex æmula Rahelis secundæ vxoris Iacobi Bala, nati sunt, 9. Dan. 10. Nephtali. Sed ex ipsa Rahele secunda adamataq; coniuge nati sunt tandem 11. Ioseph. 12. Beniamin. Hi sunt 12. patriarchæ 12. tribuum filiorum Israelis, quibus postea sub Iosue vniuersa terra Chanaan est distributa. Ruben ergo primogenitus fuit Iacobi, sed propter incestum turpiter admissum, non accipit more primogenitorum, portionem duplicem, licet primogeniti nihilominus obtineret nomen. Subijt in locum eius, sicut legitur 1. Paral. 3. propter virtutes, Ioseph, qui cū duos haberet filios, Manassem & Ephraim, hos ipsos adoptauit Iacob, ijsq; vt suis filijs, suo nomine nuncupatis, cedere voluit duas portiones; sicut copiosè narratur Gen. 48. Excluditur ergo hic Leui, cui præter sacras oblationes terræ partum aut nihil cessit: quinimò maxima Leuitarum pars, per omnes tribus est dispersa, ministerij ergò. Proinde si in duodenario patriarcharum numero, non supputes Leui, sed loco eius subijcias Manassem, & loco Iosephi Ephraim collocces, habebis tribus & tribuum principes 12. Sæpe verò decem tribus in scripturis, & domus Ioseph, & Ephraimitæ appellantur.

Ruben primogenitus.

Iacob adoptauit filios Iosephi duos.

Iacob in Mesopotamia.

Prolixè commemorat Moses quomodo Iacob in Mesopotamiam venerit, quæ ipsi ibi euenerint, & quomodo instructus maximis opibus, inde redierit in terram Chanaan. Quæ ei cum fratre Esau in itinere acciderint, & cum Dina filia in Sichem. Quæ omnia breuitatis causa transeo. Extant hæc in lib. Gen.

Res Iosephi.

IOSEPHI quoq; historiam suauem & elegantissimam idem Moses describit, à cap. Gen. 37. vsq; ad 49. Referta est hæc salutaribus doctrinis, & illustrem Christo typum præfert. Natus est Ioseph Iacobo ex Rahele charissima cōiuge, anno

anno Iacobi 91. qui erat mundi 2199. Maxima maximæ de hoc puero spei enituerunt prognostica, mox ab eius pueritia. Cumq; natus esset annos 17. à patre mittitur in rus, ad fratres, qui ipsum iniquo prosequẽtes odio, captum, ceu hostem capitalem trucidare voluerunt: sed cum diuina ordinante prouidẽtia, illac transirent Madianitæ mercatores in Ægyptum profecturi, his ipsum vendiderunt. Vbi autem isti eum adduxissent in Ægyptum, Potiphari cuidam principi iterum vendiderunt. Huius vxor nimis procax & lasciua, solicitat ipsum ad stuprum, sed spreta à casto iuuene, per calumniam abstrusit ipsum in carcerem. Inde verò mirificè liberatus, et ad regem Pharaonem perductus, ipsi somnium, de quo valde erat solicitus, feliciter exponit, ideoq; à rege præfectus annonæ, adeoq; princeps Ægypti constituitur. Factum hoc aiunt anno ætatis Iosephi 30.

Venditur Ioseph à suis fratribus.

Quæ verò Ioseph egerit cum suis fratribus, frumenti emendi gratia in Ægyptum, ex Chananæa descendentibus, & quomodo his se planè noluerit patefacere, priusquam reipsa & admiranda quidem prudentia deprehendisset, experimento de ipso Beniamin sumpto, fratrum mores mutatos, adeoq; meliores fideliores q; & inter seipsos & erga patrem esse factos, quàm fuerant aliquando cum ipsum vendidissent, quoniam Moses fusè prosequitur, ad ipsum, lectorem, relego. Nam hanc Epitomen scribo, vt ad sacrarum literarum lectionem quàm possum maximè inuitem, non autem ab hac quenquam abstraham.

Quæ Ioseph egerit cum fratribus suis.

Cæterùm anno Iosephi 39. qui erat parentis Iacobi 130. Gen. 47. descendit Iacob cum vniuersa domo sua, ad Iosephum, in Ægyptum. Erat is annus mundi 2238. promissionis verò & peregrinationis patrum 220. Restabant ergo adhuc 210. anni ad exitum vsq; filiorum Israel ex Ægypto. Et hi quidẽ anni nuncupantur anni descensus filiorum Israel in Ægyptum.

Descendit Iacob in Aegyptũ

Peruenit Iacob ad extremum vitæ suæ, natus annos in vniuersum 147. Ergo in Ægypto cum filio Ioseph suauissimè & cum summa voluptate vixit annos 17 Ita verò beneficus Deus optimum senem, fractum iam curis, & diuturna peregrinatione exhaustum reficit refocillatq; abundantissimè, ostenditq; se fideles cultores suos varijs exercitatos diuexatosq; calamitatibus & consolari & reficere velle & posse, modò patienter ipsum semper expectent.

Iacob cum Ioseph vixit in Aegypto annos 17.

Moriturus cõuocat omnes suos filios Iacob, & fatidico spiritu prædicit sigillatim omnibus sua fata filijs. Inter alia memorandum & nobilissimum edit vaticinium de Christo, quod vtile est omnes pios animis infigere penitius. Est autem huiusmodi, Gen. 49.

Vaticinium Iacobi de Christo

NON RECEDET SCEPTRVM A IVDA, ET LEGISLATOR E MEDIO PEDVM EIVS, DONEC VENIAT SILOH, ET EI ERIT AGGREGATIO POPVLORVM.

HOc vaticinium ita vertit Thargum Hierosolymitanum, Non deficient reges de domo Iuda, neq; scribæ doctores legis de filijs filiorum eius, vsq; ad tempus quo veniet rex Messias. Sed & Chaldæus interpres vertit, Donec veniat Messias. Et hactenus quidem audiuimus promissum semen, procreandum fore ex Abraham. Sed cum huic duo nascerentur filij, Ismael & Isaac, scriptura, In Isaac, inquit, vocabitur tibi semen. Rursus cum nascerentur ipsi Isaac gemelli, Esau & Iacob, præterito Esau, Iacob dilectus est à Deo, ex quo linea duceretur Messiæ. Iam verò cum & Iacobo essent filij 12. principiò ex his in præsenti, Iudam filium suum 4. ex instinctu spiritus sancti designat Iacob, ex quo

Ex quibus patrentibus nascẽdus Siloh.

nascatur Christus. Denicp cum copiosissima esset tribus Iuda in innumerab pope diffusa familias, lesse familia deligitur, ex qua Dauid nascitur, qui Christi pater vocatur. Deinde tempus quocp diligentissimè notat Iacob, quo Christus sit incarnandus inícp mundum venturus, nempe cum ab alienigenis omnis potestas à Iuda fuerit sublata. Et quidem duplicis meminit potestatis. Est enim alia quidem regia, alia verò iudiciaria dignitas, quam gerebant duces atcp magnates populi Iudaici. Regiam potestatem denotat per virgam vel sceptrum (Iudæi hunc locum corrumpunt, cum contra omnium veterum interpretationem per virgam intelligunt persequutionem & afflictionem) quippe cum receptissimum sit scripturæ, regiam potestatem designare per virgam vel sceptrum. Et quantum quidem attinet hãc potestatem, constat certò, eam capto Zedechia, rege Iudæorum vltimo sublatam esse à rege Nabuchodonosore, in Babylonica captiuitate. Quo sane pertinet hoc Ezechielis è 21. cap. vaticiniũ, Et tu prophane, impie dux Israelis, cuius venit tempus opportunum, quo finiatur iniquitas. Sic dicit dominus Deus, Tolle cidarim, & tolle coronam. Ista non erit sic. Humiliabo sublimem, & exaltabo humiliatum. Curuam, curuam, curuam ponã eam, etiam hæc non erit sic, donec is veniat cuius est iudicium, & ei dabo eam. Etenim Zedechias rex humiliatus est, sed Iechonias exaltatus, posteriçp eius redeuntes ex exilio, imperitarunt in populo Dei, sed non potestate regia. Cumcp Asmonæi coronam sibi vsurparent, à Romanis eis est detracta, cumcp coronam vsurparet Herodes, ne in huius quidem capite stare potuit. Curuum currum itacp turbulentum inquam fuit huius coronæ regnicp (sicut ipsa historia Aristobuli Alexandri, Antigoni, Hircani & Herodis declarat) negotium, donec veniret Christus. Ei data est omnis potestas in cœlo et in terra regnatcp rex in sęcula, retinetcp solus coronam in capite.

Quo tempore uenturus sit in mundum Siloh.

Sublata potestas regia à Iuda.

Iudiciaria potestas ablata à Iuda.

Iam etiam quantum attinet ad iudiciariam potestatem, Iacob, Et legislator, inquit, scriba, dux vel gubernator, vel senator, è medio pedum eius, vel ex vtero, aut fœmore eius, adeocp ex posteritate & successione Iudæ, non deficiet donec venerit Siloh. Constat autem opera & auxilio Romanorum, Herodẽ illum magnum crudeliter deleuisse quicquid erat reliquum de Machabeorum tunc imperium obtinentium prosapia, quicquid denicp erat Sanhedrim ac è tribu Iuda senatorum & magnatum gubernatorumcp populi Iudaici, quò solus ipse regno securus & nemine obturbante, potiretur. Facta sunt hæc paulò ante Christi domini natiuitatem. Quin in ipsa eius natiuitate, censum populi Iudaici egit Augustus imperator, vt ex eo saltem omnes intelligerent, impletũ iam esse hoc Iacobi vaticinium.

SILOH est Christus.

Cæterùm vbi Hebraica veritas legit, Donec veniat Siloh, ibi Latinus interpres dicit, Donec veniat mittẽdus. Atqui exponit breuibus his verbis imò vno verbo, quid generi mortalium conferat Messias. Etenim Siloh significat non tam mittendum, quam pacificatorem, eum inquam, qui pacem confert, adeocp & felicitatorem ipsamcp met felicitatem, (Nam pax Hebræis omnigena est felicitas) abundantiamcp rerum optimarũ omnium, quam Latini copiæ cornu vocant, vt Siloh dicatur Christus, id est pax nostra, vt ait Apostolus, & ille, in quo sit omnis plenitudo & abundantia bonorum omnium, quam ille liberaliter in suos transfundit, ipsoscp absolutè beatos reddit: vt iam Siloh & benedictionem sicut Abrahæ promissio facta habet, appellare possis, ac manifestè videre, Christum generi mortalium conferre omne id, quod pertinet ad veram felicitatem, & quod animus hominis exoptare potest summum bonũ. Huc pertinet quod Ioannes in euangelio dixit, De plenitudine eius nos omnes accepimus, &c. Adijcit his denicp Iacob ipse sicuti & in promissione Abrahamo factũ legimus, ad

Coloss. 1. Ephes. 1.

Ad quos abundantia illa bonorũ pertineat

ad quos pertineat benedictio illa, & rerum optimarum cœlestiumq; omnium abundantia, ad omnes inquam gentes atq; populos. Et ei, inquit, Messiæ, erit aggregatio populorum. Vel, Ad ipsum Siloh congregabuntur populi. Onkelus, Syrus interpres, hoc vertit, Et ad eum obedientiam præstabunt gẽtes. Latinus verò interpres legit, sicuti & LXX. verterunt, Et ipse erit expectatio gentium. Et certè aggregatio populorum aliud nihil est, quàm vniuersitas gentium, quarum vocatio ad Christum in ecclesiam sanctorum hic prædicitur. Simul autem & hoc significatur, gentes animis promptissimis festinaturas ad Christum, doctrinamq; eius euangelicam amplexuras cupidè, atq; ita se agglutinaturas firmiter ecclesiæ corpori Christi. Id quod abundantissimè impletum esse testãtur Acta apostolica & historiæ ecclesiasticæ. *Vocatio omnium gentium.*

Iacob itaq; sanctissimus patriarcha & ecclesiæ Dei doctor & lucerna, vaticinio hoc suo, omnium pectoribus nostris imprimendo, prædixit, non tantùm ex qua tribu, & quo tempore venturus sit in mundum Messias, sed etiam quid suis sit collaturus, benedictionem abundantiamq; bonorum omnium. Et hanc quidem ad omnes gentes pertinere cõmonstrat. Quæ quidem vetus est traditio patrum nunc per Iacobum significantius exposita. Claret ex his luce manifestius, quam fidem habuerit Iacob Israel, & quam posteros suos docuerit, illam vtique quam à patribus accepit, & quam dominus subinde magis atq; magis cumulatis promissionibus illustrauit. Hęc autem non possunt non nos omnes in nostra religione Christiana confirmare quàm maximè, contra omnes hæreses, & doctrinæ synceræ arrosores nebulones nequissimos. *Summa istorũ omnium.* *Fides Iacob Israelis.*

Vbi autem hæc spiritu prophetico & planè diuino Iacob ad suos fuisset conclonatus, spiritum suum domino Deo suo reddidit. Corpus verò eius Ioseph mirificè curatum, funebri pompa & plus quidem quàm regia defert in terram (vt pater postulauerat) Chanaan, cõditq; ad Hebronem in maiorum sepulchris. Nec scio an quisquam vnquam atq; hic noster pater Iacob, à tot filijs atq; nepotibus, & tam splendida cum pompa, in orbe terrarum, sit elatus. Quod quidem Deus fieri voluit in honorem amici sui dilecti, maximè verò vt confirmaret in promissione de reditu filiorum Israel in terram Chanaan, mentes populi sui, quem sciebat breui in Ægypto grauissima opprimendum tyrannide. *Mors & funus Iacob.*

Sunt qui historiam IOB collocent in annum Iacobi 133. qui est 5. annus descensus filiorum Israel in Ægyptum. Quidam autem Iob volunt descendere ab Esau, alij à Nahor. Sunt qui simpliciter contendunt ipsum fuisse barbarum vel gentilem principem. Qualis qualis, id est, ex quibus maioribus prognatus fuerit, nihil refert, in scripturis certè laudem viri optimi habet maximam. Fecit ille confessionem de Christo redemptore, de resurrectione corporum, & vita æterna, præclarissimam: quę legitur in libro eius cap. 19. & est sanè illa confessio memorabilis & omnibus nobis syncero facienda pectore. Proponitur à Deo Iob vniuerso orbi, & maximè filijs Israel in Ægypto oppressis, exemplum patientiæ. Vnde sunt qui existiment librũ Iob ab ipso Mose in exilio eius in terra Madianitica conscriptum esse in gratiam & ad consolationem Israelitarum, in captiuitate Ægyptiaca afflictorum. Siue verò ipsemet Iob librum suum scripserit, siue alius à Deo excitatus, siue ipsemet Moses composuerit, satis constat inspiratum esse opus à sancto Dei spiritu, & datum ecclesiæ ad institutionem & maximè ad cõsolationem in tentationibus afflictionibusq;. Euincit ea historia etiam illud, Deum & inter gentes suos cultores, & suum habuisse populum: quem tamen constat solius Christi mediatoris gratia iustitiáque esse seruatum, non vllis suis meritis aut vllis alijs medijs. Iob enim disertè profitetur, Scio quòd redemptor meus viuit, &c. Legatur S. Augustin. lib. 2. contra Pelagiũ & Celestium *Historia IOB* *Iob de Christo.* *Vsus libri Iob* *Deus inter gentes suum quoq; populũ habet.*

cap.24. & de Ciuit. Dei lib.18.cap.47.item ad Deogratias epist.49. & ad Euodium epist.99. Cyrillus quoq; lib.contra Iulianum 3.in fine.

Ioſephi mors. Porrò à morte patris Iacob, vixit Ioſeph adhuc in Ægypto annis 54. Nam Geneſ. 50. numerantur in vniuerſum anni vitæ eius 110. Moritur ergo anno mundi 2309. Peregrinationis patrum 291. Reſtabant ergo ad egreſſum filiorum Iſrael ex Ægypto anni duntaxat 139.

Qualis doctrina & religio quiue doctores illis tẽporibus. His autem temporibus videntur præclari in eccleſia Iſraelitica fuiſſe patres, filij Iacob, in primis verò Leui, cum filio Cahath & nepote Amram, patre Moſis, deniq; ipſe Moſes & Aaron. Vixit annis aliquot, quod ſuperius in rebus Sem annotaui, Amram cum auo Leui, ſicuti & Moſes cum patre Amram, & veram de religione doctrinam, vel patrum diuinam traditionem, mutuùm communicare potuerunt, & conſolari afflictum populum. Qua re iterum admonemur quanti faciat Deus populum ſuum vel eccleſiam, quam certè deſerit nunquam, licet ad tempus eam ſubijciat afflictionibus exercendam, ſicuti nunc videmus eccleſiam Iſraeliticam oppreſſam gemere in Ægypto, ſed tamen non deſeri à Domino. Speremus ergo ſemper in Dominum, maneamus in eccleſia ſanctorum cõſortio, perſeueremus in religione vera, & expectemus eius auxilium & liberationem, qui ſuos opportuno tempore aſſerit.

Seruitus & oppreßio filiorũ Iſrael in Aegypto. Seruitus autem & oppreſsio filiorum Iſrael videtur in Ægypto non procul à morte Ioſephi cœpiſſe & per tempora inualuiſſe. Scriptura enim, Mortuo Ioſeph, inquit, & vniuerſis fratribus eius, filij Iſrael creuerunt. Surrexit interea rex nouus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Ioſeph. Videtur ille multis fuiſſe Amenophis, qui regnum iniit ante Moſen natum 25. anno deſcenſus in Ægyptum 105. Sequuti ſunt Amenophim reges hoc nihilo mitiores, Orus magnus, Acengeres, Achoris, & Cenchres, qui ſe Moſi & Aaroni oppoſuit, Deum blaſphemauit, & ideò in mari rubro periit. Durauiſſet ergo oppreſsio filiorum Iſrael grauior, annis 105. Marianus Scotus numerat oppreſſionis annos 140. Alijs aliud hic eſt viſum. Euſebius in Chronicis ſuppurat annos 144.

Aaron & Moſes naſcuntur. Aaron autem natus eſt Amramo, anno deſcenſus in Ægyptum 128. & Moſes anno eiuſdem deſcenſus 130. qui erat mundi 2368. Peregrinationis verò patrum 350. Reſtabant ergo ad egreſſum filiorum Iſrael ex Ægypto, à natiuitate Moſis, anni 80. Nam Exodi 7. ita legitur, Fuit Moſes natus annos 80. & Aaron 83. cum loquerentur Pharaoni.

De annis 430. ex libro Exod. Ita verò completi ſunt anni illi 430. promiſsionis ac peregrinationis patrum. Nec offendat quenquam, quod in hæc verba, Exodi 12. legitur, Habitatio autem filiorum Iſrael, qua habitauerunt in Ægypto, fuit 430. annorum. Etenim cum totus ille numerus annorum, ſe extendat ad omnes annos peregrinationis patrum, per Synekdocham duntaxat accõmodantur habitationi filiorum Iſrael in Ægypto. Nam longè certiſsimum eſt à deſcenſu Iacobi in Ægyptum, ad egreſſum vſq; filiorum eius ex Ægypto, plures annos non inueniri quam 210. His accedit & hoc, quod dominus dixit, Geneſ. 15. ad Abraham, Poſteritas quarta generatione reuertentur huc. At prima generatio Iacobi eſt deſcendentis in Ægyptum, qui genuit Leui, ei verò natus eſt Cahad, generat hic Amram, quarta generatio Moſis eſt. Quòd ſi quis nolit noſtræ expoſitioni acquieſcere, audiat ſaltem Apoſtolum, dicentem, Lex quæ poſt annos 430. cœpit, non abrogauit promiſsionem. En promiſsionem, dixit Apoſtolus. At factam ſuperius audiuimus promiſsionem Abrahæ anno vitæ eius 70. Et hæc quidem hactenus de annis 792. à diluuio ad exitum vſq; filiorum Iſrael ex Ægypto.

Galat. 3.

DE ANNIS 480. QVI I. REG. 6. PONVNTVR AB EGRESSV FILIORVM ISRAEL EX AEGYPTO, AD IACTA A SOLOMONE PRIMA TEMPLI FVNDAMENTA ANNO REGNI EIVS QVARTO.

LEgimus Exodi 12. cap. Fuit autem in fine annorum (id est, finitis & exactis annis) 430. fuit inquam hac ipsa die (obserua hic mihi iterum quàm certa & firma sit promittentis Dei veritas) egressi sunt omnes exercitus domini è terra Ægypti. Et hoc ipsum repetens in fine cap. Et eodem die, inquit, eduxit dominus filios Israel, &c. Et iterum in 13. cap. Hodie vos egredimini in mense Abib, At hic mensis respõdet iuxta interpretes partim Martio nostro, partim Aprili. Ab hoc termino supputandi sunt anni, quorum hisce verbis fit mentio 1. Reg. 6. Quadringentesimo octogesimo anno, postquã egressi sunt filij Israel ex Ægypto anno 4. mense Aprili, cœpit Solomon ædificare domum domino. Atq; hi anni ex scripturis apertis possunt colligi, sicut mox patebit. Cæterũ Act. 13. plures ponuntur anni quàm inuenire supputatione legitima possint. Dicit enim apostolus, Deletis gentibus, sorte Iudæis terrã distribuit. Et post hæc annis circiter 450. dedit Iudices vsq; ad Samuelem prophetam. Atqui à diuisa terra & morte Iosue ad Samuelem vsq; supra 325. annos non inuenias. Proinde interpretes pleriq; volunt locum à librarijs esse corruptum. Verùm si expendas dixisse apostolum annis circiter 450. dices apostolum qualemcunq; nõ exactum voluisse numerum ponere. Vulgò enim vsurpatur vocula circiter, quando aliquis nominatur numerus, sed tamen non exactus & per omnia certus. Alij aliter hunc nodum dissecant. Sequatur quisq; quod maximè verisimile videtur. Eadem ratione videtur Iephthae qui affirmat filios Israel ad sua vsque tempora terram Chanaan 300. possedisse annis, temporis præscriptione Ammonitarum principi obiecta, maiorem, vt ferè fit, annorum posuisse numerum, quàm in exacta supputatione inueniatur. Neq; mirum est si miles acu non attigit certum annorum numerum, in quo supputando se minimè exercuit. Sed pergimus.

MOSES fuit dux populi Israelitici per desertum annis 40. Deuteron. 1.

MOSES ab ipsa infantia sua Deum habuit valde propitium, adeoq; ab ipsa mox natiuitate relucebat, quòd Deus ipsum rebus maximis destinasset gerendis. Etenim dum parentes eius nuper natum regis Ægyptij crudelitati, cunctos Hebræorum masculos trucidantis, diutius non possunt subtrahere, arculæ inclusum infantulum, flumini impositum, diuinæ, salutem expositi. prouidentiæ, commiserunt, sorore eius Maria à longè per ripam fluminis consequente. Excipiebatur autem ac extrahebatur infantulus (quare & Mosis nomen accepit, quasi tu dicas extractus) è flumine, à regis Ægyptiorum filia, quam Iosephus nuncupat Thermutim. Porrò simulatione sororis Mariæ effectum est apud reginam, vt Moses propriæ suę matri traderetur nutriendus. Regina verò (in quo mira apparet Dei prouidentia) adoptauit eum in filium, diligenterq; ipsum educari curauit. Id quod ipse Moses Exodi 2. narrat, & martyr Christi Stephanus, his verbis testatus est, Expositum illum sustulit filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi vice filij. Et eruditus est Moses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in dictis & factis. Hæc Stephanus.

Infantia Mosis

Moses reginæ Aegyptiorum filius adoptiuus.

Actorum 7.

Moſes reliquit aulam & Aegyptum.

Cæterùm adulto non ita placuit ſplendor regius, neq; deliciæ aulæ ſic ipſum occuparunt vt Dei religionisq; veræ & populi ſui obliuiſceretur: quinimo poſt eſum quendam Ægyptium, qui Hebræum iniuria affecerat, maluit ſponte ſibi exilium, eſuriem, pauperiemq; deligere, quàm in aula honoribus cumulari & voluptatibus ſaginari, interim cernere miſeri ſui populi oppreſsionem. Nobile hoc eius facinus prædicans Apoſtolus omnibusq; imitandũ nobis proponens,

Hebr. 11.

Per fidem, inquit, Moſes iã grandis, renuit vocari filius filiæ Pharaonis, potius eligens ſimul malis affici cũ populo Dei, quàm tẽporarijs cõmodis peccati fruic maiores arbitratus diuitias probrum Chriſti, quàm Ægyptiorum theſauros tuebatur enim in præmij largitionẽ. Hæc ſanè ſumma laude ſunt digniſsima.

Moſes venit in terram Madiã ad Iethronem.

Diſcedens ergo ex Ægypto, cum expleſſet annos vitæ 40. venit in terram Madian: ac venit ad Iethronem ſacerdotem, virum ſapientiſsimũ, cuius filiam Sephoram, duxit in vxorem, pauitq; ſoceri ſui pecora in deſerto per annos 40. caulam magis approbans, quàm aulam. Quanquam ne ſic quidem religionem, & ſtudia ſacra negligens. Euſeb. enim Cæſariẽ, in Chronicis ſuis, Moſes, inquit,

Moſes philoſophatur in deſerto omnium abſalutiſsi nusphi loſophus.

Ægyptum derelinquens, in Eremo philoſophatur. Rectè verò philoſophatur dixit Euſebius. Neq; enim vir tantus 40. annos (quos vixit in deſerto) vitæ ſuæ ocio ignauo perdidiſſe putandus eſt. Fuerat antea inſtitutus in omni ſapientia Ægyptiorum. Fuerat antea quoq; inſtitutus in omni traditione patrum diuina. Audierat enim Amram parentem ſuum, virum pariter pientiſsimum & ſcientiſsimum paternarum traditionum. Præterea verſabatur modò cum Iethrone ſocero, quo inter gentes, illis temporibus, ſapientior & religioſior alter viuebat nemo. Nec dubium eſt quin ſpiritu ſancto imbutus à puero Moſes, frequentia cum Deo habuerit colloquia. Verè ergo dixit Euſeb. Moſem in deſerto eſſe philoſophatum, intelligens vtiq;, ipſum in rebus diuinis atque humanis verſatum, ac exercitatum, non in nugis & ſordibus falſæ ſapientiæ volutatum. Et certè Moſes hic vir maximus omnes veras philoſophię verę partes exactiſsimè abſoluit, priuſquam naſcerentur poſt aliquot demum ſæcula, qui vulgò habẽtur ceu philoſophiæ fontes & ſapientiæ flumina, ſacerdotes, poetæ, & philoſophi, Linus, Muſæus, Amphion, Orpheus, Homerus, Heſiodus, Pythagoras, Socrates,

De his poſtea dicetur ſuo loco.

Plato, Ariſtoteles, celebresq; illi Græciæ ſapientes. Antecelſit hos omnes facilis aliquot beatus Moſes. Quod idem Euſeb. & ante ipſum beatus martyr Iuſtinus in Admonitorio ſuo ad gentes oſtenderunt. Metaphyſicam Moſes hic noſter, theologiam inquam, veram, non de ente & vno, de eſſentijs, materia & forma, de tranſcendentijs & neſcio quibus alijs logis perplexiſsimis, ſed de Deoribusq; diuinis & ſupernaturalibus vel cœleſtibus veraq; beatitudine ſolus inter philoſophos vera & certa tradidit. Neq; verò imperitum fuiſſe ſermocinalis philoſophiæ & Matheſeos liquet ex eius operibus. Quàm verò hic vnus excelluit in iuriſprudentia, in hiſtoria, in ethicis, in politicis & œconomicis, denique in theorica & practica & in omnibus veræ non fucatę philoſophiæ partibus? Et tamen multi carbones ſibi præ hoc theſauro deligunt, & vaſtos implicatosq; vmbratilis & falſæ ſapientiæ libros euoluunt, breues & luculentos Moſis libros veram continentes ſapientiam prætereundo contemnunt. Nihil nunc dico de eo, quod ſanè eſt admiratione digniſsimum, quòd inquam Moſes multijugæ ſuæ eruditioni coniunxit gubernationem populi tam numeroſi & intractabilis ſemperq; ſeditioſi, diuturnam, ſapientiſsimam & feliciſsimam. Quem oro dabis mihi ex omnibus mundi ſapientibus, poetis, ſacerdotibus & philoſophis, qui hac parte vel cum vmbra Moſis conferri poſsit?

Vocatur Moſes à Deo & mittitur ad Pharaonem.

Octogenarius Moſes & multis iã annis exilio & varijs exercitatus ſtudijs atq; laboribus, & his veluti præparatus ad res maximas adminiſtrandas, vocatur à

tur à domino in deserto. Describitur ea vocatio mirabilis Exodi 3. cap. Iubetur autem à domino vnà cum fratre suo Aarone, Pharaonem accedere, & reposcere Deo suum populum, quem rex dimittat liberum, ad cultum Deo persoluendum in deserto. Instruit Moſen præterea miraculorum edendorum virtute. Paret mox Dei mandatis Moses, & regem alioqui præfractum superbissimum & ferocissimum, accedens liberè & intrepidè mandatum Dei exequitur, adhibitis etiam miraculis vnà cum minis horrendis. Sed frustra omnia, rege contumaciter mandata Dei contemnente. Ergo Deus plagis multis & varijs grauiter affligit, non tam regem ipsum, quàm Ægyptũ vniuersam. Nam sæpius Moses cum rege congressus, sæpissimè mandatum Dei & iudicia eius horrenda regi denunciauit. Sæpissimè item à rege est reiectus & horrendis cum minis dimissus. Præstat autem plagas illas decem (totidem enim recensentur à 7. cap. Exod. ad cap. vsq; 12.) ordine & compendio tenere, vt ex ijs æstimemus & maximam Dei potentiam, & iustam eius iram, punientis rebelles ac resipiscere nolentes. Plagæ comprehenduntur his versibus.

Moses congreditur cum rege Ægyptio.

Plagæ Ægyptiæ X.

Fit cruor ex vndis, conspurcant omnia ranæ,
Dat pulvis cyniphes, postea musca venit.
Dein pestis, post vlcera, grando, locusta, tenebræ,
Tandem protoctos vltima plaga necat.

Quàm magnanimus verò & fortis fuerit Moses, claret ex hac eius legatione ad regem potentissimum ferocissimumq;, & in legatione hac eius mirabilis constantia, quæ nulla potuit frangi regis vehementia minis atq; vesania: manet semper imperterritus ille.

Interim dum vltima Ægyptus plaga percutitur, populus abitum diligenti præparatione molitur, rege tot calamitatibus fracto tandem, & ipsum iam populum ex Ægypto protrudente. Priusquam tamen migraret populus, pascha in Ægypto celebrauit. Quod quale sacrum sit fusè describitur Exodi 12. Apostolus Paulus nuncupat pascha nostrum Christum. Vnde constat in hoc agno mactato promissionem seminis benedicti esse reparatam, ostensumq; illius beneficio liberari populum ex seruitute Ægyptiaca. Pertinet itaq; pascha ad sacramenta religionis veteris, & annumeratur sacrificijs. Tametsi enim epularetur populus, idem tamen legitur agnum immolasse. Hactenus post duo sacramenta Sacrificij & Circuncisionis, nulla præterea habuit sacrificia vetustas, nũc demum post annos ab orbe condito 2448. adijcitur sacrificijs pascha, vt retineret in memoria ingens hoc Dei liberantis ex Ægypto, beneficium.

Sacramentum Pasce.

Postera mox luce, vniuersum Israelis populum virorum duntaxat, sexcentena millia, educit Moses fide plenus ex Ægypto. Pharao autem cæcatus ambitione, auaritia truculentaq; tyrannide, ideoq; parum memor inflictarum sibi plagarum, & quod extrusisset ipsum, dimissum esse à se populum dolet, iccirco collectis copijs ex vniuerso regno validissimis, proficiscentes Israelitas hostiliter, tanquam fugitiuos seruulos recuperaturus trucidaturusq;, insequitur, & ad mare rubrum assequitur. Consternabatur & afflictabatur hic populus Israelis grauissimè, dum à tergo cerneret sibi graues imminere copias, à fronte verò mare latissimum, præsentissimam minitare mortem, neq; vspiam vllum ab vllo vel Deo vel homine auxilium apparere. Verùm bonitas Dei admiranda probè suæ promissionis recordans, viam aperuit per mare tutissimam, perq; mediam mortem populum trepidantem traduxit in vitam. Pharao autem dum eandem ingrederetur viam, & præcedentes trucidare anhelaret, refluentibus vndis, adopertus est cum omnibus suis copijs, fluctibus furentibus, ac funditus perijt. Testari voluit Deus hoc admirabili facinore suo apud omnes posteros, per om-

Moses educit populum ex Ægypto.

Pharao demergitur in mari rubro.

nia sæcula, quanta sit eius potentia in suis asserendis, & in hostibus proterendis, ijs maximè, qui opprimunt innoxios & miseros, Deo præterea & verbo Dei, se contumaciter opponunt, & in suis confidunt viribus. Ideoq; hoc opus Dei toties repetitur in scripturis diuinis. Copiosius de eo disseritur Exodi 13. & 14. & 15.

Populus desertũ ingreditur.

Populus verò Israelis iam liberatus à tyrannide Pharaonis, & assumptus à Deo vt esset Dei populus peculiaris, sicuti patribus eorum promiserat, sub imperio Mosis securè iam satis, desertum ingreditur, rectà petiturus terram promissam Chanaan. In eo itinere plurima euenerunt memoratu & admiratione dignissima. Potuisset ille compendio attigisse terram sibi promissam, nisi eam sibi ipsi perfidia sua & murmure suo impio præclusisset. Nam punitur à Deo ipsorum rebellio contumax, exilio annorum 40. Totidem enim annos aberrarunt in deserto, priusquam attingerent promissam patriam. Id quod significātissimè exponitur Numeri 13. & 14.

Mansiones filiorum Israel in deserto.

Mansiones verò filiorum Israel in deserto ordine enumerantur Numeri 33. cap. & multis illustrantur à beato Hieron. ad Fabiolam, De mansionibus filiorum Israel in deserto quadraginta duabus. Prolixum foret singula suo reponere & recensere loco, neq; requiritur hoc ab Epitomographo, qui fortasis hæc fusius prosequor, quàm leges permittant Epitomes: sed veniam etiam hic mereor, opinor, qui his qualibuscunq; lectori prodesse, & veram pietatem insinuare, imò inculcare omnibus contendo. Aliqua ergo & quidem potiora duntaxat quæ in deserto circa filios Israelis euenerunt, attingam: In his velut in speculo quodam lucido relucebit, qualis tum fuerit doctrina, fides, religio, ecclesia, & politia, qualia item populi peccata, & qualis eius pœnitentia, qualia quoq; Dei supplicia, & quales eius assertiones, qualia denicq; varia & memoranda Dei opera. Hæc enim in historijs sacris præcipuè memoranda esse prius admonui.

LEGIS DEI PROMVLGATIO ET RATIO.

Vbi & quomodo lex Dei promulgata.

PRæcipuum inter omnia præclara Dei opera in deserto patrata, est ipsa Legis promulgatio. Neq; hęc vulgariter est promulgata. Dum enim filij Israel peruenissent in desertum, ad montem vsq; Sinai, iubet Deus omni populo Moses præcipiat, vt quiuis se sanctificando præparet auscultationi ipsius met Concioni Domini. Hic enim veniebat in montem Sinai magna cum maiestate apparatuq; horribili, quò legi authoritatem conciliaret, & ostenderet legislatorem fortem esse vindicem, contrà omnes legis contemptores atq; præuaricatores.

Lex quid.

Recitat autem ipse Dominus Decalogum quem Hebræi vocant verba Dei x. continentia omnium legum summarium. Et lex (quæ nuncupatur Thora, id est directio) doctrina est & regula vitæ in diuinis & humanis, præscribens clarè & breuiter quę faciamus & omittamus, & quidem erga Deum & erga hominem. Astabant ad montem & ad hanc concionem Dei diuinam, auditores supra sexcentena virorum millia. Mulieres & liberi hic in supputationem non veniunt. Non ergo in antro aliquo, non in orbis angulo aliquo, aut in obscuro aliquo loco, sed in luce media, in propatulo, & in cœtu omnium maximo, quo non alius fuit in orbe maior & celebrior, promulgata est lex. Subijcerē his, prout æquum est, ipsa legis verba sancta, ipsum inquam Decalogum, nisi omnibus ille esset cognitissimus, & ascriptus Exodi 20. & Deut. 5. cap.

Inscribitur à Deo lex in tabulas lapideas.

A promulgatione, non ita multo post tempore, exarauit illam Deus, digito suo proprio, in tabulas lapideas duas, quò esset indelebilis & sempiterna, nulla obnoxia vel obliuioni vel corruptioni. Porrò tabula legis illa bipertita, prima

sui parte præcepta habet 4 & pertinent ea ad Deum & ad cultum Dei officia- que hominum præstanda Deo. Secunda sui parte mandata habet 6. pertinentia ad porximum & informantia officia proximo debita. *Quid continea tur in tabulis.*

Et tabulæ quidem illæ nuncupantur in sacris literis, tabulæ fœderis, quòd comprehendant præcipua veteris illius fœderis, initi cum patribus, capita. Etenim summa traditionis viuæ paternæ, iam referebatur in literas. Repositæ sunt autem illæ in arcam, ceu thesaurus quidam cœlestis. Ac arca ab his tabulis fœderis, dicta est arca fœderis, vel contestationis & testimonij. *Tabulæ fœderis.* *Reponuntur in arcam.*

Non aliam Deus nunc religionem & doctrinam tradit Mosi, quàm doctie- rat tradideratq; patribus antiquis. Eandem enim nunc quoq; repetit, sed instru ctiorem iam & auctiorẽ, quo ad ritus & cęremonias, pręterea in literas relatam distinctius nunc proponit. Ita eĩm nunc cũ Israelitis fieri oportuit, assuefactis in Ægypto varijs & peregrinis sacris. Ac apparet in omnibus ipsorũ dictis & factis, quàm propenderint semper ad alienos Deos & ad peregrina sacra. Proinde voluit Deus omnes vias, per quas elabi poterant ad colendos alienos Deos cultu peregrino, varijs illis & multiplicibus (de cæremonialib. maximè loquor) obturare legibus, hisq; ceu cancellis quibusdã circumscribere & velut includere, & ab omnibus peregrinis sacris arcere, sibiq; soli & suo cultui consecrare, ne quiuis quamuis, quod vulgo fit, religionẽ sibi fingere propriã auderet, aut confictã ab alio sectaretur. Ideò enim manifestè Moses, Ne fecerint singuli, inquit, quod ipsis rectum videtur, & non dices, Sicut coluerunt gentes alię Deos suos, ita & ego colam. Caue ne imiteris eas, nec feceris similiter Deo tuo. Quod præcipio tibi, hoc tantũ facito domino, nec addas quicquã nec diminuas. Deute. 12. Alioqui quod patres compendio in Traditione id est in promissione seminis benedicti, in regula vitæ iusta, & in sacramento sacrificij habuerunt, id ipsum Israelitæ nunc accipiunt in copiosius exposita lege & in multijugis sacrificijs & ritibus sacris. *Eadem religio & doctrina patrum & legis.*

Quò autem plus authoritatis haberet Lex lata à Deo per Mosen, vniuersaq; doctrina tradita à Mose, ex inspiratione Dei, publicè & priuatim Deus loquitur cum Mose, & varijs ipsum elogijs vel testimonijs ornat. Familiarissimè sanè ille conuersatus & collocutus est cum Deo, qui omnia ei mysteria & instituta aperuit ac tradidit, quæ populo suo scitu erant necessaria, vt is vicissim populo suo traderet. Fuit is aliquando cum Deo per 40. dies continuos, in perpetuo colloquio, quibus sanè diebus nihil edit nihilq; bibit, saciatus vtiq; abunde conspectu & alloquio Dei suauissimo. Rediit autem ex hoc colloquio post 40 dies ad populum, tantumq; de se fulgorem fudit facies Mosis, vt filij Israel in faciẽ eius intendere non possent. Ornauerat Deus tanta gloria suum interpretem, vt manifestum fieret vniuerso mundo, Mosem licet homo esset, ea tamen quæ proposuit populo, cùm scripto tum voce viua, non esse profecta à propria sua voluntate, sed à diuina reuelatione Sæpe aliàs Deus attestatus est testimonijs illustribus quòd Moses, diuina non humana populo tradat. Huc enim pertinent clarissima & irrefragabilia ista testimonia, Ingresso Mose in tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostiũ, loquebaturq; dominus cum Mose, cernentibus vniuersis, quòd columma nubis staret ad ostium tabernaculi: stabantq; ipsi & adorabant. Loquebatur autem dominus ad Mosen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Exodi 33. Et iterum Numeri 12. dicit dominus ipse, & quidẽ palàm, Si quis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somniũ loquar ei. At nõ talis seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est. ore enim ad os loquor ei palàm, & nõ per figuras, &c. Et hæc quidem omnia fuerunt certissima & cõpertissima vniuersiq; *Authoritatem Mosi legiq; & doctrinæ conciliat Deus.*

nia sæcula, quanta sit eius potentia in suis asserendis, & in hostibus proterendis, ijs maximè, qui opprimunt innoxios & miseros, Deo præterea & verbo Dei, se contumaciter opponunt, & in suis confidunt viribus. Ideoq; hoc opus Dei toties repetitur in scripturis diuinis. Copiosius de eo disseritur Exodi 13. & 14. & 15.

Populus desertũ ingreditur.

Populus verò Israelis iam liberatus à tyrannide Pharaonis, & assumptus à Deo vt esset Dei populus peculiaris, sicuti patribus eorum promiserat, sub imperio Mosis securè iam satis, desertum ingreditur, rectà petiturus terram promissam Chanaan. In eo itinere plurima euenerunt memoratu & admiratione dignissima. Potuisset ille compendio attigisse terram sibi promissam, nisi eam sibi ipsi perfidia sua & murmure suo impio præclusisset. Nam punitur à Deo ipsorum rebellio contumax, exilio annorum 40. Totidem enim annos aberrarunt in deserto, priusquam attingerent promissam patriam. Id quod significãtissimè exponitur Numeri 13. & 14.

Mansiones filiorum Israel in deserto.

Mansiones verò filiorum Israel in deserto ordine enumerantur Numeri 33. cap. & multis illustrantur à beato Hieron. ad Fabiolam, De mansionibus filiorum Israel in deserto quadraginta duabus. Prolixum foret singula suo reponere & recensere loco, neq; requiritur hoc ab Epitomographo, qui fortasis hæc fusius prosequor, quàm leges permittant Epitomes: sed veniam etiam hic mereor, opinor, qui his qualibuscunq; lectori prodesse, & veram pietatem insinuare, imò inculcare omnibus contendo. Aliqua ergo & quidem potiora duntaxat quæ in deserto circa filios Israelis euenerunt, attingam: In his velut in speculo quodam lucido relucebit, qualis tum fuerit doctrina, fides, religio, ecclesia, & politia, qualia item populi peccata, & qualis eius pœnitentia, qualia quoq; Dei supplicia, & quales eius assertiones, qualia denicq; varia & memoranda Dei opera. Hæc enim in historijs sacris præcipuè memoranda esse prius admonui.

LEGIS DEI PROMVLGATIO ET RATIO.

Vbi & quomodo lex Dei promulgata.

PRæcipuum inter omnia præclara Dei opera in deserto patrata, est ipsa Legis promulgatio. Neq; hęc vulgariter est promulgata. Dum enim filij Israel peruenissent in desertum, ad montem vsq; Sinai, iubet Deus omni populo Moses præcipiat, vt quiuis se sanctificando præparet auscultationi ipsius met Concioni Domini. Hic enim veniebat in montem Sinai magna cum maiestate apparatuq; horribili, quò legi authoritatem conciliaret, & ostenderet legislatorem fortem esse vindicem, contrà omnes legis contemptores atq; præuaricatores.

Lex quid.

Recitat autem ipse Dominus Decalogum quem Hebræi vocant verba Dei x. continentia omnium legum summarium. Et lex (quæ nuncupatur Thora, id est directio) doctrina est & regula vitæ in diuinis & humanis, præscribens clarè & breuiter quę faciamus & omittamus, & quidem erga Deum & erga hominem. Astabant ad montem & ad hanc concionem Dei diuinam, auditores supra sexcentena virorum millia. Mulieres & liberi hic in supputationem non veniunt. Non ergo in antro aliquo, non in orbis angulo aliquo, aut in obscuro aliquo loco, sed in luce media, in propatulo, & in cœtu omnium maximo, quo non alium fuit in orbe maior & celebrior, promulgata est lex. Subijcerẽ his, prout æquum est, ipsa legis verba sancta, ipsum inquam Decalogum, nisi omnibus ille esset cognitissimus, & ascriptus Exodi 20. & Deut. 5. cap.

Inscribitur à Deo lex in tabulas lapideas.

A promulgatione, non ita multo post tempore, exarauit illam Deus, digito suo proprio, in tabulas lapideas duas, quò esset indelebilis & sempiterna, nulla obnoxia vel obliuioni vel corruptioni. Porrò tabula legis illa bipertita, prima

sui parte præcepta habet 4 & pertinent ea ad Deum & ad cultum Dei officia- que hominum præstanda Deo. Secunda sui parte mandata habet 6. pertinentia ad porximum & informantia officia proximo debita. *Quid continea tur in tabulis.*

Et tabulæ quidem illæ nuncupantur in sacris literis, tabulæ fœderis, quòd comprehendant præcipua veteris illius fœderis, initi cum patribus, capita. Etenim summa traditionis viuæ paternæ, iam referebatur in literas. Repositæ sunt autem illæ in arcam, ceu thesaurus quidam cœlestis. Ac arca ab his tabulis fœderis, dicta est arca fœderis, vel contestationis & testimonij. *Tabulæ fœderis.* *Reponuntur in arcam.*

Non aliam Deus nunc religionem & doctrinam tradit Mosi, quàm docuerat tradideratq; patribus antiquis. Eandem enim nunc quoq; repetit, sed instructiorem iam & auctiorẽ, quo ad ritus & cęremonias, prętera in literas relatam distinctius nunc proponit. Ita eĩ nunc cũ Israelitis fieri oportuit, assuefactis in Ægypto varijs & peregrinis sacris. Ac apparet in omnibus ipsorũ dictis & factis, quàm propenderint semper ad alienos Deos & ad peregrina sacra. Proinde voluit Deus omnes vias, per quas elabi poterant ad colendos alienos Deos cultu peregrino, varijs illis & multiplicibus (de cæremonialib. maximè loquor) obturare legibus, hisq; ceu cancellis quibusdã circumscribere & velut includere, & ab omnibus peregrinis sacris arcere, sibiq; soli & suo cultui consecrare, ne quiuis quamuis, quod vulgo fit, religionẽ sibi fingere propriã auderet, aut confictã ab alio sectaretur. Ideò enim manifestè Moses, Ne fecerint singuli, inquit, quod ipsis rectum videtur, & non dices, Sicut coluerunt gentes alię Deos suos, ita & ego colam. Caue ne imiteris eas, nec feceris similiter Deo tuo. Quod præcipio tibi, hoc tantũ facito domino, nec addas quicquã nec diminuas. Deute. 12. Alioqui quod patres compendio in Traditione id est in promissione seminis benedicti, in regula vitæ iusta, & in sacramento sacrificij habuerunt, id ipsum Israelitæ nunc accipiunt in copiosius exposita lege & in multijugis sacrificijs & ritibus sacris. *Eadem religio & doctrina patrum & legis.*

Quò autem plus authoritatis haberet Lex lata à Deo per Mosen, vniuersaq; doctrina tradita à Mose, ex inspiratione Dei, publicè & priuatim Deus loquitur cum Mose, & varijs ipsum elogijs vel testimonijs ornat. Familiarissimè sanè ille conuersatus & collocutus est cum Deo, qui omnia ei mysteria & instituta aperuit ac tradidit, quæ populo suo scitu erant necessaria, vt is vicissim populo suo traderet. Fuit is aliquando cum Deo per 40. dies continuos, in perpetuo colloquio, quibus sanè diebus nihil edit nihilq; bibit, saciatus vticq; abunde conspectu & alloquio Dei suauissimo. Rediit autem ex hoc colloquio post 40 dies ad populum, tantumq; de se fulgorem fudit facies Mosis, vt filij Israel in faciẽ eius intendere non possent. Ornauerat Deus tanta gloria suum interpretem, vt manifestum fieret vniuerso mundo, Mosem licet homo esset, ea tamen quæ proposuit populo, cùm scripto tum voce viua, non esse profecta à propria sua voluntate, sed à diuina reuelatione Sæpe aliàs Deus attestatus est testimonijs illustribus quòd Moses, diuina non humana populo tradat. Huc enim pertinent clarissima & irrefragabilia ista testimonia, Ingresso Mose in tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostiũ, loquebaturq; dominus cum Mose, cernentibus vniuersis, quòd columma nubis staret ad ostium tabernaculi: stabantq; ipsi & adorabant. Loquebatur autem dominus ad Mosen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Exodi 33. Et iterum Numeri 12. dicit dominus ipse, & quidẽ palàm, Si quis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somniũ loquar ei. At nõ talis seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est. ore enim ad os loquor ei palàm, & nõ per figuras, &c. Et hæc quidem omnia fuerunt certissima & cõpertissima vniuersiq; *Authoritatem Mosi legiq; & doctrinæ conciliat Deus.*

Moſes præſtantior omnibus totius orbis legislatoribus.

populi Iſraelitici coràm illa ſpectantis, comprobat teſtimonijs. Nihil tale in om nibus aliarum gentium legislatoribus ducibuſq́, licet celeberrimis, inueniat. Volebant & illi quondam videri ſe congredi cum numine, & ex hoc proferre & agere, quæ proferebant & agebant, ſed quàm frigidæ & quàm vanæ erant eorum ſimulationes, quàm palpabilia ipſorum mendacia? Cognitiſſima enim ſunt omnibus, quæ refert in ſimulata religione Valerius, de Numa Põpilio Romano, de Minoe Creten. de Lycurgo Lacedemone, de Scipione Aphricano, L. Sylla, & Q. Sertorio. Secedebant hi vt tenebrarum filij in ſpecus atq́ antra, & fingebant congreſſus nocturnos neſcio cum quibus lemuribus. Quæ quidem omnia adeò ſunt fatua, vt ſemetipſa ſua ſe euertant ineptia. Proinde liquidò cognoſcet noſtram doctrinam atq́ religionem abſq́ dubio certam eſſe ac indubitatam, ſolamq́ diuinam.

Diuiſio legis Dei.

Moralis lex.

Leges ipſas Dei per Moſen traditas totumq́ illud corpus iuris diuini & humani, ſacri interpretes pulcherrimo diſtribuerunt ordine, in legem Moralem, Cæremonialem, & Iudicialem. Moralis lex illa eſt potiſſimùm quæ Decalogo comprehenditur. Ei ſparſim in 4 libris Moſis adijciuntur leges plurimæ, explicantes breuitatem illam Decalogi, qua Deus qui ſemper ſe demittit, & infirmitati noſtræ ſe accõmodat, hic quoq́ memoriæ etiam rudiſſimorum voluit conſulere, & legum omnium ſummam in breue Decalogi compendium contrahere, quò vniuerſi hoc facilè diſcere, & memoria retinere poſſint. Quid quod poſtea inuentum eſt compendium adhuc ſuccinctius? Nam decem illa mandata in duo duntaxat ſunt cõtracta, in Dilectionem Dei & proximi. Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum ſicut teipſum. Ergo leges illæ de diligendo Deo ante omnia, de vno ſolo vero Deo adorando, de fiducia in promiſſionem Dei figenda, illa denique lex, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt, & ſimiles aliæ plures, commentarij vice adiunguntur Decalogo & primo quidem præcepto explicando. Ita quæ paſſim in libris Moſis leguntur contra idola & idololatriam dicta, pertinent ad 2. legem Decalogi illuſtrandam. Quæ verò docentur de inuocãdo Deo, de blaſphemijs & execrationibus fugiendis, de feſtis item & ſacrificijs vel ſacramentis, de docendo cœtibuſq́ ſacris & rebus ſimilibus referenda ſunt ad mandatum tertium ac quartum. Pó ſunt lectores diligẽtes facilè nulloq́ negotio, ſingulas leges ad primaria illa fa referre capita.

Expoſitio Decalogi.

Leges cæremoniales.

Sed & ipſæ leges, quas vocant Cæremoniales & Iudiciales, adiectæ ſunt Deo per Moſen ad conſeruandas illuſtrandasq́ leges morales. Nam Cæremoniales leges illæ ſunt, quæ præcipiunt de Cæremonijs id eſt de ritibus ſacris, coternoq́ & legitimo Dei cultu ritè peragendo. Diſtinguuntur hæ ſecunden Locum, Inſtrumenta ſacra, Tempus, Res & Perſonas. Ad locum pertinent Tabernaculum & Templum cum omnibus ſuis partibus. Inſtrumenta ſacra ſunt Arca fœderis, Menſa & Panes propoſitionis vel facierum, Candelabrum, Aholocauſti & thymiamatis, Mare æneum, polubrum, pelues, & huius generis plurima alia, Veſtes item variæ ſacerdotales. Ad res porrò pertinent omnis generis ſacrificia in Leuitico deſcripta, Purgationes, Conſecrationes, & ſimiles res. Perſonæ ſunt Pontifex ſumus, Sacerdotes, Cantores, Ianitores, Doctores, Leuitæ, miniſtri, &c. Quibus annumerantur quæ traduntur de eorum officijs & vectigalibus.

Ordo pulcherrimus in cæremonijs.

In his arbitror in primis obſeruandum eſſe ordinem pulcherrimum, quem ſequitur Deus, ſed & myſterium benedicti ſeminis, quod in his adumbrauit, ut vno loco & ad aram vnam ſuos voluit ſacrificare Deus. Ergo in alijs locis (nam per diſpenſationem) ſacrificari noluit. Imò Leuit. 17. Quicunq́ nõ immolauerit, inquit

inquit, sacrificium domino ante tabernaculum domini, sanguis imputabitur viro illi, sanguinẽ fudit, excindeturq; vir ille è medio populi sui. Bamah id est excelsa vocarunt sacræ literæ ea loca in quibus sacrificauit contra legẽ populus. Excipimus excelsa Samuelis, Solomonis ante lapsum & aliorum sanctorum, quæ longè aliam rationem ab ijs habent, quæ vulgò frequentabãtur & vituperabantur à prophetis, necdum ipsorum ætate erectum erat templum, & locus ille certus, in quo solo sacrificari oportuit, indicatus. Cæterùm in vno duntaxat loco voluit suos sacrificare dominus, vt omnes sibi primùm soli consecraret, & ab omnibus, sicut & antea dictũ est, peregrinis & Dijs & cultibus abstraheret. Ideò enim cultum suum omnem tam accuratè præscripsit, vt sui circumscripti non facilè præuaricarentur. Voluit prẽterea omnes in vnam veluti parœciam, quam vocamus, & in vnum compingere corpus mysticũ, cui ipse solus esset caput, rex & dominus. In primis verò statuit his vnicum filij sui in cruce sacrificium, quod semel oblatum, plenè expiat, & adumbrare & inculcare. Quo in primis pertinet vniuersale, anniuersarium & vnicum illud sacrificium, quod Leuit. 16. multis describitur. Semel enim in año offerebatur à summo pontifice expiatoria hostia, & tamen sola tollebat (is nimirũ qui ea præfigurabatur) peccata omnia vniuersi populi. Vnde vaticinium suum Zacharias in fine 3. cap. mutuò accepit. De quo & Apostolus ad Hebræos 9. & 10. cap. grauiter & salubriter disputauit, commonstrãs vnico Christi sacrificio auferri peccata vniuersa totius mundi.

Ezech. 21.

Quare vno in loco sibi sacrificari voluerit Deus.

Instrumenta quoq; sacra potiora vt arca, candelabrum, mensa & qui imponebantur mensæ panes, & ara thymiamatis typum prætulere Christo: sicut obiter ostendi in meis illis Decadibus. Et apostolus docet vnicum nobis superesse pontificem & sacerdotem Iesum Christum. Nam legalia illa data esse in certum finem & ad tempus correctionis, quod nullum aliud sit, quàm tempus Christi seruatoris, qui abrogatis legalibus illis, ipse solus sit pontifex noster, ara nostra & hostia, candelabrum & arca & mensa, omnia deniq; solus, vt pijs posi Christum, qui fide apprehenditur, amplius nihil opus sit illis cæremonijs.

Typi Christi.

Abrogata lex.

Ex quibus intelligimus, sicut & antea, in primis verò in rebus Adami diximus, sacrificia veterum fuisse sacramenta tradendi Christi, sicuti cœna dominica, quæ in istorum locum subijt, sacramentum est traditi Christi, & absolutæ nostræ redemptionis. Sacrificia ergo & effusiones tot tantæq; sanguinis animantium, erant conciones passionis Christi. Pij enim ad sacra spectatores non astabant ceu ad prophanam pecudum, in macello, lanienam & mactationem, sed fide contemplabantur à longè futuram Christi passionem & redemptionem generis humani. De quo alibi copiosius disserui. Interim non diffiteor, in veteri populo fuisse plurimos admodùm rudes & crassos, qui mysteria non intellexerint, & externam tantùm sacrorum actionem spectarint, eaq; abutentes, externis tribuerint nimium. Quorum opinionem prauam grauiter increparunt prophetæ, reprehendentes & sacerdotes, quòd malè instituerent populum. Quid autem mirum si erret populus, vbi sacerdos mysteriorum Christi est ignarus?

Sacrificia veterum.

Et quidẽ vt vbiq; populus in vera religione erudiretur, locum quidẽ vnum Deus sacrificijs deputauit, in quo & sacerdotes, leuitas, vel ministros, & doctores habitare iussit, cultumq; exoluere traditum, interim tamen Leuitas dispersit per omnes totius gentis Iudaicæ tribus, constitutis ad hoc ciuitatibus Leuiticis, in quibus singulæ erant synagogæ. In has colligebãtur sabbatis vicinorum locorum populi, ad audiendum verbum Dei, & ad preces publicas. In his enim docebant Leuitæ, non tamen, vt antea dictum est, sacrificabant. Statis feriis, & quoties vota domino nuncupabant, ad templum ascendebant Hierosolymam,

Sacerdotes & Leuitæ.

sacrificaturi, & parœciæ vel cœtui se vniuersali in festis aggregaturi. Præterea

Scholæ. erant ciuitates illę Leuiticę scholę & collegia quędã, ex quibus prodibant populi doctores. Celebrius tamen studium Hierosolymis erat. Multæ sunt leges Leuitarum sparsę per Leuiticum & per alios libros Mosis de ipsorum officijs, ipsis autem per aduentum Christi abrogatis, successerunt in locum ipsorum prædicatores euangelij, doctores & ministri ecclesiæ Christi. Et Christus quidem solus manet in dextra patris pontifex summus, & sacerdos in æternũ secundum ordinem Melchizedek.

Iudicialesleges Porrò Iudiciales leges illæ sunt quæ iudicia instruunt, formant & conseruant rempub. vel societatem inter se hominum honestam & pacificam. Argumentum hoc Græci appellarunt Politicum & Oeconomicum. Præcipiũt ergo iudicialia vel politica illa de magistratu constituendo, de officijs magistratus, de honestate & pace publica conseruanda & defendenda, de bellis legitimè suscipiendis & gerendis arcendisq; & cohercendis hostibus & seditiosis, de iudicijs item in foro, de possessionibus & hæreditatibus, denicq; de emendo, vendendo, mutuo, locando similibusq; rebus ciuilibus & rusticis, item de sontium pœnis. Sparguntur hæ per libros Mosis, & pertinent ipsæ quoq; omnes & singulæ ad leges morales. Quia pietatem, iustitiam, æquitatem, tranquillitatem, dilectionem & honestatem alunt atque tuentur, & omnes iniurias, stupra, luxum, fraudes, cædes similiaq; flagitia ab innoxijs in quouis regno, aut in qualibet republ. propulsant. Norunt autem hic omnes nullum regnum religari ad politiam Mosis. Est enim in his libertas, modò substantia iuris & æqui sit integra.

Legis vsus triplex. Rectissimè itaq; à plerisque theologis triplex vniuersæ legis huius diuinæ ostenditur vsus. Principiò enim lata est à Deo per Mosen, vt per spiritum sanctum in sui ipsius cognitionem adducat hominem, ac euincat omnes homines esse peccatores, nullum suis iustificari viribus sed gratia dũtaxat Dei per Christum in fide iustificari, atq; seruari credentes. Quem sanè legis vsum ostendit Apostolus dicens, Scimus quòd quæcũq; lex dicit, his qui sub lege sunt, dicta, vt omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Deo, propterea quod ex operibus legis non iustificabitur vlla caro in conspectu eius. Per legem enim agnitio peccati. Rom. 3. Et idem iterum, Si data fuisset lex, inquit, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia: sed concluſit scriptura omnia sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Galat. 3. Secundus ergo vsus legis est, quòd manu ducit ad Christum, per quem iustificamur in fide: iterum Apostolo testante atq; dicente, Antequam venisset fides, sub lege custodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ erat reuelanda. Itaq; lex pædagogus noster fuit ad Christũ, vt ex fide iustificaremur. Galat. 3. Quibus accedit quod audiuimus cęremonialia propè omnia typum prætulisse Christo, actionesq; illas bona sui parte fuisse conciones de Christo. Tertius vsus legis est, quòd omnes vitæ nostræ partes iam in diuinis quàm humanis rebus informat, docens quæ sint omnium sexuum atq; ætatum officia, quid vel expetendum sit vel fugiendum. Est enim lex norma vel regula vitæ. Vnde & prophetæ & apostoli doctrinas suas de dictis & factis fidelium Deo placentibus ex lege hac diuina petierunt. De his copiosè aduersus Anabaptistas disputaui lib. 4. cap. 3. 4. 5. vbi etiam ostendo hac doctrina non commiscerì Legem & Euangelium, inter quæ discrimen iustum sit retinendum.

An seminis benedicti mentio facta in Decalogo. Priusquam verò hinc transeamus, breuiter illis respondendum esse arbitror, qui obijciunt, Mosen neq; in Decalogo neq; alibi expresse vllam seminis benedicti facere mentionem. Vnde apparet eius non tantam habendam curam, quantam in hoc nostro opere contendimus. Respondemus ergo, promissionem de se-

de semine benedicto ante recitatas, nõ ab alio, quàm ab ipso Mose scriptas esse nobisq; traditas, falsò ergo asseri seminis benedicti à Mose nullã fieri mentionẽ. Addimus illas sanè apud vniuersam vetustatem consignatis in animis notiones fuisse, quæ ab initio omnium piorum obsederunt animos, ac præsupponebantur, vt sic dicam, ab omnibus ceu indubitatæ salutis fundamenta, Apostolo iterum testificante atque dicente, Testamentum ante comprobatum, à Deo, in Christo, lex quæ post annos 430. cœpit, non facit irritum, vt abroget promissionem. Ergo Moses primum locũ in lege sua tribuisse Christo benedicto semini credendus est. Sicut & dominus Iesus ipsemet in euangelio dixit, Si crederetis Mosi, & mihi crederetis. De me enim ille scripsit. Et Paulus coram rege Agrippa affirmat se in prædicando euangelio de Christo, nihil tradidisse quod antea non docuerit ipse Moses cum prophetis. Nec negari potest in primo Decalogi mãdato manifestissimam fieri mentionem liberationis ex Ægypto. Quis verò non agnoscat vicissim, in illa ipsa mentione inclusum esse Christi benedicti seminis mysterium? Quod ne cui nouum & alienum esse videatur, inspiciat cui libet 12. cap. Exodi, vbi traditur sacramentum agni paschalis. Scimus certè omnes pascha nostrum immolatum esse, Christum, iuxta doctrinam apostolicam, & quòd beneficio Christi populus ex seruitute Ægyptiaca est redemptus. Quomodo itaq; Christi in Decalogo nulla fit mentio, quando liberationis ex Ægypto fit mentio: quę & ipsa typus fuit vniuersalis redemptionis per Christum ex seruitute peccati mortis inferni atq; diaboli?

Plena theologia est tradita à Mose.

Proinde vt tandem hunc de promulgatione & ratione legis locum finiam, manifestum est Deum populum illum suum, quem sibi peculiariter delegit, & ipsum vniuerso mundo, ideoq; in medio mundi, ceu speculum proponere voluit, & promissione salutari benedicti seminis, & lege sua sic instruxisse, vt ei ne quein diuinis, neq; in humanis, neq; in religione, neq; in repub. defuerit quicquam. Quo nomine & pij principes sacerdotes atq; prophetæ, Mosen sequentes, nihil noui confinxerunt, aut populo tradiderunt, sed in lege Dei perseuerantes, ipsam populo Dei, per omnia sæcula ad Christi vsq; tempora interpretando accommodarunt. Et hæc quidem de legis promulgatione ratioeq;, operosius & prolixius fortè, quam oportuerat, disserui: sed spero interim hanc meã de lege commonefactionem, pijs & studiosis lectoribus neque ingratam neq; inutilem futuram.

Oẽs boni principes per omnia sæcula omnia sua instituerunt ad legem Mosis.

Post legis lationem commemoranda venit Mosis diligens, sapiens & optima gubernatio populi, alioqui duri & intractabilis, laborq; eius immẽsus. Apostolus certè Paulus, Moses, inquit, fidelis fuit ei, qui ipsum constituit in tota domo ipsius. Neq; enim eius omisit quicquam quod ei mandauit Dominus: sed & omnia singulaq; eo modo & ea ratione est exequutus, qua præceperat Dominus exequendũ, nihil Dei iussis adijciens, nihil detrahens aut quicquã in eis immutans. Et quidem Tabernaculum ipsum, & quæcunq; ad tabernaculum & legitimum Dei cultum pertinent, simul ac diuina reuelatione didicisset, quid Dominus fieri vellet, absq; vlla mora, & euestigio in ipsa prima die, mensis primi, in anno 2. ab exitu ex Ægypto, plenissimè absolutum in deserto, in medijs suorum castris, erexit: vt planè multa dignum sit admiratione, opus tantum & tam varium, tam breui temporis spacio absolui potuisse. Sed docemur nos in religionis negotio, & in cultu Dei procurando, neq; cessandum esse, neq; procrastinandum, multò minus stertendum, sed maturandum. Leuitas quoque ministros sacri cultus ordinauit, & quid singuli agerent è lege Domini docuit. AARON primus fuit pontifex summus, non fauore Mosis fratris, sed Dei mandato constitutus. Fuit vir pijssimus, eloquentissimus, doctissimus & per omnia

Mosis diligens & fidelis administratio.

Administratio ecclesiastica.

clarissimus, sacrorum omnium antistes semper diligentissimus fidelissimusq; nisi quod in fabricando vel fundendo vitulo & murmure contra fratrem Mosen, turpes sibi maculas inusserit. Sed nemo omni parte beatus. Fuerunt ergo in deserto Doctores veræ religionis integerrimi Aaron, filij eius atq; Leuitæ, Mosis cõtribules. Simul autem vt hęc omnia perfecta essent, protinus Deo cultum legitimum vti requisiuerat religiosissimè exhibuit, populumq; congregatum in cœtus sacros Deo gratissimos, sacris assuefecit. Doctrinam præterea, in qua momentum est maximum, vt perpetuò sonaret in populo, & ordo Leuitarum suum faceret officium, sedulò procurauit.

Administratio politica vel ciuilis.

Non minori diligẽtia & cura prospexit, ne in politia rebusq; ciuilibus esset vlla ἀταξία aut conturbatio. Ergo ducem populo virum præstantissimum loco sue dedit, magistratum vel iudices ac senatores, eorumq; ministros, ad res exequendas necessarios, & quales quidẽ illos qualibusq; moribus instructos esse oporteat indicans, deligere iussit populum. Iudicia ipse ordinauit, & quid iudices facerent, non tam legibus ostendit, quàm præeundo proprio suo exemplo commonstrauit. Super populo denicq; vniuerso accuratissimè semper aduigilauit, salutemq; eius continuis perpetuisq; precibus domino commendauit. Atq; ita tandẽ laboribus inæstimabilibus, in primis verò Dei auxilio & virtute, rem pub. constituit, quàm pulcherrimam, & in religione & in rebus politicis quàm optimè institutam, & iccirco in vniuerso orbe & per omnia sæcula celebratissimam, apud omnes ferè sapientes. Prodeant hic illi, qui sacris spretis, duntaxat prophanas res ethnicorum mirantur atq; extollunt, & ostendant nobis ex illustrissimis viris gentilium, vnum (plures non dicam) & alterum, qui possit aliqua saltem ratione conferri cum hoc nostro Mose? Quod cum non possint, discant gentilitia ita admirari, vt semper tamen multis parasangis præferãt sacra. Neq; enim & ethnica prorsus & per omnia aspernanda arbitror. Habent & illa bonum suum vsum. De qua re dictum est alàs.

Ingratitudo populi erga Mosẽ eiusq; afflictio varia.

Modicam verò ex his immensis vtilissimisq; suis laboribus atq; curis gratitudinem à populo Israelitico expertus est Moses, qui hoc sanè cum omniũ gentium clarissimis & optimè meritis viris commune habet. Israelitæ enim murmurarunt non semel contra Mosen: eundem contumelijs perfuderunt, proscideruntq; conuitijs indignissimis, sed & lapidibus obruissent eum non semel, nisi Dei potentia, cruentis ipsorum manibus, erutus fuisset. Quid quod Aaron ipse Mosis frater, & Maria Mosis soror, non temperarunt sibi à murmure & conuitijs, contra bene de se ipsis & vniuerso populo meritum fratrem? Denicq; quam horrendam contra ipsum seditionem excitarint Rubentiæ & Leuitæ & quam horribiliter etiam ob hanc seditionẽ sint puniti à Deo, pluribus describitur Numeri 16. cap. Sed vt in Ægypto regis ferocia & minis à proposito à constantia & ab obedientia Dei abduci non potuit Moses, ita ne his quidem omnibus eius quiuit frangi patientia, fides, diligentia & studium paternum, quod cõferebat in populum. Erat enim mortalium omnium, quod ipsa etiam scriptura diserte testatur, mitissimus. Ideoq; & Deus qui tantis ipsum instruxerat facultatibus, fidelissimum seruum in omnibus periculis & difficultatibus asseruit atq; seruauit, & hunc ipsum omnibus ecclesiæ & politiæ præfectis imitãdum proposuit.

Mosis laudatissima constantia.

Insignia Dei beneficia populo Dei præstita in deserto.

Post hæc in his quæ in deserto euenerũt populo Israelitico, obseruanda sunt etiam insignia illa immensaq; beneficia Dei, malè grato præstita populo. Præmisit ante faciem eorum angelum suum, qui vias ei omnes, vt expeditæ forent, strauit, prouexit, denicq; per omnia discrimina atq; seruauit. Interdiu obtexit, obumbrauitq; castra ipsorum nube, ad depellendum solis ardorem, noctem verò ignea columna illustrauit, ad sedandos terrores nocturnos. Vniuerso illo peregrina-

regrinationis ipsorum tempore, nunquam quicquam eis defuit, licet ad tempus aliquando tentarentur à Domino. Vestes ipsorum neq; vsu neq; vetustate sunt consumptę, neq; calcei obtriti. Pauit eos toto isto peregrinationis tempore pane cœlitus depluto, quem illi vocarunt Manna. Coturnices quoq; turmatim aduolare curauit, vt delicatis quoq; carnibus, sicut desiderarant, explerentur. Petra item mirabile dictu, fontem eis profudit ad bibẽdum & ad sitim abunde restinguendam. A calamitatibus sæpius & clementer liberauit quampluribus, quas suis peccatis, Deum prouocantes, sua in se culpa propria, deriuarũt, agnoscentes tamen illam & supplicantes humiliter Domino, ab ipso rursus recepti sunt in gratiam. Et huc quidem referre oportet murmur populi contra Deum varium & multiplex, quod frequentius ingeminarunt quàm decuerit. Vitulum item erectum, & turpissimam illam idololatriam, Exodi 32. admissam, lapsum item Aaronis & vniuersæ ecclesiæ horrendum, Scortationem item fœdam & contumacem illam Madianiticam, & huius generis multa alia. In quibus omnibus videre licet quale ingenium, & quales sint mores omnium hominum deserentium viam Dei, ambulantiumq; post desideria cordium ipsorum: sicut diligenter in Psalmis quoq; est annotatum. *Peccata populi grandia in deserto.*

Semper autem & maturè puniuit hęc in ipsis scelera Deus, nunc per gladium, modò per ignem cœlitus immissum, per pestem item, & per serpentes, & per varia alia supplicíorum genera. Cum enim Deus noster dominus sit exercituum, vbilibet sanè ei in orbe sunt & tortores & instrumenta quibus torqueat ac puniat, pro sua iustitia, quos punire vel probare instituit. Quæ quidem omnia attestantur Deum quidem semper bonum & clementem esse, qui suos beneficiorum adobruat cumulis, eundem tamen rursus irasci iustè incredulis, ingratis & rebellibus, quos perdat seueriter. Et eundem iterum moueri pœnitentia hominum, condonataq; culpa, cum eis iterum redire in gratiam. *Pœnæ scelerũ.*

Illud tamen minimè negligendum videtur, quòd beneficia illa ingentia populo Dei præstita peccatis immerso, simul & typum prætulere Christo qui in illis annunciatus est eis. Quis enim nesciat, & Manna esse Christum, & Petram esse Christum, & Christum exaltari in cruce, instar exaltati serpẽtis in deserto? Colligimus inde euidenter præcipuum illud quod traditur in lege, esse Christũ: sicuti & Apostolus dixit, Finis legis Christus ad iustificationem omni credenti. *Typi Christi.*

Ad beneficia populo Dei præstita rursus pertinere videntur Victoriæ insignes, reportatæ magna cum gloria & præda ab Amelechitis, gente inuicta & bellaci, à regibus item monstrificis Arad, Seon & Og, à rege callidissimo Balach & à fortibus Madianitis, denique quod Rubenitis, Gaaditis & dimidiæ tribui Manasse, cesserunt illis principibus ereptę ciuitates opulentissimæ, agri fertilissimi, terraq; per omnia prorsus opima & amœnissima. Vnde reliquæ tribus colligere poterant, etiam se donandas fore (quod & factum est) hæreditate amplissima. Sunt alia huius generis non pauca, quæ annotare nimis longum foret. Æstimari tamen à non stupidis ex ijs, quæ annotata sunt, vtcunq; possunt. *Victoriæ & terra donata opima.*

Cum autem Moses iam per annos 40. præfuisset populo Israelitico in deserto, & extremus vitæ eius annus appropinquaret, quippe qui in vniuersum vixit annos 120. omnia sua studia, summo animi sui conatu, huc conuertit, vt in fine vitæ suæ fidem suam Deo & populo suo approbaret. Confirmabat itaque vniuersum populum sibi creditum in lege Domini, id est in vera illa religione iam incepta & confirmata, omnesq; & singulos ad studium virtutum adhortabatur, maximè verò, vt in cultu Dei tradito firmiter perseuerarent. Et quidem factitabat hoc publicè & priuatim, publicè quidem in concionem euocatis omnibus, expositisq; benedictionibus & maledictionibus. Et quò minus expun- *Vltimus Mosi annus.*

Scribit Mose libros quinq.

geretur & ex animis hominum efflueret euaneſceretq; lex à Deo promulgata, ſcripta quidem quo ad Decalogum in tabulas lapideas ab ipſo Deo, interim tamen interpretata per multas & varias leges oretenus Moſi expoſitas, ſed nõ ſcriptas, applicauit ille animum, ita etiam mandante Deo, ad ſcribendum, & componit libros illos 5. quos Moſis vulgò nuncupant, fontẽ omnis prophetiæ atq; theologiæ. Et primum quidem librum ſcribit de Origine rerum omnium, vnde

Geneſis. & Geneſis nomen accepit, de promiſsione ſeminis benedicti, & de alijs promiſſionibus, patribus factis, denicq; de reb. patrum antiquiſsimorũ, vſq; ad oppreſ-

Exodus. ſionem filiorum Iſrael in Ægypto. Inde orditur librum ſecundum, quem Exodi vocãt, ab egreſſu filiorum Iſrael ex Ægypto, quem eo libro doctè proſequitur.

Leuitici. Numeri. In eodem libro & ſequentibus duobus, quos nuncupant Leuitici & Numeri, omnes res geſtas ſub ſuo imperio deſcribit, hiſtoriam annorum 40. Quibus quin-

Deuteron. tum addidit Deuteronomium, in quo res quaſdam & leges recolligens, in compendium redigit. Vnde & nomen liber ille accepit Deuteronomij, quaſi ru dicas ſecundaria vel repetita lex. Ei ſub finem rerum ſuarum plurima appendit. Nam vbi libros ſuos abſoluiſſet, legit eos coram populo, qui ſanè teſtari potuit de pleriſq; in deſerto factis, atq; ideò teſtimonium ferre ſyncerè hiſtoriæ ac verè à Moſe conſcriptæ. Poſt quę, codicem hunc ſacrum intulit in tabernaculum,

Codex ſacer reponitur ad arcam. recondiditq; ad latus arcæ fœderis, his quidem verbis additis, Erit hic liber contra te in teſtimonium. Ego enim noui rebellionem tuam, & ceruicem tuam pręfractam. Etenim etiam nunc, cum adhuc vobiſcum viuo, rebelles eſtis domino, quanto magis poſt mortem meam? Rurſus tamen ne inutilis ibi deliteſceret codex ſacer, iuſsit eum ſæpius recitare populo, ne legum diuinarum obliuiſceretur. Compoſuit præterea carmen elegantiſsimum decantandum perpetuis temporibus à filijs & filiabus Iſraelis. Continetur hoc Deut. 32.

Carmen Moſis

Moſes moritur in mõte Nebo. Tandem omnibus benedixit tribubus vaticinandoq; ſingulorum cecinit fata. Vocatus autem à domino aſcendit in montana Abarim, in montem Nebo qui eſt in terra Moab, è regione Iericho. Inde cõmonſtrauit Moſi Deus vniuerſam terram promiſſam Chanaan. Noluit enim vt eam Moſes ingrederetur eaque frueretur, quòd in cœtu populi, ad aquas contradictionis, ipſe & frater Aaron (qui præcedente anno mortuus erat) dominum nec glorificaſſent nec ſanctificaſſent. Ergo moriens in monte illo Moſes, ſpiritum ſuum Deo reddidit, anno mundi 2488. Dominus autem ſepeliuit Moſem (quod ſcriptura manifeſtè teſtatur, & quod nulli vnquam mortalium obtigit) in monte illo, & exanime corpus ſic abſcondit, vt à nullis vnquam inueniri potuerit ſęculis. Id quod dubium non eſt factum eſſe ſapientiſsimè à domino, vt omnia, quippe ne erutum corpus miſeri mortales ad huiuſmodi errores admodùm procliues, aliquando diuinis proſequerentur honoribus. Non enim vixit vnquam vir propheta & ſeruus Dei tantus, quantus hic fuit in ſummis rebus omnibus Moſes. Vnde & ſcriptura teſtificans, Non ſurrexit propheta amplius, inquit, in Iſrael, ſicut Moſes, qui noſſet dominum de facie ad faciem, & qui tanta ediderit portenta atq; ſigna coram Pharaone, & vniuerſa terra Ægypti, & qui tam magnifica atq; terrifica patrauerit coram filijs Iſrael.

Sepultura Moſis.

Moſis authoritas.

Cur tam copioſè de lege diſputatum. Hæc dedita opera, paulò copioſius exequutus ſum, partim quòd omnino ſcire præſtet, qualis fuerit religio, quã Deus florere voluit immutatam, ad tempora vſq; Chriſti, & quam poſtea per omnia ſæcula principes boni omnes vnà cum populo ſuo, ſtudioſè & religioſè ſunt ſectati vſq; ad tempora Chriſti: partim verò quòd his aſſerere ſtudui Moſis authoritatem, adeoq; ſcripturæ, quæ Dei verbum eſt, veritatem & præſtantiam: quam multi hodie in corruptiſsimo illo noſtro ſæculo vltimo impiſsimè ſuggillant, vituperant atq; contemnunt. Libri

sibiipsis in suum grauissimum certissimumq; exitium. Viderunt iam, spero, matura & pia ratione præditi lectores, nõ aliam esse religionem veram, quàm eam quam Moses tradidit. Viderunt item, inter omnes fidelissimos Dei seruos, inter viros clarissimos, sapientissimos eruditioneq; & pietate absolutissimos, Mosen non habere secundum. Respiciunt in hunc sancti Dei prophetæ & apostoli omnes, quod in rebus Sem annotaui. Credamus ergo prophetæ Dei maximo & veracissimo, benecq; vtamur libris & doctrina eius. Ita verò in Christo Domino nostro, de quo ille scripsit, securi acquiescemus, & salutem consequemur sempiternam.

IOSVE & Othoniel populo præfuerunt annis 40. Iudicum 3.

Moriturus Moses reliquit omnem gubernationem administrationemq;, secundùm ordinationem Dei, Iosue suo singulari discipulo. Dicemus ergo consequenter de Iudicibus & primò quidem de Iosue.

Iosue dux populi Dei.

IOSVE successit magistro suo Mosi, fuitq; dux populi Dei, quemadmodũ fuerat Moses. Committit Deus ei imperium memorabilibus & huiusmodi verbis, Moses seruus meus mortuus est: surge itaq; & trajice Iordanem istum. Vobis dabo terram promissam, Et sicut fui cum Mose, ita ero tecum. Sis modò fortis, vt agas secundùm vniuersam legem quam præcepit tibi seruus meus Moses. Ne deflexeris ab ea vel ad dextram, vel ad sinistram. Nec recedet liber legis huius ab ore tuo, sed in eo meditaberis die & nocte, vt custodias omnia quæ in eo sunt scripta. Sic verò reddes iter tuum prosperũ & felix eris. Ex qua commissione intelligũt facilè omnes, non tam legis doctrinam perfectissimam esse nobisq; omnibus vnicè commendatam, (quo ad substantiam) quàm magistratus officium esse, vt illam discat & secundùm normam eius gubernet.

NOTA.

Iosue superato Iordane ingreditur terram promissam.

Iosue obsequens Deo princeps, populum sibi à Deo commissum ducit in terram promissam Chananiticam, trepidantibus Chananæis, & bello ad resistendum nihilominus sese apparantibus, præsertim quòd audirent Iosue iam superasse Iordanem, & quidem mirando modo. Rursus enim Deus populum suum, vt quondam per mare rubrum sicco pede, aquis, partim & inferiori sui parte, defluentibus, partim autem & superiori quidem sui parte suspensis atque erectis, per alueum traducit in terram promissam. Quod exponitur Iosue capite 3. & 4.

Iosue ante omnia religionem curat.

Simul autem atq; repositi essent in terram promissam Israelitæ, Iosue dux eorum ante omnia pro sua pietate eximia primam religionis curã gerens, ea persoluit Deo, quæ requisiuerat. Circuncidi enim curat populum incircuncisum, sicuti & paulò post erigit aram in mõte Hebal, exoluitq; iura Deo recitatis Dei benedictionibus & maledictionibus prout constituerat in Deuteron. Deus, & legis Iosue cap. 8.

Deut. 27.

Corruit Ieriche.

Inde statim vrbem Chananęorum munitissimã inuictissimamq; Hiericho, aggreditur atq; obsidet: cuius quidem mœnia excelsa atque crassa instructissimaq;, ad sonitum sacrarum buccinarum, sub se ipsis mirabiliter subsidunt, aditumq; in vrbẽ vndiq; irrumpendi Israelitis patefaciunt. Irruentes enim in ipsam illi cuncta eius diripiunt hostiliter, & vniuersa (cum ipsa vrbs à Deo deuota esset excidio) sanguine & cædibus complent. Voluit enim Deus horrendo hoc spectaculo Chananæis indicare cunctis, quid expectent omnes, demonstrareq; nullas omnino munitiones defẽsuras ipsos ab implacabili hoc furore domini. Sed vt cor Ægyptiorum induratum fuerat, ita horum quoq; impiè obriguerat.

Pergit itaq; Ioſue, prout ipſum ducebat ſummus copiarum dux Deus, & bel lo
Grauiſſimum bellum contra Chananæos. graui & diuturno, quippe quod extrahebatur ad integrum vſq; ſeptennium, re
ges & principes Chananęorum omnes vincit, fugat & cædit, vrbes oppidaq; &
arces ipſorum capit, agrosq; & villas occupat, copias militares paſsim diſſcit,
& diſsipat, & populum ipſum, iuxta os Domini, abſq; miſericordia, conſcindit.
Numerantur principes, regesq; potentes, qui hoc memorabili bello, auſpicijs
Dei geſto, cęſi atq; euerſi ſunt ab Iſraelitis, triginta & vnus. Proinde nō arbitror
inueniri vel inter Perſarum, Græcorum, vel Romanorum imperatores, belliq;
duces illuſtres, quibus cum nō poſsit hic noſter conferri, & aliquot nominibus
etiam præferri Ioſue.

Iuſto Dei iudicio delentur Chananæi. Diu ſanè Deus expectarat populi huius ſcelerati pœnitentiam: ſed dum in
omnibus flagitijs, & fœdiſsimis quidem illis, ſicut annotatur Leuitici 18. & 20.
& c. obſtipo collo perrumperent, ſemel vnà vniuerſos ſuſtulit. Iam enim impleta
erat Amorrhæorum, de qua olim Abrahæ loquutus fuerat dominus, iniquitas.
Obſeruent hæc omnes gentes & populi, conuertanturq; maturè à peccatis ſuis
ad dominum. Fuerunt hi Chananæi omnium gentium robuſtiſsimi, bellicoſiſ
ſimi, & inuictiſsimi ab omnibus habiti: verùm breui temporis ſpatio, de repen
tè concidunt ac excinduntur, peregrinis amœniſsimam ipſorum patriam occu
pantibus, ipſosq; penitus delentibus. Eſt præterea hæc hiſtoria occupatæ terræ
Chanaan, illuſtre diuinæ veritatis teſtimonium, adde & immenſæ Dei gratiæ
commendatio, ſicuti expoſuit Moſes Deut. cap. 8. 9. 11.

Diuiditur terra Iſraelitis. Reliquum tēpus quod à bello geſto contra varias gentes, in terra Chanaan
vixit Ioſue, impendit diuiſioni terræ & diſponendæ eccleſiæ atq; politiæ. In di
uiſione ſumma ſeruatur iuſtitia & æquitas. Ac liber Ioſue copioſè illam pro
quitur, exhibens nobis pleniſsimam geographiam terræ promiſſæ. Ex oppido
rum vrbiumq; ac celebrium locorum catalogo, eluceſcit & illud, regionē illam
omnium fertiliſsimam, ditiſsimam, munitiſsimam, atq; hominū frequentia flo
ſe omnium in orbe celeberrimam. Iterum ergo cogita quàm verax ſit Deus, &
quanta ſuis largiatur, quos elegit & diligit.

Laus Ioſue. Fuit alioqui Ioſue Ephraimita, Ephraimitarū decus & gloria, vir in religio
ne & rebus ciuilibus omnibus numeris abſolutiſsimus. De quo Ioſephus in ſuis
Antiquit. lib. 5. cap. 1. hæc ſcripta nobis reliquit, Ioſue ſub Moſe magiſtro mini
ſter ipſius, 40. annos exegit, & poſt eius obitum 25. annos reipub. præfuit, vir in
comparabili, tum prudentia, tum eloquentia, adhæc in re imperatoria fortis &
impiger, nec minus in pace bonus & vtilis, denique in quauis virtute eximius.
Hæc ille. Laudat & Syracides ipſum Ioſue in cap. Eccleſiaſt. 46. Certè ex memo
rabili piiſsimaq; eius actione, quæ vltimum vitæ eius diē antecelsit, virtus pie
Poſtrema ante mortem Ioſue actio. tasq; viri, ſi non aliunde, perſpici poteſt. Quanta oro vtitur apud populum con
teſtatione? Quanta cum grauitate obſtringit eū Deo & obſeruationi legis eius?
Longa & ſingularis eſt illa actio, quæ deſcribitur Ioſue 23. & 24. lectuq; eſt di
gniſsima. At vbi ſumma cura, ſtudium veræ religionis populo commendaſſet,
ſpiritum ſuū Deo reddit, natus annos 110. Mors eius incidit in annū mundi 2552.

Anni Ioſue. Præfuit Iſraeli Ioſue annos 32. Ioſephus, vt antea eſt dictum, ſupputauit an
nos 25. Euſebius in Chronicis, & nonnulli alij hunc ſequuti, tribuunt guberna
tioni eius annos 27. Alij numerant 28. Deinde ſubijciunt ſeniores annis præfuiſ
ſe 17. propterea quod Iudic. 2. cap. legatur, Seruiuit Iſrael domino, cunctis die
bus Ioſue & ſeniorum, qui longo tempore vixerunt poſt Ioſue, & qui nouerant
opera domini, quæ fecerat in Iſrael, &c. Ioannes Lucidus duntaxat tribuit re
gimini eius annos 17. Verùm magis congruere 32. annos approbabit ipſa tem
porum ſupputatio.

pe

DE IMPERIO ET REPVBLICA ISRAELITICA.

IVDAEORVM imperium quod & Israelitarum & Hebræorum regnum dicitur, amplissimum longè fuit inter omnia Asiæ, imò vniuersi penè orbis imperia, quippe quod singulari sapientia & iustitia claruit, multisq; regibus deiectis, & principibus potentissimis deletis, diuinitus cõstitutum, propagatum & conseruatum est, Deusq; in hoc singulariter gratiam & potentiam suã immensam exeruit. Cœpit mox ab exitu Israelis ex Ægypto, in imperio vel ducatu Mosis & Iosue, & durauit vsq; ad deiectum Antigonum, & regnum Herodis magni, annos circiter 1489. Ac primum quidem & initio non regnum constituit Deus, sed rempublicam, democratiam inquam temperatam aristocratia, adeoq; aristocratiam, in qua optimates gubernatores vtiq; qui & Iudices vocantur, presidebant populo, qui interim singulis in tribubus tribuumq; oppidis suum sibi magistratum eligebat, quibus tamen omnibus præerat Iudex, non tamen vt dominus, non vt dux, non vt rex aliquis, sed vt iudex & veluti consul. Regnum enim soli manebat domino, cuius legi & dux & senatores atq; populus erant subiecti prout legitur Deut. 17. Primus in hoc ducum iudicumq; ordine fuit Moses, cui successit Iosue, post quem præfuit Othoniel. Mansit in populo ista reipub. forma, annos 427. vsq; ad Saulem primum Israelis regem. Tunc enim Samuele propheta, plurimum, ex Deo, reclamante, Deo tamen permittente tandem, democratia vel aristocratia conuersa est in monarchiam. De qua re suo dicetur loco.

Amplissimum Iudæorum imperium.

Quousq; duraverit.

Illud tamen in præsenti præterire non possum, statum populi Israelitici sub Iudicibus fuisse longè feliciorẽ, quàm sub regibus. Inter hos enim probos integrosq; inuenias paucos, inter Iudices nullos ferè improbos, omnes aut pleroscq; inuenias bonos. Neq; enim sacra historia vllos damnauit. Fateor sanè ipsos vt homines sæpè lapsos fuisse, & aberrasse, redierunt tamen in viam. Ecclesiastici 46. sic legimus scriptum de Iudicibus, Et Iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non sunt auersi à Deo, vt sit memoria illorum in benedictione. Sed & Paulus Apostolus ad Hebræos, Deficiet me tempus, inquit, si cõmemorauero de Gedeone, de Barac, & Samsone, & Iephthae, &c. qui per fidẽ expugnauerũt regna, operati sunt iustitiã. Et reliqua quæ sequũtur cap. 11.

Laus Iudicum Israelis.

Eleganter & piè de hac reipub. forma disserens in Chronicis suis D. Philip. Melanch. Non fuit, inquit, successio ducum ex certa stirpe, aut electio certi senatus, sed velut aristocratia erat seniorum in singulis tribubus, & summa authoritas erat legis diuinæ, quam sacerdotes quotidie docebant, & hi consulebantur de grauissimis negotijs, vt in Deuteronomio mandatum erat. Ita lex Domini erat domina & rectrix huius populi, nec quisquam appetebat regnum, qui sciebant hunc populum Dei esse, & à Deo protegi, nec humanis consilijs formam gubernationis nouam constituendam esse. Sicut Gedeon inquit, Non dominabor vestri, nec dominabitur vestri filius meus, sed dominabitur vestri dominus. Sic diuinitus cõseruata est hęc aristocratia, annos post Iosue 325. (obserua quod dicit post Iosue, & vsq; ad mortẽ Heli, adde itaq; 40 Mosis Iosue 32. & Samuelis ad Saulem vsq; 30. & inuenies summam annorum paulò ante positorũ) vsq; ad mortem Heli. Excitauit autem Deus aliâs ex alia tribu felices duces, vt ostenderet diuina potentia colligi & seruari ecclesiam, nec felicem esse gubernationem, nisi Deo iuuante. Simul autem defensionis miracula testimonia fuerunt de doctrina, huic populo tradita, & ostenderunt in hoc populo verè fuisse ecclesiam Dei, & præsentem in ea esse Deum. Hæc ille.

Qualis respub. Israelitica.

Deut. 17.

OTHONIEL vir pius & fortis è tribu Iuda, succesſit Ioſue, excitatus à Deo ad liberandum Dei populum, qui miserè opprimebatur tyrannide Chuſan Rasathaym regis Syriæ. Durauit oppreſsio annis 8. Aſſertio autem eccleſiæ ex tyrannide hoſtis Dei deſcribitur Iudicum 3. Eſt autem hæc defectio prima populi Dei à Deo & lege eius, primaq; oppreſsio vel perſequutio eius ſub Iudicibus.

DE OPPRESSIONIBVS POPVLI DEI, ET RELIGIONE VERA SAEPIVS AB EO IN FALSAM MVTATA.

Peccatum populi oppreſsi defectio à Deo & lege Dei.

SEmel mihi hic aliquid videtur dicendum de oppreſsionibus populi Dei à principibus barbaris & idololatris, deq; mutata à populo Dei religione vera in falſam. Quoties itaq; audis populũ Dei oppreſſum eſſe à Syris, à Chananæis, à Madianitis, & Paleſtinis, à Moabitis & Ammonitis, aliisq; gẽtibus idololatris, toties cogita ipſum id meruiſſe ſuis peccatis, quibus prouocarunt Dominum, cuius pactum vel fœdus iuraq; violarunt. Et præſtat hæc nouiſſe & diligenter excutere, inſpectis etiam propius cauſis, quibus impulſi ſunt in perfidas hasce Deo defectiones, & religionis mutationes, vt nos inde diſcamus, quid nos quoque ſeducat, & calamitatibus ſubdat miſerè exercendos, vtq; diligenter, alienis admoniti exemplis, nobis caueamus. Sic autẽ legimus de peccatis populi Iſraelitici in libro Iudicum, Seruiuit populus domino cunctis diebus Ioſue & ſenioribus, qui viderunt vniuerſum opus domini magnum, quod fecerat Iſraeli. Mortuo autem Ioſue & ſenioribus illis, ſurrexit alia generatio, quæ opera illa Dei ingentia non agnouit. Deſerentes itaq; dominũ, abierunt poſt Deos alienos, poſt eorum inquam populorum Deos, qui circum eos habitabant, coluerunt q; Baalim & Aſtaroth. Cumq; habitarent inter gentes, duxerunt ſibi filias earum vxores, & viciſsim filias dabant illarum filijs, ſeruieruntq; ipſarum Dijs. Proinde peccatum populi Dei quo irritarunt Dominum, & ſeſe præcipites egerunt in ſeruitutem idololatrarum aſperam & excidium acerbiſsimum, erat violatio diuini fœderis, id eſt, defectio perfida à Deo, & à lege Dei, ad Deos alienos, & ad inuentiones hominum, legi Dei contrarias, ad cultus inquam prohibitos, & immerſio in fœdam idololatriam. Nulládum fit mentio ſcelerum aliorum, vt cædium, adulteriorum, luxus, auaritiæ ſimiliumq;. Quæ enim prius commemorata ſunt, his longè ſunt grauiora & enormia magis peccata, & hæc ſua ſponte illis conſequuntur.

Cauſſæ in peccatũ hoc enorme impellẽtes.

Exoriebatur autem peccatum ipſorum ex his cauſis, quòd ſeniores, quibus & cognita & cordi fuerat vera religio, eamq; vt ſerant ſeriò, mortui eſſent, quod in locum horum ſubijſſent proceres parum religioſi, adeoq; homines ignarissimi rerum diuinarum: qui & Dei & legis eius non tantùm obliuiſcebantur, ſed & nullam eius rationem habebant, qui coniugijs prophanis & gentilitijs cõtra legem Dei contractis, ſeducendos ſeſe turpiter præbebant idololatris, atq; ipſi iam ex aſſuetudine & in illorum gratiam fierent idololatræ, colentes Baalim & Aſtaroth, id eſt ethnicorum omnis generis & Deos & Deas earumq; imagines. Nec aliæ cauſæ & hodie ſeducunt multos. Non aliæ denicq; cauſæ ſeduxerant olim & in impietatem coniecerant filios Dei, ante diluuium, & poſt ætates aliquot eoſdem illos filios Iſraelis, ſcortantes cum puellis Madianiticis, quarum illecebris etiam rapiebantur in execrandum idololatriæ flagitium. Nullæ denicq; cauſæ aliæ eundem Dei populum, & ſub regibus coniecerunt in defectiones fœdiſsimas, in pericula extrema & exilia. Copioſius ergo hic de his diſſero, ne cum ea peruentum fuerit, hæc repetenda ſint.

Baalim & Aſtaroth.

Ob hæc

Ob hæc verò peccata fœda (quæ mundus non modò parui pendit, nec pro peccatis agnoscit, sed & pro cultu Dei habet) incanduit furor domini, tradiditque populum suum in potestatem imò tyrannidem eorum, quorum in gratiam peregrinum receperant cultū. Ergo quoties legis oppressum esse Dei populum ab idololatris, noli ea re offēdi, sed toties cogita propter ipsius peccatum in primis verò propter mutatam religionem veram in falsam, esse oppressum. Religio quidē vera & lex Dei semper bona, in se ipsa est immutabilis, & manet semper bona, respectu tamen hominum, mutari dicitur, vt cum homines, qui hactenus iuxta legem Dei in vera religione vixerunt, voluntate sua ex prius expositis causis mutata in aliam transeunt religionem, prioremq; , veram inquam illam suam vel prorsus abijciunt, & cum falsa commutant, vel non penitus quidem eam abijciunt, sed aliquid eius retinent, interim tamen nō puro & toto corde, puram putam illam sicut lege Dei est tradita retinent, sed adinuentiones simul hominum commiscent.

Oppressus Dei populus ab idololatris.

De religione mutata.

Nam defectio à Deo & lege eius ipsaq; fœderis Dei prophanatio vel violatio, quæ est religionis vel fidei mutatio, non vnius est generis, nec eodē semper fit modo, quod in primis videtur obseruandum. Vel enim deficiunt homines planè à Deo, cui & renunciant quemq; impiè contemnunt, & omnia iura eius abijciunt, aliosq; Deos recipiunt, & alijs se legibus subdunt: Vel certè non abijciunt prorsus Deum, non renunciant legibus eius penitus, sed tamen nō solum colunt, neq; eo modo colunt, quo ipse mandauit & coli voluit, quin cum Deo vero alienosquoq; pariter venerantur, & eo modo vel Deum ipsum, vel cum ipso alios quoq; venerantur, quem vel ipsi inuenerunt, vel ab alijs inuentum acceperunt. Et his quidem modis sæpius à populo Dei vera religio in falsam est commutata.

Variè deficimus à Deo & religionem mutamus.

Interim sciendum est in tam crebra, fœda & horribili corruptione populi Dei, semper fuisse in populo Dei reliquias aliquot, quæ puram illā Dei religionem, & retinuerunt & sectati sunt, licet interim illi & suos haberent næuos. Maior tamen pars populi & sub Iudicibus & sub regibus præuaricando, eo quo diximus modo, idololatris coniuncta, mox etiam illis ipsis à Deo diuexanda est obiecta, certè vt abunde castigata, resipisceret reuertereturq; ad dominum. Id quod manifestis verbis exprimitur, non tam in libro Iudicum, quàm in sermonibus prophetarum. Fuerunt autem semper & probi cultores Dei, publicis illis immixti calamitatibus, afflictiq; cū maiore & deteriore parte populi, sic vt dicatur non turba quidem idololatrarum punita à domino, sed ecclesia vel populus Dei afflictus à Deo. Cur verò boni malis commisceantur in afflictionibus, qui in moribus corruptis ijsdem nō commiscentur, nolo nunc excutere operosius. Disputauit ea de re beatus August. libro de Ciuitate Dei primo.

Semper fuerunt reliquiæ veræ Dei ecclesiæ in corrupte la illa enormi.

Proinde sicut videmus in historia Pauli Orosij, varias ecclesiæ Dei persecutiones numerari, quas intulerunt cœtui fidelium bonis simul atq; malis imperatores Romani idololatræ, non tamē sine certo Dei consilio, qui errantes eo modo in viam reducere, & rectà ambulātes probare instituit: ita licebit studioso sacrarum literarum per Iudicum librum & per historias regum Iuda & Israel tot consignare persequutiones populi Dei, id est ecclesiæ, quot recitātur in his oppressiones, grauia bella, exilia & calamitates publicæ. Neq; enim existimādum est, solum noui testamenti populum persequutiones sustinuisse exercitatumque esse cruce. Nam videmus palàm & populum veteris testamenti, & frequenter & grauiter à Deo fuisse afflictum, & quidem toties quoties ille Deum deseruit, neque in via eius ambulauit: sed afflixit semper, vt in viam iustam reduceret.

Persequutiones ecclesiæ.

Facies ecclesiæ in terris.

Vbi videre licet obiter qualis sit facies ecclesiæ Dei in terris, & quàm varijs multisq; sit obnoxia vicissitudinibus. Quæ sanè vt dicitur vulgo, non errare, si obsequens per omnia Deo, ad legem Dei omnia instituere: nunc verò cum diuersum in tam crebris appareat mutationibus, quis porrò negauerit ecclesiam Dei in terris aliquando errare? Licet enim sint in ecclesia Dei sancti, quia uera sunt & vocantur sancti, interim suas habent infirmitates, in vera fide tam fortiter perstant & verbum Dei syncerè retinent, sunt tamen plures semper cœtu ecclesiæ, qui à lege Dei declinant, nec officium suum faciunt, castigatio men rursus reuertuntur ad Dominum. Quis verò ideò dixerit, nullam esse terris ecclesiam, aut illam quæ vocatur ecclesia propter malos & declinantes via Domini, non esse ecclesiam? Et quamuis ecclesiæ doctrina & fides, sola in mundo doctrina & fides vera, affligitur tamen ecclesia à pessimis quibus idololatris, qui in hoc sæculo fortuna vtuntur feliciore quã ecclesia. Quis ver ideò dixerit religionem idololatrarum propter hanc temporalem felicitatem meliorem, ecclesiæ autem propter persequutiones deteriorem esse? Præterea demus Deum in his malis accuratissimam suæ ecclesiæ curam habere, vtpote quam inuocantem & renouatam per pœnitentiam (exhibet enim nobis hæc historia plurima & pulcherrima pœnitentiæ exemplaa) audit, & opportuno tempore è manibus impiorum eripit, extinctis his quidem & iusto seueroq; iudicio punitis, & gloria sua veraq; religione asserta. Videmus item misericordiã Dei non esse, vt scriptura ait, numerum, quippe qui toties offensus prouocatusq; populo tot tamq; fœdis repetitis peccatis, nihilominus in gratiã redijt cum pœnitentibus. Quæ omnia in historia Iudicum & Regum veluti in deterso rebus cent speculo. His enim hactenus in genere expositis, redimus iam ad epitomen singulorum Iudicum pertexendam.

Ehud qui & Aioth, iudicauit Israelem annis octoginta, Iud. 3.

Peccato se iterum implicat assertus Dei populus.

Non diu ab asserto Dei populo ex Syrorum tyrannide videtur Othoniel feliciter migrasse ad Dominum, altissima populo suo pace relicta, qua & ipsa quidem leguntur vsi, tandem verò & abusi. Felicitate enim tranquillitateq; ipsa facti (vt fit) segniores, non recordati sunt amplius miseriæ prius propter idolatriam perpessæ, sed in eundem nunc quoq; impingentes scopulum, Deos alienos coluerũt, id est veram religionem falsa commutarunt. Quo nomine iratus Dominus, sicuti in lege eis fuerat minatus, ita tradidit eos in manus barbarorum gentium, id est Moabitarum excruciandos.

Subijcitur seruituti Moabitarum.

Præfuit tunc Moabitis, genti superbissimæ ferocissimæ simul & superstitiosissimæ Eglon rex, qui aliàs & Aioth, & à Iosepho in Antiq. Iodes nominatus, homo corpore vasto & præpingui. Innuit huius aliquid & appellatio Eglon, significans vitulum saginatum. Venter haud dubiè & voluptuarius erat. Ad iunxit hic sibi gentes bellicosissimas, truculentissimasq; Amelechitas & Ammonitas, congressusq; cum Israelitis, fudit vicit seruitutiq; grauissimæ subiecit eos. Fuit hæc secunda persequutio populi Dei, quæ decennio superiorem superauit. Durauit enim annis 18. è qua demum est liberatus. Cum enim populus propè permolitus calamitatibus, & gratia Dei illuminatus, agnosceret peccata admissa, confiteretur ea Domino, & redeundo ad Deum, misericordiam auxiliumq; eius imploraret, expertus est protinus potentem & clementem assertorem.

Nam

Nam excitauit Deus è tribu Beniamin Ehud filium Gera. Dextra huius manus erat capta & inutilis, vt vel inde colligeremus, assertionem vel liberationẽ ecclesiæ Dei, quæ authore Ehud fieri videbatur, non tribuendam esse vlli hominum arti aut potentiæ, sed virtuti & gratiæ Dei. Accedens verò Ehud ille ad regem Eglonem Moabiticum, mira arte & calliditate effecit, vt remotis arbitris, solus colloqueretur cum solo. Inter disserendum verò, hostem populi Dei celeriter nec minus fortiter pugione confodit, ac protinus aufugit incolumis, pugione relicto in obesi illius aqualiculi vulnere. Mox autem copias populi Dei in monte Ephraim cogit, quas absq; mora educit, hostemq; fortiter inuadit, fudit & proterit. Aluerat rex Moabitarum ad terrorem subditorum suorum, & ad stabiliendam conseruandamq; suam in subditos tyrannidem (vt hac in re callidi & cauti sunt tyranni) manum selectissimam, militum inquam robustissimorum & bene obesorum, decem millia, quæ internecione deleuerunt Israelitæ, vt ne vnus quidem ex tanto numero euaserit. Sequuta est bellum hoc pax plena & diuturna, qua haud dubiè rectè vtens ecclesia, legitimè & fideliter soli Deo redemptori grata diu seruiuit.

Ehud liberta populũ è seruitute Moabitarũ

Ehud confligit cum Moabitis & internecione dolet.

Venit hic quoq; cõmemorandus Sangar, vir fortis & pius, quem hisce temporibus Deus seruatorem populo suo misit. Hic Palestinos acerrimos populi Dei hostes, in populum Dei irruentes, repressit, cæsis 600. viris, stimulo bouis, vt scriptura habet, virga videlicet pastoris, vel baculo rustici, quo vtũtur in instigandis bobus. Alij vomerem fuisse volunt. Prodigiosa verò ea res est, sed diuina, qua ostendit Deus ecclesiam Dei, sola protectione & virtute Dei seruari, non vlla hominum potentia, & infirma Dei robustiora esse robustissimis hominum viribus. Et cum scriptura non exprimat, quando & quam diu & an Sangar hic præfuerit populo, Iosephus in Antiq. ipsi annum duntaxat tribuit, qui supputatur in annis Ehud 80. Numeratur hic annus mundi 2608.

Sangar interfecit Palestinorum 600.

Debora & Barac iudicarunt Israelem 40. annis. Iud. 4.

Rursus verò ingratus & miser Israeliticus populus operum legisq; Dei, ad suum ipsius interitum, oblitus, & peregrinorum Deorum suscipiens cultum, veram religionem falsa permutauit. Quocirca subditi sunt à Deo tyrannidi Iabini regis Chananæorum, qui oppressos planè, in seruitute retinuit annos 20. quę tertia inter persequutiones populi Dei numerari potest. Eo tempore Deus populum suum iudicabat per sanctam quãdam fœminam Deboram, per quam etiam illum liberauit à tyrannide Chananæorum. Nam Debora hæc euocat, ex instinctu Dei, Baracum è tribu Nephthali, mandatq; ei expediat celeriter ex tribu sua & Zabulonitica, decem virorum millia. Quod cum fecisset Barac, huic se militię fœmina Debora adiunxit. Rex autem Chananęorum Iabinus iubet & ipse Sisaram præclarissimum militiæ suæ ducem primum, copias conscribere & seditiosorum rusticorum rebelles conatus reprimere.

Recidit in peccatum Dei populus & opprimitur.

Iabinus rex potens Chananaorum.

Debora.

Concurritur ergo vtrinq; hostiliter à copijs aduersis, ad torrentem Kison, irruentibus Israelitis è vicino monte, impetu maximo, in instructissimas Chananęorum copias, in campo dispositas. Disturbata verò, potentia Dei, Chananęorum acie, horribili fuga mox dissipati sunt, ac ab insequentibus Israelitis trucidati ad vnum penè omnes. Insignis & miraculosa fuit ea populi Dei victoria: quam & eleganti carmine, quod vocant ἐπινίκιον, pro sua pietate celebrarunt Debora atque Barac, quod descriptum legitur Iudicum 5. Etenim Chananæi copioso, exercitato in militia, & animoso robustissimoq; milite supra fidem fuerant instructi, secumq; in pugnam adduxerant currus 900. quos vocant falcatos. Verùm Israelitæ eo ditiorem ex hoste prædam collegerunt.

Pugna inter Israelitas & Chananæos.

Interitus Siſaræ memorabilis.

Siſara quoq; militiæ vniuerſæ dux ſupremus, miſerabili ſed memorabili interim fato periit. Ex pugna enim curribus relictis, turpiter pedes fugiens, deſexit in tabernaculum Heberi Kenæi vt ibi latitaret hoſtemq; inſequentem falleret. Ac illexerat eò ipſum Iahel pia & prudens fœmina, Heberi coniux, vt tam infeſtum populi Dei hoſtem trucidaret. Ergo dum ſitibundus & feſſus ex fuga lacte à Iahele exhibito, ſe ingurgitaſſet, & coopertus ſub tabernaculo in terra porrectus ſterteret, Iahel inperterrita mulier, transfixo per tempora Siſaræ clauo ferreo, caput illud inuiſum populo Dei terræ illiſit atq; infixit, volutatumq; in ſanguine ſuo, Baraco perſequenti commonſtrauit. Quo mirando ſpectaculo Deus denuò oſtendit ſua ſe gratia potentiaq;, per infirma mundi, ſuam ſe eccleſiam aſſerere atq; ſeruare. Etenim authore fœmina Debora, ſuſceptũ & gubernatum eſt hoc bellum ſanè periculoſiſſimum, quod & per fœminam Iahelem, feliciſſimè eſt confectum, confoſſo capite belli Siſara. Ab hac autem victoria Chananæis grauiter afflictis adeoq; deletis, populus domini diuturna pace & omnigena felicitate vſus eſt.

Iahel.

Gedeon iudicat Iſraelem 40. annis. Iud. 8.

Redit ad vomitum miſer populus.

Miſerè vexantur ab hoſtibus

Rurſus tamen Dei legisq; eius oblitus rebellis & beneficiorum Dei immemor populus, ad vomitum rediit idololatriæ, mutata iterũ vera religione in falſam. Quocirca tradidit eum Deus in manus Madianitarum. Et quidem quam fuit hæc populi grauis perſequutio: breuior quidem ſuperioribus, quo ad tempus, durauit enim ſeptẽnio duntaxat, ſed ſuperioribus nihilo erat tolerabilior. Madianitæ enim iunctis ſibi crudelibus illis Amalechitis & barbaris Iſmaelitis, quos ſcriptura vocat filios orientis, Ioſephus Arabes, incurſionibus perpetuis agros Iſraelitarum vaſtarunt, & famelicos omni ſpoliarunt annona, & ad extremum miſeros ita excarnificarunt, vt plurimi eorum ex oppidis atq; villis autorgientes, in ſyluas, antra atq; ſpecus ſeſe reciperent atq; abderent. Erat hoc defectionis à Deo præmium commeritum.

Fides & pœnitentia populi.

Ingens & miſerabilis hinc eiulatus populi exortus eſt, quẽ auxit diuini verbi prædicatio. Propheta enim quidam, ad eos miſſus, à domino, grauiter eos obiurgauit, ob crimen defectionis, ſuaſitq; reditum per fidem obedientiamq; hoc eſt per pœnitentiam ad dominum. Cui cum parerent, miſſus eſt ad Gedeonem angelus domini, ſignificatum, quòd iam inſtituiſſet Deus Gedeonis opera populum ſuum eripere ex manibus Madianitarum. Erat autẽ Gedeon Manaſſes

Gedeon.

vir egregiæ ſtaturæ & formæ, fortis deniq; & impiger, copioſiſſima quoq; ſobole. Habuit enim ex diuerſis vxoribus filios 70. & vnum ex concubina.

Gedeon confringit idola.

Inſtitutus autem ab angelo Gedeon, à reformatione ſeu religione & cultu Dei liberationem orditur. Principio enim ſuſtulit in patria ſua idolum Baal, ara diſiecta, luco exciſo, & ſacello diruto atq; euerſo. Deinde verò aram domino Deo extruxit, in qua ei & legitimè ſacrificauit. Cognominatus eſt tunc qui-

Ierubaal.

que Ierubaal, quod perinde eſt, ac ſi tu dicas, Vindicet ſe de ipſo Baal. Nam impunè euertit officinam illam idololatriæ, tametſi expoſcerent ipſum ciuitatis nulli ad necem. Ab eo autem facinore mox confirmatus à Deo velleris miraculo, quod Iudicum 6. deſcribitur, collegit ex Iſraele militem ſatis quidem copioſum, virorum circiter 32000. Sed nõ placuit tanta hominum copia domino. Dimiſſis itaq; 22000. retinuit Gedeon decem duntaxat millia: ſed ne tot quidẽ mul-

Non vult Deus liberare per multitudinem hominum.

tibus inſtructum voluit dominus Gedeonem mouere in hoſtem. Nec diſſimulat cauſam, Ne forte glorietur contra me Iſrael, dicens, Manus mea ſalutẽ hanc mihi contulit. Vult enim dominus aſſertionem liberationemq; eccleſiæ ſuæ, a

ſolidum

ſolidum merę ſuæ transcribi gratiæ atq; potentiæ, nihil tribui humanę. Huc ni mirum pertinet illud Dauidis è Pſal. 147. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neq; in tibijs viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum eſt autem domino ſuper timentes eum, & ſper eos qui ſperant in miſericordia eius.

Ergo adductis his decem millibus ad flumen probatisq; per certam bibendi rationem è flumine, non niſi 300. ex tanta ſelegit turba Gedeon. Illos diſpoſuit in tres acies, hoſtesq; qui inſtar locuſtarum, vt ſcriptura Iud. 7. teſtatur, campos oppleuerant, tribus ex locis, maximo cum huiuſmodi terrificarum vocum, Gladius Iehouæ & Gedeon, clamore, lagenarum item cõploſione, & tubarum clangore ex improuiſo aggreſſus eſt. Hoſtes autem panico correpti pauore, diuinaq; dementati potentia, in ſemetipſos arma vertentes, mutuis ſeſe laniarunt confeceruntq; vulneribus. In fugam verò effuſi è prælio, in manus incurrerunt Iſraelitarum, qui ipſos excipientes atq; perſequentes, eo die trucidarunt centena & viginti millia. Ceciderunt in hoc prælio multi principes viri. Quoſdam eorum Gedeon capitis affecit ſupplicio. Ita verò demum impijs extinctis pax reddita eſt eccleſiæ.

Victoria miraculoſa.

Ac perturbaſſent illam rurſus aſperi Iſraelitarum mores, niſi ſua Gedeon benignitate, lenitate & integritate ingens malum à miſeris auertiſſet. Vbi interim videre licet quàm varium & mutabile præceps item & imprudens ſit miſerum vulgus. Ephraimitæ enim rebus felicibus inſolentes & ſuperbi, ciuile excitaſſent bellum, niſi Gedeon miti ſuo ingenio Ephraimitarum contumaciam duritiãq; fregiſſet. Et vt hi nimis erant faſtuoſi & irritabiles, ita alij è vulgo nimis leues ſanoq; deſtituti iudicio, Gedeoni & liberis eius, ob victoriam illam raram & memorabilem, non conſulto Deo offerebant regnum. Verùm reſpondebat is cordatè, Non dominabor ego vobis, nec dominabuntur vobis filij mei, ſed Dominus dominabitur vobis.

Vulgi rebus ſe licibus inſolentia & mutabilitas.

Et cum Gedeon vir eſſet tantus, Deo dilectus & hominibus, omniq; laudedigniſſimus, maculam tamen fœdam ſibi inuſſit, quòd non interrogato ore Domini, bonam ſuam intentionem (quæ ſemper eccleſiæ Dei pernicioſa fuit) ſequutus, Ephod repoſuerit in Ophra ciuitate ſua. Ephod alioqui fuit veſtis ſacerdotalis, vſurpata in tabernaculo & templo, ad miniſteria ſacra, qui ſanè fuit legitimus Ephod vſus: Extra hunc non oportuerat alium effinxiſſe vſum. At Gedeon collegit ex ſpolijs hoſti detractis, inaures, torques, lumulas, & neſcio quæ ornamenta alia aurea: quæ deinde inſeruit ſuo illi ephod, ac ſuſpenſum, veluti erectum trophęum, ſignum memoraculumq; eſſe voluit, inſignis illius conceſſæ à Deo contra gentes barbaras, victoriæ, ne vnquam populus tantum Dei beneficium obliuioni traderet, ſed perpetuò ei gratus ſit. At populus qui rarò ſapit, & ſemper procliuis eſt ad ſuperſtitiones, mox peregrinationes inſtituit ad Ephod illud in Ophra, haud dubiè non ſine oblationibus gratulatorijs. De quo ſcriptura pronunciat quòd Iſrael poſt Ephod illud ſit fornicatus, in laqueum Gedeonis & domus eius. Diximus enim ſuperius, Deum non tantùm nolle vt alij Dij pro ipſo vel cum ipſo colãtur, ſed ne Deus quidem ipſe alia ratione colatur, quàm ipſe præſcripſit. Improbat ille noſtras electiones & bonas intentiones: requirit ſimplicem obedientiam qua fide vera à verbo ipſius pendeamus.

Gedeõ inducit in errorem vulgus.

Ephod.

Euenit hic Gedeoni, quod vſu veniſſe videmus pluribus pijs & præclaris imperatoribus, regibus & principibus Chriſtianis, qui cum bona ſua intentione reliquias vel corpora ſanctorum Chriſti apoſtolorum & martyrum transferrent & capſis aureis argenteiſue includerẽt, non vt adorarentur, ſed vt ita teſtarentur, quanti facerent eos, quorum miniſterio euangelium ad nos delatũ eſt,

Electitij noſtri cultus & bonæ intentiones diſplicent Deo.

& ne vnquam eius obliuiſceremur beneficij, factū eſt tamen poſtea, vt ſuperſtitioſus populus poſt illa ſit ſcortatus, adorando & inuocando eos, incenſumq; eis ponendo, & offerendo. Qua re facti ſunt & authoribus primis & ipſi populo ſtolido in offendiculum.

Mortuus eſt autem Gedeon in ſenectute bona, vt ait ſcriptura, additusq; ei ſuis illis beatis maioribus & patribus, quibus ipſum Apoſtolus coniunxit ad Hebræos 11. Mors Gedeonis incidit in annum mundi 2688. Cronographi aiunt 4. Gedeonis anno qui eſt mundi conditi 2652. extructam eſſe TYRVM cuius in literis ſacris mentio fit frequentiſſimè.

Abimelech regnauit annis 3. Iudicum 9.

Mortuo autem Gedeone, teſtatur ſcriptura Iſraelem rurſus defeciſſe à Domino, ad Baalim. Quo nomine grauem in ſe domini iram concitarunt, qui ſi protinus grauiſſimis eos oppreſſit calamitatibus. Quæ quidem quinta eſt populi Dei perſequutio, ob peccata ipſi diuinitus immiſſa. Abimelecho autem filio Gedeonis ex concubina, Deus vſus eſt virga vel flagello, quo percuſſit re-

Abimelech cõciliat ſibi Sichimitas.

belles. Conciliauit ille ſibi dolo malo Sichimitas, adiunxit ſibi è plebe perditos nebulones, mox etiam 69. Gedeonis filios, fratres ſuos, impiè & crudeliter iugulat, artibusq; malis regnum quoq; Iſraelis inuadit, & contra Dei ordinationem, qui rempub. non regnum conſtituerat, occupat, quod & ſumma cum truculentia adminiſtrat. Non tamen diu firma cohæſit amicitia Sichimitarū ac Abimelechi malis conciliata artibus. Diſſilit enim, & erumpit in ciuile ac inteſtinum

Ciuile bellum inter ſocios & conciues.

bellum, quo mutuis ſeſe, ceu furiæ, lacerant conficiuntq; vulneribus. Cõquaſſatur interim & atteritur horribiliter his publicis calamitatibus, idolis ſeruiēs populus, Deo ad hunc modum grauiter puniente idololatriam ipſius. Quę omnia copioſe deſcribuntur Iudicum cap. 9.

Exitus Abimelechi horribilis & ignominia plenus.

Sed & Abimelech non tulit impunè diu nepharia parricidia, neque diutgnum iniquiſſimè contra Deum occupatum retinuit. Cum enim bello illo ciuili cœpiſſet vrbem Thebez, ac turrim, quæ ſola occupanda reſtabat, oppugnaret ſtrenuè, ipſusq; adeò ad turrim propius accurreret, ceu ſolus eā à fundamentis euerſurus, mulier quædā arrepto fragmine molę, deiectoq; è ſublimi in Abimelechum, cranium ipſi confregit. Placuit enim Deo, peſte hac, liberare populum afflictum, per mulierem, vt omnis liberationis laus & gloria eſſet graniſ potentiæ Dei, qui hactenus per infirma mundi eccleſiam ſuam magnis exoneravit oneribus. At quo minus felix & magis infamis reputaretur exitus tyranni & parricidæ, vbi is ſenſiſſet ſe in capite vulnus accepiſſe lethale, petit miniſtro ſuo, vt ipſum cõfoderet, ne diceretur Abimelechus rex ille ſcilicet gloriоſus ac inuictus, manu mulieris eſſe interfectus. Paruit miniſter, & dominum ſuum quaſi ſuis ipſius manibus trucidauit. Quod horrendum ſanè ſpectaculum omnes homines grauiter admonet caueāt ſibi à tyrannide, parricidijs, ambitione & truculentia. Regnauiſſe dicitur annis tribus. Incidit mors eius in annum mundi 2690.

Thola iudicat Iſraelem annis 23. Iud. 10.

Thola reſtituit politiam.

Thola hic fuit ex tribu Iſaſchar, excitatus à domino, vt Iſraelem idololatria deturpatum & fœdatum, ideoq; & ciuilibus bellis conuulſum, reduceret ad veram religionem, redigeretq; in concordiam, regno oppreſſo ac politia, à Deo inſtituta, rurſus reſtituta. Quod iudex & optimus ſumma fide & diligentia fecit, ſcriptura atteſtante & mira breuitate dicente, Surrexit poſt Abimelechum

Thola

Thola, vt saluum faceret Israelem. Præfuit autem populo Dei annis 23. & mortuus est anno mundi 2714.

Iair iudicauit Israelem annis 22. Iud. 10.

Iaír hic Manasseus fuit, vir vt apparet valde pius, fortis, prudens. Vixit sub hoc iudice Israel in vera religione, & ideò in summa tranquillitate. Etenim sub his duobus iudicibus Thola & Iairo diuturna pace, ad annos videlicet, 45. vsus est Dei populus. Iairo verò illi, vt Gedeoni, benedixerat dominus, vt fœcunda sobole esset felicissimus. Erant enim ipsi ex diuersis vxoribus filij 30. qui præterea honorati erant in populo, equites omnes (id quod scriptura significans, ait, equitantes supra 30. pullos) & prædiuites, quorum singuli singulas possidebant ciuitates. Sic enim benedicit Dominus timentibus ipsum, & celebrantibus nomen eius. Præfuit Iairus populo Dei annos 22. & mortuus est anno mundi 2736. *Israelitæ in pace viuunt.*

Affirmant Chronographi CARTHAGINEM in Aphrica, vrbem celeberrimam 3. anno Iairi esse conditam, qui est annus mundi 2717. Alij contendunt temporibus Solomonis extructam esse, à Carcedone Tyrio, Alij volunt à Didone eius filia conditam, & quidem annis post templum Solomonis extructũ, 143. ante conditam Romam annis 135. Quidam ædificationem Carthaginis adhuc prorogant longius & vsq; ad tempora Amasiæ extendunt. *Carthago.*

Israelitæ sine iudice oppressi sunt annis 18. Iud. 10.

Porrò felicitate & diuturna pace illa, qua vsi sunt sub duobus illis præcedentibus iudicibus, insolẽtiores rursus facti Israelitæ, defecerunt iterum à Deo ad Baalim & Astaroth, id est seruierunt Dijs Syrorum, Zidoniorum, Moabitarum, Palestinorum, & Ammonitarũ, neq; seruierũt amplius Domino Deo suo. Proinde scriptura, Propterea iratus est, inquit, furor domini, contra Israelem, & tradidit eos in manum Palestinorum & filiorum Ammon, qui attriuerunt filios Israelis, annis 18. Cœpit ea persequutio à morte Iairi, & est ordine 6. *Deficiũt Israelitæ rursus ad idola, & puniuntur à Deo grauiter.*

Fracti verò malis illis grauissimis & indesinentibus Israelitæ, ac domino in primis imbuente eos sua gratia, cœperunt tandem agnoscere peccatum suum grande, clamare ad dominum, & culpam fateri, simul & deprecari, deniq; liberationem postulare. Egregium sanè hoc nobis veræ pœnitentiæ exemplum proponitur imitandum, quod vt plenum est, ita & solida perseuerantia clarum. Etenim cum inuocantibus responderet dominus, ac diceret, Ego quidem de vobis optimè sum meritus, vt qui liberarim vos, non tantùm ex tyrannide Ægyptia, sed & ab Amorrhæorum seruitia, vos autem omnium mortalium ingratissimi, non modò non agnoscitis beneficia tanta, sed insuper me nunc planè deseruistis, & palàm Dijs seruitis alienis. Abite ergo iam, & inuocate illos Deos, quos vobis delegistis, liberent illi vos à tyrannide Ammonitarũ: attamen ad asperam hanc obiurgationem non desponderunt animũ, neq; abiecta omni fiducia precari Deum desierunt, quin totos sese voluntati diuinæ eiusq; misericordiæ subijcientes, clamarunt atq; dixerunt, Peccauimus sanè, fac ergo tu quod bonum est in oculis tuis, tantùm libera nos quæ sumus in præsenti. Præterea abstulerunt Deos alienos, nullo quidem relicto idololatriæ vestigio, & seruierunt soli domino Deo. Quæ quidem absolutissima & nobis omnibus imitanda est pœnitẽtia. Deus autem pro veritate sua ipsorum misertus, statuit oppressos releuare. *Egregium veræ pœnitentiæ exemplum.*

Iephthae iudicauit Israelem 6. annis Iud. 12.

Israelitæ & Ammonitæ bel lũ restaurant.

Proinde dum Ammonitæ suis instructi auxilijs, castra ponerent in Gilead, Israelem excisuri, aduersa castra collocarunt in Mizpa Israelitæ. Consultabatur tunc Israelitæ de duce exercitui suo præficiendo, tandem verò missa legatione ad Iephthae, qui erat extorris, agebatq; in terra Thob, vbi aliquot alebat milites & ipsos è patria, propter æs alienum, extorres, ducem belli ipsum elegerũt, qui legatos vnà cum suis illis militibus sequutus, dux Israelitarum est factus.

Iephthae quis.

Fuit hic Iephthae Manasseus, & quidem spurius, & à suis planè spretus atq; eiectus, sed virtutibus interim præclaris à Domino donatus. Quem ideò adhibuit liberationi populi sui Dominus, vt iterum inclaresceret, assertionem ecclesiæ Dei, meræ esse gratiæ diuinæ: & quòd Deus personam hominis non respicit, sed etiam per contempta huius sæculi virtutem suam exerit.

Iephthae pacẽ offert.

Iephthae itaque lustrato & disposito exercitu suo, hosti pacem prius offert quàm armis decernat, caussamq; belli, quod Israelitis inferebant Ammonitæ iusta ne sit an iniusta, æquis animis excutiant cupit & expetit. Oratio eius prolixa & egregia extat Iud. 11. cap. Cum verò Ammonitæ insolẽtiores essent, quàm qui rationem rerum suarum cuiquam reddere vellent, quinimò ferociter pergerent Israelitas affligere atq; agrum ipsorum vastare, auxilio Dei inuocato strenuè in hostes irruit Iephthae, & hos, licet instructissimi essent, fundit, fugat, castris exuit, & cædit, & penitus atterit. Nam scriptura vocat cladem hostium plagam magnam, & addit, Humiliati sunt autem filij Ammon, in conspectu filiorum Israel. Ita verò solet Deus, vera fide pœnitentiaq; ad ipsum conuersis, dexter adesse ac propitius. Vt autem nihil est omni parte beatum, ita victoriam illam insignem consequutæ sunt protinus calamitates aliquot admodùm lugubres. Principiò enim casus domesticus tristissimusq; ipsum Iephthae, grauissimè affligens, obturbauit. Dum enim hostem aggressurus esset, votum vouit domino, oblaturum se Deo primum quodq;, quod obuiam ei, à victoria, ex suis veniat ædibus. At occurrebat ei filia vnigenita, parentem, ob raram illam victoriam, læta & cum gratulatione exceptura. Quod tametsi ingenti cum animi dolore Iephthae videret, quia tamen vouerat domino, & filia omnino vellet persoluí votum Deo, volentem & spontaneam domino mactauit. Imprudens quidem fuit hoc votum Iephthae, sed imprudentior multo, vt ne quid dicam aliud, non persolutio. Potuisset ille caput filiæ redimere, iuxta legem, si diligentius & diutius in lege versatus fuisset, quàm in castris. Sed de votis nõ est huius loci disputare. Explicarunt hæc alij, & in primis doctè & eleganter clarissimus vir D. Petrus Martyr in Commentationibus suis ad librum Iudicum.

Iephthae offert filiam suam in holocaustum domino.

Pugnat Iephthae & vincit Ammonitas.

Ciuile bellum Manasseorum contra Ephraimitas.

Altera calamitas, quę victoriam illam insignem est consequuta, publica fuit, nempe discordia ciuilis, bellum intestinum, vel seditio pernicioſissima: cuius authores fuerunt Ephraimitæ, homines feroces, insolentes, rebusq; nouis studentes, illi ipsi inquam, qui & Gedeoni bellum intulissent quondam, nisi illa tolerantia & lenitate incredibili, illorum duritiam emolliuisset. Nunc verò cæpijs instructis rursus tumultuantur, & Iephthae optimè de ipsis & toto Israele merito incendium atque interitum imperiosè & truculenter minitantur. At Iephthae durus alioqui miles, & in castris semper versatus, longè acerbius insolentes excipit, quàm olim fecerat mitis placidisq; moribus Gedeon, moderatus tamen & ipse agens, ostendensque illis, quòd nullas haberent belli sui causas æquas. Cum autem videret nihil apud eos vllas valere rationes, signis collatis Ephraimitas cædit & planè opprimit. Ceciderunt enim eo conflictu, Ephraimitarum 42000. Horrendum sanè hic cernitur spectaculum. Fratres enim Ephraim & Manasse inter sese confligunt, tantáque editur strages, nimirum vt omnes in omnibus regnis & rebuspublicis tristi hoc exemplo moniti, non insolescant,

sant, non irritent crabrones, non superbiant, non ingrati sint benefactoribus. Quinimò nemo præsenti fidat fortunæ, quam videt tot obnoxiam esse vicissitudinibus.

Iephthae verò cum iudicasset Israelem, annis 6. mortuus est anno mundi 2760.

HISTORIAM RVTH

Noemi et Ruth

Quidam collocant in annum decimum Deboræ & Barachi, alij verò in alia tempora. Sed videtur eius historiæ initium referendum esse ad tempora Iephthae. Nam propter bellum Ammoniticum & ciuile oborta est fames. Ob eam discessit in terram Moab Elimæleh. Videtur autem Noemi relicta illius vidua anno Ibzani Iudicis 7. redijsse ex terra Moabitica vnà cum Ruth Moabitide nuru sua. Hæserat enim decennio in terra Moab. Ita sanè 1. anno Elonis duxisset Booz vxorem Ruth, ex qua suscepit filium Obeth, auum Dauidis, patrem verò Iesse. Nam à 1. Elonis anno ad natiuitatem Dauidis vsq; numerantur anni 95. Breuis est historia Ruth, sed egregia nobis suppeditat documenta, in primis catalogum genealogiæ Dauidis, adeoq; Christi domini secundùm carnem, & informat pulcherrimè officia socruum & nuruum, &c.

Ibzan iudicauit Israelem annis 7. Iud. 12.

Copiosa soboles.

Fuit hic iudex Berhlehemites, è tribu Iuda, felix & ipse sobole fœcunda. Nam scriptura dicit, Et fuerunt ei 30. filij, & 30. filias misit foras, rursus verò 30. filias introduxit filijs suis deforis. Itaq; fuerunt ei liberi 60. ac nurus 30. & generi 30. id est, in summa capita 120. Quod ignoro an hoc multis in orbe terrarum, ab orbe condito, concessum fuisse legas. Mortuus est autem cum iudicasset Israelem annis 7.

Elon iudicauit Israelem 10. annis. Iud. 12.

Fuit hic Zabulonites. Eius nihil commemorat scriptura. Videntur ergo omnia sub ipso, vt principe bono, tranquilla fuisse.

Abdon iudicauit Israelem 8. annis. Iud. 12.

Fuit hic Ephraimita, & ipse copiosa sobole clarus. Nam scriptura, Hic habuit 40. filios & 30. nepotes, equitantes super 70. pullos. Omnes ergo adoleuerant, cum omnes essent equites, fortè latera patris equitando stipantes. Mortuus est anno mundi 2785.

Defectio alia Israelitarũ & grauis pœna.

Felicitate porrò & pace, qua vsi sunt hactenus Israelitæ, vt alioqui semper fit à benè curata cute, abusi sunt. Iterum enim veram religionem falsa commutarunt, deficientes ad cultum idolorum gentilium. Quocirca Dominus iustus & verax obiecit eos, iuxta verbum suum, diuexandos Palæstinis, infensissimis populi Dei hostibus, & bello assuetis, ideoq; ferocissimis atq; indomitis. Durauit hæc persequutio, quæ 7. loco numerari potest, per annos 40.

Supputatio 40. annorum.

In medio autem relinquitur quomodo hi anni 40. supputandi sint, an ascendendo ad Ibzan vsq; Iudicem, intermedij illi anni 25. ad Samsonem vsque, his 40. annis sint accensendi, an verò (quod historiæ magis congruit) incipiendi ab annis Samsonis, qui iudicando quidem asseruit Israelem, sed ipsum nõ plenè è potestate Palæstinorum eripuit, quippe qui in ipso assertionis opere interijt, acita subducendi sint longius in ipsam etiam vsq; Heli gubernationem. Vt vt

autem ea res habeat, satis certè constat, hanc persequutionem, cæteris sex præce dentibus, fuisse diuturniorem, & propè grauiorem. Nec mirum hoc cuiquam videri debet. Æquum enim erat toties in cœnum relabentem & operum Dei tam fœdè oblitum populum, grauiori castigari supplicio. Quanquam interim Samsonis opera, videantur nonnihil esse releuati onere, alioqui importabili, sed tamen non plenè liberati: nulla etiam plena vspiam apparente pœnitentia.

Samson iudicauit Israelem annis 20. Iud. 15, 16.

Samson è matre sterili.

Danita fuit Samson, filius Manoah, viri pijssimi, Nazaræus item, & omnium Israelitarum fortissimus. Natiuitatem eius prænunciauit angelus domini. Natus est enim è matre sterili. At solet Deus eorum opera vti ad res maximas perficiendas, quorum natiuitates prænũciat è sterilibus matribus, vt apparet in Isaaco, in Iosepho, in hoc nostro Samsone, in Samuele & Ioan. baptista. Adultus duxit vxorem, non ex Israelijs, sed ex Palæstinis puellis, non quidem ex contemptu legis diuinæ, aut contra voluntatem parentũ, quos reuerebatur, sed quòd per eam occasionem Deus illi viam sterneret voluit, qua Palæstinis bellum inferret. In itinere dum vnà cum parẽtibus descendit, copulaturus sibi vxorem, obuium rugientemq; leonem discerpit. Ita enim Deus ei collatarum virtutum ostendit euidentissimum experimentum, in hoc, vt auderet maiora. Hic leo posteà in nuptijs Samsonis cum Palæstina, occasionem dedit ænigmati, E forti dulcedo, adeoq; bello, quod mox Palæstinis intulit. Nam cum Palæstina iuuenum expugnata minis, secretum mariti ipsis prodidisset, iratus Samson, ad Ascalonem 30. Palæstinos interfecit, quorum vestes iuuenibus illis, iuxta pactum, persolueret deinde ab vxore diuertit. Equidem iuuenes illi, Samsonis in nuptijs socij, specimen præbent de tota gente Palæstina, qualis tunc fuerit, minax, fraudulẽta, mendacissima & auara. Quo & illud pertinet, quod mox laceratur infelix matrimonium, patre vxorem Samsonis alteri protinus ex socijs Samsonis locante. Digna itaq; erant qui affligerentur.

Samsonleonem discerpit.

Samson combuit segetes Palæstinorum.

Samson vbi intellexisset vxorem suam alteri esse collocatam. Ego, inquit, innocens sum, si quid mali Palæstinis intulero, ac ilicò segetes inflammauit Palæstinorum immissis in segetem vulpibus trecentis, quorum caudis faces alligauerat. Quod cum indignissimè ferrẽt Palæstini, ædes soceri Samsonis, vnà cum vxore & socero comburunt, atq; ita ampliorem inferendi belli occasionem Samsoni offerunt.

Samson affligit Palæstinos.

Samson ergo grauiter affligit Palæstinos, & vt scriptura habet, percutit eos non tam in coxa, quàm in fœmore, plaga magna. Id quod Chaldæus Paraphrastes reddidit, interfecit eorum tam pedites quàm equites, ac inde sese abdidit in petram seu arcem Ethan. Quocirca Palæstini copijs instructis mouẽt in tribum Iuda, extremaq; his minantur, nisi vinctum ipsis tradant Samsonem. Iudæi itaq; non modò malè grati redemptori suo Samsoni, sed & deferentes ipsum factis hostes eius, extractum è petra Ethan, vinctumq; funibus recẽtibus duobus, hostibus tradunt exultantibus. Samson verò ruptis nullo negocio vinculis, in Palæstinos irruit, ac asini mandibula ibi reperta, dictu mirum, mille hostium cecidit. Qua re iterum ostendit dominus, se suam asserere ecclesiam, & se de hostibus suis vindicare posse rebus etiam in mundo despectissimis.

Samson sustulit portas Gazæ.

Posteà adeò sibi nihil timuit ab hostibus suis, vt ingrederetur etiam Palæstinorum vrbem, alioqui satis munitam, Gazam, ibiq; ea nocte cum scorto (horrendum dictu de viro tanto) cubaret. Gazæi verò apud portam dispositis excubijs, egressurum confodere cogitabant. At ille media nocte consurgens, portas effracto

effracta, inuitis custodibus, & postibus portæ duobus è fundamento extractis, & portam & postes sustulit in vicini verticem montis. Neq; enim solet Deus semper & ilico, gratuita sua dona, hominibus eripere, qui peccant.

Verùm non desijt ille malũ malo cumulare, deperireq; cæco & insano amore cœpit Dalilam quandam meretriculã. Verè illa Dalila, id est, depauperatrix vocabatur, macilenta inquam exhauriens & extenuatrix: vt enim tales sunt meretrices omnes, ita hæc huiusmodi erat in primis. Triste sanè est spectaculum cernere ludicem, iam senem, populi Dei, subare in ganea, & Nazaræum fœda se scortatione polluere, fortissimum mortalium sese vili scorto victũ & vincien dum substernere, & in gremium eius prodendum hostibus se supinum conijce re, atq; ibi morionis instar sese radendum exhibere. Hostes certè eius cum vidẽt eum amoribus turpibus voluptatibusq; indulgere, intelligunt tandẽ inuictum illum vinci iam posse, & quidem per scortum vilissimum. Muneribus enim libe ralibus oblatis astutè scorto, efficiunt, vt ipsa amatorem suum stultum, prodat hostibus, sicut copiosè exponitur ludicum cap. 16. Destitutum ergo auxilio diui no, capiunt Palæstini Samsonem, in scorti gremio, captoq; eruunt mox oculos, quibus ille vti noluit, deinde in pistrinum detrudunt, magna sanè cum irrisione & exultatione hostium, maioriq; cum dolore & scandalo fidelium. Atq; hi sunt fornicationis fructus egregij.

Samson amat Dalilam.

Capitur & vincitur Samson per scortum vilissimum.

Porrò in carcere redijt dñs cum supplice & corde cõtrito Samsone in gratiã restituitq; ei robur pristinum, vt & maculam inustam elueret, & hostes populi Dei in peccatis suis exultantes pro dignitate tractaret. Ergo dum Palestini epu las instituunt publicas, sacrificaturi Deo suo Dagon, cui hanc insignem victo riam ferebant acceptam, & iam gaudio publico exultabant, propter hostem vs quequaquè sæuum oppressum, ac inter epulandũ euocabant miserũ Samsonem, in conuiuium, iubebantq; ludere, voluptatem nimirum vt omnibus sua exhiberet miserabili præsentia: lusit sanè, & delusus est pariter contumelioſissimè ab om ni sexu atq; ætate hostium. Ille verò probris abundè adopertus, & blasphemijs in Deum & veram religionem vsq; effusis, tantùm nõ fatigatus, petit ab eo, qui ipsum dirigebat, ad columnas, quibus theatrũ aut palatium, in quo epulabãtur, incumbebat, deduci, quasi fessus oppidò, in eas quiescendi gratia inclinare vel let. Verũ inuocato Deo, corde firma fide donato, columnas illas collisit, totũq; in ruinam traxit palatium, in quo erant multa hominum millia, qui omnes hor ribili illa ruina oppressi sunt. Quòd si in tecto commemorat scriptura fuisse Pa læstinorum tria millia, quot obsecro credas in ipsa fuisse domo? Perijt autem sub ruina illa & ipsemet Samson. Quem quidem Deus ob admissa peccata afflixit grauiter, longè tamen grauius animaduertit in hostes idololatras. Mortuus est Samson, cum iudicasset Israelem annis 22. anno mundi 2805. & aggregatus est sanctis illis suis patribus quibus ipsum annumerat ad Hebr. apostolus Paulus.

Recipitur Samson à Deo in gratiam.

Samson euertit theatrum.

Qui historiam Samsonis fabulę parem faciunt, homines absurdi, illud maxi mè absurdum esse arbitrantur, quòd capillis eius tantum robur inditum fuisse legatur, vt quæ patrasse dicitur, virtute capillorũ præstitisse videatur. Cæterùm scriptura hoc non dicit, neq; capillo robur illud immensum tribuit. Accesso rium illa facit robur, quod ex virtute Dei accesserit. Sicuti in euangelio domi nus ad contactum fimbriæ suæ, palàm dicit, Sensi virtutem ex me egressam esse non vtiq; ex veste, Sibi sic, non vesti, tribuens sanitatis virtutem. Ideoq; ad for tia illa Samsonis facta semper adiungitur, Et irruit spiritus domini in Samsonẽ. Cumq; totondisset ei caput Dalila, & ipsum Palęstinis obijceret, scriptura dicit, Cogitabat ille, Egrediar, sicut ante feci, & me excutiã, nesciens quod recessisset ab eo dominus. Rursus cum pilus in carcere repullulasset, nondum tamen vlla

Robur Samsonis non fuit in capillis vel cincinnis eius.

se in ipso exeruit fortitudo, orauit autem dominum, qui robur ei restituit. Quantum verò ad cæsariem attinet, aluit sanè eam, sed vt Nazaræus, & domino sanctificatus, peculiariq; quodã fœdere coniunctus cum domino. Quod secretum quando aperuit meretrici putidæ, cui se prẽterea dedidit totum, oblitus domini Dei sui, prodidit certò sacra Dei pura impuræ bestiæ, & fœda sua impuritate violauit Dei fœdus. Rasus ergo à meretricula, veluti sacramento Dei spoliatus est, meruitq; deseri à domino.

Historia Samsonis nil habet absurdi.

Præterea cogitarent illi, quos hæ narrationes scripturæ offendunt, quæ sit quanta sit scripturæ authoritas, quodq; citra nephas non liceat pio de ijs dubitare, de quibus texuntur tam illustres atq; hæ de Samsone narrationes. Prædicta sunt hæc, quæ hic de Samsone commemorantur, à Iacobo patriarcha, legiturq; hoc vaticinium de Dan, Geneſis 49. Quis ergo dubitet de eo, quod tam insigne habet vetustatis testimonium & quidem diuinum? Præterea leguntur plurima apud ethnicos historicos de incredibili & prodigioso robore corporum & fortitudine miranda heroum nonnullorũ, vt Herculis, vt Milonis Crotoniatæ, vt Horatij Coclitis, & L. Sicinij Dentati, multorumq; gigantũ. Ea nullum omnino in dubium à quoquam vertuntur, quî fit ergo quod illud nobis incredibile videtur, quod palàm dicitur factum virtute spiritus omnipotentis? Quanta obsecro vis & potentia est in vento, re admodũ inani, qui ipsum mare euoluit, altissimas turres sternit, arbores maximas cum ipsis radicibus euellit & immota alioqui penitus euertit? Hæc cum negare non possumus, cur incredibile nobis videtur Samsonem omnipotentis Dei spiritu roboratum, eius virtute leonẽ discerpsisse, funes recentes rupisse, portas Gazæ vnà cum postibus euulsas sustulisse, hostes Palæstinos mandibula asini confecisse, ac contriuisse & theatrum Palæstinorum euertisse? Vt enim in Solomone Deus eximiam suam sapientiam exeruit, ita in Samsone robur maximum suum ostentauit. Et quidem grandia videntur meritò, quæ de Samsonis robore commemorantur, collata tamen ad alia insignia innumera Dei opera, vix inter minutias videntur esse numeranda. Quocirca absurdi & minimè sunt audiendi illi, apud quos Herculis labores aliaq; eius generis gentilitia, fidem inueniunt. Samsonis vero labores vel virtutes rapiuntur in dubium. Prætulit Samson hic præterea typum Christo, in ijs quibus suum fecit officium, nõ in ijs quibus peccauit contra Deminum. De qua re alij copiosè scripserunt.

Gel. lib. 2. cap. 21.

TROIA CAPTA ET HOMERI AETAS.

REgnum Troianorum vetustum admodùm, Chronographi cœpisse aiunt sub finem ætatis Mosis, ab exitu Israelis ex Ægypto 32. anno. Dardanum faciunt Troianorum regem primum. Post quem quatuor numerãt, Priamum sexto loco collocant. Huius filius Alexander, qui Paris cognominatur, Helenam Menelai Spartanorum regis vxorem rapuit, quo & bello Troiano anconsimo occasionem dedit. Gestum est hoc bellum decennio integro ab Asia & Europæ populis fortissimis apparatu & sumptu maximo, animis infensissimis, inæstimabili cum vtriusq; partis detrimento, cum interitu deniq; maximorum & præstantissimorum virorum, & per integrum decennium, multo item cum cruore hominum vastitateq; plurimarum florentissimarum regionum. Capta est tandem Troia, exusta & deleta penitus, anno ante vrbem Romam cõditam 430. Quæ quidem supputatio colligitur ex Dionysij Halicar. lib. 2. ex Diodoro Siculo, ex Sempronio Romano, ex Trogo Pompeio & alijs scriptoribus nonnullis. Porrò Vergilius & Liuius numerant inter occasum Troiæ & ortum Rom-

Rapta Helenæ bellum Troianum.

Capta Troia.

Romæ annos duntaxat 360. Vnde interitum Troiæ nonnulli referunt ad tempora Dauidis. Eusebius in Chronicis retulit ad 3. annum Abdonis iudicis Israelitarum: alij ad Elonem vsq; iudicem proferunt.

Si autem retulerimus Troiæ interitum in 4. Samsonis annum, inueniemus inde ad Romam vsq; conditam, in annum Achaz 10. annos illos 430 Cæterùm si interitus Samsonis & excidium Troiæ in eadem inciderunt tempora, vt sanè apparet, voluit certè Deus horrendis & memorabilibus illis exemplis vniuerso orbi attestari ac patefacere, quantum oderit libidines vagas, & quantopere ipsi displiceat scortatio, primariorum maximè virorum, deinde & omnium hominum, denicq; raptus, adulteria & matrimoniorum distractiones nephariæ. Vnde vel hodie ilias vel mare malorum scaturit. Herodotus certè histor. lib. 2. in Euterpe, calamitatis huius Troianæ mentionẽ faciens, diserte Deus funditus euersoIlio, inquit, planum facere voluit hominibus magnarum iniuriarũ, magnas à Dijs esse vltiones. Quod sanè peropportunè ac piè ethnicũ dixisse scriptorem testabuntur pij omnes.

Scortationes & adulteria semper puniuit Deus grauiter.

Bellum Troianũ infelix & calamitosum descripsit HOMERVS inter gentium scriptores facilè princeps. Quanta verò fuerit dissonãtia apud veteres de tempore, quo is floruerit indicat Euseb. in Chronicis. Cuius verba priusquam recitem, Herodoti referam sententiam. Is in Vita Homeri, quam descripsit, arbitratur Homerum esse natum annis ante traiectum Xerxis in Græciam, 622. Quibus mox addit, à Troiano bello Homerum floruisse annis 168. Idem rursus in Euterpe significantius, Vnde singuli Deorum, inquit, extiterint, an cuncti semper fuerint, aut qua specie, hactenus ignoratum est, nisi nuper atq; heri, vt sic dicam. Nam Hesiodus atq; Homerus quos quadringentis non amplius annis ante me opinor extitisse, fuere, qui Deorum prolem introduxerunt Græcis, &c. Quòd si diligentius perquisiuerimus quo tempore floruerit scripseritq; Herodotus, Plinium inueniemus testantem lib. Naturalis hist. 12. cap. 4. atq; dicentem, Anno vrbis nostræ 310. Herodotus historiam suam condidit Thurijs in Italia. Atqui incidit is annus in imperij Artaxerxis Longimani annum 23. Vnde si ascendendo numeraueris annos 400. quibus Hesiodus & Homerus antecedunt Herodotum, perueniemus ad finem regni Amasiæ regis Iuda. Iuxta quam supputationem Oseas & Isaias ac Hesiodus & Homerus propemodũ fierent synchroni. Iam verò Euseb. in Chron. Eratosthenes, inquit, post centesimũ annum Troianæ captiuitatis ponit Homerũ. Philochorus post captã Troiam an. 180. Appollodorus Athenien. post 240. annum euersionis Ilij. Extiterunt alij qui modico tempore antequam Olympiades inciperẽt, 400. retro annis Troianæ captiuitatis, eum fuisse putent. Idem Euseb. in anno Solomonis 17. Quidam ait, Homerum & Hesiodum his fuisse temporibus aiunt. Tantum ille. Est qui Hesiodum reijciat ad tẽpora vsq; captiuitatis Babylonicæ. Ita Isaias quoq; præcedit Hesiod. & Homerum. Marianus quoq; Scotus, Homerus claruit, inquit, in Græcia, vt testantur Apollodorus grammaticus & Euphorbus historicus, ante vrbem conditã annis 134. & vt Corn. Nepos ait, ante ipsam Olympiadem primam annis centum. Est hic annus 35. regis Ioas, qui in regnum Iuda Athaliæ est surrogatus. Hæc recito vt palàm appareat scriptores nostros, id est sanctos prophetas Mosem Samuelem Dauidem, &c. multo vetustiores esse, & multis parasangis præcurrere vetustissimos illos ethnicorum scriptores. Cuius rei & notas aliquot assignaui in rebus Mosis. Quid quod gentium omnium vetustissimi poetæ Orpheus, Musæus, & Linus Mosen multos demum post annos sunt consequuti? Nam Eusebius in temporibus Gedeonis, Orpheus Thrax, ait, clarus habetur: cuius discipulus fuit Musæus. Hæc dicit in anno Gedeonis

Homerus poeta

decimo octauo. Subdit idem, in vigesimo quinto eiusdem anno Linus magiste Herculis omnibus innotescit.

Heli iudicauit Israelem 40. annis 1. Sam. 4.

Quo tempore factæ res quæ describuntur in vlt. iud. lib. capitibus.

Morti Samsonis subnectuntur in libro Iudicum memorabiles historiæ tres nempe de quodã Micha idololatra, de Danitis ex improuiso Laitas opprimentibus, & de Gabaonitis Leuitæ cuidam constuprantibus vxorem suam, quod nepharium facinus ilico consequutum est bellum ciuile atrocissimum. Has historias mouent nonnulli loco suo, & transferunt in tempora iudicis Ehud. Alii verò ad alia referunt tempora. Verùm videntur optimo esse in loco, cum in eo relinquuntur, in quo collocatæ sunt à spiritu sancto, intelligamusq; illa quæ à morte Samsonis in finem vsq; libri cõmemorantur, facta esse mox à morte Samsonis, & ad 20. vsq; annũ Heli, aut circiter. Nam scriptura manifestè dicit, quod & sæpius repetit, Illis diebus non erat rex in Israel: quisq; quod rectum erat in oculis suis faciebat: id quod manifestè pugnabat cum lege domini, Deut. 12. Gubernabantur tunc tribus singulæ à suis senatoribus vel magistratibus, prouectio, iuxta præscriptum legis, Deut. 17. fiebat ad Silo, vbi cum pontifex esset Heli, & audiret causas seruiretq; tabernaculo, Israelem dicitur iudicasse. Alioquin enim nullus his temporibus iudex legitur datus Israeli, qui ipsum assereret. Per Samuelem demum & per Saulem eripuit afflictos ex manibus hostium. Sed redimus ad illas de quibus modò dicere cœperamus historias.

Quomodo & vnde Heli iudex in Israele. Anarchia.

Describuntur ergo quædam facinora, ex quibus discant omnes quid fieri soleat in anarchia, cum vel nullus est magistratus, vel cum est magistratus quidem, sed is tamen suum non facit officium. Et refutantur illi, qui statum regnorum & reipub. reducere volunt ad normam euangelicam. Id quod illi intelligunt, in regnis & rebuspub. nullos esse debere magistratus, qui coherceant, gubernent supplicioq; afficiant, &c. Palestini illo tempore rerum domini, non permittebant cuiquam plenum in Israelitas imperium: ipsi interim nec religionem veram curabant, nec publicam iustitiam ac honestatem. Si paruisset eis populus, & vectigalia vel tributa persoluisset, de cæteris ipsi non erant soliciti, sicut omnibus cõsuetum est principibus impijs. Heli quidem sacerdos & iudex non erat, sed cum interim vir esset non malus, negligentior tamen & iudulgentior, quàm par erat, modica erat eius authoritas, neq; per omnia suum faciebat officium. Refertur ergo corrupta esse religio. Referuntur bella in exteros & domesticos. Refertur stuprum planè propudiosum, admissum nepharie in medio populi Dei.

Ex furto apud Micham paratur lararium.

Et religio quidem corrupta fœdissimum habet exortum, & progressum nihilominus fœdum, quàm ridiculum. Nam Micha quidam suffuratur matri pecunias quasdam, quas vbi perculsus metu execrationis maternæ, matri restituisset, protinus illa has ipsas consecrat bona intentione domino, funditurq; euestigiò ex argento idolum, & quidem non Dagoni, aut alteri cuiquã Deo alieno, sed domino Deo vero ponitur imago. Solẽt vel hodie plurimi ex pecunia male acquisita, per furta, per vsuram, per militiam & artes nepharias extruere idolia atq; idola. Certè vbi idola parata sunt, ibi & idolea vel ediculas, sacella, templa, aras, instrumenta sacra, & ministros addere oportet. Quæ quidem omnia à Micha parantur in suis ædibus, in quibus Deo vero consecrat lararium. Concipit etiam vili prẽcio erronem quendam Leuitam, qui absq; pudore, se contra legem Dei, passus est conduci nepharijsq; præfici sacris. Sacrificus tamen hic mercenarius parum fidus & constans finit se postea corrupi amplissimis promissis, à Danitis, quos Micha domino suo relicto sequutus est. Diripiebant sibi lararium

larariũ Michę, insequentem hunc & clamantem repetentemq; Deum suum, minis asperrimis propulsarunt, sacrificum verò secũ abstraxerunt, qui in agmine sacrilegi populi, ceu asinus clitellarius portans mysteria, sacra imò rapta secũ ferebat instrumenta. Res planè ridicula erat hęc, fœda & religione indigna.

Danitæ enim cum plura haberent sibi designata à Deo velutiq; tradita oppida, his tamen non contenti, aut ea non occupantes strenuè, quæ occupare iubebantur, aliena magis appetunt, & exploratoribus procul ablegatis, à redeuntibus intelligunt spem superesse prędæ opimę. Correptis ergo armis, Laitas inertes & sequuros, ex improuiso adoriuntur, obruunt, ferro & igni omnia vastant, cunctaq; quæ Laitarum fuerant, sibi vendicant. Extructis autem sedibus nouis Deum qui in specu Michę latuerat hactenus, in publicum proferunt, nouumq; Dei cõtra Deum, cultum erigunt. Ita enim quiduis quibuslibet licet, vbi nemo est qui authoritate diuina & publica, affectus hominum vitiosos corrigat atque coherceat. *Danitæ Laitas ex improuiso opprimunt.*

Ideoq; in anarchia illa sequitur mox lugubrior multò calamitas. Cum enim Leuita quidam, in peregrinatione sua, diuertisset vnà cum vxore sua in vrbem Beniamiticam Gabaa, pernoctaturus in ea, intempesta nocte hospitium Leuitæ obsident impuri aliquot ex oppido canes (ciues dicere volebam) qui spurca eructantes verba, inde prius recedere noluerunt, quàm vxorem Leuitę in suam redactam potestatem constuprassent constuprandoq;, dictu fœdum & horrendum, exanimassent, & exanimem in platea publica ante fores hospitij humi iacentem, porrectis ad limina manibus reliquissent. Quo nephando facinore vehementissimè affectus Leuita vxorem mortuam in 12. dissecat partes, singulás que singulis mittit tribubus, vt horrendo spectaculo omnium oculis exponeret, quo res in Israele peruenissent. *Bellum ciuile ob constupratam Leuitæ vxorem.*

Commouentur omnes atrocitate rei horrendæ & hactenus inauditæ: fit ergo omnium maximus in Mizpa ad comitia publica concursus. Non indignè ferunt hunc tumultum Palestini, iudicantes vtiq; illum facere ad accidẽdas Israelitarum vires, ipsorumq; roborandam in Israelitas tyrannidem. In comitijs concordibus omnium votis declaratur bellũ contra Gabaonitas, nisi tradant extremo nebulones nepharios afficiendos supplicio. Videri poterat hoc bellũ quod susciebatur, bellum esse sacerdotale vel pfafficum (ein pfaffen krieg) quippe cui occasionem dedisset Leuita: cæterùm prodigiosa potius Gabaonitarum libido in culpa erat, & quòd tota tribus Beniamin nepharium scelus defendẽdum susciperet. Dum enim Israelitæ legationem prius mitterent, quàm armis decernerent, Gabaonitásque noxios atq; impuros ad pœnam postularent, vniuersa Beniamitica tribus, implicans se sceleri nephando, tantùm non noxios ad pœnam tradit, sed insuper arma pro ipsorum defensione expedit. *Bellum sacerdotale.*

Erant in castris Israelitarum quater centena virorum millia, Beniamitę verò expedierant 26600. Concurrunt inter se isti aciebus instructis animisque acerbissimis, & tria quidem committũntur ab eis prælia atrocissima pariter & cruentissima. Primo prelio vincuntur à Beniamitis deteriorem imò spurcam habentibus causam, Israelitæ, ex quibus desiderabantur virorum 22000. In secundo prelio vincuntur iterum Israelitæ, bonam quidem habentes causam, sed per cætera multis fœdati criminibus, vt nullam eis à Deo iniuriam sciamus irrogatã, ceciderunt q; iterum virorum 18000. In summa cæsi iam erant Israelitarũ 40000. & interierant Beniamitarum forè circiter 1000. aut 900. viri. *Pugna atrox inter Israelitas. & Beniamitas.*

Cladibus his meliores aliquanto facti Israelitæ, congregantur ad dominum in Silo, vbi plorantes supplicesq; Deo facti eius expetunt auxilium, ac pœnitentiam agere incipiunt. Consolabatur & confirmabat ibi illos Phinees, vel ille *Phinees.*

Eleazari filius, qui cæde Madianitici scorti cum suo amatore, nobilis factus
à Deo singulari & miranda donatus est longæuitate. Vel aliquis ex nepotibus
posterisq; Eleazari & Phinees, qui tabernaculo Domini in Silo seruiebat. Hic
inquam Israelitis, serio Deum inuocantibus, certam plenamq; promittebat victoriam. Quam & propitio Deo assequuti sunt. Tertium enim cum Beniamitis
congredientes, & insidijs hostem concludentes, 25000. Beniamitarum trucidarunt. Vix autem 600. fuga sunt elapsi, qui in petram Remmon sese abdiderunt,
latueruntq; ibi summa inopia rerum omnium, per menses 4. Inter quos turpe
quoq; fuisse verisimile est Kis patrem Saulis. Interea verò Israelitæ omnia Beniamitarum oppida, omnes vicos omnes denique mulieres & liberos flamma &
ferro miserandum in modum deleuerũt. Periit ergo hoc infelici bello ciuilis
mensa & incredibilis hominũ multitudo. In acie certè qui vtrinq; ceciderũt, numerantur viri fortes 65000. Declarare iterum voluit Dominus memorabilibus &
horribili historia, quàm oderit spurcitiem, obscœnitatem, libidines, stupra
& adulteria, impudentemq; & nephariam harum fœditatum defensionẽ. Nam
& antea sæpe testatus est Deus, se non diu illa impunè ferre posse, sed punire grauissimè, vt in Diluuio, in rege Pharaone rapiente vxorem suam Abrahæ, in
rege Abimelecho rapiente vxorem suam Isaaco, in Sodomitis & Gomorræis,
in cæde illa Madianitica, in miserando denicq; Samsonis interitu, & in horribili
Troianæ vrbis excidio. Rectissimè ergo apostolus Paulus, Hæc est voluntas
Dei, inquit, sanctificatio vestra, vt abstineatis à scortatione, & sciat vnusquisque
vestrum suum vas possidere cum sanctificatione et honore, nõ cum affectu concupiscentiæ, vt solent gentes. Et reliqua 1. Thess. 4.

Vsus huius historiæ horribilis.

Iabitæ opprimuntur.

Deletis in hoc ciuili bello Beniamitis, grauiter oppressi sunt ab Israelitis Iabitæ in Galaad, quòd in hoc bello non tulissent Israelitis suppetias, sed malussent esse neutrales, id est consortes fautoresq; nephãdi illius sceleris perpetrati.

Gell. lib. 2. cap. 12.

Certè Solon, vt extat apud Gellium, eos omnibus spoliauit fortunis exilioq;
damnauit, in suis legibus, qui in casu ciuilis discordiæ, non alterutri parti se
iunxerint, sed solitarij seperatiq;, à communi malo secesserint. Cæterùm
bello captæ in bello Iabitico puellæ, conceduntur superstitibus illis 600. Beniamitis, redeuntibus iam pace data, in oppida deuastata. Qui mox 200. alias
quoque rapiunt ex choris puellas Israeliticas, quas Israelitæ circa belli Beniamitici initium, iurauerant se minimè in coniugium collocaturas. Inde animum
adijciunt Beniamitæ ad reparandas euersorum oppidorum & pagorum ruinas
& ad œconomiam. Et hactenus quidem videntur 20. circiter anni Heli effecti, in illa anarchia miserabili, qua videmus omnia sursum deorsumq; voluta, lacerari.

Heli nimium indulgens.

Nihilo feliciores fuerunt & reliqui eiusdem Heli anni 20. Id quod nemo
videbitur mirum, si modò rectè expendatur qualis fuerit Heli gubernatio, nempe
dulgens vtiq;, mollis atq; remissa. Non videtur ipse quidem fuisse pessimus, sed
ipsum perperã docuisse; iners erat & negligens. Filij eius duo Ophni & Phinees
appellantur in scripturis filij Belial, id est insolentes, & iugum Dei excutientes,
deserti vtiq; ab omni pietate & sana ratione, filij perditionis. Erant enim sacrilegi, ventres vel helluones, mœchi & matronarum constupratores, prophanatores item sacrorum, tantæq; nequitiæ & prostitutæ impudentiæ, vt in ipso etiam
tabernaculo Domini, partes oblationum Domino debitas, per vim raperent sacrificantibus, mulierculasq;, dictu nefandum corrumperent. Illorum ipsorum
culpa fiebat, vt verbum Dei preciosum illis diebus esset, id est perrarũ, raræq;
fierent sacræ conciones, & miser Dei populus rarissimè verbi Dei pane cibaretur. Animus enim sacerdotum erat in patinis, & oculi eorum in gremijs

Corruptissimus ecclesiæ status.

sinu matronarum potius, quã in sacris libris. Ac corruptissimum fœdissimũq; antistitum exemplum, manabat etiam in subditos, ac scandalum quod ab execrabilibus his ponebatur sacerdotibus, miseram peruerterat plebem. Nam corruptissimus erat & vulgus. Contemnebatur vulgo ipse adeò Deus, contemnebatur ipsa vera religio, & in omnium oculis viluerant sacra: breuiter fœdissimè corruptũ erat caput cum suis membris, apparebatq; in populo illo, corruptissimus ecclesiæ status. Ad hæc subticebat Heli: tametsi enim verbis, apud filios factis, testaretur illa sibi vehementer, vt erat vir non malus, displicere, ita tamen frigidè agit omnia, vt lenior eius obiurgatio nec satisfecerit disciplinæ, nec fructum protulerit iustum.

Punitur consceleratio Israelitarum.

Puniturus ergo pro sua iustitia Deus hanc scelerum lernam, consueto suo more, mittit prius prophetam quendam, qui & Heli & filios eius grauiter corripiat & mala futura eis denunciet suadeatq; pœnitentiam. Correptio hæc extat scripta 1. Sam. 2. cap. Submittitur post hũc prophetam, & Samuel prophetæ ad Heli, qui & ipse corripiat denuncietq; interitum patri filijs & populo. Ac Samuel fideliter commissa à domino exequutus est. Et Heli nihil se excusat, nihil Deo obmurmurat, sed egregiam confessionem edit & ait, Deus est deus & dominus meus, iustus & misericors, faciat ergo de me & de meis, quod ipsi fuerit visum. Ego me eius voluntati prorsus subijcio. Cæterũ nullibi aliàs apud alios vlla apparuit pœnitentia. Sequutum est ergo mox bellum maximum & funestissimum. Nam Israelitæ congressi cum Palestinis terga vertũt, desideratis quatuor fere millibus. Fuit hæc persequutio propter peccata, Israelitis cœlitus illata admodùm grauis, & ordine post bellum ciuile Beniamiticum, nona.

Cæduntur 4000.

Victi Israelitæ parant aciem restituere & sese de hostibus vindicare. Rursus ergo castra contra Palestinos ponunt, in hæc arcam domini deferri à sacerdotibus mandant, abutentes Dei sacramento, & in alium transferentes vsum, quàm fuerat instituta à Deo. Symbolum erat præsentiæ Dei, quamdiu perstarẽt in fœdere, non autem data erat ceu medium quodpiam, per quod populo rebelli & conscelerato salus conferretur: sicut iam omnem spem figebant in externam illam arcæ præsentiam. Israelitæ ergo de victoria tantùm non certi ac sequuri, cum Palestinis, alioqui ad arcæ præsentiam trepidantibus, iterum confligunt, sed rursus infeliciter. Cæsi enim sunt Israelitarum à Palestinis triginta millia. Arca quoq; domini capta est, & sacerdotes filij Heli in prelio interfecti sunt. Quod cum audisset Heli, maximè captam esse arcam, prætulit longè (animo certè minimè improbando) hanc calamitatem publicam & religionis, domesticæ, corruensq; è sella, repentina morte extinctus est, cum iudicasset Israelem 40. annis & vixisset annos 98. Decessit ergo anno mundi 2845. Vniuersus verò populus prorsus consternatus per omnia oppida oppidorũq; compita plangens, tristissima sua deplorauit fata. Ita verò solet dominus conscelerationem impœnitentis sui populi punire seueriſſimè, vt huiusmodi exemplis lugubribus perm.oti posteri, Deum reuereantur.

Cæduntur 30000.

Heli interit.

Palestini de victoria nobili, & maximè ob captam arcam domini, obstinatiores facti, admodùm insolenter exultabant ac triumphabant, neq; sibi à vocibus blasphemis in Deum verum & veram eius religionem temperabant, suũ Deum & suam religionem in cœlum vsq; efferentes, Deum verum contra veramq; religionem tantùm non pedibus proterentes. Arcam enim ipsam Azotum deportant & in phanum Dei sui Dagon inferunt, ceu captiuã & Deo suo Dagon subditam. Ibi verò Deus tempestiuum ratus, suam asserere gloriam, veluti congressus cum Dijs alienis & religione falsa, euincit se semper esse victorem, licet nõ rarò impij vincant & Dei subiugent ecclesiã, deniq; & sacramẽta polluant.

Palestini exultantes mirabiliter à Deo deijciuntur.

Deus nunquam vincitur, licet de ecclesia triumphetur ab impijs.

Corruit enim Dagon ea nocte, qua illatum in phanum erat arca, & ceu subfra-
nitur arcę. Sed dum Palestini cæcati, hunc crederent casum esse fortuitum, con-
stituunt victorem Dagonem iterum in suam basim. Proinde consequente no-
cte Deus cum Dagone validius congressus, decutit ei caput tanquam noxio,
amputat ipsi palmas, projiciuntur hæ quam longissimè à trunco, ad templi vi-
limina. Sequuntur mox in Palestinis calamitates variæ & graues, morbus in-
quam fœdissimus, ventris profluuium. Alij volunt morbum fuisse dysente-
riæ vel lienteriæ, alij projectionem ani, alij ficos, vel mariscas, alij verò hæmo-
roidas. Qualis qualis fuerit morbus, putris certè ideoq; fœdus & grauissimus
fuit. Sequuta est lues, venenatiq; mortus murium, qui arrodendo omnia corru-
perunt. Ita sanè declarauit Dominus per res alioqui contemptas & fœdas, se-
superbis insolentibusq; Palestinis valde congruas, dominum victorem perpe-
tuum, subiugari ab hominibus nunquam, licet sacramenta & populus eius ca-
piantur, deniq; rebus contemptissimis posse Deum magnificos & indomitos
sua opinione, hostes, cohercere. Et quidem gloria Dei nunc in Palestina erat il-
lustrior, quàm antea fuerat inter Israelitas peccata peccatis cumulantibus.

Vera religio omnibus tẽporibus falsam vincit.

Obseruandũ hic, vt in vniuersa historia sacra illud in primis censeo, Deum
decursu aliquot sæculorum, in quibus inter homines diuersa religionum studia
& certamina viguerunt, ad suam periodum deuoluto, semper commissis inter
se memorabili singulariq; aliquo certamine religionibus, falsam sternere pro-
culcareq;, veram autem religionem extollere eiq; præclaram dare victoriam.
Diu inter se contenderant in primo illo sæculo filij Dei & filij hominum, sed fa-
mersis his vniuersis, Noe præcipuus ex Dei filijs & veræ religionis fidelis assec-
tor, aquis euehitur & in arca cum suis oppidò pauculis triumphat. Tẽporibus
Mosis, cum antea, ab ipso diluuio, inualuisset in mundo idolomania cum ar-
bus quibusq; pessimis, & impietas hæc regnaret in nulla mundi parte potẽtius
quàm in Ægypto, commisit Deus inter se Ægyptum & populum suum, qui à
duce Mose, commissis certaminibus varijs & multis, vicit tandem, submersis
copijs suis rege, & regno Ægypti calamitatibus oppresso. Et nunc cum iterum
præualuisset error & superstitio, cui præ cæteris addicti iam erant Palestini, pu-
ra Dei sapientia committuntur inter se Arca Dei & Deus ficulneus Dagon, ac
victoriam reportat Deus verus & religio vera, superstitione omni confusione
adoperta & merdis (honor sit auribus) ipsorum met Palestinorũ defœdata. Sic
sub rege Achab certat Helias cum Baalitis & facilè vincit. Sed & in captiuitate
Babylonica certant inter se sapientes Babylonij rex Nabuch. idola deniq;, &
Daniel cũ socijs, qui & vincunt. Aduenientе quoq; Christo domino, vincun-
& euertitur falsa phariseorum doctrina, repurgatur item templum. Postea em-
mittuntur Apostoli cum vniuerso mundo, & vincunt, quamuis victoria cru-
enta. Hæ victoriæ confirmant animos fidelium in vera religione, absterrent
à falsa.

Testimonia diuinæ victoriæ.

Decernunt autem (vt iterum in viam redeamus) victores Palestini comitib
publicis restituendam esse in locum suum Arcam, & quidem cum muneribus
amplissimis ceu memoraculis rerum gestarum, adeoq; ceu testimonijs Palesti-
nos verius victos esse à Deo quàm Dei esse victores, ac in cœno volutatam in-
cere superstitionem gentilem, triumphare religionem veram. Exactis ergo men-
sibus septem, quibus vecta erat per vrbes Palestinorum arca, rursus est reducta

Bethsamitæ.

magnificè in terram Israelitarum. In itinere verò dum nonnulli curiosius irrelig-
giosiusq; & contra legem Numeri 4. inspicerent scrutarẽturq; arcam domini,
multa eorum millia interiere. Non enim vult Dominus aliter iudicari de sacra-
mentis, neq; eis plus tribui, quàm ipse instituit.

Illa

Illata porrò est arca domini à ciuibus Chiriathiearim in domum Abinada b, qui habitabat in Gibeah, mansitq; ibi annis 20. Cæterùm cum à morte Heli, qua capta est arca, numerentur ad 8. vsq; annum Dauidis anni 48. quando Dauid eam transtulit è domo Abinadab, quomodo hic dicitur mansisse in domo Abinadab annis tantùm 20? Respondet in Tradit. Hebr. suis beatus Hieron. & ait, Peracto vicesimo anno Samuelis, translata est arca à Samuele in Masphat, & de Masphat transtulerunt eam Samuel & Saul in Galgala. Inde translata est à Saul in Nobe, de Nobe in Gabaa. De Gabaa translata est à Dauid in domum Obed edom. De domo Obed edom transtulit eam Dauid in Zion. De Zion transtulit eam Solomon in sancta sanctorum. Hæc illæ. *Quibus locis peregrinata vel circumlata sit arca.*

Samuel & Saul præfuerunt populo Dei annis 40. Actorum 13.

Successit sacerdoti Heli Samuel propheta ex sanctis prognatus parentibus, Helcana & Anna, generis Leuitici, ex familia Choritarum, sicut videre licet in lib. Paralip. Mater Anna sterilis, benedictione Domini fit fœcunda. Tradit hæc Samuelem Heli educandum ad ministerium sacrum, quippe quem Deo vouerat, prout diligenter describitur 1. Sam. 1. & 2. cap. Fuit Samuel disparibus longè moribus à filijs Heli. Nam à puero in decrepitam vsque ætatem perseuerauit in admiranda sanctitate & integritate probatissima. Post Mosen numeratur merito inter primos excellentissimos præclarissimos Dei prophetas Samuel, quippe per quem Deus in populo suo admiranda maximaq; perfecit opera. *Samuelis genus & educatio.*

Gubernationem suam auspicabatur perturbatissimis afflictissimisq; Israelitarum rebus. Proinde strenuè prędicauit populo pœnitentiam, ceu vnicum recuperandæ libertatis salutisq; remedium. Summa concionis eius consignatur 1. Sam. 7. continetq; perfectissimam veræ pœnitentiæ formam. Requirit enim, vt verè totoq; corde resipiscant, vt Deos alienos cum peregrino cultu abijciant, vt vni Deo cor vera fide consecrent, totisq; viribus seruiant Deo vero soli. Id quod per Dei gratiam faciunt, confitentes Deo ingenuè peccata sua, & aquis sese conspergẽtes iuxta legem, quod remissionis innouationisq; symbolũ erat. *Samuel initio gubernationis suæ prædicat pœnitentiam.*

Nec infrugifera fuit ipsorum pœnitentia, ex vera fide in Deum profecta. Nam dum coirent ad comitia publica Israelitæ vocante ipsos in cœtum Samuele, vt de recuperanda libertate & excutiendo iugo Palæstinorum consultarent, Palæstini contra ipsos arma expediunt, festinantq; vt comitia eorum disturbẽt. Cæterùm trepidos ob memoriã cladium perpessarum à Palæstinis, consolatur atq; confirmat Israelitas, Samuel. Fiunt item ab illis preces frequentes & feruentes ad Dominum, qui cœlitus detonat, Palæstinos dispergit, in fugam conijcit, magnaq; strage proterit atq; perimit. Redditur ergo victoribus Israelitis libertas, redduntur vrbes ablatæ, & sequitur pax firma & diuturna, Palęstinis porrò ne mutire quidem contra audentibus. Samuel in laudem Dei trophęum Domino constituit, & hunc patria lingua, Ebenhæzer, id est, lapidem adiutorij in perpetuam rei memoriam nuncupauit. *A pœnitentibus aufertur iugum Palæstinorum.*

Post victoriam tam insignem, & in pace tam alta atq; secura, non tradidit se ocio Samuel, sed summa cum diligentia & multis cum laboribus Israelem diu iudicauit. Nam tribuuntur ei ex 40. annis, quos Apostolus ipsi atq; Sauli partitur, minimum 30. etsi non nesciam alios ei 20. duntaxat ascribere, sed temporis ratio videtur potius superiorem approbare supputationem, vt Saulis regimini cedant 10. duntaxat anni. Impiger erat Samuel in suo munere. Dum enim per vires liceret, circuibat ille per celebria Israelis loca, curabatq; ne quid deesset iu *Samuel iudicat Israelem.*

Filij Samuelis iudices iniqui.

dicijs. Tandem senio fractus, sibi cooptauit filios suos, Ioelem & Abijah, in quo-
rum humeros onus illud deuoluit. Verùm vt vir pius inconsulto domino filios
suos populo iudices dedit, sic res (vt nihil est omni parte beatum) nõ admodum

Heruum filij noxæ.

feliciter cecidit. Filij enim degenerantes à paternis moribus, auaritiæ fuerunt
dediti, ideoq; inhiabant cupidè muneribus peruerteruntq; iudicium. Quæ qui-
dem deterrima sunt Iudicum vitia. Hac sua turpi corruptela occasionem dede-
runt populo postulandi regem. Quem cum Samuel ei dedisset, Saulem, nec-q;
men muneri prophetico se abdicasset, quod reliquum vitæ eius supererat, insti-

Samuel prophe ta scholam instituit.

tuendæ formandæq; scholæ propheticæ impendit. Intelligebat quippe quan-
tum referret scholas esse institutas & quidem eas rectè esse institutas, in quibus
iuuentus exerceretur institueretur q; in omni pietate, & in bonis artibus. Quan-
tum item noceat cùm ecclesiæ tum reipub. aut regno, scholas esse nullas, aut nõ
rectè esse institutas. Scholam verò Samuelis in Ramah institutam scriptura 1.
Sam. 19. vocat Naioth, quasi tu dicas bursam, vel collegium studiosorum theo-
logiæ. Prophetantes etiam hi dicuntur, & alibi in scriptura nuncupantur disci-

Filij prophetarum.

puli huiusmodi vel scholares, filij prophetarum. Rectè ergo Ionathan vertit Na-
ioth, domum doctrinæ. Huc exul Dauid confugisse dicitur, nimirum, vt in col-
legio theologico audiret verbum Dei, & acciperet consolationem in sua tribu-
latione confirmaretur q; in fide, cõtra afflictiones quibus exercebatur. Fit huius-
modi collegij prophetici mentio & in 1. Sam. lib. cap. 10.

DE SCHOLIS ET DOCTORIBVS ECCLE-
*siæ Dei, successione non interrupta sibi mutuò succeden-
tibus, ad Christi vsq; tempora.*

Doctores anti- quissimi & pri mi sæculi.

OCcasione hac mihi suppeditata de Collegijs studiosorum, dicendum mihi
necessariò aliquid videtur de scholis, & continua doctorũ in ecclesia Dei
successione. Audiuimus antea doctores ab exordio mũdi inter homines fuisse
sanctos Dei patriarchas, ab Adamo patre nostro omnium, ad Noe & ad Diluuium vsq;. Inde Deum rursus dedisse præclara mundo lumina, Semum, Abra-
hamum, & reliquos sanctos patres, quorum nomina superius sunt recensita, ad
Mosen vsq;. Moses autem, Deo authore, Leuiticas vrbes adeoq; scholas sacras
tales instituit, è quibus per tempora Iudicum doctores prodierunt sacerdotes
qui veram doctrinam atq; religionẽ in populo conseruarunt atq; propagarunt.

Ex his prodijt & Samuel ille noster, qui, vt dictum est, cœtus studiosorum di-

Ex scholis pro deũt celeberri- mi prophetæ.

ligentissimè collegit. Ex eo consequentibus tẽporibus prouenit prouentu fere
felicissimo magna celebrium prophetarum copia, vt Nathan, Gad cæteriq; pla-
rimi, quorum nomina partim recensentur in scripturis, partim tacentur. Appa-
ret hinc quare S. Petrus in Actis apostolicis, tempora à Samuele, prophetarum

Tempora pro- phetarum Ac- torum 3.

nuncuparit tempora. Etenim à temporibus Samuelis, mira verorum in Israel
prophetarum exorta est copia, qui omnes de Christo & ecclesia eius prophe-
runt, deinde & populum in sana doctrina retinuerunt, pœnitentiam docue-
runt, & superstitiones cum idolis strenuè oppugnarunt.

Et Dauid quidem auxit ornauitq; collegia studiosorũ, sicuti paulò post re-

Scholæ sub Da uide.

nebimus, & Solomonem illa non minuisse satis certum est. Ergo ex his pro-
diere celebres illi prophetæ, quorum mentio fit in sacra historia, Ahias Silo-
tes, Semeias, Azarias, Hanani, Obed, Iehu, Eliezer, & alij.

Instituuntur scholæ in Israe le.

Cumq; ex Israele Ieroboam dissipatis scholis atq; protritis, Leuitas theolo-
giæ studiosos, & populi Dei doctores eiecisset, Helias & Helisæus alios stu-
diosorum cœtus collegerunt. Qui rursus in excidio Samariæ & interitu regni
Israelitici

Israelitici, pessum iuere. Quæ verò in tribu Iuda scholæ fuerunt, saluæ manserunt. Tametsi enim reges aliquot impij eas negligerent, sicuti Achaz eas prorsus conuulsit, mittebantur tamen à Deo subinde alij atq; alij reges, qui se mecœnates præberent studiosis, vt Iosaphat, Ezechias, & Iosias. Restaurabantur ergo sub his & scholæ & studia sacra.

Successio continua prophetarum.

Ex his ergo populi Dei scholis siue Iudaicis siue Israeliticis, à temporibus Samuelis, Dauidis, Solomonis, Heliæ atq; Helisæi, continua successione sibi mutuo successerunt excellentissimi prophetæ, vt singula sæcula habuerint præclaros peculiaresq; suos doctores. Quo nominatim referendi sunt Ionas, Hoseas, & ipse Isaias, licet Leuita non esset, apostolicus item propheta Abacuk, qui prophetasse dicitur sub Manasse, vnde & videri & audire potuit à Ieremia, qui per spiritum sanctum doctrinam illam ecclesiæ sanam & catholicam à tot tantisq; Dei prophetis & viua voce & scripto traditam, accepit & didicit, & suo sæcula viua voce prædicauit, & scripto traditam reliquit. Ieremiam vidisse & audiuisse Danielem, priusquam in captiuitatem abduceretur, dubium non est. Ita certissimum est Haggæum, Zachariam & Malachiam vidisse & audiuisse in captiuitate, & Danielem & Ezechielem. Tribus verò prius commemoratis, Haggæo videlicet, &c. cognitissimi fuerunt Esdras & Nehemias, cuius historia Alexandri magni tempora propè attingit. Et Esdras post reditum populi è Babylone, in ordine sacerdotum & studijs sanctis instaurandis, ad miraculum vsq; diligens fuisse legitur. Sequuti sunt paulò post sacerdotes in lege Dei docti & in docendo populo fideles. Sequuti sunt LXX. illi interpretes, qui Ptolemæo Philadelpho rege Ægypti rogante, Legem ex Hebræa lingua conuerterunt in Græcam. Sequuti sunt Machabęi, quos non ita multo post tẽpore excepere Simeon ille iustus, Zacharias pater Baptistę, & ipse Baptista Ioannes præcursor Christi, adeoq; insequutus est protinus Iesus Christus, lux mundi, & doctor ille mundi catholicus, in quo omnis prophetarum doctrina includitur atq; completur, qui & ipse nouum apostolorum 12. & 70. discipulorum cœtum collegit, vt hos in vniuersum mundum doctores ecclesiæ emitteret, & electos suos sibi per hos, glutino sancti spiritus fideiq; sanæ & doctrinæ veræ conciliaret aduniretq;.

Esdras.

Christus & Apostoli.

In quem finem hæc de scholis sint consignata.

Hæc de scholis collegijsq; prophetarum & doctorum ecclesiæ dixi hactenus, vt hinc non tam vetustas, quàm puritas & consensus ac series nostræ religionis & doctrinæ veritasq; & certitudo eius infallibilis colligatur, ac ipsa animis recipiatur promptioribus alacrioribusq;, deniq; retineatur à nobis sanctissima & inuictissima pertinacia. Longè vtilius est hanc successionẽ continuam prophetarum & doctorum ecclesiæ, inspicere, tenere, & sæpè repetere, quàm successionem illam Romanorum episcoporum ad nostra illa tempora continuam, quam aduersarij semper nobis obijciunt, frustra, ad conspurcandam infamandamq; euangelij doctrinam: sed nunc redeo ad continuandam nostram illam cœptam historiam & temporum seriem.

Mors Samuelis.

Senex Samuel vita functus est. Annos ætatis eius & quando mortuus sit, scriptura non commemorat. Iudicum fuit vltimus, & inter hos omnium maxima authoritate præditus. Quæ reliqua sunt Samuelis, immixta rebus Saulis & Dauidis sequentur.

Libri Samuelis Iudicum & Ruth.

Samueli attribuuntur duo libri, qui vulgò priores Regum nuncupantur, quòd ille res gestas sub Heli prædecessore suo, & quæ euenerunt sub sua gubernatione, nec non Saulis, ad mortem vsq; suam, credatur instinctu sancti spiritus consignasse, discipuli verò Samuelis & ipsi prophetæ & à spiritu sancto inspirati, sequentia mortem Samuelis, ad initium vsq; 3. libri Regum addidisse dicantur. Ac sunt qui hoc fecisse existiment Nathan atque Gad prophetas, qui

sanè rerum Dauidis oculati fuerunt testes, ipsisq; immixti rebus gestis. Idem Samuel consignasse dicitur etiam Iudicum historiam & libellum Ruth.

RESPVB. ISRAELIS CONVERSA IN REGNVM.

Israelitæ cupiunt statum reipub. ordinatum à Deo conuerti in regnũ.

VIxerunt huc vsq; Israelitæ ab exitu ex Ægypto liberi, sub imperio Dei & legibus eius, sub Samuele primùm totam gubernationis formam à Deo ipsis traditam cupiunt immutatam, & rempub. conuersam in regnum. Fastidium enim quodpiam subierat vulgaris illius sui magistratus nihil splendidi habentis, obstreperum ergo nobilem illustremq; exoptabant, non quidem consulto Dei verbo, sed huc impulsi vicinarum gentium exemplo, iniquitate quoq; filiorum Samuelis in iudicijs, & metu regis Ammonitarum, qui bellum contra ipsos parabat, quod illi à se in ceruicem regis reijcere cogitabant. Grauiter autem peccabant Israelitæ quòd hactenus à Deo defensi, & ab omnibus hostibus suis mirabiliter seruati, beneficiorum horum Dei prorsus immemores, imò potentissimo & beneficentissimo Deo diffidentes, omne iam præsidium collocabant in regibus. Instituerat Deus per Mosen in lege sua præstantissimam, pulcherrimam commodissimamq; reipub. rationem, constantem rege omnium sapientissimo & potentissimo, clementissimoq; Deo, optimatibus item senatoribus æquissimis & minimè sumptuosis aut superbis, populo denique, quibus addebat ille iudicem, quoties res ipsa expostulasset. Eam retinuissent mordicus si sapuissent: sed rarò sapit vulgus, alioqui inconstans & leue semper, ingratum & rerum nouarum cupidum.

Dissuadet Samuel populo mutationẽ reipub. in regnũ.

Certè Samuel, à quo sibi regẽ dari postulabant, summa fide & diligentia omnibusq; ipsorum conabatur infringere consilia, ideoq; accuratè exponit populo, quæ incommoda malaq; agminatim consequutura sint regnũ, & quanta quantaq; grauamina suis ipsorum humeris & posterorum ceruicibus, nullam cessitate sint imposituri, si obstinatè sic pergant & regem sibi imponi velint. Exponuntur hæc copiosè 1. Sam. 8. cap. ac dicuntur illa quæ ibi grauamina exponuntur iura regni regisq;, quæ illis posthac nunquam liceat vel negare regi, vel abijcere prorsus. pristinumq; libertatis statum vel reipub. ordinationem repetere. Verùm affectibus prauis præfocati, nullas amplius habebant aures audiendum obsequendumq; sanis & salutaribus consilijs.

Leges regi latæ Deut. 17. ca.

Præuiderat peruicacem hanc miseri populi sui stultitiam dominus, qui iam in lege sua Deut. 17. non mandat quidem illis eligere regẽ, sed quia hoc sua sponte & inconsulto Deo facturos præsciuit, legibus quibusdam, ceu freno, regnum cohercuit insolentiam, adeoq; conditionibus non iniquis regem miseri populi sui circumscripsit, quò misericors dominus tolerabiliorem ei statum regni redderet. Alioqui habet & splendidissimas suas vtilitates in populo etiam monarchia, præsertim si is qui solus imperitat sit vir bonus & pius, vt Dauid & alij reges sancti. His non minus iubet Deus in verbo suo parere quàm optimatibus in repub. vtpote & illis à Deo ordinatis. Et rex in regno minister Dei est, perinde vt senatorij ordinis vir in repub. Tametsi enim Samueli displicuerit postulatio populi, maluisseteq; eam retentam in populo formam reipub. quã instituerat Deus, quin & Deus dixerit, Non te spreuerunt sed me, nemo tamen hinc colligat simpliciter & reges & regna displicere Deo. Apertissimum est enim ex certo Dei sancti Petri mandatum, quod est huiusmodi, Subditi estote cuiuis humanæ creaturæ, propter dominum, siue regi, tanquam præcellenti, siue præsidibus, tanquam qui per eum mittantur ad vindictam quidem nocentium, laudem verò recte agentium.

Sena

Stetit verò hoc regnum Israeliticum à Saule rege primo, ad Zedechiam vsque vltimum, sub quo & vrbs Hierosolymorum & regnum periere, annis 488. Reges habuerunt Israelitæ ante diuisum regnum tres. At à diuiso regno fuerũt tribus Iuda & Beniamin hoc est regno Iudaico, reges 20. decem autem tribubus, hoc est regno Israelitico, 19. Ex istis paucissimi fuerunt boni, mediocres nõ multi, plerique autẽ pessimi. Et rex primus Saul per initia regni bonus fuit, mox tamen furere potius, quam regnare cœpit, Deo ad hunc modum omnium oculis exponente, quàm inconsulte, libertate posita, regem petijssent. *Quamdiu floruerit regnum Israelis et quot habuerit reges*

SAVL PRIMVS IN ISRAELE REX.

POsquam enim Deus iussisset Samuelem obsequi populi postulatis, regẽ petentis (quo nimirum illud Oseę pertinet, Regem sibi constituerunt, sed non ex me, id est me inconsulto, neq; primùm hoc me eis consulente, Deo tamen nihilominus concedente regem, & reges approbante, quatenus hi se Deo non opponunt, imò iubente & prauis obsequi, modò ea non præcipiant, quæ contra Deum sunt) dedit eis Saulem. *Regẽ sibi constituerunt non ex me.*

SAVL oriundus fuit ex tribu Beniamin, ex familia Ieminea, patre natus fortissimo viro Kis, formæ excellentissimæ, adeò vt in vniuerso Israele secundum non haberet proceriorq; viros supereminere et omnes. Præstabat item morum bonitate probitateq;. Patrem reuerebatur in primis. Vnde cum ab ipso mitteretur ad quærendas errantes asinas, vilitate officij nil planè impeditus, patri obsequentissimum se præbuit. Interim verò dum asinas quærit, regnum inuenit. Delatus enim diuina prouidentia ad Samuelem prophetam, ab ipso in regem Israelis inungitur, idq; ad mandatum domini dicentis, Mittam ad te virum de terra Beniamin, quem inunges in ducem super populum meum Israel. Is saluum faciet populum ex manu Palestinorum. Respexi enim populum meum: quia venit clamor eius ad me, &c. Vbi sanè in primis obseruanda venit admirãda Dei misericordia, saluantis populum & tyrannide & peccatis oppressum, nec huic rependentis pro merito, vt hinc discant omnes homines sperare in misericordiam eius. Facta hæc videntur post 30. gubernationis Samuelis annum, anno à morte Heli 31. qui erat annus mundi 2876. à diluuio 1220. *Saul ex tribu Beniamin.* *Saul quærens asinas patris inungitur à Samuele in regem Israelis.*

Mox ab vnctione Samuelis indidit Sauli Deus mentem longè aliam quàm habuerat prius, spiritum inquam planè heroicum, per quem instructus felicius concreditum sibi gubernaret regnum. Clementissimus enim Deus noster, qui functiones munerum imponit hominibus, etiam facultates concedit, feliciter eas administrãdi. Copiosè describitur vnctio hæc Saulis 1. Sam. 9. & 10. cap. Porrò hæc Saulis vnctio ab initio occultissima, promulgabatur palàm à Samuele, Deo iubente, in publicis populi comitijs ad Mizpa congregatis: vbi nonnullis Saulem respuentibus aspernantibusq;, à maiore populi parte illi acclamatum est, Viuat rex. Ibidem instruxit Samuel populum de iure regni ac obedientia, quæ & in literas relata in tabernaculi adyta reposuit. Quo facto egregiè sanè monarchia est à propheta Dei & approbata & confirmata, vt posthac omnes quotquot sunt sub regum imperio sibi omnino parendũ esse per omnia sciant. *Instruitur Saul spiritu heroico*

Vix erant hæc peracta, quando rex Ammonitarum Nahas graui obsidione Iabenses in terra Gilead cingebat & strenuè oppugnabat, ac ad deditionem turpissimam vrgebat. Quod cum à Iabensibus Saul intellexisset, contractis de repentè ex vniuerso Israele copijs maximis, festinat, Ammonitasq; intrepidè aggrediens, fortiter fundit, fugat, & ita dissipat vt ex vniuerso hostili exercitu vix duo amplius manerent coniuncti. Ab insigni hac victoria confirmatur iam regnum antea Sauli quidem delatum, sed nõnullis ipsi negantibus obedientiam. *Bellum Ammonitticum.*

Confirmatur Saul in regno.

Recipitur enim nunc concordibus omniũ votis ab vniuerso populo, in regem, parcitur item singulari regis clementia rebellibus, fiuntq; opima sacrificia, & epulæ instruuntur solennes, magna omnium cum lætitia & gratulatione, non tam ob victoriam, quam consequuti erant, maximam, quàm quòd regem conse quuti essent ex animi sui sententia.

Samuel conuin cit populum peccati, & hor tatur ad pœni tentiam.

Ne verò nimium sibi in eo placeret populus, quo peccarat contra Dominum, regem petendo, Samuel in illis ipsis vniuersi populi Comitijs publicis, re fus refertur 1. Sam. 12. cap. Oratione grauissima, qua primùm quidem purgat se ab omni suspicione qua apud quosdam laborare potuisset, quasi nõ rectè per vniuersum tempus suæ ante Saulem gubernationis administrasset Rempub. Quo simul & nouum regem suo instruit exemplo, quid & ipse faciat, & bonam sui existimationem asserit. Deinde in hoc est totus, vt populus peccatum postu lando rege admissum agnoscat, pœnitentiam agat, & cum Domino Deo quo stabilius sit regnum, redeat in gratiam. Id quod ab eo impetrauit. Memorabilis est autem inter alia prophetæ excellentissima institutio, qua Israeliticum popu lum, adeoq; vniuersum mundum, instruit in vera religione Deoq; placentibus officijs, & dicit,

Summa religio nis veræ & of ficiorum Deo placentium.

Timete Deum, & obedite voci eius, & ne recesseritis à Deo, sed seruite ei toto corde vestro. Neq; declinetis post idola, quæ non proderunt, nec liberabunt, quia idola sunt. Deum inquam timete, & ei seruite in veritate, toto corde vestro. Si enim non audieritis vocem Domini, erit manus eius contra vos, sic t contra patres vestros, & peribitis etiam vos, sicuti & Rex vester.

Hæc imis sunt omnium infigenda animis, vt totam vitam nostram ad eam gentes, ipsi quoq; Deo nostro syncera fide obediamus atq; placeamus.

Bellum Palæ stinum.

Post deuictos repressosq; Ammonitas, grauius exortum est bellũ inter Saulem & Palæstinos, qui immensas sibi parãtes copias, tanto Israelitis terrori fuerunt, vt multi se in antra vel speluncas atq; cauernas terræ reciperent abderent que. Scriptura enim commemorat Palæstinos sub signis suis habuisse equitum sex millia, peditum verò tantum numerũ, vt æquaret arenas maris, currus quoque dictu mirum est 30000. Contraxit & Saul copias, propè tamen inermes. Solus Saul & Ionathas gladijs & lanceis erant instructi. Destituebatur illis popu lus, Palæstinis illa huic adimentibus, sicuti testatur scriptura. Erant ergo armorum loco militibus Israelitis instrumenta rustica, secures, tridentes, ligones, & si quid aliud erat huius generis, vt fundæ, arcus contiq; vel baculi. Apud pœnitentiam alicubi res agebatur saxis, fustibus fudibusq; præustis.

Sacrificat Saul contra manda tum domini.

Conuenerat autem ex mandato Dei inter Saulem & Samuelem ne ille hostem aggressurus sacrificaret prius, quàm hic aduenisset: verùm die 7. constituta adueniente nec vspiam apparente Samuele, ideoq; diffidentia quadam dilabentibus Israelitis, Saul contra mandatum Dei metu & ipse diffidentiaq; trepidans, ac nimium immaturè properans sacrificat, necdũ plenè peregerat sacrum cum Samuel, missus à Deo, aduenit. Occurrit quidem illi Saul honoris ergo, sed Samuel cognita propius regis diffidenti nimiumq; properanti inobedientia, Sauli licet plurimis sese excusanti, dicit in faciem, Stulte quidem tu fecisti, ô rex, qui non seruaris præceptum domini Dei tui, quod tibi præceperam, ne prã maturè sacrificares imò dominum potius expectares, sed quoniã non obediuisti mandato

mandato Dei, ecce non ſtabit regnum tuum, imò quęſiuit iam dominus alium, ſecundum cor ſuum, cui committat regnum. Hæc horrenda ſanè omnium eorũ corda ſi ſaperent, percellerent, qui promptiſſimi ſunt omnia ſua pietatis officia ad bonæ ſuæ intentionis regulã formare. Diſcunt enim hic & alibi non ſuas ſequi bonas intentiones, neque ſpeciem vllam bonam, vel metum aut minas, vel periculorum ſuffugium per ratiocinationes humanas, ſed perpetuò reſpicere in Deum & huius vnius verbum obedienter ſyncera & inexquiſita fide ſequi. Videtur multis quidem leue Saulis eſſe peccatum. Cæterùm nunquam Deus probauit ſacrificia, quæ non per omnia ad verbũ eius fuerunt oblata. Legatur 17. cap. Leuit. & Ioſue cap. 22. Et quid oro, ab exordio rerũ Deus requiſiuit ab homine fideli obedientia accuratius? ac quid oro teſtatus eſt ſibi fore gratius, quàm ſi homo non illud faciat, quod ſibi bonum videtur, ſed ſimpliciter obſeruans verbũ Dei, huic nihil addat nihil detrahat, nihil denique in eo immutet, ſed faciat ſimpliciter quod Deus iubet? Et quid oro exaſperauit iram Dei impenſius, quàm cum homines neglecto Dei verbo, ſuas bonas ſectati ſunt intentiones? Leue videtur delictum parentum noſtrorum, deguſtantium pomum vetitum verbo Dei, in paradiſo, ſed delictum hoc non ſanè modicum aut exile ſed grauiſſ. exturbauit eos ex paradiſo in exilium in hoc mundo perpetuum, vniuerſumque adeò mundum oppleuit omnigenis, in quibus adhuc miſerè exercemur, calamitatibus. Diſcamus ergo toties moniti, ſapere. Certè Samuel indignitate facti Saulini adeò fuit offenſus, vt ab ipſo mox diuerterit.

Contra bonas ex nobis enatas intentiones.

Peccatum parentum noſtrorũ in paradiſo.

Et quamuis offendiſſet dominũ Saul, diſpliceretque Deo miſeri populi diffidens trepidatio, cui iam regis expetiti robur medicari non poterat, placuit tamen miſericordi Deo, nihilominus ex tantis periculis liberare inopem ſuum populum, & reprimere faſtuoſam impiamque Paleſtinorum inſolẽtiam. Placuit autem domino, non regijs aut vllis terrenis copijs, ſed ſua ſolius cœleſti potentia, ſicuti olim ſolitus fuerat facere per Iudices, aſſerere miſeros. Armat itaque præcellenti fide Ionathanum filium Saulis, virum pijſſimum, ſanctiſſimum, innocentiſſimum & per omnia optimum, quo vix in vniuerſo Iſraele inuenias meliorem, & ideò æterna laude digniſſimum. Solus verò ille, adiuncto ſibi ſuo armigero, & inuocato domino Deo, cui non difficile aiebat eſſe, vel per multos, vel per paucos ſeruare, fortiter inuadit hoſtem Paleſtinum, occurſantemque cædit, & mox etiam, dictu mirum, reliqua agmina in fugam agit. Paleſtini enim panico perculſi terrore, in fuga, in ſemetipſos ſocia conuertunt arma. Quod cum Sauli renunciatum eſſet, cum copijs ſuis fugientes eſt perſequutus, edidit que ſtragem hoſtium maximam cruentiſſimamque, & victoriam, opera filij, imò Dei, conſequutus eſt præcellentiſſimam.

Dominus è præſenti periculo liberat populũ per Ionathanũ filium Saulis.

Ionathan omnium Iſraelitarum optimus

In hac tamen felicitate rurſus impingit Saul, quòd inconſulto ore domini, ex ſemetipſo legem fert, non neceſſariam, qua laqueum victori filio poſuit, quo hic irretitus, à patre mox ad necẽ depoſcebatur, ac quamuis optimè de vniuerſo Iſraele fuiſſet meritus, ea tamen ipſa die, qua omnes ab interitu liberauit, ipſe à patre, fuiſſet interfectus, niſi ipſum ex manibus eius cruentis, rectius rege ſapiens populus, eripuiſſet. Copioſe & eleganter hæc exponuntur 1. Sam. cap. 14.

Saul conatur victorem filium interficere.

Geſſit non infeliciter & alia contra vicinas variasque gentes bella Saul, inter quæ in primis memorabile & ingens illud eſſe refertur, quod geſtum eſt contra Amelechitas. Gens illa ſceleratiſſima ſimul & truculentiſſima fuiſſe legitur. Cum populus Iſraeliticus ex Ægypto egreſſus, oberraret in deſerto, Amelechitæ contra Iſraelitas, nullo belli iure, conſpirarũt in bellum, grauiterque illos afflixerunt. Vnde tunc dominus Moſi dicebat, Scribe hoc ad memoriam in libro, & inculca auribus Ioſue, quòd delendo delebo, id eſt, certiſſimè diſperdam,

Bella alia Saulis & Amelechiticum præcipuum.

Exodi 17.

memoriam Amalech ſub cœlo. Repetitur hoc Dei decretum copioſius in Deu-
teron. cap. 25. ac quaſi inter leges refertur. Interceſſerant autem à primo anno
egreſſus Iſraelis ex Ægypto ad 4. annum Saulis, anni 431. quatuor inquam ſæ-
cula, & amplius, at dominus comminationis ſuæ nihilominus probè memor,
cum interea etiam menſura eorum eſſet impleta, ac ſcelera ipſorũ excreuiſſent
ad ſummum, iubet nũc Saulem regem cędere Amalechitas ad internecionem.

Horrenda contra ſceleratos & crudeles ſententia.

Nam diſertè prohibens, ne vllis eorũ rebus parceret, Vade & percute, inquit,
Amalech, & omnia eius excinde, ſed & interfice à viro vſque ad mulierem, ne
peperceris à paruulo vſq; ad lactentem, à boue ad pecudem, à camelo vſque ad
aſinum. Quod quidem iuſto Dei iudicio, licet ſeueriſſima videatur eſſe ſenten-
tia, factum eſſe pij non dubitant. Ac teſtantur hęc Deum, licet diſſimulet diu-
men opportuno tempore, iniuriarum & ſcelerum meminiſſe ſceleratorum, &
punire illa ſeueriter ſimul & iuſtè.

Vaſtantur & delentur Amalechitæ.

Profectus ergo Saul contra Amalechitas, poſtquam Cinæos iuſſiſſet ſe ab
Amalechitis ſegregare, propter beneficia ab his collata in Iſraelitas, & propter
innocentiam eius familiæ atq; virtutes, protinus ferro atque igni vaſtauit dele-
uitq; pleraq;, ſed non omnia ſecundum verbum Dei. Rurſus enim bonã fidu-

Regi parcitur & opimis.

ſequutus intentionem, præpoſtera clementia, regi Hagago Amalechitarum pe-
percit, nec ipſum interfecit, ita & opima ſpolia, animantia q; ſaginata non per-
dit, ſed ſeruauit, & quidem ad gloriam Dei, ad ſacrificia inquam, atq; cum be-
magno triumpho rediit in patriam. Progreſſus eſt autem in occurſum eius, ſi
mandãte Deo, Samuel, cognita q; regis inobediẽtia, grauiter ipſum increpauit.
Contra verò rex cauſam ſuam audacter & probabiliter defendens, affirmat nu-

Quantum ſcelus non audire verbum Dei.

hil à ſe eſſe peccatum, Nam factum ſuum pertinere ad gloriam Dei. Qua con-
macia vehementer offenſus propheta Dei, huiuſmodi verba, penitius omnium
noſtrum inſculpenda pectoribus, magna cum authoritate pronuncians, dixit:

> *Num ita placent Domino holocauſta & victimæ, quàm cum auditur vox Domini? Ecce obedire melius eſt quàm offerre ſacrificia, et auſcultare melius eſt quàm adeps arietum. Quoniam rebellio eſt peccatum magiæ, & transgredi eſt peccatum idololatriæ. Ergo cum abieciſti verbum Domini, abiecit & ipſe te, ne ſis Rex.*

Grauiſſima autem et perpetua eſt hęc contra noſtras bonas intentiones ſen-
tentia. Reſpiciamus ergo vnicè ad verbum Dei, calcatiſq; noſtris bonis inten-
tionibus & noſtra ἐθελοθρησκείᾳ, pietatis officia omnia exequamur ad verbi Dei
expreſſam regulam, ne & ipſi reijciamur à Domino.

Hagag rex Amalechitarũ conſcinditur.

Ad hæc perculſus rex pœnitentiam ſimulat, coniunctionem q; & amicitiam
prophetæ officioſe expetit. Samuel verò etſi morẽ gereret regi hactenus, quia
cum ipſo adoraret Dominum, minimè tamen paſſus eſt regis ſe blandis dece-
ceri verbis, quin regem ad ſe produci Hagagaum mãdat, vt quod à Saule rege
neglectum fuerat, ab ipſomet propheta Dei ſarciretur. Ergo in productum re-
gem, iuſtam Dei pronuncians ſententiam, Quemadmodũ, inquit, orbauit mu-
lieres gladius tuus, ſic inter mulieres erit & mater tua orba. Simul autem Ha-
gagum gladio, tanquam omnium malorum caput ideoq; non ingratam Deo
victimam, concidit in fruſta. Ac illico ex cœtu populi ſeſe proripiens, à rege
Saule nunquam ad ipſum reuerſurus diſceſſit, vt diſceſſu ſuo probaret palam
ſibi non probari Saulis rebellionem. Et hæc omnia nullo odio, nullaue im-
dia cõ

dia contra Saulem egit. Non enim desijt Saulis lugere vicem, & orare Dominum pro eo.

Commemorat autem scriptura Saulem post hæc correptum & vexatũ spiritu sathanico, amisisse spiritum Dei bonum, ac incidisse in furorem ac maniam quandam. Quamobrem aulici eius, præcellentem aliquem musicum quærentes, qui melodia dulci melancholiam Regis leniret aut discuteret, Dauidem, quem in ea arte intellexerant præcellere omnes, vocant ad regem, in aulã. Pulsans autem ille exquisita arte ante regem citharam, refrigerium non modicum æstuanti curis & perturbato regi præstabat. Placebatq; regi insignis musicus Dauid, etiam propter morũ suauitatẽ & robur, adeò vt & armigerũ suũ ille hũc sibi constituerit. Nescio tamen quo casu factum sit, quòd Dauid iterum ex aula ad caulam redierit: quo tempore in obliuionẽ venit Sauli, vt cum inde rursus ad monomachiã prodiret contra Goliathũ, interrogaret rex quis aut vnde esset: Nullibi enim facilius & frequentius subrepit obliuio benefactorum, & honestorum hominum, quàm in aulis, iuxta vulgare hoc prouerbium, Groß herren böß dächtnussen. Sed dicam de rebus Dauidis copiosius, vbi ad ipsius regnum fuerit peruentum: nunc ea duntaxat perstringam, quæ cum Saule coniuncta habet.

Saul furiosus

Dauid musicus

Exorto itaq; bello altero inter Israelitas & Palestinos, inuentus est in Palestinorum castris gigas quidam, prodigiosæ proceritatis & roboris immensi Goliath, cum quo congressus Monomachia Dauid, illũ præter omnium spem, funda prostrauit & proprio suo ipsius gladio iugulauit. Quod cernentes Palestini, in fugam effusi, & se ipsos Israelitis cædendos, & ipsorum castra diripienda obiecerunt. Victoria ea fuit insignis admodùm & opulenta. Porrò præclara Dauidis virtus reduxit ipsum in aulam, effecitq; vt rex ipsum sibi deligeret generum. Quanquam hic quoq; pessimè se gereret Saul. Cum enim Merab filiam suam despondisset Dauidi, turpiter fidem fregit, alteriq; eã locauit. Postea verò intelligens filiam suam iuniorem Michol ardenter amare Dauidem, illam ipsi copulauit. Simul & Dauidem grauiter odisse cœpit, quem videbat vehementer ab vniuerso populo amari maximiq; fieri. Et quidẽ per initia odij sui varijs eum obiecit periculis, sicubi ab hostibus commodè interficeretur. Quod cum non succederet, Deo Dauidem protegente, ipse eum manu propria confodere tentauit. At effugit Dauid. Mox tamen per Ionathanem reconciliatus patri, in aulam redijt: non tamen diu in ea mansit. Nam Saul furore iterum percitus, affixisset lancea sua Dauidẽ parieti, nisi libratum furentis ictum declinauisset. Cernens itaq; Dauid reconciliato hosti totiesq; fidem fallenti minimè fidẽdum, in exilium sibi satius abeundum, quàm in aulam redeundum esse iudicauit.

Aliud bellum contra Palestinos in quo Goliath occiditur à Dauide.

Saul fallit Dauidem.

Atq; hoc fuit initium persequutionis, qua Saul Dauidẽ crudeliter, ac diu & quoad regnauit, exercuit. Quo & illud pertinet, quod cum intellexisset Dauidem eximiè diligi à Ionathan filio suo, & Michol filia sua, implacabili exasperatus ira, hanc alteri cuidam viro, Phalti, homini opulento, inuitam locauit, & Ionathanum vsq; ad contumeliam extremam, probris adopertum, interficere voluit, ac porrò per cætera & in omnibus furere magis quàm regnare cœpit. Ac inter indigna regia maiestate clementiaq; eius facinora, illud in primis commemorandum venit, quod crudeli cum truculentia in innoxios Dei sacerdotes patrauit. Exceperat Abimelech sacerdos, hospitio Dauidem, penitus odij inscius, quo flagrabat rex contra generum suum. Instruxit ergo Goliathi gladio & viatico, in regijs negotijs, vt ipse putabat, Dauidem regis legatum. Id cum in dicio sceleratissimi nebulonis Doegi Idumæi ad Saulem esset delatum, euocauit ad se sacerdotem rex: & quanquã ille abunde se expurgasset à crimine con-

Saul Dauidem persequitur crudeliter.

Saul interficit Abimelechum & 85. sacerdotes domini.

ſpirationis cum Dauide, nihilominus tamen Ahimelechum innoxium gladio conſcindi ſimulq; cum eo ſacerdotes miniſtros Dei octoginta quinq; interfici iuſſit. Quod nepharium facinus ab vno Doego, cæteris regijs miniſtris omnibus abhorrentibus à miniſterio tam cruento & ſcelerato, perfectum eſt. Abiathar Ahimelechi filius Abiathar fuga elapſus, ſaluus ad Dauidem euaſit, cui & truculentam hanc narrauit tragœdiam. Simul etiam ſecum abſtulit & ad Dauidem attulit Ephod, in quo erat Rationale, & in hoc lapides 12. dicti Vrim & Thumim. Ea veſte indutus ſacerdos reſponſa dabat conſulentibus Dominum. Nec ea crudelitate horrenda contentus Saul, quin ipſas quoque in Nobe ciuitate ſacerdotum cæſorum familias, ad internecionem vſque deleuit, vt ne mulierculis quidem, aut paruulis lactentibus pepercerit. Vix ſimile in hiſtorijs legis crudelitatis horrendæ exemplum. Huiuſmodi verò lupus cruentus Saul factus erat ex ouicula innocua, ex optimo rege per initia regni fortaſſe ad biennium, ſub eius exitum, & in finem vſq; peſſimus.

Scinditur Iſraelis regnum in duas partes pauperibus Dauidem, opulentis Saulem ſequentibus.

Circa hæc tempora fuga elapſi ſunt plurimi, & quidem plus quàm 400. aut ſexcenti ex Iſraele viri, probi quidem & fortes, ſed miſeri admodùm, egentes, obærati & per omnia afflictiſſimi, qui omnes tranſierunt ad Dauidem & exules exulem & proſcriptum fideliter ſunt ſequuti. Quæ quidem regni ſciſſio, vehementer turbauit Saulem, qui ea de cauſa, quoquo per terram Iſraelis fugerat & in deſertis latitaret Dauid, cohortibus ſelectiſſimis eductis, fugientem perſequens, ad necem ſtudioſiſſimè perquiſiuit. Nec ſemel Dauidem miſerum, cum ſua paupere turba, in eas redegit anguſtias, vt iam iam iugulũ ſuum Sauli exerendum putaret, verùm valida Dei manu ſemper retractus eſt ex lupi faucibus, quinimò Saul ſemel & iterũ iniuſtitiæ ſuæ ita eſt conuictus, vt ipſe met ore proprio coram militibus & peccatum ſuum grande & manifeſtum confiteretur, & Dauidis innocentiæ exhiberet luculentiſſimum teſtimonium: verùm nihilominus à perſequendo innoxium, nõ deſtitit. Hæc paſſim occurrunt in Pſalmis. Tandem improbitate regis fractus Dauid, deſerta Iſraelis terra, cum ſuis confugit ad Paleſtinos hoſtes, inter quos plus æquitatis humanitatiſq; inuenit, quàm in populo Dei: vt mirum nõ ſit, ſi luctuoſiſſima clades huiuſmodi morum corruptelam, mox in populo Dei ſit conſequuta.

Bellum Paleſtinum nouum in quo occumbit Saul cum filijs.

Eodem enim illo tempore Paleſtini validiſſimas ſibi parauerant copias, ac bellum Sauli iam inferebant, quo tantum ipſi incuſſere terrorem, vt quo ſe verteret, ignoraret. Tandem verò non tamen ſeriò & ex fide, conſuluit dominum, ſed cum hic iratus illi reſpondere dedignaretur, conuertit ſe miſer ad venefi-cam vel incantatricem quandam, latitantem in Endor, à qua petijt carminibus nepharijs Samuelem ſibi à mortuis excitari, à quo caperet conſilium. Viui Samuelis conſilia ſpreuit, ergo mortui fruſtra expetiuit. Cum enim verbum Dei quod abunde illi fuit prædicatum, non modò nõ audiuit, ſed inſuper etiam contemſit, dignus profectò erat, qui nunc non ipſum Samuelem, ſed perſonatum vel fictum Samuelem, viuum vtiq; diabolũ audiret. Viſo itaq; & audito infelici ſpectro, totus animo fractus & conſternatus, ea ipſa nocte feſtinat ad ſuorum caſtra. Ea verò protinus irrumpunt animoſe Paleſtini, & ſtrenuè cum Iſraelitis manus conſerunt. Iſraelitæ verò trepidi, & irato Deo pugnantes, mox turpiter labuntur fuga. Cadunt ex eis plurimi. Cadit & ipſe Ionathan, vir optimus innocentiſſimus & fortiſſimus vnà cum alijs duobus fratribus ſuis, filijs regis. Rex ipſe pater cinctus ab hoſtium equitatu, ne viuus in ipſorum veniret poteſtatem, proprio ſuo incubuit gladio. Paleſtini verò victores, exuuijs Sauli ad montem Gelboe, ad quem prælium eſt commiſſum, detractis, & capite reſecto, corpus muris affixerunt Bethſan, Arma verò regis, trophæi loco, ſuſpenderunt in templo Da-

plo Dei sui Astaroth, immoderatè & petulanter exultantes, adeoq; insolenter ad probrum vsq; Dei & religionis veræ suam iactitantes victoriam, nescij quid vt ille aiebat, serus vesper vehat.

De morte Saulis sic pronunciat scriptura 1. Par. 10. Mortuus est Saul, propter præuaricationem suam, qua præuaricatus fuerat contra dominum, contra verbum Dei, quod non custodiuit, & etiam quòd consuluit Pythonem, neq; speravit in dominum, ideò occidit eum. Et hic fuit exitus viri alioqui magni, primi illius in Israele regis, qui imprudenter, vt ne quid aliud dicam, pro suis bonis intentionibus sese verbo Dei obiecit, neq; ei obtemperauit. Cuius exemplum plane horrendum nobis, in hoc tam diligenter est expositum, vt lugenda Saulis infelicitate docti, reuereamur verbum Dei, & ad hoc vnicè in omnibus respiciamus. Incidit mors Saulis in annum à condito mundo 2885. *Mors Saulis primi Israelitarũ regis.*

DAVID regnauit annis 40. 2. Samuelis 5.

DAVID natus videtur anno gubernationis Samuelis 19. ex parente viro in Israele honoratissimo sanè, religioso pariter & honestissimo sene fesse, qui & Isai dicitur. Is erat oriundus ex tribu Iuda, ex oppido Bethlehẽ, in quo procul dubio magistratum gessit. Habuit is plurimos filios fortes & excellentissimos viros, & inter hos natu minimum Dauidem, quem (vt ex ipsis rebus claret (probè educari in pietate & honestis moribus, mox ab infantia curauit. Ingenio ille præditus fuit excellentissimo donaq; in ipsum effudit dominus & plurima & præstantissima. Præparabatur enim ab eo ad res maximas in populo suo gerendas. Iuuenis opilio fuit. Nam pro insigni pietate sua, patris obseruantissimus, pecora eius lubens & diligenter pauit. Sicut autem quondam Moses in deserto philosophatus dicitur, ita ex Psalmis apparet liquido, quàm non ociosè istis annis iuuenilibus in pascuis, spectauerit Dei creaturas naturasq; rerum omnium, & quam diligenter (sic excitatus à spiritu Dei sancto) obseruarit opilio opera domini, quę in Psalmis suis postea tantopere prædicauit. In omnibus certè instituis rebusq; suis, benedixit illi Deus vt in re qualibet ad quam vocaretur esset idoneus adeoq; & excellentissimus. *Natales & adolescentia Dauidis.* *Dauid philosophatus in pascuis.*

Eo verò tempore, quando Saul repulsam à Deo passus, & regnum ipsi abdicatum fuisset per Samuelem, illum eundem Samuelem misit Deus ad Isai, vt in regem inungeret Dauidem. Proinde venit Samuel ad Isai, qui ad mandatũ prophetæ, ordine omnes (excepto vno Dauide) in medium produxit filios suos, viros robustos, præstantes, & formæ spectatæ. Verùm testabatur dominus ex his nullum se ad regnũ elegisse. Postremò minimus natu Dauid ex pascuis & caulis ouium euocatur in oppidũ & cœtum fratrum, atq; hunc testatur Deus se elegisse, ideoq; in medio fratrum inungitur à propheta. Nobilissimum tamen hoc Dei organum nihil ab vnctione vel fastu turget, vel insolẽtius ferocit, sed perseuerans in animi moderatione & vera humilitate rectà ab vnctione illa redit ad pascua, ouesq; patris nunc iterum, sicuti antea summa pascit diligẽtia. Inde verò euocatus in aulam Saulis, citharœdus & armiger fit regis: sicut in rebus Saulis est expositum, aula tamen rursus relicta, ad caulã redit. Interim eximia eius laus sacris inseritur literis. Nam 1. Sam. 16. ita legimus, Spiritus Dei fuit in Dauide, & mansit in eo, rubicundus erat, forma decora, et nitentibus oculis musicus citharœdusq; egregius, adhæc vir fortis, virtute præditus, strenuusq; bellator, prudens in rebus gerendis, vir denicq; formosus, & cum quo est dominus. *Dauid ungitur rex à Samuele.* *Dauid Saulis citharœdus.* *Dauidis laus eximia.*

Ex pascuis iterum tempore belli Palestini, quo Saul castra sua opposuerat hostiũ castris, euocatur à parente Dauid, oneratur obsonio, quod in castra suis *Monomachia Dauidis & Goliathi gigantis.*

uebat fratribus. Ea occasione in castra Israelitica penetrauit, contra quæ insolentissimè progredi vidit Goliathum gigantem, probris minimè ferendis, adoperientem Deum ipsum æternum Deiq; ecclesiam. Doluit hoc Dauidi feruido alioqui zelo flagranti pro Deo Deiq; ecclesia, & iccirco se magno spiritu adsingulare certamẽ ineũdum cum Goliatho, obtulit. Displicuit ea res fratribus suis, neq; ipsi etiam probabatur regi, existimanti impari congressurum certamine, iuuenem opilionem, cum veterano et exercitatissimo non solùm milite, sed inuicto gigante. At Dauid insignem hic fidem suam professus, quodq; omnem spem suam collocaret in Deo, coram rege sic argumentatus refertur, Dum pascerem oues patris mei, leo & vrsus irruentes in gregem, inde mihi ouiculam rapuerunt, ego verò confisus Domino, belluis me obieci, & non modò ouiculam ex cruentis ipsorum rictibus eripui, sed & vtrãq; belluam feliciter confeci. Vnde plena sum spe perfusus, fore, vt & hanc truculentam & blasphemam Palestinam bestiam, diuina me iuuante virtute, conficere possim. Perplacuit regi fides eximia & robur animi in iuuene rarum ac admirandum, dimittitq; cum felici imprecatione, festinantem ad certamen, instructum quidem panoplia regia, quam tamen mox posuit, quòd ijs nec assueuisset, neq; vsum eorum vllum haberet. Ac voluit Dominus palàm declarare se ecclesiam suam tueri non viribus vllis armisue hominũ, sed magis sua solius gratia atq; potentia. Resumpto itaq; baculo pastoritio & funda lapidibusq; quibus in pascuis sese exercitauerat, gigãti, armis fulgidis radianti, ac maximo cum apparatu & fastu insolentiaq; petulanti, iam in certamen procedenti, execrationibusq; militaribus furenti occurrit alacriter Dauid, & horrendum in modum minas graues contra Dauidem despumanti, dicit, Tu quidem venis ad me gladio, lancea & clypeo tectus, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituũ, qui Deus est aciorum Israelis, quem probris affeciſti. Concludet autem hic Deus, te hodie in manum meam percutiamq; te, & auferam caput tuum à te, tradamq; cadauera Palestinorum dilanianda auibus cœli & bestijs terræ, vt sciant omnes, qui terram incolũt, quòd Deus est in Israele, vt denicq; vniuersa ecclesia intelligat quòd Dominus non seruat gladio vel hasta, &c. Hæc vbi dicta dedit, funda protinus lapidem in frontem Palestini impegit, atq; gigantem prostrauit, magno armorũ fragore corruentem, suoq; ipsius mox gladio iugulauit.

Dominus est ecclesiæ suæ defensor contra tyrannos.

Origo odij Saulini contra Dauidem.

Hunc admirandum planè Dauidis successum insequuta est mox horrenda Palestinorum trepidatio, trepidationem verò hanc fuga turpis, & Israelitarum insectatio alacris victoriaq; lętissima. Obuiam verò progredientes filiæ Israel Sauli & Dauidi redeuntibus à bello feliciter confecto, & ideò triumphantibus de Palestinis, alternis cecinerunt, Percussit Saul mille suos, Dauid autẽ decem millia. Pessimè ea cantio Saulem regem habuit, qui ambitione fœda, soli sibi omnem victoriæ tribui voluit gloriam, ideoq; inuidia maligna erga Dauidem planè exarsit atq; emarcuit. Contra verò amabatur eximiè & fiebat plurimi Dauid ab vniuerso Israele. Nam constitutus à rege militum tribunus, frequentes magnasq;, maxima cum gloria, ab hostibus populi Dei, referebat victorias. Sed & scriptura ipsa, Dauid, inquit, in omnibus vijs suis prudenter se gerebat, prudentiaq; & dexteritate omnes seruos regis superabat. Celebre itaq; valde erat nomen eius, & Dominus erat cum ipso.

Amatur vehementer Dauid à liberis regijs Ionathano & Michole.

Amabatur itẽ quàm vehementissimè à liberis regijs Ionathano & Michole. Nec inuenias facilè vllis in historijs par amicorum nobilius Ionathano & Dauide. De quo multis agitur 1. lib. Samuelis 18. cap. & sequentibus. Et Michol filia regis, amauit obseruauitq; pro sua pietate patrem quidem, sed multò impensius Dauidem maritum dilexit, quem solerti prudentia, parenti satellites mittenti

mittenti, qui raperent ipsum ad necem, subtraxit, & demissum fune per fenestram seruauit incolumem. Quod Samuel eleganter describit 1. lib. cap. 19.

Hinc verò cœpit grauis persequutio Dauidis, qua à Saule socero & rege, indignis planè modis multum ac diu vexatus est. Cõfugit Dauid initio persequutionis suæ in Naioth ad Samuelem, quo Saul non erubuit sceleris mittere ministros, qui Dauidem trucidandum retraherent ad regẽ. Sed cum ministri alij atque alij à rege missi, diuina prohiberentur potentia, quo minus possent exequi quod fuerant iussi, accurrit ipsemet furibundus rex, Dauidẽ ipsius manu propria interfecturus, cæterùm spiritu Dei bono correptus, prophetare dominúmque laudare & prophetantibus auscultare cœpit. Tanta videlicet est vis Dei, quæ nullo planè negotio ferocissimum Dauidis hostem cicurare potuit. Nec̃ temerè factum est hoc miraculum, mox ab initio persequutionis Dauidis, nimirum vt hinc & ipse & omnium temporum ecclesia confirmaretur in afflictionibus, dum videt Deum posse cohercere tyrannos, rationem habere suæ ecclesiæ, præterea mille esse modos, quibus periclitantibus subuenire possit.

Dauidis persequutio grauis.

Saul mirabiliter cicuratur.

Post tantum miraculum consuluit Dauid fidelissimum amicum Ionathanũ, per ipsum explorari cupiens regis animum, an sibi aliquid sit beneuolentiæ ab ipso sperandum. Id quod Ionathanus non sine ingenti discrimine fecit, Dauidq̃ renunciauit nihil spei de vlla parentis erga Dauidem clementia aut beneuolentia esse reliquum, vt qui certò ipsum destinarit interficere. Multis describuntur hæc 1. Samuelis 20. cap. Fugiens itaq̃ Dauid Saulem, peruenit Noben. De qua re dictum est in rebus Saulis. Inde transiuit ad regem Getheum Achis, apud quem aulici agnitum detulere, suadentes regi suo, Dauidem cædendum esse potius, quàm fouendum, vt qui non semel maximis cladibus Palæstinos afecisset. Periculum hoc ingens sanè subterfugit Dauid fingendo insaniã. Quo nomine reiectus est à rege Palæstino. At vtut finxerit artificioſè furorẽ Dauid, constat tamen ex Psal. 34. & 56. diuino ipsum seruatum esse fauore, nulla eius fictione vel arte.

Dauid fugiens venit ad Achis regem Palæstinum.

Post hæc recepit se Dauid in speluncam Adullam, quo ad ipsum confluxit vniuersa domus patris sui, vnà cum afflictis ex Israele compluribus, quorum numerus accedebat ad viros 400. Transierũt ad ipsum & alijs temporibus complures alij viri fortes. De quibus dicitur in libro Annalium, Erant hi viri robustissimi, bellatores optimi, tendentes arcum, dirigentes sagittas, & vtraq̃ manu fundis saxa iacientes, tenentes clypeum & hastam. Facies eorum, quasi facies leonum, ac veloces quasi capreæ in montibus. Horum heroum vel fortium Dauidis longus contexitur catalogus in 1. Paralip. 11. & 12. cap. & in 2. lib. Samuelis. Ac dubito planè an vnquam in Israele, imò in vllis mundi regnis, vllisue tẽporibus vixerint, sub vno principe, tot excellentes heroes, vt vel hinc colligi queat, quàm dilexerit Dauidem dominus, cui tam selectos parauerit imperatores centurionesq̃, tribunos atq̃ milites. Ex his constabat haud dubiè cohors illa Dauidis prætoria, quam ipse postea in regno suo instituit, quibus Banayam præfecit, quos & Cherethi & Pelethi nuncupauit, quasi tu dicas excisores & tutores, vel vastatores & defensores, ab officio. Græci vocant σωματοφύλακας, corporis custodes: vulgò dicuntur guardia & satellites regis. Turcæ Iannizeros vocant, & capitaneum ipsorum Iannizaragah. Flos est vniuersæ militiæ, & veluti legio fulminea. Hos Romani dixere, vt apud Liuium est, Triarios.

Deficiunt fortissimi quiq̃ in Israele ad Dauidem.

Laus militum sociorumq̃ Dauidis.

Cherethi & Pelethi.

Cæterùm receptis ad se Dauid parentibus ilicò ad regem Moabiticum profectus est, & pro pietate sua eximia, qua longè vicit Æneam illum Vergilianũ, apud illum parentibus parauit hospitium, vtpote senibus minimeq̃ diuexandis exilio instabili & diuturno. Mox ipse cum suis, ita suadente propheta Gado,

Dauidis pietas in parentes.

abdidit se in saltum Hareth. Huc vsq; peruenerunt ad ipsum Ceilani, conque-
rentes obsideri se ipsorumq; agros vastari à Palæstinis, iccirco rogare Dauidē,
Dauid ad Ceilā fundit & delet Palæstinos. vt ipsos asserat. Dauid autem nō rependit subditis hostis sui, pro merito regu,
sed consulto Deo, exposuit se & suos periculo, dispositisq; in aciē suis, cum Pa-
læstinis conflixit. Ac scriptura, Percussit eos, inquit, plaga magna, abduxitq; pe
cora eorum, & seruauit habitatores Ceilah. Hi verò mortalium omnium ingra
tissimi, prodiderunt Dauidem optimè de se meritum Sauli, qui mox copijs ex
Israele contractis, Ceilam proficisci contendit. Dauid verò dominum consuluit
per sacerdotem & Ephod, ac præmonitus de perfidia Ceilanorum, à Deo, fuga
sibi consuluit, concessitq; in syluam deserti Ziph. Et eò ad ipsum, dictu mirum
venit Ionathan, consolans Dauidem, fœdusq; antea cum ipso percussum, con-
Dauid in deserto Maon occlusus cum suis. firmans. Discedente autem hoc, declinauit Dauid cum suis in desertum Maon
vbi Ziphei ipsum Sauli rursus prodiderunt. Festinans ergo Saul, Dauidem ob
sedit occlusitq; tam arctè, vt cinctis vndiq; nulla spes reliqua salutis superesset.
At Deus qui ad inferos ducit & reducit, Saulem nunc quoq; à concepta cæde
retraxit, Dauidemq; cum suis ex præsenti morte eripuit. Palæstini enim irruen-
tes in terram Israelis, Saulem ita vrserunt, vt absq; mora ni prorsus perire ma
luisset, illis coactus fuerit occurrere. Quinimò Deus hac ratione cruentos Sau-
lis conatus frustrauit, Dauidemq; ex fide inuocantē, liberauit. Quod significa-
tius exponitur 1. Sam. 23. cap. & Psal. 54. & 116. Ostendit autem vniuerso mun-
do Deus, admiranda hac liberatione Dauidis, se & posse & velle fideles suos, li-
cet captos & mortis sententia damnatos, iamq; iugulum præbentes, eripere,
rumpantur vt ilia hosti.

Dauid in antro Sauli præcidit oram chlamydis. Liberatus ex hoc periculo Dauid, interim dum Saul Palæstinos reprimit,
contulit se in munitiones Engedi, sed hic quoq; Sauli reuertenti à cæde Palæsti-
norum, proditus est, qui collectis de repentè 3000. Dauidē per excelsa rupium
venabatur. Fato tamen hic quodam Saul in antrum quoddam rupis subijt, alui
exonerandæ gratia. Latitabat in eo Dauid, Saule nihil huius vel suspicante, vel
cogitante. Potuisset hîc si voluisset Dauid Saulem confodere, ad quod facinus
perpetrandum, animabatur à suis, sed reuerentia quadam erga vnctum domini
& socerum suum retentus, regi pepercit, oram tamen repositi pallij Saulis, rese-
cuit, vt testatum faceret, non regi modò, sed vniuerso exercitui eius, ea facilita-
te potuisse se, si voluisset, Saulem conficere, qua oram chlamydis detruncare,
ideoq; nec vitæ, nec regno regis vllas struere insidias. Id quod mox Sauli coram
vniuerso exercitu, in tuto constitutus Dauid, oratione luculenta exponit. Ea
extat 1. Sam. 24. cap. Saul autē veritatis victus euidentia, & beneficentia Dau
dis vehementissimè commotus, Iustior ait, es me, mi fili Dauid. Tu enim pro ma-
lo, bonum mihi retribuisti. Nam cum me Deus in tuas tradiderit manus, parce
re quàm cædere maluisti. Et quis oro tam beneficus sit erga hostem suum? Do-
minus ergo retribuat tibi pro hoc tuo tam immenso in me collato beneficio. Ac
certò nunc noui, quòd regnum Israelis ad te transibit. Non tamen credidit
Sauli Dauid, quantúmuis blando, vtpote cuius perfidiam atq; hypocrisim ma-
gno suo cum discrimine, toties iam fuerat expertus. Proinde Saulem aulam
Inimici diligendi. non est sequutus, sed ascendit in præsidia. Reliquit autem scriptura nobis in Da
uide exemplum pulcherrimū, quomodo inimicos nostros diligamus, & ijs qui
nos persequuntur, benefaciamus. Id quod nobis postea in Euangelio dominus
noster sua doctrina suoq; exemplo tam diligenter inculcauit.

Dauidis in exilio prospectum vtcunq; à Deo. Cæterùm in hoc miserando graui diuturnoq; Dauidis exilio, etsi fame, fri-
gore variaq; cœli iniuria valde cum suis premeretur affligereturq;, Dominus
tamen eum prorsus non deseruit, sed victu rebusq; necessarijs vtcunq; ipsi pro-

spex-

sperit, neq; in inopia sua vlli onerosus fuit, aut facultates populi sui diripuit, licet ab hostibus aliquoties ageret prædam. Ergo dum Nabal opulentissimus Carmeli rusticus, domi suæ, vbi oues tondebat, magnificum splendidissimumq; promore gentis conuiuium instruxisset, mittebat ad ipsum Dauid esuriens legationem, petiuitq; aliquid sibi dari cibi. Ac legati inter alia dicebant, Non affecimus pastores tuos vlla iniuria, nec defuit illis quicquã, toto illo tempore, quo hic subsitimus. Rogati pastores tui hoc de nobis testabuntur. Verũ durus, importunus & stolidus Nabal, adeò nulla Dauidẽ est prosequutus beneficentia, vt innocentissimum adde & optimè de ipso meritum, etiam conuitijs, contumelijs probrisq; adoperuerit. Quæ res indigna certè animos militũ Dauidis, vsq; adeò exasperauit, vt nimis præcipites, & ad arma ruentes, excurrerent, vlturi suã illam iniuriam. Et occidissent Nabalẽ omniaq; eius vastassent, nisi Abigael vxor Nabalis fœmina pia & prudens formaq; admodũ venusta, Dauidi occurrens, oratione deprecatoria & eleganti animũ Dauidis emolliuisset, atq; ab instituto crudeli reflexisset. Abigaelem hanc duxit postea vxorẽ Dauid, postquã dominus Nabalem occidisset. Ea re subleuauit dominus nonnihil profundã Dauidis paupertatem, concessa ei bene dotata coniuge. Ita enim solet Deus suis cultoribus nõ rarò tristioribus miscere læta. Describuntur hæc copiosè 1. Sam. 25. cap.

Nabal.

Abigael.

Porrò Saul rursus rediens ad ingenium, Dauidem ad Zipheorũ indicium vel proditionem, conscripto exercitu iusto, iterum persequutus est. Veniens autem in desertum Ziph, posuit castra sua non procul à Dauide, ac in vallo sequutè stertebat, inter duces suos, sopore quodã sopitus diuino. Proinde Dauid ex instinctu Dei, vno Abisai viro fortissimo ipsum concomitante, castra regia transiens, ad ipsum vsq; Saulem dormientem penetrauit. Eum Abisai confodere mox voluit: sed repressus à Dauide, poculum aquarium & lanceam ad caput regis fixam iussus est auferre. Rursus verò egressi castris, Dauid in tuto constitit, & clamore ingenti Abnerum ponè regem cubantem, excitauit, & poculum atq; lanceam regis vbi sit disquirat, iubet. Addit hæc cum ablata sint à Dauide, satis magno esse argumento, & ipsum regem, si voluisset, interficere potuisse. Vnde Abnerum socordis accusat negligentiæ. Audiuit hæc etiam Saul & Dauidis vocem agnouit, ideoq; dixit, Num vox tua ista fili mi Dauid? Ea occasione à rege data, grauiter cum ipso expostulans Dauid, hortatur regem, vt positis armis iniustis, desinat persequi innoxium. Rursus se peperciſſe regi, quem nullo potuisset interfecisse negotio. Saul verò Dauidis victus iustitia beneuolentiaq;, peccatum suum fatetur, ac iubet Dauidem redire in aulam. Omnia enim tuta fore promittit & incolumia. Dauid autem regi remittit lanceam, in aulam non redit, quòd huius corruptissimos mores, & regis varium instabileq; ingenium perspectiora haberet, quàm quibus fidendum existimaret.

Dauid Sauli dormienti aufert hastam à capite.

Victus tandem persequutionis perenni duritia fugæq; pertæsus Dauid, inconsulto domino, vnà cum 600. suis viris ad Achis regem Getheũ Palæstinúmque transiuit, nimirum vt quieti tranquillitatiue & sequuritati suæ & suorum rectius consuleret, qua tamen re non modò contra dominum deliquit, sed & opinione sua planè falsus est, cum se ac suos maximis nunc primùm discriminibus immerserit. Donauit quidem rex Palæstinorum Dauidi oppidum Ziklag, ex qua simulabat apud ethnicum regem se irrumpere deprædariq; fines tribus Iuda, cum reuera gentes vicinas, Gessuritas atq; Amalechitas obruens, cæderet quos assequebatur, ac spoliaret omnes, atq; sic egregiè rem suam faceret. Sed cum Palæstini Saulem & populum Dei adorirentur bello graui, vocatus est ab Achis etiam Dauid cum suis in castra Palæstinorum. Vbi sanè trepidus, maximo irretitus periculo, medius tenebatur. Aut enim impiè sibi contra populum

Dauid transit ad Palæstinos.

Ziclag.

Dei pugnandum, aut perfidè contra beneficos agendum esse videbat. Ac nisi Dei bonitate singulari, ex tanto ereptus fuisset discrimine, absq; ineluibili & turpissima macula suis consilijs inde non emersisset. Fiebat ergo Dei prouidentia vt principes Palæstinorum, bona cum gratia, Dauidem à castris suis remouerent, eum videlicet qui Palæstinos antea tot affecisset cladibus, & nunc Palæstino sanguine Sauli se potuisset reconciliare. Ita sanè dimissus est Dauid.

Ziclag diripitur & incenditur.

Interea verò dum in castris Palæstinorum agit Dauid, ingens Amalechitarum vis infunditur in tribũ Iuda, & prædas inde maximas abigit, insuper & in Ziklag irruit, totam diripit, & vniuersas Dauidis suorumq; militum familias relictas, captiuas abducit, vxores inquam cum liberis, ipsa etiam vrbe incensa. Quod sanè spectaculum tristissimum cum vidissent redeuntes cum Dauide ex castris Palæstinorum milites, adeò sunt consternati mœroreq; oppressi, vt flendo eiulandoq; partim se tantùm non exhauserint, partim verò ira victi Dauidem lapidibus adobruẽdum clamauerint. Sumebatur iam pœna de Dauide, qui temerè & inconsulto Deo ad Palæstinos transierat, quò suæ tranquillitati

Dauidis periculum maximum

consuleret. Quod quidem adeò non assequitur, vt nunc etiam eos sibi infestiores sentiat, quibus hactenus vsus est socijs amicissimis fidelissimisq;. In his tamen non desponded animum Dauid. Licet enim flendo & eiulando se tantùm non confecisset & ipse, inuocato tamẽ, fide firma, & consulto nunc tandem in tempore Domino, & ab hoc cõfirmatus, euestigiò Amalechitas, maximis itineribus persequitur, atq; etiam assequitur conuiuantes securè ac extra periculum omne se agere existimantes. Irruit ergo in eos Dauid, cædit, magnaq; strage fundit, captiuos suos ita liberauit, vt ne vnus quidem aut tantillum ex rebus omnibus ablatis desideraretur, ac plurima eaq; opima victis spolia detraxit, & magno cum triumpho faustaq; (mira animorum in felicitate mutatio) cum militum acclamatione, Ziklag redijt. Vbi prædam ex æquo in milites diuisit, & magna inde munera in tribum Iuda ad amicos suos misit. Atq; ita consolatur Deus mœstos, sed vera interim fide ac pœnitentia ad ipsum conuersos: vt hinc discant omnes afflicti, seriò reuerti ad dominum. Hæc dum geruntur in terra hostili à Dauide, Palestini in terra Israelis, copias populi Dei cædunt, ipsumq; Saulem & filios eius interficiunt. Cuius quidem rei triste admodùm nunciũ Amalechitæ cuiusdã inuenis opera, ad Dauidẽ, in Ziklag vsq; peruenit. At tristissimũ hunc populi Dei socericq; sui & Ionathani amici intimi casum miseratus Dauid, lugubriter deplanxit, composito etiam in cæsorum honorẽ epitaphio, quod extat 2. lib. Sam. cap. 1. Atq; hic finiuntur tandem cum morte Saulis etiam persequutiones Dauidis, quas in hoc Dauidem voluit ferre & superare Deus, vt typum in his Christo filio præferret, qui, vt ipsemet ait, per crucem ingressus est in regnum & gloriam, vt denicq; exercitatione hac salubri, licet acerba, doceretur adeóque vario diu multumq; exercitatus malis, præsentissimum Dei auxilium persentiscere, atq; ea ratione in fide & spe magis magisq; corroboraretur, vt miser & miserabilis, miseris succurrere & commiserari disceret, & his veluti præexercitamentis præpararetur ad regnum benè & moderatè gubernandũ, in quo gubernando retineret fidem & spem in Deum, & vt exemplum statueretur omnibus afflictis & persequutiones sustinentibus, ex quo discerent patienter manum domini illatam ferre, & perpetuis ipsum precibus inuocare, & sperare in immensam Dei misericordiam.

Finis persequutionum Dauidis.

Dauid vngitur in regem super Iudam in Hebron.

Mortuo rege socero Saule, consulto Domini oraculo, ascendit Dauid vna cum militibus suis in Hebron, vrbem tribus Iuda vetustissimam, ibidemq; natus iam annos circiter 24. creatur & inungitur concorditer à tribu Iuda in regem tribus Iuda. Erant in alijs tribubus vndecim, viri boni nõ pauci, qui & ipsi egregie

Dauid munificus ex præda Amalechitica.

egregiè Dauidi fauerent, sed familia Saulis, in primis princeps exercitus Abner, impediuit aliquot annis, quo minus regnum à domo Saulis, ad Dauidem, fuerit translatum. Quinimò creatus est tandem rex Isboseth filius Saulis super tribus vndecim, qui tamen biennio duntaxat regnauit. Ignauus erat hic rex, & ignauia eius abutebatur Abner retinens ipse regnum, titulum relinquens regi stolido. Ergo & regni delectabatur dissidio. In ea dissensione gestum est ciuile bellum inter duces exercituum vtriusq; regis Abnerum & Ioabum, illo copias Saulis, hoc Dauidis ducente. Et quidem pugnatum est acriter inter hos duces quod describitur 2. Sam. 2. cap. Victoria stetit à partibus Ioab, cui tamen in pugna hac frater Asahel, vir fortis & cursor insignis, trucidatus est ab Abnero, ex cuius exercitu desiderati sunt viri 360. Debebatur ea calamitas studio partium & Abneris ambitioni, durabatq; illa inimicitia & regni scissura ad septennium propè. Nam sub finem 7. anni defecit, turpem ob causam, Abner ab Isbosetho ad Dauidem, cui vniuersum regnum tradere moliebatur. Sed in medijs his suis conatibus Abner à Ioabo confossus, in vltionem necis Asahelis fratris, miserè occubuit. Neque voluit Deus Dauidi promissum regnum, huiusmodi obuentare artibus.

Abner. *Isboseth.* *Bellum ciuile.* *Abner confi-citur.*

Interea dum ista in Hebron fiunt, & rex Abneris casum plangeret, Isboseth rex conficitur à nepharijs quibusdam latronibus, de quibus tamen mox supplicium sumitur à Dauide. Ea Dauidis iustitia vehementer Israelitis placuit, qui & repentè Hebronem accedentes, votis concordibus Dauidem regem super vniuersum Israelem inunguntur. Factum hoc narrat scriptura 30. anno ætatis Dauidis, cum iam 7. annis super tribum Iuda regnasset in Hebrone. Postea super vniuersum Israelem regnat annis 33. ergo in vniuersum 40. Incidit hæc electio & vnctio regis Dauidis magnifica, in annum à condito orbe 2893.

Isboseth rex conficitur. *Dauid creatur rex vniuersi Israelis.*

His iam ordine attexam bella, quæ gessit Dauid creatus rex Israelis. Primũ fuit Iebuseum, de quo dicam postea. Secundum & tertium fuere Palæstina. Palæstinos enim victores, & victoria sua contra Saulẽ & populum Dei abutentes nepharieq; insolescentes cõtra Deum, coherceri & digno affici supplicio oportuit. Bis ergo Dauidem bello petentes regem nouum, auxiliante Deo, bis magna clade represi sunt à Dauide. Describuntur illa bella Palæstina, 2. Sam. 5. ca. Vbi hoc obseruandum venit, Dauidem priorem non intulisse Palæstinis bellum, sed illatum repulisse, vt minimè videri queat ingratus erga eos, à quibus beneficia acceperat in suo exilio. Quartum bellum & ipsum gessit contra eosdem illos Palæstinos, vires reparantes ac in seruitutem populum Dei retrahere conantes. Cæterùm hoc bello sustulit, vt scriptura ait, Metheg-ammah de manu Palæstinorum, nimirum dominium, aut tyrannidem potius, qua sęculis iam aliquot presserãt atq; diuexarant Dei populum, quem amplius non ita potuerunt habere morigerum, vt aquas solent, qui eas per aquæductus, quo volunt, deriuant. Attriuit enim Palæstinos ita, vt posthac Israelitis metuendi nõ essent. Quinto bello Moabitas, & ipsos implacabiles populi Dei hostes, Dauid subegit, gentem alioqui sceleratam, bellicosam & indomitam. Sextum bellum ingens fuit & grauissimum Arameum vel Syrum. Nam Hadadezer rex potentissimus eam partem Syriæ obtinens, quæ Sophene dicitur, ingenti cum exercitu, quem ex varijs bellicosissimisq; collegerat gentibus, trãsmisit Euphratem, vt fines imperij sui proferret. Ergo irruenti iam etiam in fines Israelitarum, Dauid obuiam iuit, & cum eo conflixit, æditaq; strage maxima hostiũ, vicit. Quam verò insignis fuerit hæc Dauidis victoria, ex his scripturæ verbis colligitur, Cœpit Dauid ex hostibus 1700. equites, & 20000. virorum peditum, & subneruauit omnes currus vsq; ad 100. Cum his nihil pugnat quod in Annalibus dici-

Dauidis bella varia & grauissima. *Palæstina.* *Palæstini oppressi à Dauide* *Moabiticum.* *Arameum.*

tur Dauid cœpisse equitum 7000. cum hic author recensuerit vniuersum numerum equitum, liber Samuelis numerarit insigniores duntaxat. Cum hoc Syriaco bello coniunctum fuit alterum adeoq; 7. bellum, quod Damascenum dici potest. Etenim rex Damasci, Hadadezero opem laturus, instructissimo exercitu contra Dauidem in pugnam ruit, à quo fortiter exceptus, & acie feliciter victus, cum vniuersa Syria Dauidis factus est tributarius. Ceciderunt in hoc prælio Syrorum 22000. Collegit autem Dauid ex his suis hostibus immensum pondus argenti atq; auri, æris item pretiosissimi. Quæ omnia consecrauit vtibus sacris ad ædificium templi. Hac sua felicitate conciliauit sibi Dauid amicos plurimos & potentissimos, inter quos numeratur & Thoi rex Hemath, mittens Dauidi munera pretiosissima & expetens eius amicitiam. Octauum bellum Idumæum confecit Abisai, dux & nepos Dauidis ex sorore Zaruia, de quo scribitur in lib. Annalium, Abisai verò filius Zaruiæ percussit Idumæos in valle salinarum, decem & octo millia: & constituit in Edom præsidium, vt seruarent Idumæa Dauidi. Nono bello Ammonitico dedit occasionem rex Ammonitarum Hanno, qui contra ius gentium legatos Dauidis, beneficia in Hannonem conferre volenti, violauit. Maximum & periculosissimum fuit hoc bellum, de quo Dauid aliquot composuit Psalmos. Nam Ammonitæ ex Syris & vicinis quibusq; bellicosis gentibus immensum sibi compararant exercitum. Cui cum delecta militum Israelitarum manu occurrunt exercitatissimi in bello, Dauidis duces, Ioab & Abisai. Extat elegantissima & pia militaris Ioabi ad Abisai fratrem oratio huiusmodi, Si fuerint Syri me validiores, opem mihi feres frater, sin filij Ammon tibi præualuerint, adero ego tibi, auxilium laturus. Sis ergo fortis, quin & nos fortes simus, pro populo nostro, & pro ciuitatibus Dei nostri, & terùm faciat Dominus quod bonum est in oculis suis. Simul atq; hæc dixit, canunt signa, concurritur magno cum armorum fragore, confligitur fortiter, Syriq; cum auxiliarijs suis copijs fugantur & funduntur, exercitus verò Ioab sauus & incolumis Dei fauore reuertitur in vrbem cum triumpho. Porrò reparurunt vires Syri, & valido rursus exercitu comparato, cladem sibi illatam vlciscì volentes bellum nouum, quod ordine 10. est, Dauidi inferunt. Dauid vero non diu cunctandum ratus, totum Israelem contra tot tantoq; apparatu instructos expedit hostes: & prælio ad Helam feliciter commisso, vicit & hostes campo cedere compulit. Quàm insignis autem & hæc fuerit victoria Dauidis, ex his licet scripturæ colligere verbis, Syri autem fugerunt coram Israele, percussitq; Dauid ex Syris septingentos currus & quadraginta millia equitum, occidit insuper ipso exercitus imperatore Sobach. Syri ergo pacisscentes cum Israele seruierunt eis. Proinde Dauid terminos, olim promissos Israelitis & prouectos ad vsq; Euphratem, auxilio Dei & virtute bellica, in Israelitici populi potestatem redegit. Quomodo autem fracti Ammonitæ penitus & Dauidi fuerint subiecti, dicetur postea.

Damascenum.

Idumæum.

Ammoniticum

Elegans & fortis piaq; Ioabi oratio militaris.

Syriacum.

Dauid terminos Israelitis promissos occupat.

Pergam nunc his reliqua Dauidis attexere bella. Commemorantur enim in libro 2. Samuelis cap. 21. quatuor adhuc bella Palæstina & gigantea, quæ ad primis illis superius expositis non temerè commiscent, certè quo tempore gesta sint non exprimitur. In his bellis 4. fusi & cæsi leguntur gigantes, monstrosæ staturæ & roboris firmissimi heroes. Nam potentia Dei per imbecillitatem multum Dauidis confregit robur hominum impiorum alioqui fractum. Et primo quidem bello giganteo refertur Dauid periclitatus de vita, quippe qui ab Isbibenob gigante oppressus fuisset, nisi Dei virtus per Abisai opportunum ei rens auxilium, Dauidem liberasset. Abisai enim gigantem adortus cum aureo culo certantem interfecit. Ea occasione decretũ in Israele edebatur, ne amplius in bel-

Bella Dauidis 4. gigantea.

Dauid periclitatus de vita in prælio primo giganteo.

in bellum egrederetur Dauid, aut vllis amplius interesset prælijs, ne extingueretur lucerna Israelis. Tanti enim meritò fiebat ab vniuerso populo, vt agnosceretur lux esse regni. Bella sua omnia Dauid magna cum religione & assiduis feruentissimisq; ad Deum precibus gessit. Videre hoc licet in Psalmis, in quibus vt se totum à Deo pendere, ita & victoriam & omnem suam salutem se ad Deum referre, testatus est. Sed & Deus concessis tot tantisq; victorijs, ipse attestatus est diligere se & paterna prosequi cura suam ecclesiam, quam & per Christum verum Dauidem, semper & maximè postremis temporibus asserere velit atq; seruare: sicuti & asseruit atq; seruauit, adeoq; seruat adhuc in finem vsq; sæculi. Vniuersalis porrò laus Dei gratiarumactio & gratulatio ob victorias Dauidis, legitur 22. cap. 1. lib. Paral. item in 2. lib. Samuelis.

Bella Dauid magna cum religione gessit.

Cæterùm Dauid non tam excelluit armis in bello quàm iure & iustitia in pace. Politia sub ipsius imperio pulcherrima fuit sanctissimaq;. Bella horrida gessit ille, vt oppressis hostibus & pacis perturbatoribus pace liceret frui iucunda. Pax autem stabilis non est, nisi regnum vel respub. iustis gubernetur legibus, exerceaturq; & floreat iudicium atq; iustitia. Scriptu a itaq;, Regnauit Dauid, inquit super vniuersum Israelem, & fecit iudicium & iustitiam vniuerso populo suo. Ibidem mox recensentur nomina principum, quibus officia regni distribuerat obeunda. Ac nisi singulis functionibus in politia idonei præficiantur gubernatores, nunquam sanè diu regnabitur absq; quiritatione & seditione populi, alioqui propenso ad res nouas.

Dauid excellit in pace iure & iustitia.

Iam verò quantum attinet ad religionem, non inuenias in omnibus Israelis Iudaq; regibus qui præferantur Dauidi. Simul atq; ab vniuerso Israele, rex Israelis creatus esset, bellũ Iebusæis infert, Hierosolymam antiquissimam vrbem tunc obtinentibus: non aliam ob causam, quàm quòd hic & religionis officinam & regni sedem, in qua & diuinum & humanum ius redderetur, conderet, ac Deo hoc ipsum in primis ita vt Dauid instituebat, placeret. Eam vrbem constat antiquitus nuncupatam Iebus, quam olim & Salẽ putant nonnulli dictam: vnde fortassis concreuit nomen Ierusalem. In eadem fuit celebris arx Zion. Eiectis autem opera & industria Ioabi Iebusæis ex Iebus, & occupata captaq; vrbe à Dauide, non tam Hierusalem dici cœpit, quam ciuitas Dauidis. Instaurans enim eam Dauid, & arcem Zion ornauit atq; muniuit, & totam vrbem reparauit, extructo in ea palatio regio, & alijs publicis regijsq; ac ad regnum necessarijs ædibus. Ad quam rem perficiendam Hiram rex Tyri permultum Dauidem iuuit, & artifices & materiam ædificijs suppeditando, quæ nauibus commodè aduehi potuit per mare, & deinde per terram Hierosolymam vsque deportari.

Dauidis religio

Dauid extruit Hierosolymã.

Hierusalem ciuitas Dauidis.

Plures hoc tempore duxit vxores atq; concubinas Dauid, admodumq; factus est felix fœcunda illa πολυτεκνία. Nam plures eius liberi recẽsentur & in 2. libro Sam. & in primo libro Paralipomenon.

Dauidis plures vxores.

Neq; sibi duntaxat ædes regias parauit, quin & tabernaculum arcæ domini ad honorem domini tetendit, conuocatisq; ex Israele triginta millibus, arcam domini (quæ hactenus ab Heli temporibus varijs iactata erroribus, in varia translata fuerat loca) in tabernaculum à se extructũ religiosa & magnifica pompa deducere voluit: sed tristis horrendusq; Vzæ casus, aliquanto tẽpore impediuit, postea tamen quod semel cœperat, conuocato rursus in cœtum vniuerso Israele perficiebat, oblatis opimis etiam sacrificijs domino, vniuerso item populo accepto liberaliter epulo admodùm splendidè. Id quod describitur 2. Sam. 6. cap. Quid quod pro eximia illa pietate sua Dauid templum domino amplissimum construere cogitauit: sed Deus misso Nathã propheta, retraxit Dauidem

Dauid extruit tabernaculum domino.

Dauid voluit extruere templum domino.

à suo instituto, interim tamen propheta amplissimam ei promissionem à Deo proponit, qua ipsi pollicetur regnum stabile, & successionē in regno perpetuam denicq; Christum mundi seruatorem. Accepit hæc Dauid maxima cum admiratione humilitate gratulatione gratitudine & laude Dei, Quis enim ego, inquit, domine Deus, & quæ domus mea, quam hucusq; prouexeris? Parum tibi hoc visum fuit, nisi etiam ad maiora in longinquum extenderes promissiones tuas? Et quid amplius loqui possum coram te? Et reliqua quæ hac de re leguntur 2. Samuelis 7.

Promissio amplissima Dauidi facta.

Promissiones de Christo significantissimæ.

Hactenus ab initio rerum Deus promissionibus multis & varijs, obuelatis tamen, vtcunq; Christum patribus promisit, nunc verò eundem Dauidi pollicetur copiosissimè simplicissimè & significantissimè, manifestissimè pronuncians Christum ex lumbis nascendum Dauidis, secundum carnem, ideoq; filium Dauidis nuncupandū. Quo nomine Matth. non tam ab Abrahamo quàm Dauide genus Christi deducit. Fuit præterea Dauid singulari dono prophetię à Deo instructus, vt inter prophetas cum primis maximisq; numerari possit. Id facile intelligitur Psalmi ab eo scripti varij & multi. Tametsi enim alij prophetæ & sacerdotes & cantores, alios atq; alios Psalmos composuerint (vt varius ille liber ex plerosq; tamen in lib. Psalmorum collectos Dauid conscripsit, vt liber totus ab eo accipiat nomen, voceturq; vulgo Psalterium Dauidis. Liber is epitome est doctrinæ pietatis, recensendus inter primos sanctæ scripturæ libros. Edidit Dauid ex spiritu sancto de Christo salute & seruatore nostro vaticinia longè præclarissima. Ex quibus liquidò possumus colligere quali nam fide præditus fuerit Dauid, & quòd suo tempore, sub suo imperio, promissiones de Christo à doctoribus fuerunt propositæ populo, & non tantùm nuda legis doctrina inculcata. Psalmo certè 110. manifestè diuinitatem & humanitatem in Christo confitetur, cuius quidem rei testem habet ipsum Christum dominum, apud Matth. in cap. 22. In eodem Psalmo attingit humiliationē eius & glorificationē, regnum item æternum, sacerdotium æternum, victorias quoq;, quodq; ipsi per prædicationem euangelij subijciendus sit orbis. Vaticinium eius de sacerdotio sempiterno, & vnico, multis exponit Apostolus in epist. ad Hebræos. Sed & modum passionis Christi, mortis eiusdem ac gloriæ salutisq; nostræ in Christo, nobis participandæ per fidem, idem Dauid apertissimè enarrat nobis in Psal. 22. Breuiter, Christum totum plenè descripsit Dauid, in quem & credidit, per quem seruatus est, dictus Christi pater, quòd virgo deipara MARIA fuerit ex prosapia & filia Dauidis. Et hanc quidem doctrinam de vera religione curauit Dauid, quod & modò dixi, per sacerdotes atq; prophetas vniuerso prædicari populo, quæ omnium præstantissima est laus in omnibus excellentissimis Dauidis pręconijs. Cernere ergo hic rursus licet continuā perpetuamq; & nunquam interruptam de vera religione, de Messia & vera fide doctrinam, pertingentem descendentemq; à Deo per Adamum & omnes sanctos patriarchas ad Noen vsq;, & inde nunc vsq; ad Dauidem. Vnde iterum propagata & seruata est in ecclesia Dei ad tempora ipsius Christi, atq; inde denicq;, inuito licet antichristo ad nostra vsq; tempora.

Dauid propheta.

Psalterium Dauidis.

MARIA virgo Dauidis filia

Religionis uerę doctrina perpetua est.

Fides in Dauide per charitatem efficax.

Præterea fides hæc in Dauide inanis & vacua non fuit, sed varie se per charitatem exeruit. Fuit enim benignus liberalis atq; munificus in omnes quidem, sed in primis in pauperes, & in eos quoq; à quibus beneficia acceperat, quorum minimè obliuiscebatur. Ideoq; vocatum ad se Mephibosethum Ioanathani amicis & amici sui suauissimi filium, regiæ hoc est suæ ipsum adhibens mensæ, liberaliter regia remunerat beneficentia. Constituerat enim mereri & de Hanone, nisi is se indignum esse beneficentia declarasset. Sunt & alia beneficia numer-

numera & ingentia, à Dauide publicè & priuatim, in omnis generis homines collocata, vt eius exemplo discamus nos omnes, iuxta Apostoli doctrinam, beneficentiæ esse memores. Et hæc quidem quæ commemorauí hactenus, 20. primis ferè annis regni Dauidis gesta atq; perfecta sunt.

De Bello Ammonitico.

His expositis redeo ad bellum Ammoniticum perstringendum. Superius enim audiuimus Ammonitas Dauidi bellum intulisse maximum. Itaque cum Dauid auxiliares Ammonitarum copias oppressisset deleuisset q;, Ioabo principi militiæ mandat vt ingressus regnum Ammoniticum, Rabá regni metropolim, obsidione cingat, capiat, regem deijciat, regnum q; ipsum subigat. Parui ille, & vrbem munitissimam alioqui, obsedit & strenuè oppugnauit.

Adulterium Dauidis cum Bersabea.

Interea Dauid præter morem suum indulgens ocio, in scelus ruit multiplex atq; nephariũm. Nam adulterium perpetrat cum Bersabea vxore Vriæ fidelissimi Dauidis satellitis, ac ipsum Vriam, opera Ioabi, curat interfici, & quidem infidelium Ammonitarũ armis, quibus & alij viri fortes Israelitæ in incursione sunt immixti atq; sublati vnà cum Vria. Quo parricidio Dauid gloriam & Dei & populi Israelitici fœdissimè contaminauit. Describitur hæc historia copiosissimè in 2. lib. Sam. cap. 11. Scelere autem perpetrato, & aliquanto tempore exacto, mittitur ad regem Nathã propheta, qui ipsum grauiter corripiat et graue ipsi iudicium Dei annunciet. Quod & liberrimè fecit propheta. At Dauid corripientem prophetam patienter audiuit, peccatum admissum agnouit, veniam à misericordissimo Deo supplex petiuit, deniq; Deo se in omnibus & per omnia humiliter subiecit, sponte in se suscipiens, quod propheta dixerat, gladium à domo Dauidis non recessurum. Leguntur hæc & ipsa copiosissimè descripta in eiusdem libri Sam. cap. 12.

Dauid obiurgatur à propheta

Dauidis pœnitentia.

Sicut autem Dauidis peccatum fuit fœdissimum, ita pœnitentia eiusdem insignis est & præclara. Agnouit quòd inciderit in tam nephariũm facinus, per obliuionem verbi Dei, quod q; fœdis suis cupiditatibus nimiũ indulsisset. Conscribit ergo Psal 119. quo omnibus verbum Dei eius q; obseruantiam commendat: rita enim custodiri nos à peccatis & ne ruamus in scelera. Certè totum pœnitentis animum intelligere possumus ex Psalmo eius 51. Confugit animo humiliato, & fide firma ad solam Dei misericordiam. Apud hunc nihil dissimulat, sceleris sui nihil extenuat, ingenuè peccatum admissum confitetur, & lugubriter deplorat, veniam q; supplex, deniq; vitæ innouationem petit. Huc enim faciunt imis omnium animis recondenda precantis verba, Conceptus sum in iniquitate, & in peccatis concepit me mater mea. Tibi soli peccaui, & malũ coram te feci. Tu verò mi Deus, miserere mei, id q; secundum magnam misericordiam tuam. Dele omnes iniquitates meas. Auerte faciem tuam à peccatis meis, lauabis me & super niuem dealbabor. Cor mundum crea in me Deus & spiritum sanctum tuum ne auferas à me, sed spiritu principali confirma me. Vicissim pollicetur gratitudinem, & ait, Docebo iniquos vias tuas, & iniqui ad te reuertentur. Et reliqua quæ in aureo illo Psalmo leguntur. Quæ non frustra hic commemoro. Voluit enim Deus miseris nobis peccatoribus Dauidem statuere exemplum, ex quo peccare quidem non disceremus, sed si collaberemur in flagitia, doceremur illius exemplo, quomodo ex his nos emergere, conuerti ad Deum veram q; pœnitentiam agere oporteat.

Dauid exemplum statuitur miserispeccatoribus.

Dauidi ex Bersabea nascitur Solomon.

Duxit autem in vxorem postea Dauid Bersabeam, hoc ipsum permittente domino, ex qua Solomonem suscepit, quem dominus iussit appellari Iedidiah, id est dilectum Dei, vt inde Dauid colligeret Deum cum ipso in integrum redisse in gratiam, & benedixisse eius connubio alioqui infelici.

Dauid capit Rabbã & subigit Ammonitas

Cœpit autem Dauid Rabbah Ammonitarum, & immensam ex ea prædam asportauit, Ammonitas ipsos sustulit, & pacem, auxilio Dei, stabilem & absolutam parauit. Ea tamen postmodum intestino & ciuili bello est turbata. Nathan enim prædixerat bellum oboriturum in vindictam sceleris Dauidici. Quod etsi condonatum erat à Deo, & translatum in Messiam, neq; Dauid patiendo pro peccatis suis satisfaciebat, nihilominus tamen Deus Dauidem cruce exercere voluit, & vniuerso orbi patefacere, quàm non probet sanguines, tam etsi poenitentibus ad condonandum sit facilis. Exercet ergo quos recepit in gratiam valide, exercet inquam fidem ipsorum, frangitq; carnis ferociam.

Crux sanctorũ.

Ratio tẽporis rerum Dauidis

Bellum verò hoc intestinum commouit aduersus patrem Absolon Dauidis filius patri longè charissimus, et quidẽ 30. vt apparet anno regni Dauidis. Nam quod legimus à fine 40. annorum commotam esse hanc seditionem ab Absolone, interpretes non malè, mea quidem sententia, referunt ad primum annum Saulis, ad principium inquam regni Israelitici. Scio alios sentire aliud. Rerum gestæ, sunt tam variæ & prolixæ, vt nõ potuerint breui annorum flexione putatio. Non improbatur itaq; eorum supputatio, qui bellũ Ammoniticum & adulterium Dauidis collocant in annum regni eius 20. seditionem autem Absolonis in 30. Proinde intra 20. & 30. annum facta sunt ea omnia quæ Dauidem & domum eius conturbarunt & afflixerunt grauissimè contaminaruntq; fœdissime. Rependebat Dauidi Deus pro ratione admissi peccati sui. Ergo quòd alienam vxorem pulcherrimam contaminarat, maritumq; innoxiũ trucidarat, fecerat, vt Thamar filia Dauidis formosissima, incestu nephario constupraretur a fratre Thamaris Amnone (vt iam nihil dicam de concubinis Dauidis in fœdatione à filio Absolone violatis) quem postea in conuiuio, seruulorum crudelitate, Absolon frater Thamaris, intercipiens, mactandum curauit. Ea res ingentem luctum Dauidi iniecit, quem & in trienniũ produxisse videtur. Profugum enim ob hoc parricidium Absolonem, post triennium demum in gratiam recepit, Ioabo id, exquisitis suis artibus, procurante.

Dauidis domus contaminatur fœdissimè.

Seditio ingens ab Absolone excitata contra Dauidem.

Postea malè gratus parenti reconciliatus filius, variis artibus patris regno insidiari incipit, tandem cum se satis instructum putaret, tubam inflat, ad arma conclamat, ingentemq; seditionem in Israele excitat, patris regnum occupaturus. Vbi sanè populus Israelis, exemplo propè carente ingratitudine fœdissima in optimè de ipso meritũ Dauidem, enormiter peccat, ideoq; & paulò post graui clade coherceri meretur. Ruente verò vniuerso Israele in partes Absolonis, Dauid relictis in domo Hierosolymis, decem duntaxat concubinis secum vniuersa alioqui familia sua, & seruis omnibus suis, viris fortissimis & fidelissimis, in fugam effusus, mortem sibi à filio intentatam effugit. Filius interea multa impia, nephariaq; permulta patrauit horrenda auditu abominandaq; multis modis facinora. In fuga verò sua Dauid multa indignissima sanè et pessus, quæ tanta pertulit patientia, vt inter veterum tollerantiæ exempla nobilissimum reperiatur illustrius. Semper enim ob oculos eius obuersabatur peccatum admissum contra dominũ, ob quod se iam affligi exercericq; sciebat. Fides interim eius mirificè in his se exerebat, neq; tantillum in tantis nutabat curis aerumnisq; afflictionibus. Scripti hac de re extant aliquot præclarissimi Psalmi in primis 25. & multi alij, historia verò ipsa legitur eleganter tradita 2. lib. Samuelis cap. 15. & 16. &c.

Dauidis patientia insignis & fides constantissima.

Post multa variaq; vtrinq; solerter acta, confligunt tandem exercitus Absalonis atq; Dauidis. Vicit Dauidis. Ceciderunt eo prælio ex Absolonis exercitu viri 20000. Ipse quoq; incestu fœdatus impurus & impius nebulo Absolon, re dicta Dei suspensus cincinnis suis ex arbore, confoditur à Ioabo, ac pœnas de impietatis

Absolonis interitus.

impietatis in Deum, in patrem, & in patriam, impuritatisq; suæ sacrilegæ. Luxit autem Absolonẽ Dauid immoderatius, quo nomine durissimè obiurgatus est à Ioabo. Tandem verò diuina bonitate in integrũ Dauid regno est restitutus, compressa etiam noua seditione per Sebam quendam contra Dauidem excitata, qui & ipse iustas seditionis excitatæ pœnas dedit, capite truncatus. Leguntur hæc à 17. cap. ad 21. vsq; 2. lib. Samuelis. *Seditio Sebæ.*

Omnibus itaq; satis bene pacatis in regno affligebantur Israelitæ, intra 10. illos postremos annos regni Dauidis, duabus alijs non leuibus calamitatibus. Prima erat fames dira admodùm, durans per triennium, quæ tandem expiata est cæde sanguinariæ Saulis familiæ, sicut exponitur 2. Reg. 21. Posterior calamitas fuit pestis tetra & planè horrenda, qua interiere intra triduum multa virorum millia, ob temere & contra Dei voluntatem numeratum à Dauide populum. In eo periculo ita se gessit Dauid, vt vix inuenias inter omnes, principem meliorem. Historia texitur 2. Sam. 24. cap. In ea peste cum Dauid supplicaret domino, commonstrauit ipsi dominus, per angelum suum, areã illam, in qua voluit extrui à Solomone templum. Locus is erat non procul ab arce Zionis, in monte Moriah, in quo Abraham filium suum sacrificare Deo instituerat: & quidem non citra mysterium. Etenim in iugis montis huius, nimirum in monte Caluariæ, oportuit immolari veram & vnicam hostiã Christum seruatorem mundi, cui hic præludebatur. *Calamitates fames & pestis.* *Ostenditur ab angelo area templi.*

Reliquum ergo tempus vitæ suæ Dauid totum impendit rebus sacris politicisq; ordinandis. Et primò quidem disposuit materiam Solomoni, ad extruendum templum. Scriptura enim Dauidem Solomoni loquentem inducit, atque dicẽtem, Ego pro paupertate mea (sic modestiæ causa loquitur) parauí pro æde domini, auri centum millia talenta, & argenti mille millia talenta, æris verò & ferri non est pondus, nam multum est: ligna quoq; & lapides præparaui. Et reliqua quæ leguntur 1. Paralip. 22. Simul hortatur Solomonem filiũ, ad hoc opus perficiendum: hortatur item omnes principes, vt filium consilio auxilioq; iuuent. Copiosè hæc narrantur in historia sacra 1. Paral. 22. & 28. cap. Cumq; cerneret omnes regni proceres, quos in publica regni conuocarat comitia, non tantùm propensos esse ad perficiendum opus, sed & liberales & munificos in offerendis ad templi ædificium muneribus, omnes laudauit, in primis verò gratias egit Deo pro omnibus eius beneficijs, & vt omnia hæc accepta ad eius gratiam retulit, ita omne hoc negotium amplissimum aliàs, diuinæ gratiæ potentiæq; commendauit: sicut fusius traditum legitur 1. Paral. 29. *Dauid omne tẽpus reliquum vitæ impendit ordinandæ religioni & politiæ.*

Sacerdotes quoq; ministros Dei in ordines certos pulcherrimè distribuit, singulis ordinibus sua præscribens officia. Et in his Musicam sacram, & instructionem quidem, Deo authore, introduxit in templum. Simul & scholas studiaq; sacra & bona literarum, vti optimum decebat principem, mirum in modum fouit atque prouexit, & doctoribus discipulisq; & omnibus Dei ministris de stipendio liberali munificentissimè prospexit. Prosequitur hæc historia sacra à 23. cap. vsq; ad 27. lib. 1. Paralip. *Dauidis studiũ erga Dei ministros sacros.*

Postremò ne inter filios suos oriretur certamen in adeundo occupandoq; regno, ac ita intestinis bellis rursus regnum laceraretur, præsertim quod iam iã Adonias, Dauidis filius, nõ postremos sibi adiunxisset regni proceres, ac auidè regno inhiaret, Dauid ex oracuIo, Solomonem instituit regem, quem & protinus iniungi (nos coronari diceremus) iubet. Quod cum maturè factum esset, vidit Dauid maxima animi sui cum lætitia, & gaudio inenarrabili, filium Solomonem in solio sedentem regni amplissimo. Quo nomine maximas egit Deo gratias, supplicauitq; eidem pro regis regniq; salute. De qua re extat elegantiss. *Solomon coronatur rex.*

Dauidis testamentum.

à Dauide compositus in extrema senectute, Psal. 70. Ac vltima Dauidis verb
leguntur 2. Sam. lib cap. 23. sicut & testamentum eius. 1. lib. Reg. cap. 2. In quo
illud est præcipuum, quod admiranda prorsus diligentia Solomoni cõmendet
legem vel verbum Dei, dicens, Obserua obseruationem domini Dei tui, vt am-
bules in vijs eius, & custodias statuta atq; præcepta eius, sicut scriptũ est in lege
Mosis. Et reliqua. Quç quidem suo modo ordineq; ad omnes referenda sunt ho-

Dauid moritur

mines, volentes modò placere Deo, & Deum habere propitium. Mortuus est
autem feliciter in domino Dauid ætatis suæ anno 70. regni 40. qui erat annus
mundi 2925.

Dauidis laus amplißima.

Condonabunt mihi lectores, si in consignandis paulò copiosius, Dauidis re-
bus videor violasse leges compendij. Nam adeò multiplices sunt res adeoq; am-
plæ præclaræ & excellentes huius principis virtutes, vt nihil dum dixisse vi-
deatur prorsus, qui aliàs dixit de eo quàm plurima. Ac spero ea quæ dixi suo
fructu caritura minimè. Iosephus Antiq. lib. 7. cap. 10. Dauid, inquit, fuit vir
optimus, & omnibus virtutibus præditus, quas regem tot gentium incolumi-
tati prospicientem habere oportebat. Nam fortis erat, vt nemo alius, & in certa-
minibus, pro subiectorum tutela susceptis, primus se periculis obijciebat, exem-
plo suo militem ad præclara facinora excitans, & non tanquam dominus, pro
imperio, ad officium cogens. Idẽ in consilijs prudentissimus & egregiè callens,
quid in præsens, quidue in futurũ conduceret. Adhæc sobrius, mitis, benignus
erga calamitosos, iustus, humanus. Quæ quidem præcipuæ sunt regum virtu-
tes. Nec in tanta potestate vnquam ab æquitate deflexit, nisi quod vxorẽ Vriæ
attinet. Tantas præterea diuitias hæredi reliquit, quantas nullus alius rex vel
Hebræorum vel aliarum gentium. Sed quid opus est humano, cum diuino non

Dauid in religione integerrimus syncerißimusq;.

destituamur testimonio, & eo quidem splendidiss? Sic enim legimus 1. Reg. 15.
cap. Cor Abiam non fuit perfectum cum domino Deo suo, sicut cor Dauid pa-
tris sui. At propter Dauidem dedit ei dominus Deus eius lucernam in Hieru-
salem, vt suscitaret filium eius post eum, vtq; firmaret Hierusalẽ, Quòd Dauid
fecisset quod rectum erat in oculis domini, & à nullo deflexisset quod ei præ-
perat, idq; omnibus diebus vitæ suæ, præterquam in facinore quod commi-
aduersus Vriam, &c. Non quòd non fuerit obnoxius pluribus delictis ex infir-
mitate carnis enascentibus, sed quòd nullo alio scelere nephario fuerit con-
taminatus.

SOLOMON regnauit ad posita vsq; Templi fundamenta annos 3. deinde adhuc 37. in vniuersum 40. 1. Reg. 6. & 11. cap.

Pacificum Solomonis regnum incipit à suppliciis turbulentorum & noxiorum hominum.

SOLOMON à morte patris mox per initia regni sui sustulit aliquot turbo-
lentos homines ex regno, qui si vixissent, pacem publicam turbare potuissent.
Ac cœperat iam iam Adonias frater Solomonis maior, rursus moliri quædam
pro occupando regno. Ergo interfectus est à Solomone per Banaiam, quo mi-
nistro vsus est etiam in cædendo Ioabo & Semei, damnatis alioqui Dauidis te-
stamento hominibus. Abiatharo, qui & ipse fuerat in cõiuratione cum Adonia
& Ioabo, pepercit, quòd arcam domini, coram Dauide, portasset, ac omnium

1. Sam. 3.

periculorum Dauidis socius fidelis exilijq; eius individuus comes fuisset. Sa-
cerdotio tamen deiecit eum, & pro ipso creauit summum sacerdotem Zado-
chum, vt pariter oraculo diuino, contra Heli pronunciato, satis fieret.

Religio Solomonis.

Fuit autem Solomon religionis & doctrinæ syncerę, sicut eam acceperat a
patre Dauide, per initia & bonam partem regni sui studiosissimus obseruan-
tissimusq;

tissimusq́, quam & exercuit, fouit atq́ promouit summa fide diligentiaq́. Et quidem cum templum nondum esset extructum, citra culpam, in excelsis sacrificauit creberrimè. Erat tunc præcipuum excelsum in Gabaon. Ibi cum pro sua singulari pietate obtulisset domino opimas amplissimasq́ hostias, per somniũ diuinitus immissum, offertur ipsi optio, petẽdi à Deo quæ vellet. Spretis autem ille in mundo rebus quibusq́ præclarissimis exoptatissimisq́, vnam omnibus prætulit sapientiam, quam sibi à Deo præstari exorabat, vt rectè iudicare, populumq́ sibi à Deo creditũ feliciter gubernare posset. Placuit ea optio vehementer domino, & proinde, Huiusmodi, aiebat, tibi dabo sapientiam, vt ante te similis tui non fuerit, neq́ post te futurus sit. Quin adijciam insuper ea, quæ non petijsti, opes inquam amplissimas & gloriam vsqueadeò celebrem, vt rursus tui similis inter reges, tuo sæculo florentes, futurus sit uullus. Quæ vbi ex diuina reuelatione Solomon accepisset, rursus immolauit domino hostias gratulatorias Hierosolymis ante arcam domini, epulasq́ regias omnibus suis instruxit ministris. Obseruabunt hanc memorabilem historiam Solomonis, omnes populi proceres, cùm ecclesiastici tum politici, discantq́ à mortalium sapientissimo Solomone, nihil crebrioribus ardẽtioribusq́ à Deo precibus petere, quàm sapientiam, qua instructi, fidei suæ creditos, feliciter gubernent, agereq́ Deo gratias maximas pro acceptis beneficijs, in primis autem pro dono sapientiæ. *Sapientia Salomonis.*

Scriptura certè multis exponit varia absolutissimæ Solomonis sapientiæ argumenta documentaq́ euidentissima. Huc enim pertinet iudicium Solomonis, promulgatum in controuersia duarum mulierum meretricũ, altercantium de duobus infantibus, altero quidẽ oppresso, altero verò viuente adhuc. Quod multis exponitur 1. lib. Reg. 3. ca. Huc pertinet & testimoniũ scripturę hoc apertissimum & amplissimum, Concesit Deus Solomoni sapientiã & prudentiam, rerumq́ cognitionẽ immensam, vt excelleret omnes qui ipsum antecesserant, simul omnem Ægypti sapientiam, quin omnibus hominibus sapientior fuit Solomon, ipso etiam Ethan Esraita, & ipso Heman & Chalcol & Darda filijs Mahol, fuitq́ nomen illius celebre per omnes gentes. Huc item pertinet quod idem ille disseruit de omnium rerum naturis, de animalibus inquam omnis generis, de omnibus arboribus fruticibusq́ & herbis. Edidit item carmina, edidit parabolas siue sententias, nõ tam ethnicas quàm theologicas. Extant adhuc sententiarum operumq́ eius aliquot fragmenta, ex quibus vt ex vngue leonẽ, ea quæ desiderantur æstimari possunt, interim quæ extant adhuc sufficiunt veram pietatem sapientiamq́ discere cupientibus. Extant inquam adhuc libelli qui inscribuntur vulgò Prouerbia, Ecclesiastes & Cantica canticorum Solomonis. Libellus Prouerbiorum continet gnomas, id est, cõmunes sententias, breues quidẽ illas, sed acutas & tersas, valentes cõmuniter ad res multas & magnas, & pro multis, pronunciantes quid verum, quid falsum, quid bonum, quid malũ, quid expetendũ, quid fugiendum. Spargit alicubi & Paræneses. Porrò ecclesia Græcis significat concionem populi conuocati ad audiendum. Ergo ecclesiazin significat apud ecclesiam verba facere: & Ecclesiastes, is est, qui verba facit. Iam ergo fingitur coijsse magna populi frequentia ex vniuerso mundo ad audiendum Ecclesiasten, prodire verò Solomonem ecclesiasten, & disserere de summo bono refutareq́ peruersas de hoc conceptas à vulgo opiniones, ideoq́ clamare Vanitas vanitatum & omnia vanitas, &c. Libellus autem qui appellatur Cantica canticorum, id est, carmina excellentissima, totus est allegoricus. Nam figurato sermone canitur quantum bonum sit coniungi cum Deo. Fingitur ergo in eo sponsus Deus, & sponsa anima fidelis. Amores & oscula & complexus casti commemorantur. Et frequentissimum alioqui est coniunctionem *Iudicium Salomonis.* *Libri Salomonis.* *Prouerbia.* *Ecclesiastes.* *Cantica canticorum.*

nostram cum Christo adumbrari per nuptias, &c. Ad sapientiam Solomonis comprobandam facit & pulcherrima distributio officiorum in regno, & optima vniuersi regni gubernatio, quæ cuiusmodi fuerit, explicatur elegãter & breuiter 1. lib. Reg. cap. 4. Denique extructio illa templi memorabilis, quæ vniuerso mundo admirationi fuit meritò, sapientiæ Solomonis opus fuit excellentissimũ. Vsus dicitur ligni cæsoribus in Libano triginta virorũ millibus, baiulis septuaginta millibus, fabris autem octoginta millibus: quibus omnibus præfecit tres mille & trecentos, qui essent ἐργοδιώκται, & quibus demum omnibus præfuerit nus Adoniras. Absoluit opus hoc templi immensum (quod planè mirum est) tra annos 11. Quod enim scriptura alibi meminit 20. annorum, referri debet ornatum templi & ad instrumenta varia, quorum vsus erat in templo.

Extructio templi.

Authoritas nostræ religionis.

Cæterùm eximia hæc Solomonis sapientia facit ad insignẽ commendationem laudemq; nostræ synceræ religionis atq; doctrinæ, cuius etiam ecclesiæ fuit Solomon rex sapientissimus. Et quæ oro vnquam emersit in mundo fides vel religio, quæ habuerit tot tantosq; in vniuerso mundo, & in excellentissimis laudatissimisq; quibusq; rebus, cultores, doctores, vel professores atq; nostra la fides atq; doctrina?

Supputatio annorum.

Copiosa templi Solomonis descriptio legitur in 1. libro Regum cap. 6. & Ibidem & ratio temporis his exponitur verbis, Factũ est in 480. anno ab egressu filiorum Israel ex Ægypto, anno quarto, mense Sif, is est mensis secundus quo Solomon regnauit super Israelem, ædificare cœpit templum domini. Quatus ergo hic regni Solomonis annus integer non est supputandus ad annos priores, sed posteriores potius. Diserte enim dicitur opus cœptum mense secundo. At mensis secundus pertinet absq; controuersia ad anni principium. Proinde tres duntaxat anni, non quatuor ex regno Solomonis numerantur ad summam illam 480. annorum. Reliqui 37. anni (nam constat ipsum 40. regnasse annis) pertinent ad reliquum vitæ Solomonis.

Et hæc quidem hactenus de annis illis 480. qui supputantur ab egressu filiorum Israelis ex Aegypto ad 4. vsq; annum Solomonis.

Maxima solennitate templũ initiat Solomõ.

Pergimus in compendio historiæ Solomonis attexendo. Extructo templo Solomon ex vniuerso regno conuocauit cœtum procerum populiq; tantum quantum nunquam in Israele conuocatum apparet, celeberrimaq; & religiosissima pompa, arcam fœderis & vasa sacra omnia, quæ fuerant in tabernaculo Zionis, extructo à Dauide, intulit in templum, à se ædificatum. In eo primùm concionabatur in confertissima hominum turba Solomon, prædicans in promissis multiplicem Dei bonitatem gratiamq; amplissimam & veritatem constantissimam. Deinde supplicabat Deo ardenter & prolixè, his suis precibus vtens pariter templi commonstrans, ac Deum, vt semper preces supplicum exaudiret obsecrans. Sub finem precationis (quæ fusè exponitur 1. Reg. 8. & lectu ellegantissima) paræneſin subiicit, & conuerso ad populum sermone, dicit, IGITVR COR VESTRVM PERFECTVM CVM DOMINO DEO NOSTRO, VT AMBVLETIS IN STATVTIS EIVS, ET CVSTODIATIS PRAECEPTA EIVS. Præcationi precationiq; adiuncta sunt sacrificia tam magnifica, vt nesciam, si quam maioribus impensis magnificentiusq; in Israele aut etiam alicubi facta sint. Scriptura enim inquit, Et rex ac vniuersus Israel immolauit hostias coram Domino viginti duo millia boum, & centum atque viginti millia ouium.

Sacrificia sumptuosissima.

Instru-

Instruxit quoque epulas vniuerso populo, excipiens ipsum conuiuio planè regio. Durauit ea regis liberalitas per integrum octiduum. Ita verò initiauit templum domini Solomon. Cui postea disertè dixit dominus, nihil nec ipsis, nec posteris ipsorum, profuturum vel templum ipsum, vel sacra, quæ fiebant in templo, nisi animis synceris, hoc est, fide integra imbutis, soli seruiant domino, & quidem non pro suo cuiusq; arbitrio, sed secundum præscripta legis diuinæ, abstineant autem in vniuersum tam à Dijs quàm à sacris peregrinis. Alioqui enim & populum repudiandum, & templum ipsum, maximo cum populi ludibrio, fore euertendum. Id quod prophetæ posteriores sæpius populo in memoriam reuocarunt, & tandem templum vnà cum gente propter impietatem excisum esse attestati sunt. Adeò inquam probatur Deo religio vel pietas in vera fide consistens, & nõ exterior ille cultus, rebus quidem preciosis magnificus, sed quo ad spiritum & veritatem, nullus.

Solomon ciuitates extruxit.

Extruxit præterea Solomon vrbes aliquot maximis impensis, extruxit & palatia regia, tam sibi quàm vxori suæ reginæ Ægypti, extruxit itẽ & alia quædam palatia, vsibus regni necessaria, in primis verò solium vel thronum eburneum, ad quem ascendebatur gradibus sex: gradibus ex vtraq; parte aureos imposuit leones, & reliquum throni obtexit vestiuitq; auro purissimo, opus planè admirandum & sempiterna memoria dignum, saltem propter typum. Adumbrat enim qualem esse oporteat iudicem iudicisq; iudicia. Exponitur regia illa magnificentia multis & diligenter in sacris literis, vt appareat vniuerso mundo, quàm verax sit Deus in promissis & quàm munificus benedictionibus suis, deniq; quanta authoritate omnes alias religiones, ea antecellat religio, cuius cultores omnes alias gentes excellũt omnis generis felicitate, vtq; habeant pij, quod opponant frequentibus fideliũ calamitatibus, quibus ferè impugnant impij religionem veram, quasi sit falsa, quæ multis calamitatibus est exposita. Nam habent in rebus Solomonis pij, gloriam & maiestatem planè admirandam, quam opponant miseriæ calamitatibusq; fidelium, & ostendant, Deum qui aliquando pios affligit, eosdẽ alibi & aliàs magnifica ornasse, ideoq; adhuc ornare posse gloria. Quo nimirum pertinent & consequentia, de regni amplitudine & immensis opibus Solomonis.

Quorsum pertineat descriptio regiæ magnificentiæ.

Regnum Solomonis amplissimum.

Regnum enim Solomonis amplissimum fuisse, his verbis testatur verbum domini, Dominabatur Solomon super vniuersa regna, ab Euphrate vsq; ad terram Palestinorum, & ad limitem Ægypti, ferebantq; munera, & seruiebant Solomoni cunctis diebus vitæ eius. Opes item eius erant immensæ, iterum scriptura ipsa attestante atq; dicente, Pondus auri quodvenit Solomoni singulis annis fuit sexcenta & sexaginta sex talenta auri, excepto eo quod à mercatoribus atque aromatarijs, ab omnibus regibus Arabiæ, & principibus terrarũ accepit. His accesserunt nauigationes in Orientem insignes & vtilissimæ, aduehentes magnam auri copiam ex Ophir vel ex Indiæ Chersoneso aurea. Rursus enim scriptura, Tulerunt illinc, inquit, auri talenta quadringenta & viginti. Cæterùm monuit incomparabilis eruditionis vir G. Budæus in libro de Asse, talentum Hebræum valere coronatos Gallicos 770. Instructus fuit præterea Solomon quadrigatu & equitatu amplius quàm regum orbis vllus. Scriptura enim iterum, Habuit, inquit, Solomon quadraginta millia septa equorum curulium, & duodecim millia equorum cataphractorum. Sed & voluptatibus affluebat, & delitijs fruebatur omnium exquisitissimis. Et quod his omnibus præferendum est meritò, pax erat vniuerso regno dum Solomon regnaret altissima securissimaq;. Degebat, ait scriptura, Israel & Iuda in tuto, quisq; videlicet sub vite, & sub ficu sua, pacemq; habuit Solomon cum omnibus suis per circuitum, &c.

Opes Solomonis immensæ.

Nauigatio in Indiam.

Talentum Hebræum.

Pax perpetua.

Regina Sabea venit ad Solomonem.

Fama huius inedicibilis felicitatis populi Dei percrebuit per vniuersum orbem terrarum, & in admirationem maximam omnes attraxit, ac in primis reginam Sabeam, fœminam sapientissimam adeò commouit, vt maximo cum comitatu, instructaq; rebus quibusq; preciosissimis, profectionem susciperet longinquam ad Solomonem: cum quo & præsens de rebus multis & maximis disputauit, laudemq; sapientiæ felicitatisq; multò vberiorem ei tribuit, quàm fama hactenus sparserat, muneribus denicq; omnium preciosissimis & copiosissimis Solomonem liberalissimè donauit. Proponitur huius Reginæ exemplum nobis imitandum à seruatore nostro Christo domino, vt quemadmodum illa desiderio audiendæ sapientiæ Solomonis accensa, profectionem suscepit laborosam, ita nos quoq; totis animis auscultemus doctrinæ Christi salutari & cœlesti, neq; hac in re vllis parcamus sumptibus aut laboribus.

Ergo non imminuerat præsentis famam.

Solomon plures habuit vxores.

Vxores Solomon plurimas habuit, septingentas inquam reginas, & concubinas trecentas. Inter reginas eminebat Ægyptia illa regis Pharaonis filia. Non habebat Ægyptius rex vllum tunc in orbe regem se excellentiorem potentia & opibus, Solomone & fortè Assyrio, exceptis. Porrò magnus hic mulierum grex & infinita vxorum concubinarumq; turba, malum ingens & regi & vniuerso regno dedit. Etenim cœpit à mulieribus felicitatis huius summæ, horribilis inclinatio, quam etiam sequuta est calamitosissima euersio. Scriptura enim: Adamauit, inquit, rex Solomon mulieres alienigenas multas, & filiam Pharaonis, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Zidonias, & Hitheas, ex ijs ortas gentibus, de quibus filijs Israel præceperat dominus, Ne ingredimini ad eas, certe enim inclinabunt corda vestra ad Deos suos: atq; huiusmodi mulieribus adhæsit Solomon amore. Et iterum, Ac cum iam senio esset confectus Solomon, declinarunt vxores eius cor eius post Deos alienos. Fecitq; Solomon malum in oculis domini, & non adimpleuit ire post dominũ, sicut pater eius Dauid. Ædificauit enim excelsum Chamos abominationi Moab, in monte qui est è regione Hierusalem (in monte inquam Oliuarum) & Moloch abominationi filiorum Ammon: & sic fecit omnibus suis vxoribus alienigenis, quæ adolebant & sacrificabant Dijs suis in excelsis. Iuuenis ergo Solomon optimè se gessit in regionis negocio, adeò vt non potuisset melius. Senex verò amore mulierũ non moderato & coniugali, sed nimio dementatus insaniuit planè, cum fortè iam egnasset annos 30. aut circiter. Dedecet quidem hoc vicium ætates omnes, sed in primis, qui se ridiculos cæteris propinant, dum amoribus impliciti, ineptiunt stultissimè.

Mulieres euertunt & Solomonem & regnum.

Senes ineptißimi amatores.

Quale fuerit peccatum Solomonis.

Sunt verò qui existiment Solomonem in phanis illis Deorum, à se erectis, procubuisse ante idola, & supplicasse eis adolendo thura & immolando victimas. At verisimilius est nihil tale ipsum perpetrasse, sed hoc potius eius fuisse peccatum, quo summam in se Dei indignationem prouocauit. Cum planè audisset ex ore domini, abominari dominum omnes in vniuersum cultus, qui non ipsi soli impenderentur, & quidem ad præscriptum legis suæ, cultus tamen illi legi prorsus aduersos, non tantùm permisit vxoribus suis, sed ipse & phana construxit & omnes impensas abominandas persoluit: cumq; probè nosset idola nihil esse, res tamen nihili imò execrandas, in regno suo, vt vxoribus placeret & satisfaceret, quas potius castigasset, erexit. Interim dubium non est quin templo domini, more consueto, sacra secundũ legem Dei peregerit, retinens hactenus auitam suam religionem. Ac omnino ita propemodùm res suas hactenus causa instituisse videtur Solomon, vt solent hodie non pauci euangelici, cum ipsi profiteantur veritatem euangelicam, audiant eius prædicationem sinceram, & sacramentis iuxta doctrinã apostolicã legitimè vtantur, nihilominus

tamen, Antichristi dogmata & ritus propagant atq; tuentur, idq; in hominum gratiam, quibus omnino gratificari satagunt. At displicent hæc studia Deo, vt quam maximè. Proinde cum antea templum extrueret, vnam religionem eam que veram coleret, colendamq; omnibus proponeret, adhortans omnes vt integro corde Deo adhærerent, nihil illo iuuene rege erat pulchrius & sanctius, nunc verò dum horum velut oblitus, phana erigit atq; idola, nihil est hoc sene rege deformius fœdiusq;.

Itaq; sequuta est execrandam illam idololatriam, abominanda pulcherrimi regni fœditas, laceratio inquã deturpatioq; turpissima. Admisso crimini probè respondebat supplicij. Dissa enim & coinquinata in religione corda, debuit cõsequi diuisio & defœdatio regni turpissima. Proinde excitauit Deus graues Solomoni & Israelitis hostes, principio Hadadum quendã, qui postea obtinuit Aram, deinde Razon filium Eliada, qui postea Damascum occupauit. Hi reges consequentibus temporibus grauissimè afflixerunt regnum, cùm Israeliorum tum Iudæorum. His Solomonis aduersarijs accessit tertius planè hostis capitalis Ieroboam Ephrateus, qui veluti ex sinu Solomonis enatus videbatur. Etenim dum ædificaret Solomon, Ieroboamus ille fuit ἐργοδιώκτης, postea altius euectus, quæstor factus est potentissimarum tribuum Ephraim & Manasse, à morte verò Solomonis rex fit x. tribuum Israelis. Commemorantur hæc in historia sacra lib. Reg. 1. cap. 11. Et quidẽ euenit illo tempore Israelitis, quod ante sæcula aliquot obuenit Christianis, subinde magis magisq; in varias hæreses defcientibus, demum & in Papismum degenerantibus. Ab eo enim tempore paulatim succrescere cœpit Saracenorum primùm, deinde Turcarum potentia, quæ demum in immensum aucta, meliorem ecclesiæ partem oppressit, & residuæ in diem excidium minatur. Deus misereatur nostri.

Dissipatio regni sequuta dissipatum cor.

Ieroboam ex sinu Solomonis prodijt.

Cæterùm viuente Solomone regnum eius cohæsit, mortuo autem ipso dilapsum est. At mortuus est anno regni sui 40. Ætatis annus in scripturis non exprimitur. Iosephus videtur esse nimius in numeris annorum computandis. Incidit mors eius in annum mundi 2965. Sepultus est Hierosolymis, ad bustum patris regis Dauidis.

Solomon moritur.

DIVISIO REGNI ISRAELITICI, ET MVTATIO RELIGIONIS.

PRiusquã pergã in pertexendo compendio temporũ & rerũ, adijciã aliquid ijs quæ hactenus dixi in rebus Solomonis, de regno Israelis diuiso, & de religione falsa in regnum Israelis inuecta pro vera. Certum est Deum constituere coniungereq; & rursus diuidere, dissipareq; imperia. Ergo qui regnum Israelis ex gratia sua constituit firmissimeq; compegit & ad summam prouexit dignitatem, idem iusto suo iudicio, pulchrè compactum totoq; orbe celebratum, rursus discidit atque ignominia fœda prorsus adobruit. Rationem huius sui facti, pro bonitate sua, reddit Deus per Ahiam Silonitam prophetam præclarissimũ. Nam hunc misit Deus ad Ieroboamũ, cum huiusmodi mandatis, Scindet Deus regnum Israelis, tibiq; dabit decem partes (decem inquam tribus) reliquas relinquet posteris Dauidis. Ideò verò regnum discindet, quia adorauerunt Deos alienos, nec ambulauerunt in vijs Domini. Solomonis autem filio dabit vnam tribum, ne extinguatur lucerna Dauidi, in Hierusalem, ciuitate, quam elegit. Claret hinc rursus quàm probetur fides syncera domino, & quàm is abominetur idola nostráque adinuentiones, quibus neglecto Dei verbo, homines insistunt. Et quidem idem hic Ahias requisiuit, Dei nomine, à Ieroboamo, in hac

Deus diuisit regnum Israelis propter idololatriam.

Nota.

eadem sua legatione, synceritatem fidei & integritatem, tradita, per verbum Dei scriptũ, religione, ne quid à viis Dei declinaret, sed his studiosè & religiosè insisteret, additis simul promissionibus amplissimis.

Ieroboamus creatur rex & scinditur regnum Israelis.

At Ieroboamus profugit post hæc in Ægyptum, quòd Solomoni esset suspectus, ipsumq; ad necem quæreret. Cæterùm vbi Solomonem fato functum audiuisset, repentè ex Ægypto redit in tribum suam Ephraim. Ex qua paucis post diebus exactis, protractum, Decem tribus, in comitijs frequentibus creârunt regem, idq; per hanc occasionem. Dum regnaret Solomon, impensas sic distribuerat, vt ab initio viderentur tolerabiles, quæ tamen postea, & sub finem regni eius, auctis tot tantisq; expensis in phana extruenda & idololatriam augendam ornandamq;, factæ fuerant intolerabiles. Eas itaque Solomone mortuo, à filio Solomonis Roboamo, sibi postularunt imminui, deq; importabili onere aliquid saltem detrahi. Qua re iuxta carnis humanæ ingenium, potius ad rem suam conficiendam, quàm ad asserendam Dei gloriam, veræq; religionis synceritatem, animos suos prophanos & auaros intenderunt. Cur enim non postularunt excindi excelsa, & tolli sumptus in idololatriam profusos? Hinc ergo claret corruptissimum fuisse isto sæculo populum quoq; Israeliticum, minimeque esse mirandum, quòd de repentè ex summa felicitate corruunt in miseriam extremam. Roboamus certè spreto pertinaciter seniorum, & iuniorum consilio approbato, non modò nihil de impensis detrahit, quin etiam asperrimo responso vniuersæ plebis fauorem à se auertit. Ergò protinus Roboamo renunciant decem tribus, & imperium vt iam diximus, conferunt in Ieroboamum. In vna duntaxat tribus Iuda cum Beniamitica in fide domus Dauidis perstitit. Tristissimum sanè & infelicissimum est hoc spectaculum, præsertim quòd ex hoc schismate ingentia innumeraq; mala sunt consequuta. Neq; vnquam postea ad domum Dauidis rediere decem tribus. Durauit enim pernicioſum & pertinax hoc schisma ad excidium vsq; Samariç, & ad Assyriacã decem tribuum captiuitatem.

Ex vno Israelis regno diuiso, duo constituuntur regna.

Constituuntur ergo nunc ex vno Israelis regno duo diuisa regna, & mutuis odijs, intestinisq; bellis mutuum sese affligentia, alterum quidem Israelis regnum cupatur, decem quoq; tribuum, Iosephi item, & Ephraim: quod sedem regni per initia habuit in Sichem, quam extruxit ornauitq; Ieroboam, postea verò temporibus Amri, in Samaria: alterum verò appellatur regnum Iuda, & regnum Dauidis, cuius sedes fuit Zion in Hierusalem. Regnum Israelis sequutum est falsam à Ieroboamo conflatam religionem vel superstitionem pontificiam, quanquam in medio regni huius etiam habuerit suam, vt mox dicetur, ecclesiam Dominus. Regnum verò Iuda retinuit verum Dei cultum cum templo, quanquam quidam reges, vt suo quoq; dicetur loco, veram religionem intermiserint & neglexerint & cõtaminauerint turpiter. In vtroq; regno imperitarunt reges potentissimi, cæterùm nulli accesserunt ad maiestatem Dauidis ac Solomonis, sed multò inferiore in loco subsiderunt. Id quod tribuendum est maximè impio cero veræ religionis studio. Subinde enim res ad deteriora sunt prolapsæ.

Ieroboam nephario schisma tec X. tribus abstraxit à vero cultu & à tribu Iuda.

Dixi de ἀριστοκρατίᾳ Israelis politica vel ciuili, dicam nonnihil & de defectione à vera religione, & schismate ecclesiastico, falsaq; religione inducta in regno Israelis pro vera. Hæc malorum initia author nouo & primo Israelitarum regis Ieroboamo, cœpta sunt non tam impiè quàm callidè. Cum enim in hæc tempora consilia impelleretur ab ambitione fastuosa & perfida incredulitate, alia tamen honesta & religiosa in speciem, suis prætexebat sacrilegijs. Hactenus enim tribus religiosè obsequentes legi diuinæ statis temporibus conceptisq; pro ritu iusq; pietate, Hierosolymam ascenderunt in templum, ibiq; sua obtulerunt sacrificia

crificia, aliaq; Dei instituta obseruantes, cultum Deo legitimum exhibuerunt. At Ieroboam ab hoc Dei cultu vero, & à templo miserum populum pertraxit in aliam religionem, adeoq; in ipsissimam idololatriam, discindens domum Ioseph à domo Iuda. Prohibuit enim, edicto edito, Israelitis, ne porrò ascenderent in templum Hierosolymitanum. Et cum sciret populum non posse nec velle sine religione viuere, ipsus nouã adinuenit, & stolido populo semper nouarum rerum cupido, tradidit. Corruptissimo autem affectu totum hoc quod fecit, instituit, nullo Dei timore impulsus, neq; studio vel zelo vllo ipsius etiam superstitionis vanæ inflammatus. Metuit enim ne si ad templum ascenderent Israelitæ, animi horum aliquando rursus cum domo Dauidis conglutinarentur: id ne fieret, sed ipse cum posteris suis regnaret, veram Dei religionem abiecit, falsam verò pro sua sibi libidine accõmodans, reflexit, adeoq; nullã reuera religionem curauit, inq; religionibus petulanter ludens nebulo, se suaq; duntaxat quęsiuit. Simul his quoq; palàm declarauit, se promissioni Dei allatæ olim per Ahiam, nihil planè credidisse. Promiserat Deus per Ahiam, se Ieroboamum in regno dato confirmaturũ, si perstaret in vijs Dei & præcepta eius obseruaret. Si his Dei promissis credidisset, nihil nouis illis artibus, nihilque noua religione opus fuisset. Ergo cum Deum hoc efficere posse, quod promisit, nõ credidit, suis artibus sacrilegis, nouaq; in regnum inducta religione, sarcire voluit.

Ieroboam religionem accommodat ad affectus vulgi.

Prætexebat præterea commodiorem multò magisq; populare se inuenisse traditurumq; esse religionem. Etenim ne nimium defatigaretur longinquis & difficilibus peregrinationibus è finibus terræ ad vrbem vsq; Hierosolymorum populus, extruxit ipse phana duo, alterum quidem ad Meridiem in Bethel, locum veterum memoria patrum percelebrem, alterum verò ad Septentrionem in Dan, locum & ipsum ex veteri historia illustrem, vt in his plagis habitantes, facili itinere, ad suum quisq; templum peruenire posset. Extruxit item extruereq; volẽtibus alijs quibusq; permisit excelsa vel sacella passim per vniuersum regnum. Suis verò illis regalibus & cathedralibus templis duobus imposuit aureas Dei imagines, non peregrini alicuius Dei simulachra, sed ipsius Dei Israelis, quem repræsentauit forma vituli: cuius quidem facti sui proferre potuit vetustissimum patrum in deserto exemplum, qui & ipsi vitulum Deo vero erexerunt. Ad sacerdotium verò, non inuidiosè paucos aut vnius alicuius familiæ homines, sed permixtim ex omnibus tribubus, quoslibet leuissimos vtiq; homines & sibi adulantes, prouexit. Sed & ob populi commoditatem meliorem, festum tabernaculorum ex Septembre transtulit in Octobrem. Breuiter omnia Dei instituta violauit, fixit, refixit, peruertit & euertit, & quicquid ei libuit, instituit.

Ieroboam non vult videri in suo instituto peccasse.

Et tamen cum hæc faceret animo hypocritico & scelerato, ac tanto esset fœdatus sacrilegio, nolebat videri his suis abominationibus ne tantillum quidem peccauisse, quinimò volebat prædicari ab omnibus singularis Dei cultor, & fundator nouus religionis optimæ, & vulgo appositissimæ, omnibusq; modis saluberrimæ. Neq; dubiũ est labores in his ipsum suscepisse maximos, & opes immensas in hæc execranda ædificia & in cultus hos abominandos profudisse, eoq; nomine collaudatum esse à multis, multumq; eius authoritati attributum. Exempla eiusdem insaniæ non pauca, nec obscura, proh dolor, ex Christianorum rebus proferre possemus, si prolixè omnia instituissemus tractare. Vident & intelligunt viri sapientes aliàs plus nimium.

Grauiter Ieroboamum peccasse.

Vt vt autem hic Ieroboami cultus placuerit vulgo malè sano, & à posteris per sæcula aliquot fuerit constanter receptus ac vsurpatus, certissimum est tamen Ieroboamum vnà cum omnibus suis sectatoribus ob suum hoc suæ reli-

gionis imò superstitionis idololatriæq; studium multis modis grauissimeq; p
cauisse. Principio enim impiè sibi sumpsit, quod solius Dei est, religionem co
stituere. Deinde contra verbum Dei diuersos adorationis cultusq; locos de
gnauit, cum dominus tam diligenter prohibeat alibi, quã in eo solo loco, que
ipse ostendit, sacrificare. Prohibuit præterea Deus vlla se imagine exprimi vo
tuit item facere & colere imagines, quales quales, aut cuiuscunq; generis fu
siue ipsum met Deum, siue alienos Deos repræsentantes. At Ieroboam Deu
fulligurauit specie putida, vituli videlicet, vt scriptura habet, fœnum comedē
tis. Nepharia fœdaq; erat hæc audacia. Sacrificia quoq; corrupit omnia. Festa
domini prophanauit. Sacerdotes Dei veros à Deo ordinatos crudeliter e
iecit finibus, & alios sibi ex tribubus prophanis delegit, homines quoque
uissimos. Quinimò vendicauit sibi ipsi summum pontificatũ. Et cum tam
rendis modis peccaret contra dominum, videri tamen nihilominus volu
Deum verum vero honorare cultu. Cæterùm scriptura dicit, Hæc omnia
corde suo excogitauit, siue mentitus est. Neq; enim corde syncero & simp
hçc fecit. Ac Deus talis non erat, qualem ipse in suis fingebat imaginationib
neq; eo modo quo ille Deum coluit, Deus se à quoquam coli voluit. Ergo
hic cultus Ieroboamicus, per omnia illa tempora quibus florebat, non Deo
pendebatur, sed sicut apertè legitur 2. Paral. cap. 11. diabolo. Et scriptura, qu
omnibus in primis obseruandum esse moneo, vigesies & amplius, in histo
Regum Israelis sententiam hanc repetit, atq; inculcat, Peccauit Ieroboam
peccare fecit Israelem. Alibi adijcitur, Et irritatione sua irritauit dominum.
iterum, Ieroboam peccauit & peccare fecit Israelem, vt ad iracundiam excit
rent dominum Deum Israelis in VANITATIBVS SVIS. Rursus
lib. Reg. cap. 17. legitur, in hæc verba, Fastidiuit Dominus vniuersum semen
Israelis, & afflixit eos, donec projiceret eos à facie sua. Nam laceratus est Isra
à domo Dauidis, & constituerunt sibi regem Ieroboam, qui abstraxit Israelem
ne sequeretur dominum. ET FECIT EOS PECCARE PECCA
TVM GRANDE. Interim tanta fuit huius mali pertinax proteruia, v
quamuis grauissimè accusarẽtur ab omnibus prophetis, in Israele & Iuda p
phetantibus, omnibus illis sæculis, quæ intercesserunt inter ætatem Ieroboa
& vltimum Samariæ excidium, in viam tamen errantes nunquam reduci p
tuerint.

Religio Ieroboami erroris & impietatis conuincitur.

Commodùm hic recensendum venit, quod in primis ad hanc tractationem
pertinere videtur. Cum enim per initia mali huius, nemo se sacrilegis regib
dacissimi ausis opponeret, misit Deus, ex mera sua bonitate, prophetam qu
dam ex tribu Iuda, cuius nomen à scriptura nõ exprimitur, à Tertulliano ve
in lib. de Ieiunijs, Sameas appellatur. Hic deprehendit regem in Bethel p
num illud suum iam initiantem, maxima cum stolidi populi, sibi assistentis, a
miratione. Stabat ipse tunc rex ad aram fungebaturq; munere pontificis. P
pheta ergo in hac confertissima turba, exclamans, dixit, Altare, altare. Sic di
dominus, Ecce filius nascetur domui Dauidis, Iosias nomine, qui super te sac
ficabit sacerdotes excelsorũ, &c. Simul atq; hæc dixisset, portento quodam m
dia discinditur ara, & effunditur in terram cinis, & ea quæ aræ fuerant impo
ta. Rex ad hæc occæcatus & ira succensus, protenso brachio, iubet capi vin
que prophetam. Sed obriguit illi protinus portento quodam horrendo & n
uo brachium: vt vel hinc omnes colligerent, Deo aduersam esse religionem a
roboamo institutã, cui brachium omneq; eius robur & opus infringat & p
rò confracturus sit dominus, ideoq; ab omnibus abominandam, execrandam
atq; fugiendam. Rex obstupefactus, prophetam obsecrat, vt oret dominũ p
fil

ſalute ſua & brachij ſui reſtitutione: quam cum precibus propheta impetraſſet, inuitatur à rege ad epulas offeruntuŕq; ei ampliſſima munera. Propheta autem quòd dominus ipſi diſertè præcepiſſet, ne quid cibi ſumeret in itinere, liberalitatem idololatræ regis omnem prorſus reſpuit, viaq; qua venerat, rediit. In itinere tamen ab alio quodam propheta interceptus & ab eo perſuaſus imò ſeductus, contra præceptum domini, conuiuam ſe illi præbuit. Quod copioſius exponitur 1. lib. Reg. cap. 13. Statim ergo vt à menſa ſurrexit, & aſino vectus domum redire voluit, interceptus eſt in medio itinere, à leone, qui cum prophetam hunc aſino detractum interfeciſſet, aſino ponè ſtanti nihil nocuit, & ipſum occiſum prophetam non lacerauit, ſed medius inter prophetæ cadauer & aſinum viuum conſtitit, ibiq; viſus eſt à tranſeuntibus per eam viam cõpluribus, nimirum vt hinc omnes colligerent opus hoc admirandum, non eſſe fortunæ, aut caſus, ſed diuinæ prouidentiæ atq; iudicij, Deo hoc modo volẽte vlciſci prophetæ inobedientiam, omnesq; admonere homines, ne in religionis cauſa, contra expreſſum Dei verbum, quiſquam quicquã tribuat ſuo arbitrio, ſuæ ſapientiæ, bonæ ſuæ aut aliorum intentioni, vel etiam veterũ traditioni, hominúmue authoritati, obteſtationi, eruditioni, exemplo, ſanctimoniæ, vel potentiæ: ſed repudiatis his pariter ſimpliciterq; omnibus, ſimplici verbo Dei obediant ſimpliciter omnes.

Propheta qui redarguerat Ieroboamum occiditur à leone

Memorabiles hæ hiſtoriæ quæ ſibi inuicem connexæ pulchrè cohærent, omnem populo Iſraelitico excuſationem adimebant. Qua enim fronte religionem ſibi à Ieroboamo traditam defendere potuerunt? An non mox ab initio Deus eis demonſtrauerat, religionem hanc omnibus modis eſſe abominandam atque execrandam? An enim aram diſciſſam exiſtimandum eſt ſine cauſa corruiſſe? An fruſtra obriguit regi brachiũ, qui huius ſacri & inuentor erat & pontifex? An fruſtra adiectam putabimus grauiſſimam Dei comminationem, & oraculum de Ioſia? An denique ſine graui cauſa, interfectum credimus prophetam illum, qui longè leuius Ieroboamo peccarat? Quid obſecro Ieroboam, quid ſequentes Ieroboamum ſibi polliceri potuerunt, qui viderunt prophetam ob leuem lapſum vel culpam tam grauiter eſſe punitum? Licet ergo per ſæcula aliquot floruerit religio Ieroboamica, licet multi reges, qui & felicitate & potentia illuſtres fuerunt, illam fouerint atque prouexerint, nihilominus ea eſt falſa, vana, & Deo omnibusq; ſanctis eius abominanda: neque vllo ſeſe prætextu excuſare poſſunt, quotquot ea ſe Deo probare voluerunt. Manet autem ſemper vera illa ſola religio, quæ teſtimonium habet ſcripturæ diuinæ, &c. Atque vtinam hæc diligenter apud ſe pij expendant, & ex his diſcant rectè iudicare de ſchiſmate quod in eccleſia à pontifice Romano, vltimis his temporibus excitatum eſt, matureq; redire in viam, & mordicus retinere illam religionem, quam à Chriſto accepimus, per ſanctos eius apoſtolos ſimplicem & puriſſimam.

Iſraelitæ inexcuſabiles in religione Ieroboamica viuẽtes.

Hæc dixi hactenus de memorabili illa ἀποσασίᾳ eccleſiaſtica & de noxio ſchiſmate eccleſiæ Dei, & inducta falſa religione pro vera à Ieroboamo rege, qui tamen religionem veram, penitus euertere non valuit. Nam perſtitit ſyncera in tribu Iuda, licet aliquoties ab ipſis quoque Iudæ regibus obfuſcaretur. Subiungam his breuem conſignationem rerum Regum Iſraeliticorũ, deinde redibo rurſus ad expoſitionem temporũ & rerum Regum Iuda. Placuit enim ita ſecernere inter ſe res alioqui cohærentes, ne dum eas commiſcerem, pariter animos lectorum intricarem, aut diſtraherem.

I.

Ieroboam primus rex Israelis.

IEROBOAM primus in scisso à tribu Iuda Israelitico regno rex, vocatus ex Ægyto, quo profugerat, electus est à populo x. tribuum, defectionem a Roboamo moliente, euectusq; est ex infimo gradu in summũ imperij culmen, vnde propter impietatem exactis in regno annis viginti duobus, à Deo horribiliter est deturbatus, à quo fuerat euectus. Deleta enim vniuersa eius posteritate, nihil post se reliquit, nisi sui memoriam sempiterna ignominia cõmaculatam, vtpote qui toties in historia sacra appellatur & sceleratus & vniuersi Israelis seductor. Alioqui infelicissimum fuit vniuersum eius dominium. Bella perpetua gessisse dicitur cum Roboamo. Et clades ipsi illata ab Abia rege, Roboami filio, planè memorabilis est, ac dubito an vllus regũ huiusmodi cladem vnquam in orbe sit perpessus. Scriptura enim testatur & ait, Et tradidit Deus Israelitas in manũ Iuda, Israelitas cædebant cæde magna, & ceciderunt vulnerati ex Israele virorum electorum quingenta millia. Legatur memorabilis hęc historia in 2. lib. Paralip. 13. cap. Et apparebit quàm nihil habeant idololatræ, quod cõtra veram religionem suis victorijs glorientur.

Ieroboam cladem accepit exẽplo carentẽ

Iudicium Dei horrendum cõtra Ieroboamũ

Exitus quoque huius regis admodùm fuit funestus. Etenim per eundem Ahiam Silonitam multo iam confectum senio, per quem ante 20. annos Ieroboam regnum obtulerat, nunc etiam horrendum, sed iustum suum iudicium annunciat Deus. Ac prodest plurimum ipsamet Dei verba audire, Quando euexi te, inquit, è medio populi, & tradidi tibi regnum, quod scidi à domo Dauid, & tu verò non fuisti sicut Dauid seruus meus, qui ambulauit post me toto corde suo

Nota.

VT FACERET DVNTAXAT QVOD RECTVM est in oculis meis, tu verò malum fecisti, quo superasti omnes, qui fuerunt ante te (nam fecisti tibi Deos fusiles, & proiecisti me post tergum tuum) ideò affligam domum Ieroboam, & excindam omnem eius posteritatem, deuorabuntq; canes in vrbe tuos mortuos, in agro verò cęsos lacerabunt aues. Nihil potuisset Regi durum horrendum ac intolerandum magis annunciari, quippe qui vniuerso regni sui tempore omnia sua consilia & facta huc conuerterat, vt regnum sibi & posteris suis retineret, ideò enim & religionem mutauit: nunc verò audit dispendia omnia sua ac omnes suos delendos, regnoq; se spoliatum iri. Vnde et autem sæpe huiusmodi iudiciorum Dei contra idololatras, & eos qui relicto verbo Dei scripto, deflectunt ad traditiones propriasq; adinuentiones suas, admiserunt. Licet enim idololatriam Deus non protinus euertat, authores tamen eius & in præsenti quidem primum idololatriæ authorem in Israele, ita tradit, vt omnes cogantur agnoscere illam Deo abominandam esse. Moritur Ieroboam anno mundi 2987. nec morte vulgari. Scriptura enim, Percussitq; eum Dominus, ait, & mortuus est, &c.

II.

Nadab regnauit duobus annis.

NADAB secundus rex Israelitarum successit patri, nõ tam in regno, quam in impietate paterna. Non ignorabat ille iudicium Dei horrẽdum à propheta contra patrem pronunciatum, nihilominus tamen perstat in tradita sibi superstitione patria. Ergo pauco duntaxat tempore regnauit. Nam quod scriptura tribuit ei duos annos, non ex integro hi in supputationem veniunt, sed includuntur in vltimo patris & primo successoris Baasæ annis. Ergo duos, id est, duobus regum illorum annis dicitur regnasse. Quod nullo negotio ex annis regum consignatis in historia, & diligenter inter se collatis, intelligitur.

Gessit aut prosequutus est potius bellum Nadab contra Palestinos, iam rum rebellare, propter peccata Israelitarum, incipientes, dumq; obsideret Ge-

bethon

bethon,, Baasa vir in exercitu primarius, è tribu Isaschar, conspirauit contra regem, ac in castris confecit ipsum. Addit his scriptura, quod maximè mihi repetendum inculcandumq; videtur, Cumq; regnaret Baasa, percussit vniuersam domum Ieroboam, & non dimisit, ne vnam quidem animam, de semine eius, nec desijt priusquã omnes exciderit, iuxta verbũ Dei, quod loquutus fuerat per Ahiam Silonitam. Tam videlicet vera certa indubitataq; sunt omnia Dei verba, & hoc est illud condignum præmium, quod verax & iustus Deus rependit legis suæ desertoribus, & nouarum religionum inuentoribus. Obseruent hoc diligenter, qui tantopere prædicant nouorum ordinum inuentores & monachorum cultuumq; variorum patres.

Baasa occidit Nadabum regẽ

BAASA tertius rex Israelitarum cæso Nadabo, regnum arripuit, sed & obstipo collo religione vera contempta, tradita per legem Dei scriptam, superstitionem à Ieroboamo acceptam coluit colendamq; ab Israele curauit. Regiam, quam & Ieroboam ceperat incolere, Tirzah, in tribu Manasse, ad confinia Isachar, sitam, constituit ac inhabitauit, & bellum cum Asa rege Iuda perpetuum gessit. Illum vt includeret, Ramah extruere munireq; cœpit. At Asa allecto precibus & precio Benhadado rege Syrorum in societatem, conatum Baasę fregit. Syrus enim missis ducibus suis militaribus, captisq; & direptis aliquot ciuitatibus in Israele, Baasam cohercuit, & à cœpto opere desistere compulit. Regnauit Baasa annis 24. infeliciter tamen satis, quòd Deum propter corruptum cultum parum haberet propitium. Tandem verò ad hunc quoq; regem missus est propheta quidam percelebris Iehu, qui resistẽs illi in faciem, palàm Ieroboami cam religionem damnauit, & horrendum ipsũ regi iudicium Dei annunciauit. Præstat rursus ipsa Dei audire verba, Quia exaltaui te, inquit, de cœno, & posui te principem super popum meum Israel, tu autem ambulasti in via Ieroboam & fecisti peccare populum Israel, en ego excindam posteros tuos, & ponam domum tuam, sicut domum Ieroboam. Vide obsecro quid rependat ineptis imitatoribus superstitionum dominus. Nihil hos iuuat, quod aliorum sequuti sunt exempla & traditiones, &c. Mortuus est autem infelix Baasa, & reliquit post se in regno calamitosissimum filium Ela.

III.

Baasa incolit Tirzah.

Fatum Baasæ.

Iehu ad Baasa.

ELA quartus rex Israelitarum dicitur regnasse annis duobus. Cæterùm anni hi duo sic sunt supputandi, sicut Nadabi filij Ieroboami. Nam paucos alio qui dies regnauit. Quia enim Ela paternæ impietatis hæres esse voluit, cum & ipse, sicuti & Nadab, non ignoraret, quàm tremendum Dei iudicium patri suo esset, per prophetam, denuciatũ, indignus planè erat qui diu regnaret, dignior multò qui instar Nadabi periret. Itaq; coniurat contra ipsum Zimri seruus regis, dominumq; suum regem Ela, in conuiuio immoderatius se vino ingurgitãtem vinoq; iam sepultum, obtruncat, in regia Tirzah.

IIII.

Interficitur Ela in conuiuio ebrius.

ZIMRI quintus rex Israelitarum diebus duntaxat 7. regis nomen & regiam Tirzah obtinuit, nec quicquã memoratu dignum fecit, nisi quod excindendo domum Baasa, compleuit verbum Dei. Sic enim habet scriptura, Et factum est cum sederet Zimri in solio regni, vt deleret vniuersam domum Baasa, iuxta verbum domini quod loquutus fuerat per Iehu prophetam: propter vniuersa scilicet peccata Baasa & Ela, que peccauerant, & peccare Israelem fecerant. Reliqua Zimri sequuntur iam in vita Amri.

V.

Zimri cõburit semetipsum vnà cum regia.

AMRI sextus rex Israelitarum ab exercitu Israelitico, rursus obsidente Gibbethon Palestinorum, creatus est rex in castris. Audiens enim populus obtruncatum esse Elam à Zimri, & regiam occupatam, cõmunibus suffragijs Amri regem constituit. Erat is eo tempore summus exercitus imperator. Protinus itaq; factus rex, exercitum ad recuperandam Tirzah, ducit, & vrbẽ capit, mox

VI.

Amri opprimit Zimri.

& arci imminet. Zimri vero qui regiã tenebat, desperans de salute sua, &
rum, regiam incendit, & in eo quoq; incendio se perdit. Addit verbum De
mortuus est Zimri, propter peccata sua quæ peccauit, ambulando in via Ie
boam Sextùm nunc repetitum est, imò ad cuiusq; regis Israelitici miserum
tum adijcitur ac inculcatur, peccasse & Ieroboamum & eos omnes qui ipsum
sunt sequuti, nimirum ne quis religionem à rege magnifico inuentam &
tam, & communi omnium consensu receptam, & tanto cum studio hacten
obseruatam, suspicaretur Deo non displicere, quippe qui ipsam non exci
ret funditus.

Ciuile bellum inter Amri & Thibni.

Quando verò Amri electus erat à militibus in castris, non probabatur
electio omnibus Israelitis. Atque hi constituerunt sibi regem THIBNI
dam. Quam ob rem discissus est populus Israeliticus, nouo infelicíq; schi
dum pars populi sequeretur Amri, pars verò Thibni. Exortum est hinc
intestinum & ciuile bellum, dum integro quinquennio, reges illi mutuum
oppugnant. Verùm merebatur rescissus à Deo suo populus, maxima cum
pernicie à semetipso lacerari. Vicit tandem Amri, & vniuersum sibi Israel
subdidit.

Samaria ab Amri extruitur.

Septimo anno regni sui, Amri Samariam extruxit, quòd Tirzah regni
gia per Zimri flammis redacta essent in cineres. Et scriptura Amri, inquit, em
montem Schomron, à quodam Schæmer, extructáq; vrbe in monte, nunc
uit nomen eius, iuxta appellationem Schæmer, cuius fuerat mons Schom
A Samaria regia hac vrbe & sede regum Israeliticorum, regnum Israelis voc
tum est Samariæ regnũ. Regnauit Amri in Samaria annis sex, & sex annis
cum Thibni, hoc est in vniuersum annis 12.

Regnum Samariæ.

Amri deterior regibus præcedentibus.

Nec tacet historia sacra hunc quoq; regem inhæsisse vestigijs Ieroboa
adeoq; omnibus ipsum antecedentibus regibus fuisse deteriorẽ: nimirum
post tot tantasq; admonitiones, cruentasq; clades illatas propter peccatum
seductionem Ieroboami, nondum saperet, neq; domino Deo populum su
duceret, à Ieroboamo miserè abductũ. Moritur anno regni 12. mũdi verò

VII.

ACHAB septimus rex Israelitarum parenti suo Amri successit. Ach
huius vitam diligentissimè & copiosissimè descripsit author 1. libri Reg.
cap. vsq; in finem libri. Nos summa tantum attingimus, sequimurq; vestig
rum. Perstitit hic quoq; in vijs Ieroboam pertinacissimè. Præterea duxit
rem fœminam gentilem Zidoniam, regis Zidoniorum Eth-baalis, filiam
belam vel Isabelam, quæ veniens in regnum Israelis, vnà secum quoq; inu
suum Deum Baal & eius cultum nouũ. Extruxit enim Achab in illius gra
phanum Baali in Samaria vrbe regia, posuit ei idola, aram quoq; & omnia
ad abominandum eius cultum videbantur pertinere, disposuit. Qua re impe
tem suam conduplicauit. Antea enim cultũ Ieroboami receperat execran
nunc adiungit ei Baalis cultum, longè execrabiliorem. Displicuit ea res
hementer domino, vt magis non potuerit. Floruerat iam imò fœtuerat
Ieroboamica traditio impia, annos circiter 60. nunc de nouo adiungitur
litica abominatio.

Achab ducta in vxorem Iesabele cultum Baalis inducit in regnum Israelis.

Achabi regno mittuntur prophetæ præstantissimi.

Quanquã verò hactenus nihil in Israele neglexisset Dominus, sed frequ
tes misisset legatos suos prophetas, qui populũ reuocarent à via Ieroboami
in viam legis Domini, videtur tamen hoc maximè corruptissimo tempore
immensa sua misericordia, semetipsum in submittendis superioribus præ
ribus prophetis superare. Nunc enim Heliam Deus & Heliseum longè
lentissimos & omnium præstantissimos prophetas Israelio regno mittit.
rum ille supra 25. annos, hic verò circiter 75. annos concionatus videtur,
mis

miniſterium horum ſe extendat ſupra annos 80. Inſtituerunt hi quoq; prudentiſsimè, & ex imperio Dei, ſcholas in Iſraele, quorum diſcipuli, filij appellabantur prophetarum, ſicuti antea quoq; dictum eſt. Diſsipauerat ſcholas, ac ſynagogas impius & barbarus Ieroboam, & ſtudioſos ſacrarum literarum & bonarum artium, omnesq; Leuitas, & Dei miniſtros, regno pellens, eiecerat. Pauperes itaq; hæ ſcholæ erant, ſed frequentes & feruentes ſatis. Ex ſcholis his prodierunt qui religionem veram docuerunt in Iſraele. Ac prophetæ hi duo ſingularem earum curam gerebant. Horum ergo duorum prophetarum ſtudio, zeloq; & diligentia compluribus conſulebatur pijs pectoribus in Iſraele. Nam prædicabatur diſertè verbum Domini, contra Ieroboamicas & Baaliticas abominationes. Vnde dubium non eſt, quin perturbatiſsimis illis Achabi aliorumq; regum idololatrarum temporibus copioſa & ſancta fuerit Deo eccleſia in Iſraele, licet cultus Ieroboamicus & Baaliticus publico conſenſu, & regia authoritate præualuiſſet. Teſtabatur ipſemet, apud Heliam, dominus, ſupereſſe ſibi adhuc ſeptem millia virorum, qui non inflexerint genua ſua Baali. Sicuti dubium nõ eſt Chriſtum hodie quoq; electam habere eccleſiam in ipſa etiam Babylone, in regno inquam antichriſti, & in imperio Turcæ medio. Claret ex hac quoq; hiſtoria, veram religionem ad tempus premi quidem poſſe, ſed non poſſe opprimi. Dominus enim heroas fideles & cordatos tum maximè excitans mittit, cum religio vera maximè videtur eſſe extincta. Ergo paucis nunc plurima comprehendentem Heliæ magni prophetæ hiſtoriã, proſequemur, ſimul complectentes etiam potiores res regis Achabi.

Eccleſia fuit Deo in Iſraele in media impietate.

HELIAE maiores, vt & Melchizedechi, non commemorantur in ſcripturis, duntaxat dicitur fuiſſe Tesbites ex habitatoribus Galaad. Ergo ſuperuacaneum mihi videtur, multis contendere, illum fuiſſe Leuitam, aut neſcio quem. Marè enim hic variant interpretes ſacri. Si Gaaladites fuit, certè Manaſſeus fuit. Sed vtut & hoc ſit, ſatis eſt nos certò ſcire Heliam fuiſſe omnium præſtantiſsimum prophetam, vtpote cui confertur præcurſor Meſsiæ Ioannes, quo maior non fuit inter eos, qui naſcuntur ex mulieribus, & qui vnà cum Moſe in monte ſancto coram diſcipulis domini apud Chriſtum ſeruatorem in clarificatione ſeu transfiguratione iſta domini illuſtriſsima apparuit. Concionatus eſt hic Achabo & Iſraeli magna cum authoritate, grauiter eos reprehendẽs, quòd & veram religionem abieciſſent, falſam recepiſſent, inſuper & Baalis impium cultum ſuperinduxiſſent. Quo nomine illis, ex minis diuinæ legis, minatus eſt & ſiccitatem famemq; maximam. Quæ etiam impœnitentes afflixit toto triennio & aliquot menſibus. Ea res ita exaſperauit impium regem Achabum, vt ex quiſita diligentia prophetam quæſierit ad necem, propoſito etiam iſs præmio, qui ipſum occidiſſent. Ita enim ſolent omnes impij, non recurrere in diſcriminibus ſuis ad Deum, eiq; ſe ſeria reconciliare pœnitentia, & ita malum à ſe auertere: ſed arma corripiunt & recta monentes crudeliter perſequuntur. Helias verò furorem regis declinans, aliquandiu latitat in torrente Chrith, vbi alitur, Deo ſic diſponente, à coruis, edacibus alioqui & rapaciſsimis auibus: plus tamen hi prophetæ Dei humanitatis præſtant, quàm populus, qui nomine Dei gloriabatur. Ex torrente confert ſe ad viduam quandam Sareptanam, à qua, licet ethnica muliere, benignè excipitur, & diuino alitur miraculo. Cuius etiam filium excitat ex mortuis: vt vniuerſi hinc colligamus, ingentia præmia omnibus illis eſſe propoſita, qui prophetas Dei benignè excipiunt, & libenter iuuant.

Hiſtoriæ Heliæ epitome.

Fames tempore Heliæ.

Helias in torrente.

Helias apud viduam.

Porrò cum ob famem diuturnam maxima eſſet in Iſraele calamitas, Deus iterum conſulere volens inopiæ & miſeriæ hominum, omnium miſerrimæ, Heliam miſit ad regem. Excepit hic prophetã verbis arrogantiſsimis aſperrimisq;

Heliæ certamẽ in monte Carmelo cum ſacrificis idolorum.

compellans ipsum conturbatorem regni. At retorsit hoc fœdũ crimen in ipsum regem, & maiores eius, qui mutantes religionem, & colentes Baalẽ, semetipsos & vniuersum regnum conturbarint, omniumq; malorum authores sint. Simul postulauit sisti omnes ministros prophanorum sacrorum, adde & vniuersum populum conuocari in publicum aliquem locum. Coijt ergo concio populi monte Carmelo frequentissima, apud quam Helias concionabatur, grauiter accusans, quòd vnà cum Deo vero, fictum Deum Baal colere cœpissent, ostendens item Deum nolle nec posse vllum ferre consortem, vt enim solus sit Deus verus, ita solum velle se duntaxat adorari, inuocari & coli. Quousque, inquit, claudicatis in duas partes? Si dominus est Deus, sequimini illum, sin Baal, post ipsum. Deinde prouocauit in certamen sacerdotes Baal 450. & prophetas lucorum 400. qui edebant de mensa Iesabelis. His huiusmodi proponebat conditionem, bouem deligerent sibi, se quoq; bouem accepturum, & paratum arę impositurum: itaq; suum suæ arę imponant & illi, supplicent deinde Baali suo, se quoq; Deum suum inuocaturum, qui verò cœlitus igne demisso incenderet, absumpseritq; hostiam, eum solum habendum pro vero Deo, alterum verò repudiandum. Placuit sacrificis conditio. Incipiunt ergo priores Baalitæ, & supplicant, suo more, suo Baali, idq; vsq; ad meridiem: sed frustra. Vnde salsẽ pœstringuntur ab Helia, qui & scitissimè eis illudit. Tandem ipse inuocato vero Deo Israelis, protinus exauditus, decidensq; cœlitus ignis, non modò hostiam sed ligna quoq; lapidesq; aræ, adeoq; ipsam aquam, magna affusam copia, lambens, absumpsit.

Confitetur populus Deum verum, solumesse Deum.

Quo stupendo sanè miraculo vniuersus Israelis populus, erroris sui turpissimi conuictus, vehementissimeq; commotus, procidit coram Domino in terram, & clara confessione fassus est, Deum Israelis, solum esse Deum verum. Describitur insignis hæc historia copiosè in 1. lib. Regum cap. 18. Est autem testimonium omnibus sæculis ætatibusq; irrefragabile, solam nostram religionem quam per prophetas, à Christo & per apostolos accepimus, & scripturis sanctis comprehensam habemus, vnam & solam esse veram religionem, reliquas omnes esse vanas & falsas. Nihil opus erit nobis post tam celebrem Heliæ victoriam, nouis disputationibus, miraculis, aut reuelationibus. Dominus ipse est Deus, qui solus vult coli, & ita, vt nolit quenquam sibi coniungi.

Sacrifici idolorum interficiuntur.

Cum verò satis iam constaret, Baalitas & sacrificos excelsorum, nõ tantùm victos redargutos & damnatos esse cœlitus à Deo, sed & palàm deprehensos in crimine nephario idololatriæ, & seductionis impostuiæq; sceleratissimæ, auxilio plebis veritatem agnoscentis, Helias pertractos vnà omnes in torrentem Kison, omnes ibi, iuxta legẽ Dei Deut. 13. conscindit, vt ex 850. nullus planè columis euaserit. Sequuta est hoc sacrificium Dei gratissimum, pluuia ingens & cœlum placidissimum.

Helias fugit Iesabelem.

At Iesabel his auditis, Heliæ mortem certissimam, quæ alioquin ingentem rorum Dei prophetarum turbam crudeliter interfecerat, comminatur. Ad quem Helias, propheta Dei fulmineus ille, & tantus, vehementer perculsus, humanæ infirmitatis factus est exemplum. Miserè enim bestiam illam metuit, & trepidè celerrimeq; aufugit. In fuga mori optat, vitę huius fastidio affectus, nonnulla alia, tanto prophera indigna, admittit. Fuga autẽ elapsus, peruenit ad montem vsq; Dei Horeb, ibiq; in quandam se abiecit abdiditq; speluncam. Ex qua rursus extractum Deus, acriter increpat, quòd propheta ad docendum in publico pugnandumq; fortiter cum idololatris, vocatus, lateret timidus in deserto, nec ociaretur segnis in spelũca. Quid tibi hic, inquit dominus, Helia? Optimè vero instructum confirmatumq; remittit rursus in terram Israelis, officio restituens

insuper ipsi mandans, vt duos reges Hasaelem Syriæ, & Iehu Israelis, vngat, Heliseum denique sibi successorem substituat, & prophetico muneri consecret. Simul prædixit illi horum opera fide & diligentia, vindicandum effusum prophetarum sanguinem, eliminandumq; cultum Baalis, & excindendam sanguinariam Achabi domum, atq; ita certissimè veritatem religionis veræ asserendam. Idquod vel hodie omnes propter pietatem afflictos, consolari debet. Discimus enim hinc, tametsi religionis causa veniat in discrimen summum, nunquam tamen desperandum, sed pergendum alacriter, fortiter, constanter. Habet Deus tempora sua, habet rationes suas certas, quas nos ignoramus, quibus & quãdo se & suam veritatem, & veritatis suæ cultores asserat.

Heliseus vocatur ad ministerium.

Helias paulò post hæc vocat ad verbi ministerium Heliseum, quem in agro inueniebat arantem. Neq; huius prophetæ genus, familiáue aut patria exprimitur in sacris literis, duntaxat dicitur filius fuisse Saphat. Deus enim hæc non facit tanti, quanti nos homines facimus. Fecit ille ex pastoribus reges, ex piscatoribus apostolos, quid ergo mirum si ex rusticis faciat prophetas? Claret hinc certe omnem virtutem, quæ in his se exerit, non esse humanam, sed diuinam. Sequitur autem sponte optimum suum magistrum Heliam, obsequentissimus discipulus Heliseus.

Helias reprehendit Achabũ ob lapidatum Naboth.

Ad res Heliæ illud quoq; pertinet, quod liberè & acriter Achabum regem reprehendit, ob oppressum iniquo iudicio virum innocentissimũ Naboth, circumuentum pessimis reginæ Iezabelis artibus. Describitur historia ea copiosè lib. Reg. 1. cap. 21. Inter alia minabatur Helias reginæ, quòd laceranda ac deuoranda sit aliquando in Iezraele oppido, à canibus: regi verò, quòd ipse vnà cum vniuersa domo sua instar domus Ieroboami & Baasæ sit excindendus, & sanguis eius lambendus in hoc ipso Nabothi agro. Cum tamen horrenda hac concione territus Achab, publicam ageret pœnitentiam, mitigata aut dilata potius est nonnihil horrenda illa Dei sententia.

Helias reprehendit Ioram regem.

Huc pertinet etiam epistola Heliæ scripta ad regem Iuda Ioram filium Iosaphati regis, in qua illum grauiter reprehendit ob impietatem multijugam, ipsiq; horrendum planè Dei iudicium denunciat. Extant hæc in 2. Paralip. lib. cap. vigesimo primo.

Helias reprehendit Ahasiã regem.

Huc quoq; pertinet Responsio data regis Ochosiæ vel Ahasiæ legatis, ad Deum Acaronitarum Beelzebub missis, aspera quidem illa & tristis, qua & impietatem regis liberè redarguit, & mortem certissimam ei prædicit. Quo nuncio valdè offensus rex, emittebat ducem militarem cum cohortis prætoriæ turma, qui captum adduceret Heliam. Cumq; prophanè se gereret dux & petulanter viro Dei illuderet, vnà cum 50. viris quos secum adduxerat, flamma cœlitus demissa, est absumptus. Eodem fato mox alij 50. eiusdẽ sceleris ministri & contemptores verbi Dei, vnà cum duce suo perierunt. Tertio centurioni aut quinquagenario, cum satis reuerenter se erga ministrum Dei senem Heliam gereret, parsum est: cum quo & ad regem iuit, eidemq; præsens hoc inculcat, quod absens per legatos denunciarat. Veritas enim semper sui similis est, nec mutatur propter homines. Describuntur hæc 1. cap. 2. lib. Regum, & commonstrãt quid expectent contemptores ministerij verbi adeoq; irrisores verbi Dei, & ministrorum persequutores.

Helias igneo in curru ascendit in cœlum.

Helias verò cum cursum sibi à Deo præscriptum feliciter absoluisset, & cum regibus ipsis fortiter congressus his nihil adulans pepercisset, ideoq; & pro regum hoste, habitus fuisset, dispositis rebus suis omnibus, igneo curru tanquam triumpho à Deo per nubes sublatus est in cœlum, inspectante hoc ingens miraculum Heliseo, cui pallium suum deiectum è curru discedẽs reliquit. Nullus

propheta alius tanta cum gloria sublatus est in cœlum, nec vlli alij tam celebri decretus est triumphus. Præludebatur hac assumptione in cœlum propheta Christo seruatori ascendenti in cœlum: simulq; omnibus fidelibus ministris ve bi & ecclesiarum ostendebatur æterna eos manere præmia, si Heliam imitantes in fide & doctrina, fideliter & constanter suum in ecclesia exequantur officiū, deniq; posse Deum ministros suos, cum vult, extrahere ex luporum faucibus, quantumuis ferociant & furant.

Bella Achabi cum Syris.

Vt autem redeam ad res Achabi, easq; paucis absoluam, gessit hic grauia bella cum rege Syriæ Benhadado, quorum alia quidem ab ipso illata fortiter a se repulit, alia verò imprudenter isti intulit. Principiò enim maximo cum exercitu, habens sub signis suis, sibi militantes reges 32. terram Israelitarum ingressus, Samariam obsidione graui cinxit Syrus. In ea obsidione insolentissime gessit, & iniquissima ab Achabo rege postulauit. Quocirca fusus atque fugatus est ingens ille Syrorum exercitus ab Achabo. Prædixerat hanc victoriam regi propheta quidam, qui etiam adiecit causam, cur ei impio alioqui concedatur cœlitus victoria tanta, nimirum vt Achab agnosceret, Deum Israelis verum esse Deum. Ob eandem causam restatur scriptura & alteram multò celebriorem, Achabo datã esse victoriam. Euoluto enim anno Syrus, non minus potenquàm antea copijs instructus, funditur & fugatur ab Israelitis. Cæsi sunt in prælio Syrorum centena millia. Corruit item murus quidam, diuina vltione in hostes coniectus, qui obtriuit Syrorum viginti septem millia. Leguntur hæc 3. lib. Reg. cap. 20. Captus est ipse præterea rex Benhadad, quẽ tamen Achab postera clementia incolumem dimisit, quem interim Deus interfectum voluit. Quapropter audit Achab à prophetis, Quoniam dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Non enim minus percant, attestante hoc ipsum etiam Solomone, qui innoxios puniunquàm qui noxios impunitos dimittunt. Irascebatur præterea Deus Achabo, quòd post tantas victorias sibi concessas à Deo, post tot tantaq; beneficia Dei ingratus permaneret, neque agnosceret Dominum, ad benefactorem suum conuersus.

Achab infert bellum Syris.

Ergo non ita multo post tempore grauem facit Achab in Syros expeditionem, Ramoth Galaad recuperaturus. Admonet me hæc expeditio, famosissimi pro recuperanda terra sancta, toties à Christianis & instituta & frustra petitæ. Attraxerat ad se Achab in belli societatem sanctum regem Iuda Iosaphatum: qui cum pro sua pietate omnino vellet rogari Deum per prophetas, ut placeret Deo hæc expeditio, concionatus est ante reges hos Micheas, non Nastites ille iunior, sed priscus ille, filius Iemla. Prædixit hic regibus tristia fata. Quo nomine iratus Achab, duci iubet prophetam in carcerem, ibiq; custodiri donec victor redeat è bello, & supplicium sumat de mendaci propheta. Addicheas adiecit, regem è bello saluum non rediturum. Quod & factum est. Ioppilio enim sagitta (dirigente Deo iaculum) transfixus Achab occubuit, cum regnasset annos 22. Prædictus fuerat ei funestus hic interitus à prophetis, accruerat perire morte ignominiosissima. Fuit enim Achab sceleratissimus. Nam scriptura de eo testatur, & dicit, Nullus fuit Achabo similis, qui se vendidit malum designare in oculis domini: eò quòd incitaret eum Iesabel vxor eius. Nam enim fecit res supra modum abominandas, quippe sequutus impura sicerco iuxta omnia quæ fecerunt Amorrhæi, quos eiecerat Dominus ante filios Israelis. Ergo ne impunè hæc fecisse videretur, ignominiosè perijt, memoria sui nefacta post se turpissima. Sunt & posteri eius ad vnum excisi omnes. Quod paulò post explicabitur.

AHASIAS octauus rex Israelitarum, patri Achab & in regno & in impietate successit, nec quicquam memoratu dignum egit, nisi quod nauigationem in Ophir cum Iosaphato instituit, De quo dicetur in rebus Iosaphati, & quòd Heliam excellentissimum prophetam, suo ipsius maximo dedecore & detrimento, in vincula conijcere voluit. De quo dixi in rebus Heliæ. Dicitur regnasse duos annos, cum paucos post dies à funere patris, decidens per cancellos palatij in Samaria, iuxta Heliæ vaticinium, perierit. Cooptatus ergo in regnum à patre, duos illos annos regnauit. VIII. *Ahasias rex impius & gloriosus.*

IORAM secundus Achabi filius Israelitarũ rex nouus, non omnino pessimus in religione fuisse dicitur. Retinuit quidem sibi in pernicie Ieroboami idola, sed tamen statuas Baalis, quas posuerat pater Achab, deiecit. Præcipua quæ de ipso referuntur in scripturis bella sunt, & quidem vel gesta ab ipso, vel ei illata, tria, Primum intulit Moabitis, qui ab ipso defecerant, tributũ negantes: ascitis ergo in belli societatem regibus Iuda & Idumæorum, terram Moabitarum vastauit, & Moabitas in ordinem redegit. IX. *Ioram deijcit statuas Baalis.*

Secundum bellum Ioramo illatum est à rege Syriæ Benhadado. Is Samariam obsedit, tantaq; fames in vrbe obsessa oppressit omnes, vt acerbiore non laborarit vnquam. In ea difficultate desperata propè, prædicebat Helisæus, liberandam breui vrbem, & tantam sequuturam postridie mox pretij frumenti vilitatem, vt sata hordei duo vno veneant sicio. Ac nocte mox insequente Syri, territante eos domino, strepitum audierunt curruum atq; equorum, ac persuaserunt sibi, Israelitis venisse peregrina auxilia. Quocirca in fugam effusi, castra omnis generis rebus necessarijs facultatibusq; refertissima post se reliquerunt. Ea, mane, fortè fortuna ingressi leprosi quatuor, referta quidem victu opibusque, sed vacua militibus inuenerunt: id quod direpto prius vno & altero tentorio, mox regi per vigiles significarunt. Rex exploratoribus emissis, didicit Syros fuga dilapsos esse inopinata celerrimaq;. Quocirca vrbe cum ciuibus egressus, castra illa opulentissima diripuit. Tunc verò frumentum, sicut Helisæus prædixerat, vilissimo precio venijt. At princeps ille qui pridie vaticinium prophetæ redarguerat mendacij, nihil frumenti illius, sicuti propheta eidem minatus fuerat, gustauit, sed frequentis turbæ pedibus in porta est obtritus. Ita verò Deus iterum vindicauit prophetiæ authoritatem, contra calumniatorem, & Deus immensa sua misericordia, perituræ iam vrbi, fame, vel certè hostium libidini exponendæ, in tempore subuenit. *Obsidetur Samaria à Syris, exoriturq; fames funestiß. Vindicatur prophetiæ authoritas.*

Tertium bellum infelix Ioram, Hasaeli Syrorum regi potenti imprudenter intulit, quo Ramoth Galaad recuperaret. Saltem infortunio paterno admonitus, sapuisset rectius, nisi dominus iam statuisset regem impœnitentẽ, vnà cum domo Achabi sanguinaria vniuersa excindere. Ergo vincuntur rursus Israelitæ ad Ramoth Galaad, & non sine cæde fugantur: rex ipse grauiter vulneratur in prælio, ideoq; festinans, in oppidũ Iezrael se recipit, vbi decumbens chirurgorum opera in sanandis suis vulneribus vtitur. Quomodo autem hic à rege Iehu interfectus sit, sequetur mox in vita Iehu regis: nunc attexam his breuibus Helisæi historiam. *Ioram infeliciter pugnat & vulneratur.*

HELISAEVS clarus fuit miraculis, quibus illi Deus authoritatem parauit, vt populus Israelis tanto crederet prophetæ atq; doctori. Potiora paucis hic recensebo. Principiò aperit Iordanem percussum Heliæ pallio. Ex quo miraculo scholæ omnes intelligunt, Helisæum, Heliæ legitimũ esse successorem, cui se prompta subijciunt obedientia. Deinde vrbi Ierichuntinæ, salubres suaesq; reddit aquas, quas, vtpote noxias acerbissimasq; hactenus nemo bibere potuerat. Ad vrbem Bethel metropolitanam, vbi erat Ieroboami cathedralis *Helisæi mira.*

Discerpuntur 42. pueri ab vrsis.

ecclesia, in petulantem corruptumq; puerorum globum, contumelioſe opp
brantium prophetæ ſuam caluitiem immiſit vrſos, qui quadraginta duos di
pſerunt. Quod exemplum erat vindicatæ prophetiæ, punitæq; contumeli
ro Dei illatæ.

Porrò laborantibus tribus, in Moabitide regione, exercitibus aquæ pe
ria, abundantem eius copiam Heliſæus de repente per clices aluei deriua
Beneficium item ingens viduæ cuidam familiæq; pauperis prophetæ mor
qui res ſuas luxu non prodegerat, ſed cui temporum iniquitas nocuerat, co
fert. Lecythus enim olei huius viduæ, oleũ miraculo tantiſpe fudit, donec v
eius vndiq; collecta plurima impleſſet, diſſolueretur q; hinc viduæ debitũ, e
ſufficiens ſuppeditaretur viuendi facultas. Aliud beneficium contulit idem
ritatæ fœminæ Sunamitidi, in prophetam alioqui liberaliſsimæ matronæ. N
precibus apud Deum impetrauit, vt quæ hactenus ſterilis non peperera
ros marito ſuo, nunc demum filium pareret. Eundem verò poſt annos ali
mortuum, ex vi morbi, vitæ pariter & matri reſtituit.

Aluntur cibo modico ſtudioſi in collegijs.

Cum in Gilgal veniſſet viſitatum ſtudioſos Heliſæus, quemadmodu
primis curæ ei erant ſtudia ſancta, & ſcholæ, coxerant hi imprudenter cucu
rem agreſtem, cibum adeò amarum acerbumq;, vt videretur eis toxicum
damq; ex eis exclamaret, Mors in olla, vir Dei. At Heliſæus farina in inſpi
inſperſa cibum, miraculo ſuſtulit ſaporem illum noxium, cibumq; reddidi
diſsimum. Ibidem cum eſſent ſtudioſi centum, & à quodam viro bono ei
lati eſſent panes hordeacei duntaxat viginti, iuſsit Heliſæus hos ſtudioſis
poni. Cumq; œconomus arbitraretur pauculos hos panes, in tanta ſtudio
turba, parum aut nihil profuturos, affirmat ille his paucis panibus omnes
tantùm exaturandos abundè, ſed & ſuperfuturum plurimum. Quod & fac
eſt. Exempla hæc ſunt nihil vnquam defuturum ſtudioſis pietatis & mini
verbi fidelibus. Recenſentur hæc prophetæ miracula ad longum 4. libri
gum 4. capite.

Nahamã Syrus ab Heliſæo mũdatur à lepra.

Nahamanum quoq; Syrum, virum celeberrimum, & militiæ Syriacæ p
cipem, lepra infectum, & à Ioramo rege conſilium & auxilium petentem,
ſeus in Iordane ablutum, & à lepra curatum, remiſit in Syriam. Obtulerat
liſæo gratitudinis ergò ſplendidiſsima munera, quæ ipſe pro ſua integritat
ſtasq; ob cauſas, accipere noluerat. At Giezi miniſter Heliſæi, auaritia cæc
clam magiſtro ſuo, heroem inſequutus, muneribus ab eo onuſtus redijt, ſi
mul lepram, hoc ipſum ei denunciante Heliſæo, cum muneribus reporta
Quod 4. lib. Reg. 4. cap. deſcribitur. Declarat hoc Heliſæi miraculum, prin
quidem, ſolum Deum Iſraelis repurgare cùm animi tum corporis vitia. D
de munera non ſemper neq; omnia, neq; ab omnibus eſſe accipienda, de
auaritiam munerum eſſe corruptelam. Porrò extruentibus amplificantib
ſcholaribus ſuum illud collegium, ſecuris quam quidam ab alio acceperat
tuò, deciderat in aquam. De quo cum is quereretur ac admodùm eſſet p
ſigni probitate ſua ſolicitus, apud Heliſæum, effecit hic, vt ferrum, contra
naturam, in aquis ſupernataret, ac ei qui amiſerat reſtitueretur.

Equites Syros Heliſæus cæcutientia percuſſos ducit in Samariam.

Alio quodam tempore profectus in oppidum Dothan, obſidebatur n
à Syris equitibus, miſsis illuc à Syrorum rege, vt prophetam caperent, quo
tellexiſſet, propheta hoc monitore, omnes Ioramum Syri regis conſultan
noſſe, omnesq; inſidias ſtructas à Syris eludere. Ac propheta inſidiarum
neſcius, oppidum egreſſus, cingebatur protinus ingenti angelorum exer
circum montes apparente famulo prophetæ, Syri verò huiuſmodi cæcute
tunc percutiebantur diuinitus, vt nec Heliſæum, ipſis alioqui notiſsimu

cum ipsis colloquentem agnoscerent, neq; quo ab Helisæo ducerentur animad uerterent Duxit enim eos in ipsam Samariam. Ergo deprehensos iugulare vo- luit Ioram rex ceu hostes professos. Sed obstitit persuasitq; regi propheta, vt cō uiuio acceptos, peregrinos amicè dimitteret. Effecit autem ea Dei virtus, ac re gis prophetæq; benignitas humanitasq;, vt aliquanto tempore Syri Israelitas non infestarent. Adeò non deperditur beneficium, quod in inimicos nostros confertur.

Huc pertinet rursus miraculum depulsæ famis, & Samariæ graui obsidione contra omnium opinionem solutæ. Quod copiosissimè describitur 4. lib. Reg. cap. 7. Item beneficium ingēs, quod propheta iterum præstitit Sunamitidi, ma tura illa sua admonitione de fugienda famis illius imminentis septennisq; per nicie: & quod reuersæ in terram Israelis curauit authoritate Regis & agros & omnes eius possessiones ipsi restitui.

Mortuus attactus Helisæi ossibus resurgit.

Et quamuis commemorata hæc admiranda sint omnia, illud tamen quod Helisæo mortuo ad sepulchrum eius euenit, quodammodo illa omnia superare videtur. Dum enim mortuus quidā efferretur, Syri grassatores interuenerunt, quorum metu factum est, vt vespillones proiecto in vicinū Helisæi sepulchrū, cadauere, ipsi sibi fuga consuluerint. Cadauer verò proiectum, attactis prophe tæ ossibus, admirando reuixerit miraculo. Quo nimirum Deus reddebat testi monium doctrinę prophetę, quę huiusmodi sit, vt quisquis ei crediderit, Deum contra omnia aduersa adiutorem propitium habiturus sit, denicq; hunc in die illa vltima ex mortuis ad vitam beatam resuscitandum.

Helisæus versatur in castris.

Ad res Helisæi pertinent & consequentia, quòd tametsi esset propheta Dei, à castris tamen Israeliticis non abhorruit. Dum enim rex Israelis Ioram, Moa- bitas bello retraheret ad obedientiam, & in castris suis haberet sanctum regem Iosaphatum, in illis ipsis castris inuentus est & Helisæus, qui, Iosapharo insti- gante, de euentu belli rogatus, liberè & fortiter coram regibus respondit, Vi uit Dominus exercituum in cuius cōspectu sto, nisi faciem Iosaphat regis Iuda reuererer, te quidem ô Ioram ne aspicere quidem dignarer. Quid enim mihi te- cum? iuberē te consiliū capere à tuis illis prophetis patris tui & matris tuæ, &c.

Helisæi libertas in dicendo.

Commendat autem hæc libertas Helisæi integritatem, qui vt impijs principi- bus nihil adulatus est, ita sanè debito honore prosequutus est principes pios. Bello Syriaco, quo Benhadad Samariam obsedit, tanta est in vrbe exorta fames (cuius & antea memini) vt ne matres quidem abstinerent à liberorum suorum carnibus comedendis. Qua re ira efferbuit rex Ioram, iramq; hanc suam effre- nem in Helisæum effusurus, nuncios misit, qui ipsum iugularent. Quòd enim deditionem dissuaderet propheta, omnis mali author esse videbatur. Propheta verò præmonitus à spiritu sancto, ad seniores, qui tunc cum ipso erant, An non vidistis, inquit, quòd filius ille latronis, miserit ad tollendum caput meum? Pro inde excludite illum, occluso ostio. Ita verò & se & vrbem seruauit sua constan tia prudentiaq;. Syri enim perterrefacti diuinitus, soluta obsidione, sicut & pro pheta prædixerat, aufugerunt.

Quanti fecerit rex Syriæ Helisæum.

Et quidem apud principes exteros tanta fuit Helisæi authoritas, vt cum ve- nisset quondam Damascum, Benhadad rex Syriæ, ad ipsum cum amplissimis muneribus miserit legatos, & in primis Hasaelem illū, qui mortuo Benhadado in regno successit, rogatum de sua, regis inquam incolumitate. Tunc autem oblata occasione, propheta Hasaelem, sicuti ad montē Dei Horeb, Helias man datum acceperat, & Helisæo commiserat, regem Syriæ, Dei nomine, ordinat, neq; sine ingenti dolore palàm, coram Hasaele recitat, quanta truculentia vexa turus sit Israelitas, Munitiones eorum, inquit, igne combures, iuuenes verò eo-

rum gladio trucidabis, infantes ipsorum allides, & dissecabis prægnantes, &c. At meruerat hæc Israelitarum impietas.

Iehu inungitur

Eodem tempore per quendam discipulorum suorũ, inungi curat Helisæus Iehu in regem Israelis, idq; ex mandato rursus Dei, Heliæ reuelato, ad montem Horeb. Vnctio hæc Iehu eleganter descripta legitur 4. Reg. cap. 9.

Rex Ioas deflet mortẽ Helisæi.

Sub finem vitæ suæ incidit in morbum lethalem Helisæus, quo & mortuus est. Ægrotantem, Dei prouidentia & honoris ergò, inuisit rex Israelis Ioas, qui cum vidisset ægrè prophetam conualiturum, lugubriter deflet eum sibi & regno ereptum iri, qui hactenus fuisset pater, currus & auriga Israelis, nimirum moderator prudentissimus felicissimusq;, et munitionis exercitusq; instructissimi instar. Et prophetæ per symbolum arcus & sagittarum prædicebat tuncregi, Syros ab ipso tertiùm superandos cladibusq; reprimendos. Copiosius hæc explicantur 4. Reg. lib. cap. 13. Hæc de Helisæo maximo Dei propheta hactenus. Non multos inueniemus Heliæ conferendos & Helisæo. Quòd si multos alios post Mosem & Dauidem ecclesiæ suæ Deus dedisset doctores & prophetas, quàm hos duos, Heliam & Helisæum, sufficere hi poterant in conseruandis fidelium mentibus in vero veræ religionis studio: nunc verò cum his præstantissimis addantur præterea à Deo tot tantiq; prophetæ atq; doctores, qui omnes & singuli nos continent in studio legis diuinæ, insaniũt profecto qui à recepto Dei verbo se abstrahi patiuntur per artes seductorum, iactantium longam traditionum superstitionisq; possessionem, vel longi temporis præscriptionem, successionem item longam & certam episcoporum, cateruam eruditorum, consensionemq; sanctorum patrum, conciliorum item & decretorum vel canonum, atque vniuersalem multorum regnorum consensum, &c.

X.

Iehu rex cogitat de excidio domus Achabi.

IEHV decimus Israelitarum rex vnctus à propheta Dei, in perniciem domus Achab & Baalitarum, coniuratione facta contra Ioram regem filiũ Achabi, & turma equitum selectissima, ex improuiso coacta, celerrimo cursu Iezrahelem oppidum accelerat. Decumbebat ibi Ioram saucius. Erat ibi Iesabel regis mater. Venerat eò & Ahasias filius Ioram filij Iosaphat regis Iuda, progenitus ex filia Achabi Athalia: venerat autem hic ad Ioram officij inuisendiq; atq; tum gratia: at diuina interim prouidentia atq; vindicta voluit in Iesrahelitas, ut Heliæ vaticinium, ceu in sentinam confluere, vniuersam malorum lernam, & opera Iehu, vnà expurgaretur tota. Ita verò Deus peropportunas suis consiliis occasiones suppeditare nouit: quas pij patienter expectant atq; obseruant: diuinorum consiliorum optima dispositio patebit amplius in consequentibus.

Reges Israelis & Iuda interficiũtur à Iehu.

Reges Israelis & Iuda, edocti nuncio vigilis, Iehu cum turma equitum celerare imò ruere cursu præcipiti ad vrbem, obuiam ei mox in curribus honoris ei gò, procedunt, vsq; in fatalem illum Nabothi agrum. Ibi Ioramus Iehum compellans, Et quid causæ est, inquit, quòd equitatu instructus ita accelerat? Est ne pax? Excepit hoc dictum regis Ioram Iehu, Quam tu oro pacem speras cum tot tantaq; sint matris tuæ Iesabelis infanda fornicationis & veneficij pharij scelera? Quo responso accepto, vidit Ioram sibi præsentissimam immanem perniciem, protinusq; fugam arripit. At Iehu ipsum insectatus, sagittam inter fugientis scapulas ita infixit, vt ea cor eius penetraret, & repentè mortuus in curru concideret. Hîc Iehu diuinæ memor sententiæ, olim ab Helia contra Achabum pronunciatæ, fore inquam, vt in hoc prædio Nabothi pro Nabothi effuso sanguine, rependendum sit Achabo, ad ministrum conuersus, dixit, Tolle istum & deijce è curru in agrum, iuxta verbum domini. Id quod libenter repeto & inculco, vt vniuerso mundo appareat veritas, immutabilitas, certitudo que oraculorum Dei, firmiterq; his credat, & certissima ineuitabilisq; pœna

sanguinis

sanguinarijs diuinitus constituta, metuatq; Deum, & à cædibus sibi temperet. Ahasias quoq; rex Iuda vulneribus confectus, fugaq; delatus in Megiddo, ibidem fato functus est.

At Iehu oppidum Iesraelis victor & impiorum regum sanguine tinctus insigni cum gloria, ingressus, vidit ex fenestra, regni calamitatem & omnis impietatis Deoq; inuisum caput Iesabelem prospectantem. Pinxerat rancida hæc vetula & deterrimum libidinis mõstrum, stibio, pro more meretricio, faciem suã, & exornauerat caput suum, audebatq; impudẽs & præfracta, nimbo malorum verborum, in caput Iehu effuso, ipsi interitũ minitari seditiosi Zimri. At Iehu minis morituræ meretricis contemptis, iubet eam adigere præcipitem è fenestra, in pauimentum, in quo prostratam & propè exanimatam equo adacto obtriuit, ac interfecit. Execrandum verò hoc cadauer protinus ita discerptum & deuoratum est à canibus, vt paulò post venientes, illã ex mandato regis, quòd regis filia esset, sepulturæ mandaturi, nihil ex toto corpore reliquũ inuenerint, nisi caluariam arrosam & manuum atq; pedum extremitates. Qua de re concionatus Iehu dixit, Verbum domini hoc est, quod loquutus est per seruum suum Heliam, dicens, In agro (vel in propugnaculo) Iesraelis comedent canes carnem Iesabelis. Et addit scriptura, Fuit itaq; cadauer Isabelis, quasi stercus superfaciem agri in prædio Iesraelis, vt nemo dicere potuisset, Hæc est Iesabel. Hæc hæc sunt iustissima Dei iudicia, contra idololatriæ authores, propugnatores & propagatores, contra omnem item impietatem & cultus prophanos, & contra innoxium sanguinem, prophetarum maximè, effusum, adhibita exercitaq; Cernunt hic palàm omnes, tametsi Deus pœnam impijs debitam aliquandiu differat, opportunè tamen grauitate supplicij, pœnę tarditatem cõpensare.

Iehu Iesabelem interficit.

Horrendum Iesabelis reginæ funus.

His ad hunc modum confectis, curauit Iehu per literas, vt proceres Samariæ filios Achabi 70. interficerent. Qui & absq; mora mandato regis obsequentes, 70. filiorum regis capita, sportis imposita, Iesraelem vsq; ad Iehu transmiserunt. Ea per aceruos in foro Iesraelis cõposita, concione conuocata, Iehu commonstratis palàm coaceruatis his capitibus, iterũ concionari cœpit, ac dicere, Vos quidem nullam habetis culpam harum cædium, iusti & excusati estis, ego verò qui contra dominum meum conspiraui, hæc feci, imò non ego, sed dominus omnia illa per me fecit, qui ita vindicat sanguinẽ innoxiũ. Agnoscite itaq; quòd nihil decidit de verbo Dei, quod non compleatur. Ergò quæ Dominus per Heliam prædixit, contra domum Achabi, nunc videtur opere perfecisse. His peroratis, reliquos in Iesraele Achabi magnates, amicos, notos & sacerdotes ad vnum omnes celerrimè iugulauit. Deinde Samariam profectus, in itinere deprehendit Ahasiæ regis Iuda fratres & ex fratribus nepotes proficiscentes & ipsos post Ahasiam Iesreelem, salutatum filios regis atq; reginæ, quos vnà omnes in casa quadam pastoritia, viros 42. Iehu iussit conscindi. Cumq; adiuncto sibi ex itinere socio Ionadabo, viro iusto & honestissimo in Samariam peruenisset, curauit è vestigio deleri funditus, quicquid ibi de Achabo erat reliquum. Addit iterum scriptura: Vt compleretur verbum Domini, annunciatum per Heliam prophetam, fore vt excinderetur domus Achab, sicut excisa erat domus Ieroboam & Baasa.

Iehu omnes in Israele & Samaria excindit

Restabat in Samaria adhuc Baaleum, id est, Baalis templum, vnà cum Baale tertendum: supererant denicq; sacerdotes Baal plurimi, passim per regnum dispersi, iuxta verbum Domini, cædendi delendiq; funditus & ipsi. Hos vt Iehu, vna & idonea in laniena mactaret, festũ celebre indixit, simulans se, antiquam, vt vocabant, religionem, acceptam inquam illam laudabiliterq; à regibus serenissimis traditam, reparaturum, longèq; officiosiorem Baalis futurũ cultorem,

Euertitur Baalis templum & sacerdotes Baalis interficiuntur.

quam fuissent omnes eius prædecessores. Aduolant ergo læti & spe pleni
nes, vniuersi regni sacrifici & sacellani, ac congregati in phano Baalis,
cris, pro more, induebantur ornabantur q̃ vestibus, litaturi Baali: cum exte
plo Iehu satellitibus in phanum, in quo nullum esse Dei prophetam prius
plorauerat, immissis, ceu molossis in turbam luporum, ad vnum omnes
lare mandauit, addita satellitibus pœna, vt si quis culpa satellitis euasisset
dotum, satelles pro illo obtrũcaretur. Occisis verò impostoribus in templo
nibus ne templo quidem parsum est. Euersis enim aris, & deiectis confra
stratuis, ipsum templum dirutum est, adeoq̃ conuersum, extremam sanè ad
miam, in latrinam publicam. Hęc quidem horrenda alioqui visa primo intu
approbata sunt tamen maximè ab ipso domino, ad Iehu dicente, Quando
dem diligentissimè fecisti, quod rectum est in oculis meis, & iuxta omnia
erant (obseruẽtur hæc) in corde meo, quia inquã hęc fecisti domui Achab,
debunt tibi filij super solium Israelis in quartam vsq̃ generationem. Vnde
nifestissimè discimus placere Deo, omninoq̃ velle Deum, vt stirpitus eradi
tur prophana infamisq̃ reddatur idololatria cum omni superstitione vel pe
grino cultu.

Iehu non sustulit Ieroboami vitulos.

Quo & illud in primis pertinet quod sequitur. Licet enim Iehu fund
excidisset cultum Baalis, & vindicasset sanguinem effusum innoxiũ, nond
tamen probabatur plenè Domino. Scriptura enim subiungit, Cum Iehu n
pari seruore ambularet in lege Domini Dei Israelis, toto corde, nec recede
peccatis Ieroboami, cœpit eo tempore Dominus Israelem truncare, Syris
missis, in omnes Israelis terminos. Vnde sanè colligimus Deum require
non modò idololatria crassa illa aboleatur, sed & alia quoq̃ tollantur tradi
num genera, quæ verbo Dei & veræ religioni sunt adiũcta sed aduersa, a
vt ad præscriptum verbi Dei purum, syncerà religio à Deo tradita, sola co
eiq̃ humani nihil admisceatur. Mortuus est autem Iehu rex non inglorius
illaudatus, cum regnasset annis 28.

XI.
Israelitæ attriti à Syris.

IOACHAS rex Israelitarum vndecimus filius Iehu, regnauit in Israe
nis 17. Cumq̃ non recederet à superstitione Ieroboamica, sicut Deus per S
affligere cœperat Israelitas sub finem regni Iehu patris, ita sub filio Ioach
flictionem cœptã sic auxit, vt propemodũ Israelitę sint attriti. Scriptura e
Nõ erant superstites, inquit, regi Ioachas, nisi quinquaginta equites, & de
currus, & decẽ millia peditum: quòd rex Syriæ Benhadad filius Hasaelis
lem propè redegisset in puluerem. Defleuerat hanc calamitatem apud Ha
non ita pridẽ Helisæus. Declarabat item Deus, grauibus his supplicijs, qua
odio, non Baaliticam modò, sed & Ieroboamicam, quæ tollerabilior videba
religionem prosequeretur. Obseruanda tamẽ hic venit memoranda gratia
Immensa Dei misericordia à Syris eruuntur Israelitæ ne penitus intereant

mensaq̃ misericordia Dei, quæ oppressi miserata populi sui, licet nondũ p
ad Deum conuersi, sed adhuc inhęrescerent luto Ieroboamico immersi, atta
iugum illud Syriacum importabile sustulit, ne prorsus interirent. Nã scrip
attestatur & dicit, Precatus est Ioachas faciem Domini, & exaudiuit eum D
minus. Quoniam aspexit afflictionem Israelis, qua rex Syriæ eos afflixit m
minus tamen non recesserunt à peccatis Ieroboam. Et iterum, Dominus
nignè fecit eis, misertusq̃ illorum, respexit eos, idq̃ propter fœdus suum c
Abrahamo Isaac & Iacobo, neq̃ voluit excindere neq̃ abijcere eos à facie
Consolatione refertissima hæc sunt, singulisq̃ & hominibus & temporibus
plicanda. Reliquit Ioachas in regno post se Ioas, filium suum, nepotem Iehu.

XII. IOAS enim 12. Israelitarũ rex patri successit mortuo, & in regno & in
stitione Ieroboamica. Proinde ex mera Dei gratia victorię ei cesserũt infi
N

Nam contra Syriæ regem gessit hic Ioas maxima bella, ac ter illum, iuxta Heliæi vaticinium, cladibus illatis, vicit, & plurimas ciuitates sub Ioachaso Israeli ablatas, feliciter recuperans restituit. Illatum quoq; ipsi bellum non necessariũ, sed petulans, à rege Iuda Amasia, quem vt à bello abstineret, Apologo proposito hortabatur, fortiter non tantùm excepit, sed & repulit, exercitumq; Amasiæ, ad Beth-sæmes, fudit atq; fugauit, regẽ ipsum Amasiam cœpit, mœnia item vrbis Hierosolymorum, spatio quadringentorum cubitorũ, deiecit atq; diruit, templi quoq; regis & vrbis thesauros diripuit, & obsides secum in Samariã vsq; abduxit. Mortuus est hic rex, qui in vita sua magni Heliæum fecerat, & rebus præclarè gestis orbi inclaruerat, cum regnasset in Israele annis sedecim.

XIII. *Ieroboam ex gratia Dei mera magnificus.*

IEROBOAM II. eius nominis, decimus tertius Israelis rex, filius Ioas illius insignis & victoriosi regis, & pronepos Iehu, habuit quidem parum pietatis solidæ, Ieroboamicus enim erat, & tamẽ singulari Dei gratia, felicissimus & victoriosissimus sicuti & pater eius fuit, qui interim parentem alioqui gloriosum superauit gloria, breuiq; omnia quæ nondum Syris adempta erant, ipse recuperans, Israeli maxima cum laude restituit, effecitq; vt populus abundaret pecopibus atq; ocio. Ac obseruandum est in præsenti, facta hæc esse, non regis huius virtute, aut populi merito iustitiáue, sed rursus mera immensaq; Dei misericordia. Nam scriptura, Dominus vidit afflictionem Israelitarũ, inquit, acerbam valde, & quòd pessum ijssent, nemoq; tutus esset qualis qualis, aut cuius tandem conditionis aut dignitatis vilitatisq; esset, & quòd nemo planè Israeli ferret auxilium, neq; Deus vellet delere nomen Israelis, ideò seruauit eos per manum Ieroboam filij Ioas.

Ionas propheta.

Floruerunt sub hoc rege Ieroboamo secundo insignes prophetæ Ionas & Amos. ET IONAS quidem filius Amithai fuit oriũdus de Gath Hepher. Vaticinatus dicitur in historia Regum Israelis, de Syrorum calamitatibus. Quod vaticinium hodie, citra iacturam tamen fidei, nõ extat, sed intercidit. Alter eius libellus, qui extat, numeratur inter 12. prophetas minores, & continet vaticinium contra Niniuen, Niniuitarum item fructuosissimam describit pœnitentiam. Facta ea videntur sub principe Assyriorum Phul Belocho. Exhibet item ecclesiæ in eodem libello typum Christi sepulti & resurgentis, multaq; alia nobis salutaria dogmata suppeditat.

Amos propheta.

AMOS verò neq; propheta fuit, neq; prophetæ filius, sed rusticus siue pastor aut armentarius, nihilo minus tamen à spiritu sancto edoctus, dilucida & acri oratione, X. tribubus in primis, deinde & tribui Iuda, prædicat pœnitentiam. Interminatus est his propheta maxima cum grauitate sicuti & Hoseas propheta sed & alij prophetæ plures, captiuitatem Assyriacam, si fortè reuerterentur ad dominum. Intertexit illis etiam vaticinia de fatis vicinarum gentiũ, item de Christo & vocatione omnium gentium. Admodùm infestus fuit sicuti & alij prophetæ Dei omnes, religioni Ieroboamicæ, quam liberrimè reprehendit, & cantum siue musicam eius mollem duriter suggillauit. Quo nomine vicissim reprehensus & obiurgatus & ex Bethel eiectus est ab Amasia sacerdote cathedralis ecclesiæ Bethelicæ. Rursus tamen huic ille inauspicatissima prædixit, quæ ei etiam euenerunt.

Interregnum.

Regnauit Ieroboam hic 2. annis quadraginta & vno. Ergo inter mortem Ieroboami 2. & initium regni Zachariæ filij interponẽdum est Interregnũ. Nam à decimo quinto anno Amasiæ quo Ieroboam secundus regnare cœpit, vsque ad trigesimum octauum annum Vziæ vel Azariæ, quo Zacharias regnare cœpit, inueniuntur anni sexaginta quatuor, quorum quatuordecim tribuẽdi sunt regno Ieroboami, reliqui verò interregno. Moritur Ieroboã anno mundi 3156.

XIIII. *Obserua veritatem promissionũ Dei.*

ZACHARIAS decimus quartus Israelitarum rex, filius Ieroboami 2. ab nepos regis Iehu Baaliclastæ, ideoq; quartus et vltimus in illa à Iehu generatione, successit patri in regno & in infelici illa Ieroboamica superstitione. Et scriptura diligenter hic annotat Deum fideliter præstitisse, quod promiserat Iehu fore vt posteri eius ad vsq; generationẽ quartam, sederent in solio Israelis, num ergo ostendit & testatur fidere Zachariam ex illo genere quartum. Quoniam verò in lege sua dixit dominus se quoq; vindicaturum in tertiam & quartam generationem, eorum qui colunt idola & in mandatis domini non ambulant, ideo non diutius dissimulans Deus, cum à Iehu omnes filij fuissent Ieroboamici à nunc idololatram hunc Zachariam præcipitem agit proturbatq; è solio regio.

Regnum ad interitum inclinat.

Nam coniurauit contra ipsum Sellum, qui & ipsum occidit, & regnum eius occupauit, cum duntaxat 6. regnasset mensibus. Et quæ iam â Ieroboamo sequuntur tempora ad excidium vsq; Samariæ, fuerunt sanè calamitosissima horrenda atq; cruenta, latrocinijs bellisq; implicita prorsus, adde & funestissima. Nam non sine sanguine & cæde principes hi peruenere in imperium, aut inde sunt deiecti. Causa in promptu est. Quoniã Ieroboamici erant omnes, & contumax erat in vniuerso populo Dei contemptus, & nulla in vllis vera pœnitẽtia, ideoque tota res regni ad occasum atq; interitum vergebat.

XV. SELLVM decimus quintus Israelitarum rex, tantummodo mensem vnum cum imperitat. Aduolat enim à Thirzah Manahem, & latro latronem interficiens obtruncat, atq; pro ipso regnat.

XVI. *Manahem tyrannicus rex Assyrios ducit in Israelitarum terram primus*

MANAHEM verò hic decimus sextus Israelitarũ rex, Ieroboamicus quoque fuit, ac Deo rebellis, sæuus alioqui tyrannus, qui Thipsa capta, pregnantes crudeliter dissecuit. Proinde non probabatur omnibus Israelitis. Cæterùm vt firmum sibi pararet regnum (hoc est vt posteris reuera hoc euerteret, & vias Assyrijs in terram Israelis sterneret) Phul Belochum Assyriorum regem potentissimum maximis muneribus in regnum Israelis primus pessimo exemplo & irreparabili detrimento, attraxit. Nam argenti mille talenta ei annumerauit quę ex proceribus populi emulsit, nimirum vt hi viderẽt qualem tutorem & socium Manahem habiturus esset, si ipsum regno eijcere cogitarent. Iosephus in Antiq. arbitratur Manahemum ab Assyrio bello petitum, eaq; pecunia placatum esse illum, redemptámque pacem ab Assyrio. Regnauit annos decem & mortuus est.

XVII. *Interficitur Phacei à Pæka.*

PEKAHIA vel Phaceia decimus septimus Israelitarum rex filius Manahem, successit patri in regno eundemq; imitatus est cultu religionis Ieroboamicæ. Ergo cum & hic Deum irritaret, biennio duntaxat regnauit. Coniurauit enim contra eum Pæka filius Romeliæ, triarius in Israele princeps, & confodit ipsum in palatio Samariæ. Ergo quod fecerat pater Phacee Manahem, prædecessori suo Sellum, id nunc filius patitur à suo successore Pæka. Nam verissimum est omnibus temporibus & apud omnes, illa domini sententia, Qua mensura alijs mensi fueritis, eadem alij remetientur vobis.

XVIII. *Pæka bella gerit contra Achazum.*

PAEKA decimus octauus Israelitarum rex regnauit annis 20. Inhæsit hic pertinaciter superstitioni Ieroboamicæ. Grauissima hic bella gessit contra Achaz regem Iuda, iuncto sibi belli socio Rezin rege Syriæ. Non semel percussus est rex Achas ab his regibus. Et quidem occidit rex Israelis vno prælio centum viginti millia. Cœpit ducenta millia mulierum liberorum, diripuitq; prædam opulentissimam quam inuexit in Samariam, cumque captiuos in Samariam quoq; ducere vellet, obuiam aduentanti exercitui victori

Maximum humanitatis clemẽtiæq; exemplum.

nit propheta Dei Obed, persuasitq; Israelitarum magnatibus vt libertate donatos captiuos, vestitos insuper & cibo refectos clementissimè & dimiserint & manuũ

manifsimè deduxerint in Iudæam vsque. Quod eleganter narratur 2. Paralip. cap. 28. Imitandum verò victoribus hoc clementissimum humanissimúmque proponitur omnib us exemplum. Placet enim Deo si victores clementer sua vtantur victoria, & in victos sint humani. Achaz verò rex Iuda attritus propè à rege Israelitarum & Syris, euocauit in auxilium Phulazarem, qui & Tiglatphalazar dicitur, regem Assyriorum, exhausto & profuso in ipsum ærario sacro & regio vel publico. Adest ergò Assyrius, & primò quidem capit Damascum, subacto Syriæ regno, & rege eius Rezin interfecto. Deinde mouit contra regem Israelis, occupauitq; Galilæam, captiuos autem transtulit in Assyriam. Euenit his nunc quod multis annis prædixerant Prophetæ futurum, adhortantes omnes ad pœnitentiam, sed non crediderunt verbo Dei, imò confisi sunt potius Assyrijs, vt in rebus Manahemi patuit. Par ergò fuit, vt abduceretur ab Assyrijs. Postea coniurauit Hosea, qui & Oseæ filius, Ela, contra regem Pæka, & sicut Pæka per coniurationem oppressit occiditq; Phaceiam prædecessorem suum, ita nunc ipse quoq; trucidatur à successore suo Hosea.

Assyrij in Syriam & terram Israelis.

Atq; à morte Pæka non illico regnauit Hosea, sed interuenit Interregnũ rursus. Nam Pæka regnũ iniit anno Azariæ vltimo. Inde ad 6. Ezechiæ annũ qui vltimus fuit annus regni Hoseæ, supputãtur anni 39. At Pæka regnauit 20. Hosea 9. Residui manent ergò anni 10. quos tribuere necesse est interregno.

XIX.

Salmanasar rex Assyriorum capit Samariam & X. tribus abducit captiuas.

HOSEA decimus nonus & vltimus Israelitarum rex peccauit & ipse contra Deum, tametsi, non accesserit ad consceleration em suorum prædecessorum, quòd videatur frigidior fuisse in religione Ieroboamica. Contra hunc bellum suscepit Salmanasar, qui Tiglat Phulassari successerat in regno, & Hoseã cum regno Israelis sibi subdidit tributariumq; reddidit. At Hosea seruitutis impatiens atq; pertæsus, conspirauit contra Assyrium cum rege Ægyptiorum So, qui & Sua & Sebachus, & Sabachon & Sethon aliàs nuncupatur in historia, iugumq; excussit Assyrium, & tributum pendere desijt, omni spe sua in Ægyptium regem, contra verbum Dei, collocata. Qua re vehementissimè offendit Dominum, liberatorẽ illum ex Ægypto, populi sui Israelitici, prohibentemq; ne reduceretur populus in Ægyptum. Proinde adest mox Assyrius rex vastãs regnum Israelis ferro flammaq;. Samariam verò ipsam regni metropolim 6. Hoseæ anno obsedit, tribus annis oppugnauit, tandem & cœpit, 9. videlicet & vltimo regni Hoseę anno. Captam verò vrbem incendit & diruit, regem ipsum perfidum vinculis constrinxit, ipsumq; vnà cum vniuerso populo Israelis, qui ex fœuissimi & diuturni belli incendio, superstes manserat, in captiuitatem in Medorum vsq; vrbes abduxit. Incidit hæc calamitas & occasus regni Israelitici, in 6. annum regis Ezechiæ Iuda, & in annum mundi 3231.

Atq; hic est finis exitusq; peregrinæ illius Ieroboamicæ religionis, traditæ per manus Regum atq; magnatum, sine scriptura imò & contra scriptam Dei legem, quam nulli prophetarum sermones, quantúmuis vehementes, è medio tollere, & veram religionem, scripturis comprehensam, reducere, incq; suum locum restituere potuerunt. Ergò cum frustra à tot tantisq; prophetis, & tãto deniq; tempore, per annos vtiq; 265. (tot enim à diuiso regno Israelis ad excisum vsq; anni supputantur) prædicata esset pœnitentia, & frustra conuersio expectata fuisset à Deo, qui multis interim beneficijs Israelẽ ornauerat, nunc tandẽ opportunè iustissimoq; suo iudicio Deus adducit Assyrium, barbarum illum reformatorem, qui funditus stirpitusq; & phana, & idola, & vasa, & ornatum, & aras, & sacrificos, & ipsum denique stultum superstitiosumq; populum excindit, atterit atq; delet, puluere ipsorum dispersо in vltimam vsque Medorum regionem. In ea schola exercitati sunt miseri 192. annos. Totidem enim anni nu-

Finis et exitus tristis religionis Ieroboamicæ.

merantur à 6. anno Ezechiæ regis, vsq; ad liberationem è captiuitate Babylo-
ca. Diuturna sanè fuit illa captiuitas atq; calamitas: sed ea vniuerso mundo co-
mõstrare voluit Dominus (qui sanè vnicus & verus est historiæ scopus & fin-
irritari ipsum si homines, præterita regula scripta, diuertant ad vanas incertas
& varias hominum traditiones, ad longam temporis præscriptionem, & ade-
empla regum, multitudinisq; pertinacem consensum, &c. Neq; aliam ob caus-
sam tam multis redduntur huius captiuitatis & abiectionis vel repudij popu-
Dei, à Deo, causæ (legantur hæ obsecro diligẽter 4. Reg 17.) quàm vt his probe
cognitis atq; expensis inq; penetralia animi nostri insertis, eas ipsas studiosè
vitando fugiamus, per quas videmus populum Israelis in horrendum hunc o-
mnium malorum barathrum esse demersum. Neq; sanè dubium est barbaras
Turcarum gentes, hodie quoq; immitti in ecclesiam, reformatores, & ducũ m
serè hanc laceràsse non alia de causa, quã quòd frustra prædicatur simplex Chri-
sti euangelium, cum doctrina prophetarum & Apostolorum, plerisq; hanc doc-
trinam, vt hæreticam respuentibus abominantibusq;, & religionem ab hos-
minibus traditam, mordicus retinentibus, atq; ferro flammaq; defendentibus.
Seruator Christe, aperi mentes hominum, vt hæc intelligant.

DE SAMARITANIS.

Samaritani colluuies ex varijs gentibus.

ABsoluto compendio rerum Regum Israelis, priusquam transeam ad res
tempora regum Iuda, interseram paucula quædam de gente Samaritana,
quòd historia sacra huius quoq; in præsenti meminerit. Eiectis ob perfidiam
terra Israelitis à Deo tradita, rex Assyriorum colonias ex varijs gentibus pro-
phanis in terrã Israelis traduxit, Babylonios inquam, Chutæos, quos Iosephus
à regione Persidis Chuta, & flumine Chuto, sic nominatos ait, Carmanos inte
Syros, Antiochenos, &c. Habitarũt hi inter Iudæam & Galilæam, vbi Samaria
fuerat Israelitarum regia atq; metropolis, à qua omnes vno nomine dici cœpe-
runt Samaritæ & Samaritani. Importarunt secum in terram Israelis, & Deos
suos, & varios horum cultus. Quocirca eis ob hanc impietatẽ leones Deus ad-
que immisit feras. Qua quidem calamitate admoniti, à rege petunt sibi aliquem
mitti sacerdotem, legis Dei Israelij peritum, & qui eos iura vel ritus eius doceat.
Missus est ergo quidam, qui cum venisset, & in Bethel consedisset, docuit Sa-
maritanos timorem, id est, religionem Dei Israelij. Ergo scriptura 4 Reg. 17. a-
Samaritica religio mixtura ex corrupto et integro.
statur Samaritanos quidem timuisse Deum, nimirum quòd ipsum agnoscen-
inuocarunt, ritibusq; quibusdam, petitis è lege Dei, coluerunt: rursus tamen
dem scriptura addit, eosdem illos Samaritanos Deum non timuisse: nimirum
quòd solũ nõ coluerint, neq; purè, ita vt ipse lege præscripserat, coluerint. Quip-
libet enim gens coluit simul cum Deo Israelis, alios quoq; Deos patrios, & ma-
bus quidem patrijs. Vnde aras Dijs posuerunt, atq; idola, simulq; extruxerunt
excelsa. Quæ omnia abominatur dominus, qui planè non vult quenquam cũ
Vide Augustinum de Consensu euang. lib. 2. cap. 18.
secum, neq; vllos alios approbat ritus, quàm ab ipso præscriptos. Insyncera-
istam crasim vel mixturam ex humanis diuinisq; ex corrupto inquam & in-
gro constantem, semper odio prosequutus est Deus. Proinde nunquam Sama-
ritanismum probauit, neq; hodie huiusmodi mixtæ religiones ipsi placent.

Samaritani hi, quod & Iosephus asserit in Antiquit. iactabant se nõ
ortos esse sanctis patribus quibus Israelitæ, ideoq; cognatos se esse Israelitarum
affirmabant, maximè aspirantibus ventis secundis. Ergo cum Israelitæ red-
sent ex captiuitate Babylonica, & cœpissent extruere templum Hierosolym-
operam quoq; suam & societatem Samaritæ offerebant, quam cum respuissent
Israelitæ

Israelitæ, Samaritæ ędificia cùm templi tum vrbis postea, quibus potuerunt viribus obturbantes impediuerunt.

Ipsi quoq; post extructum templum Hierosolymitanum à Solomone circiter annos 708. & à Dario circiter annos 180. extruxerunt nobile & amplissimum templum in monte altissimo Garizim, simile figura & magnificentia Hierosolymitano templo. Nam tęporibus Nehemiæ ducis in Iudæa, Manasses frater Iaddi summi pontificis, duxerat contra Dei legem, in vxorem, filiam Sanaballath Churæi satrapæ Samariæ: quo nomine à Nehemia & alijs viris bonis deturbabatur à ministerio sacerdotali, cum multis alijs eandem ob causam sic mulctatis. Confugit ergo cum suis apostatis sacerdotibus ad socerum suum in Samariam: vbi facultate à regibus Dario & Alexandro magno impetrata, templum extruxit, vt dixi. Illa autem sacerdotum defectio magnas postea turbas commouit in Iudæa & Samaria. Dum enim templum hoc Garizæum asylum esset, ad quod confugere solebant omnes, quotquot vel propter facinora punię bātur, vel penitus Iudęa ejiciebantur, facinorosi hi nebulones Samaritanos cōcitabant contra Iudæos, sed & malitia impijssima, authore Manasse sacerdote iactarunt hoc demum verum esse Deo placens templum, in quo solo & adorari & sacrificari oporteat, & non Hierosolymis, ideoq; solum Garizęum inuisendum esse ab ijs, qui verè Deum colere velint. Iosephus lib. Antiq. 11. cap. vlt. ait Sicimam (Sichem) tunc fuisse caput Samaritarum, sitam ad montem Garizim & habitatam à desertoribus gentis Iudaicæ, &c. Enata autem ex illa religionum diuersitate & sacerdotum distractione contentio & odium implacabile inter gentem Iudaicam & Samaritanam, consequentibus sæculis vehementer auctum est.

Samaritani extruunt templum in monte Garizim.

Etenim circa Olymp. 163. Ioannes Hyrcanus Machabæus bellum Samaritanis inferens, templum hoc in monte Garizim inflammatum diruit, Samariam quoq; vrbem ipsam cœpit, diripuit, disiecit, soloq; ęquauit, & Samaritanam gentem prope attriuit. Vnde deinceps odium Samaritanorū in gentem Iudaicam magis efferbuit. Iudæi quoq; Samaritanos cane peius & angue vt prophanos oderunt. Conuitium erat atrox, si quem appellassent Samaritanum, perinde ac si nos hodie nuncupemus aliquem Turcam, hæreticum, schismaticum & apostatam, vel Mameluchum. Neq; vlla erāt Iudæis commercia cum Samaritanis. Et Samaritani, licet templum Garizæum esset excisum, contendebant tamen in monte Garizim, & non in monte Zion Hierosolymis, à Deo constitutum esse adorationis locum. Oppressi vnaq; mactati sunt Samaritæ in suo sancto monte illo, per Cerealem, viri 11600. viri in bello Iudaico, quo tota etiam Iudæa sicuti & Samaria per Vespasianum est deuastata. Et hæc hactenus de Samaritanis, non sine fructu exposita spero, quòd loci aliquot in historia euangelica, hinc rectius intelligantur, vt is qui est Ioan. 4. & Lucæ 9. & quòd Iudæi Christo conuiciantes Samaritanum criminantur.

Iudæi vastant Samariam.

DE SVPPVTATIONE TEMPORVM A POSITIS TEMPLI FVNDAMENTIS, VSQVE AD PRIMVM ANNVM IOTHAN, ADEOQVE DE ANNIS REGVM IVDA ET ISRAELIS.

REdeo nunc ad expositionem eorū quæ residua sunt de rebus & temporibus Regum Iuda, per quorum annos videor mihi commodè & dilucidè posse temporum seriem supputationemq; ostendere. Dissimulare tamen hic nō

Diuersitas supputationis annorum regum Iuda et Israelis

possum maiorem in his Regum annis interpretum chronographorumq; diuersitatem esse, quàm vllibi aliàs. Hieronymus in epistola ad Vitalem, tractationi huius negotij planè à se reijcere videtur. Existimat enim Paulum apostolum prohibuisse quæstiones de illis annis ætatis & temporum, cum prohibuit interminabiles de genealogijs quæstiones. Deinde, Relege omnes, inquit, & Veteris & Noui testamenti libros, & tantam annorum reperies dissonantiam & numerum inter Iuda & Israel, id est, inter regnum vtrunq;, confusum, vt huiusmodi hærere quæstionibus, non tam studioli, quàm ocioſi hominis esse videatur. Hæc ille.

Anni aliquot inclusi.

Et sanè manifestissimum est interpretes, alios quidem alijs plures paucioresque annos à diuiso regno ad excisam vsq; Samariã deletumq; Israelis regnum supputare. Eusebius enim Cæsarien. in Chronicis suis ponit annos 250. Beda autem in Ratione temporum 360. Alij verò numerant 243. Alij 244. Neq; interest singulorum hic commemoro sententias. Certè si seorsim supputaueris annos regum Iuda, à diuiso regno ad excisam Samariam, inuenies annos 271. Nam Roboam legitur regnasse annis 17. Abia 3. Asa 41. Iosaphat 25. Ioram 8. Ahasiah 1. Athalia 6. Ioas 40. Amasias 29. Interseritur hic necessariò interregnũ annorum 11. Deinceps regnauit Vzias 52. Iothan 16. Achas 16. Ezechiæ 6. anno capta & excisa est Samaria, & Israelitæ captiui abducti sunt in Mediam. Cæterùm si hos annos Regum Iuda conferas cum annis Regum Israelis, vt sanè oportet, nullaq; scripturis inesse videatur contradictio, contrahuntur sanè anni nonnulli, alijsq; includuntur. Vt cum Asæ tribuuntur 41. anni, interim tamen in historia legitur Iosaphatum filium Asæ regnum inijsse vltimo regni patris anno. Iosaphato quoq; tribuuntur 25. anni. Sed præter hunc quem modò ostẽdi annum Asæ vltimum, qui Iosaphati primus fuit, decidunt & alij à fine regni eius. Nam Ioram filius eius legitur 2 Reg. 8. cœpisse cum patre regnare 23. anno regni Iosaphat: & tamen 8. integri anni Ioramo ascribuntur. Similiter in vltimũ annum Ioram incidit Ahasiæ filij Ioramí annus, quo regnauit. Redundant ergo aut deficiunt potius commiscenturq; annis alijs, anni quinq;.

Istos itaq; sum sequutus in mea supputatione, qui numerant à diuiso regno ad excidium vsq; Samariæ, annos 265. Totidem probabiliter inueniri videmus conferenti diligenter Regum Israelis & Iuda annos. Nemini tamen præiudico, paratus illi gratias agere atq; cedere, quisquis meliora & certiora vel in hac supputatione, vel in alijs protulerit. Et vt nunc summam colligamus annorum à conditis templi fundamentis vsq; ad primũ annum Iothani, quo alteram huius operis partẽ Deo volente auspicabimur, assignabis licet Solomonis annos reliquos regni 37. his subiunges Regum Iuda consequentium decem, vsq; ad primum annum Iothani, annos 228. & colliges in vniuersum annos 265.

DE REGIBVS IVDA ET REGNO DAVIDIS.

EXplicata ratione temporum vsq; ad regnum Iothani, pergo nunc breuibus attexere summam rerum regum Iuda regnique Dauidis, ac spero eos, quarum harum copiam, maiestatem, vberemq; fructum apud se expenderint, non reprehensuros, quasi fines compẽdij transiliã, si has paulò plenius explicauero.

I. Regnum Dauidis.

ROBOAM primus à diuiso Israelis regno rex Iuda Solomoni patri in regno cessi, primùm quidem in regno integro, deinde verò X. tribubus deficientibus ab eo, tribum Iuda & Beniamin duntaxat in fide retinuit. De qua re antea quoq; dictum est. Appellatur hoc regnum, & Iuda, & Dauidis regnum. Etenim

reges omnes, qui in hoc regno imperitarunt, ex genere Dauidis descenderunt: & cum in Iechonia & Zedechia deficeret regia maiestas, illustres tamen viri ex stirpe illa Dauidica sunt exorti, qui ad Christum vsq; Messiam celebres in populo Dei fuere. Vnde intelligitur certissima promittentis Dei veritas, fore inquam vt posteri Dauidis in æternum obtineant regnum.

Roboam per initia regni sui maximum instructissimumq; sibi comparauit exercitum, quem contra Ieroboamum, pro recuperando Israelis regno, ducere instituerat. Cæterùm à propheta Semeia admonitus liberè, dimisso rursus exercitu, conuertit omnia sua studia ad extruendas muniendasq; vrbes regni Iuda plurimas. Ac per tres primos regni sui annos, optimè se gessit. Religionem veram coluit syncerè, & vt scriptura loqui solet, ambulauit in via Dauidis aui sui. Sacerdotes ex x. tribubus profugos & eiectos à Ieroboamo, benignè excepit, & humanissimum se eis præbuit. Ideoq; per initia regni sui, omnia erant tranquilla & felicia. Refrixit tamen triennio exacto pristinus ille religionis feruor. Nam negligentior factus, religionem amplius non adeò curabat, neq; eam, vt decuisset, alterebat. *Roboam omnis pietatis feruentissimus per initia regni.*

Manebat quidem in regno Dauidis vera religio integra. Ibi erant veri prophetæ. Ibi prædicabant syncerè verbum Domini. Ibi recitabatur lex Dei. Ibi erat templum, in quo Deus verus adorabatur & inuocabatur. Ibi erant sacerdotes legitimi, habebantq; sacrificia legitima, dispensantes rectè populo sancta Dei sacramenta. Neq; enim hæc Roboam, sicuti Ieroboam hæresiarches & schismaticus, aboleuerat, & sua figmenta in abolitorum locum reposuerat, adeoq; legem Domini nec abiecerat, nec conculcauerat. Interim tamen in eo peccabat Roboam rex, quòd non curaret solam illam in populo exerceri religionem nec omnes alias prohiberet. Nam sicut Solomon, licet sibi retineret templum & cæremonias diuinas, permittebat tamen peregrinis vxoribus peregrinorum Deorum cultum: ita nunc Roboam filius, vniuerso populo concessit, vt in excelsis Deo vero sacrificare possent, eũdemq; imaginibus exprimere. Scriptura enim, Fecit Iuda malum, inquit, in oculis domini. Extruxerunt enim etiam ipsi (nimirum sicut & Israelitæ) tibi excelsa, statuas & lucos, in omni colle alto: cum Deus diserte præcepisset vno duntaxat sacrificari in loco. Ergo peccarunt iam Iudæi non minus in suis adinuentionibus additionibusq;, quàm Israelitæ, in hoc tamen his meliores, quòd templum Dei in vniuersum nondum reiecerant atq; reliquerant, sed simul sacra Deo ibi quoq; persoluerent, essentq; multi viri boni, qui præscripto sibi cultu à Deo contenti, non grassabantur per prohibita illa à Deo excelsa. *Qualis religio populi sub Roboamo.* *Roboami peccatum.*

Nec impunè diu sacrificarunt Iudæi in excelsis. Nam quinto mox anno Roboami, rex Ægyptius Sesak, ingenti cum exercitu, conflato ex multis varijsq; gentibus peregrinis, in Iudæam venit, Iudææ ciuitates oppugnat & capit, vrbem quoq; Hierosolymorum occupans, diripit, auectis in Ægyptum omnibus thesauris cùm domus Domini tum palatij regij, vnà cum scutis illis aureis, à temporibus Dauidis à Solomone penitus repositis. Ita sanè nihil fortuna vel felicitate est instabilius, nihil fluxum magis opibus. Pereunt atq; dissipantur diffluuntq; etiam thesauri sacri. *Grauissimæ pœnæ Roboã subiiciuntur.*

Eo tempore misit Dominus eximium quendam prophetam Semeiam, qui regi populoq; causas aperiret calamitatis tantæ. Clamabat ille, Vos dereliquistis Deum, Deus itaq; & vos deserit. Agnouerunt hac concione audita omnes Dei iustitiam, ideoq; hæc subiecit propheta, Cum verò Deus vos iure potuisset penitus excindere & abijcere, pepercit tamen vobis, vtpote qui hac afflictione contentus, non sæuiet in vos amplius. In præsenti tamen ideò vos hac exercet *Causæ calamitatum veræ.*

calamitate, vt experiamini quid sit seruire Deo, quid seruire principi exotico. Docet hæc prophetæ concio, quæ fuerit futuraq; sit semper afflictionum popu li Dei verissima causa, peccatum vtiq; defectionis: & quis denique finis vsusq; i afflictionum, eruditio videlicet ac emẽdatio. Certè cum agnosceret peccatum suum populus, atque apud hunc nondum omnia essent deplorata, sed inter ea valeret adhuc cultus Dei verus, regnum Roboami rursus confirmatum dici-

Vxores & liberi Roboami.

tur. Mortuus est Roboam 58. vitæ suæ anno, relictis post se filijs 28. & filiabu 60. Susceperat liberos hos ex vxoribus 18. & concubinis 60. Abiam verò filium inter fratres suos caput esse voluit.

II.

Fœda religionis corruptio sub Abia.

ABIA secundus Iuda rex, Maacham matrem habuit, fœminam impiam, i sceleratam, quæ obscœnũ pudendumq; Priapi (scriptura appellat Miplæzet horrendum vtiq; & tremendum) idolum in regnum Iuda inuexit, & lucum e plantauit, multiplicemq; idololatriam exercuit. Interim vt populus sub Rebo mo cœperat, non tantùm Hierosolymis in templo, sed passim in excelsis quoq sacrificare, ita sub Abia, impietatem hanc repetens, impiè perrexit. Licet ver Abia retineret templum, & ea quæ pertinent ad cultum Dei legitimum, quos etiam valdè iactat in acie, pugnaturus contra Ieroboamum, attamen abomina tionibus illis sese non opposuit, quas & mater & populus contra Deum exe cuere. Vnde scriptura illum reprehendens, Ambulauit Abia, inquit, in omn bus peccatis patris sui, nec fuit cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sic cor Dauid patris sui.

Parcitur regno Dauidis propter Christum.

Interim propter promissiones Dauidi factas, non, vti merebatur Abia cu plebe, abdicabatur, sed seruabatur regnum Dauidis incolume, certè propte Christum. Quinimò victoriam Deus præclarissimam Abiæ, nihil tale meri mera sua concessit gratia. Cuius memini in rebus Ieroboami 1. Maximè ver memorabilis est Abiæ oratio, quam ad exercitum in acie habuit, ante confli cum Israelitis. Ea habetur 2. Paral. 13. cap. Regnauit annos 3. Habuit vxores ex quibus ei nati sunt filij 22. & filiæ 16. Asam autem pro se regnare voluit.

III.

Laudatissimus rex Iuda Asa.

ASA tertius rex Iuda, filius Abiæ, princeps fuit laudatissimus. Nam erat religione integer, victoria clarus, & diuturnitate & pace regni felix. Regnat enim annis 41. Constat hũc ambulasse in vijs Dauidis, & strenuè ac religiosè rum Dei cultum asseruisse. Aras enim alienas & excelsa sustulit, statuas comi git & lucos succidit. Et ne in his sibi auia Maacha obstaret, amouit eã imper atq; omnes postea fœditates, ac idololatriam turpem penitus cõtriuit atq; ab leuit. Addit scriptura, Et dixit ad Iuda, vt inquirerẽt Dominum Deum patrum suorum, facerentq; legem & præcepta. Dona item amplissima intulit in tem plum, & totus in hoc fuit, vt verus Dei cultus, vera religio floreret. Culpa tam populi fiebat, vt non vniuersa semel excelsa tollerentur. Retinebat populus a in quibus Domino immolabatur. Ideò scriptura, Excelsa, inquit, non sustulerũ duntaxat cor Asa perfectum fuit cum Domino, omnibus diebus vitæ suæ. & ex rebus Iosiæ constat, excelsa Solomonis nunquam esse abolita.

Felix Asa.

Quoniam verò Asa pius erat, ideò etiam felix. Gubernatio enim eius ab ordio regni fuit tranquilla integro decennio, quo tempore vrbes ab ipso mag ficè sunt extructæ atque communitæ. Cumq; armis repellendus esset hostis regnum defendendum, non minore in bello, quàm in pace vsus est felicita dexteritateq;: domino declarante, quòd eos qui ipsum syncerè colunt, non tan tùm in aduersis omnibus seruare, sed & ingenti gloria ornare & possit & ve

Zera Aethiops bellum infert Asæ.

Proinde cum Zera rex Æthiopum numerosissimum contra Asam duce exercitum, secumq; traheret decies centena millia, non tantùm ex Æthiop sed ex Ægypto quoque, ex Libya totaq; Aphrica collecta, & currus falca trecentos

trecentos, Asa rex strenuus atq; impauidus suam quoq; aciem contra hostem instruxit, inuocatoq; Dei auxilio, in quo omne suum collocauit præsidiũ, fortiter cum Æthiope conflixit, quem & vicit, magnaq; strage data tantum non contriuit, deniq; prædam ab ipso amplissimam reportauit. Fuit hæc pulcherrima spectabilisq; victoria, si qua vlla alia regum Iuda. Opponi hæc potest Ægyptiacæ Sesaki regis victoriæ reportatæ à Roboamo idololatra: nunc enim pius & felix Asa peregrinarum religionum & idolorum hostis, fundit & conterit immensas idololatrarum copias, ne quid, quo idololatræ glorientur, habeant. Sed & Azarias Dei propheta eximius, vsum finemq; præclaræ huius historiæ ostendens, regiq; congratulans, Dominus, inquit, vobiscum est, si vos cũ ipso fueritis. Certè qui quærunt eum, inueniunt eum. Quòd si reliqueritis eum, deseret & ipse vos. Reliqua huius prophetæ verba lectu dignissima recensentur 2. Paral. 15. capite. *Azarias.*

Hoc sæculum felix & ferax admodùm fuit verorum prophetarum vel doctorum ecclesiæ copia. Rectè enim Marianus in suis Chronicis, Prophetabant in Iudæa, inquit, Achas, Semeias, & illi qui erant apud altare in Samaria, Iehu, Ioed & Azarias, qui & Addonam. Nam cum hactenus fœdissimi errores cum à regibus Iuda tum à regibus Israelis inuecti essent in ecclesiam, ac licet modò ab Asa abolerentur, à regibus tamen Israelis defendebantur, magnum certè fuit Dei beneficium, quòd tot tantosq; ecclesiæ suæ prophetas dedit, quorum fideli doctrina in viam veritatis reduci, & in ea retineri potuerunt, qui dociles ipsis se præbuissent. *Multi prophetæ celebres sub Asa rege.*

Post illam victoriam insignem rursus diligenter in idola inquisiuit Asa, eaq; deleuit, nouo item adeoq; reparato fœdere, se vnà cum vniuersa plebe Deo solli lubriter constrinxit, & quoscunq; potuit ex Ephraimitis & alijs tribubus ad verum Dei cultum reduxit. Pius tamen hic & felix princeps, sub finem imperij sui, deliquit non leuiter, contra dominum. Nam & fœdus iniit cum Benhadado rege Syriæ, in quem profudit thesauros domus domini & regis, illumq; in regem Israelitarum Baasa armauit, Syroq; idololatræ plus confisus est, quàm ipsi Deo, suo tam fideli liberatori. Eam ob rem grauiter reprehensus à propheta Hanani, malum hoc suum alioqui grande, conduplicans, fidelem monitorem Hananium coniecit in carcerem, eodẽ quoq; tempore, quosdam è plebe oppressit. Deinde morbo podagræ correptus debilitatusq; & in lectum coniectus, plus iterum spei habuit in hominibus medicis, quàm in ipso domino seruatore suo vnico. Qua re rursus peccauit non leuiter dominumq; offendit. Vnde nos colligimus etiam integerrimos sanctissimosq; Dei amicos, suis obnoxios esse peccatis, ideoq; dominum omnibus sæculis mera sua gratia omnes eos seruare, qui seruantur. Mortuus est anno mũdi 3026. & sepultus est in ciuitate Dauidis non sine maximis impensis. *Asa quoq; grauiter peccat contra dominum.*

IOSAPHAT quartus rex Iuda, patre Asa, cui successit, nihil fuit vel pietate vel felicitate inferior. Dicitur enim & ipse ambulasse in vijs Dauidis, nec deflexisse. Reliquias certè superstitionum in populo Iuda, vel à patre non expurgatas, vel rursus & clanculò à plebe instauratas, vsq; ad excelsa illa, à patre quoq; relicta, aboleuit. Hæc enim vt pater intacta reliquit. Cæterũ quò melius ex omnium animis extirparetur superstitio, veraq; pietas altius ageret radices in pectoribus vulgarium, tertio regni sui anno prudentissimè, per vniuersum suum regnum, emittit præcipuos regni sui proceres, quibus & Leuitas adiungit & sacerdotes, vt hi omnes vbiq; per regnum docerent. In quem finem & librum eis tradidit, non quemlibet, sed librum legis domini. Suppeditauit sanctissimus hic rex prudẽtissimo suo facto exemplũ omnibus in orbe Christiano IIII. *Iosaphat rex pijssimus.* *Rex doctores emittit in regnum.*

principibus imitandum, vt & ipsi in controuersia religionis proposito libro
cro vtriusq; testamenti, iubeant ex hoc prædicare veram religionem, & nõ
rire cœnum ex lacunis hominum, quod spargant in capita miserorum Et vt
le sacerdotibus coniunxit regni proceres, qui sua authoritate cohercerent seb
tiosorum & rebellium contumaciam & turbas, ita & nostri additis senatorm
dinis hominibus iubeant hos compescere resistentes & conuitijs impetẽtes p
dicationem verbi Dei.

Tranquillitas ex vera religione.

Peperit hæc pietas regis magnam in regno vniuerso tranquillitatem. Et d
minus regi benedicens confirmauit ipsi regnum eius, & non tantùm subdit
rum, sed & vicinorum hostiumq; animos ei conciliauit, immisso his terrore, v
regem bello petere non auderent. Vnde liquidò claret syncerum religionis fr
dium, nõ parere, vt multis falso videtur, turbas, neq; hostibus nos obijcere dil
niandos lacerandosq;. Præterea ampliora conferens in pium hunc regem be
neficia Deus, effecit vt non modò subditi, sed & Palestini & Arabes aliaq; gen
tes exoticæ, Iosaphato honoris ergò, munera afferrent. Diuitijs ergo maxime
congestis, ciuitates ædificat & munit atq; ornat, militem quoq; sibi fortem & n
re militari exercitatissimum cõparat, cui duces præficit, heroes inclytos. Qu
rum catalogum qui legere cupiunt, inueniunt in 17. cap. 2. lib. Paralip.

Iosaphat se coniungit suo malo cum Achabo

Porrò cum semper fuerit procliuis è felicitate summa lapsus in infimam m
seriam, non admodùm prudenter coniunxit se Iosaphat cum impio rege Ach
bo, cuius filiam Athaliam, filio suo Ioramo vxorem accepit, cum rectius ap
se expendisset coniugia illa contracta cum impijs nunquam pijs bene cessi
Coniunxit se præterea Achabo Iosaphat in bello, quod ille susceperat pro re
peranda terra promissa, pro Ramoth inquam Galaad. Eius belli supra quoq;
memini in rebus Achabi. Cum ergo contra Syros Iosaphat eodem illo bello
struxisset aciem, & hostem primus peteret, in præsentissimum capitis incu
periculum. Nisi enim Dominus à Iosaphato inuocatus, ex fide, Syros in pia
iam irruentes ab ipso auertisset, cecidisset certissimè in acie Iosaphat.

Reprehenditur rex à propheta.

Domum autem è prælio reuersus incolumis, obuiam habuit prophetam
hu, qui factum regis acriter reprehendens, Tu ne, inquit, impios iuuare, et eos
prosequentes dominum, diligere debueras? Ideò enim vehementer tibi irat
dominus propemodùm interfecisset te: sed quoniam quæsiuisti dominum
idololatriam excidisti, ideò pepercit tibi dominus. Ad quam concionem lor
liberam, rex adeò non est offensus, vt potius fide & operibus pœnitẽtia digni
cogitaret resarcire suum delictum, & omnibus pijs elegans emendationis pr
nitentiæq; post se relinquere exemplum. Ergo ipsus mox egressus, peragra
totum suum regnum, ad montana vsq; Ephraim, & summo studio stultum p
pulum à Dijs falsis ad Deum verum, & à religione falsa ad veram reduxit. R
formauit insuper per vniuersum regnum Iudicia, iudicibus passim præfectis
ex verbo Dei, formam, quam sequerentur in iudicando. Oratio Iosaphat
hac re planè aurea & dignissima quæ diligentissimè cognoscatur, legitur in
Paralipomenon libro, capite decimo nono.

Rex ipse regnum peragrans reformat.

Nauigatio regis in Ophir.

Reprehenditur & alius in scriptura tanti regis error, vt sanè nemo ex
inter sanctissimos, qui non peccet, quòd nauigationem in Ophir, pro aduehe
do auro, cum impio rege Ahasia filio Achabi & affine suo, instituerat. Qua
nè illis cessit infeliciter, nauibus in Aziõgaber disiectis atq; confractis. Id qua
duriter ipsi improperauit propheta Dei Eliezer, qua tamen admonitione p
phetæ libera, rursus non est offensus. Nam deiecto & obsequenti animo, ita p
stea ab omni commercio cum Ahasia abstinuit, vt cum valdè ille Iosapharum
uitaret ad reparandam classem, hic prorsus renueret & impium illũ sperne

Post hæc concessit Dominus Iosaphato victoriam præclarissimam. Nam Moabitæ & Ammonitæ veteres & irreconciliabiles populi Dei hostes, ex multis & variis gentibus, etiam transmarinis, comparato sibi ingenti exercitu, petulanter planè, & nulla de causa probabili saltē, Iosaphato, nihil tale expāecti, bellum grauissimum intulere. Ille cōtra totus à Deo pendens, vniuersum suum populum cohortatus est ad pœnitentiam, ieiunium atq; preces. Ipse quoq; rex oratione singulari & elegantissima Dominum inuocauit. Legitur illa 1. Paral. 30. ca. Idem populum quoq; suum adhortatus est, ne sibi à tantis metuat copijs, cum Deum habeat præsentem & auxiliatorem, Credite, inquit in Dominum Deum nostrum, & ille seruabit nobis fidem. Credite prephetis eius, & id bene cedet nobis: Interim & aciem instruxit, & suos contra hostem eduxit. Coniunxit exercitui suo sacerdotes, quos iubebat Psalmum illum concinere, Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Simul autem atque illi cantare cœpissent, hostes in sua metipsorum viscera ferrum stringentes, atrociter mutuis sese confecere vulneribus. Vix vnquam tanta videbatur strages edita, & victoria concessa felicior, vtpote quę populo Dei erat planè incruenta, adde & lucrosissima. Vix enim spolia hosti potuerunt integro à victoribus Iudæis detrahi triduo. Quarto demum die congregati omnes in valle benedictionis, Deo, pro tam eximio beneficio collato, maximas egere gratias. Sequuta est hanc victoriam in regno pax & felicitas stabilis & diuturna, Domino sic benedicente regi pio: qui mortuus est felicissimè in Domino, cum regnasset annos 25. anno verò mundi 3050.

Victoria Iosaphati insignis contra Moabitas, &c.

V.

IORAM quintus rex Iuda, primogenitus inter multos fratres, Iosophati filius, viuente patre, rex est declaratus. Nihil in hoc paternarum virtutum relucet. Magis enim accōmodabat se impij soceri sui Achabi & vxoris sceleratissimæ Athaliæ moribus. Ideoq; vera Dei religione oppressa, prouexit idololatriam. Primus Baalis cultum in regnum Iuda induxit, & omnem impietatem exercuit, omnes quoque fratres suos nephario parricidio sustulit, vnà cum aliquot regni proceribus, fortassis sanæ religioni fauētibus ipsiusq; obstātibus impietati. Non tamen impunè ita sceleratus diu fuit. Defecit enim ab eo Lobna, defecerunt Idumæi quoq;, nec vlla per omnem vitam suam prospera vsus legitur fortuna. Scripsit ad eum epistolam acerbissimam, ita vt merebatur, Helias propheta, qua acriter eius corripuit scelera, eiq; pœnā denūciauit grauissimā. Quæ protinus est consequuta. Nam Arabes & Palestini ingressi regnum diripuerunt totum, cæsis pluribus, & captiuis abductis innumeris, inter quos & regia ducta est familia. Ipse verò incurabili à Deo percussus morbo, integro decubuit biennio, consumptusq; doloribus infandis, tandem miseram animam vnà cum visceribus profudit, morbo & morte extinctus fœdissima. Gaudebant omnes è medio sublatam esse truculentam belluam, quam sepultura regia minimè sunt dignati, Domino in hoc Ioramo ostendente, quàm non respondeant semper morum similitudine liberi parentibus, & quanta expectent mala, quotquot derelicta via veritatis, ingrediuntur viam erroris.

Ioram rex plane impius.

Graui supplicio affectus rex impius.

VI.

AHASIAS sextus rex Iuda, filius Iorami & Athaliæ, successit patri & in regno & in impietate. Scriptura enim, Et hic ambulauit, inquit, in vijs domus Achab. Nam mater eius, consultrix ei fuit, vt impiè ageret. Iccirco non diu regnauit, Interfectus est enim à Iehu, vnà cum Ioramo auunculo suo, rege Israelis: sicut dictum est in rebus Regum Israelis. Et scriptura manifestè affirmat, hoc omnino fuisse à Domino, vt conculcaretur Ahasias. Æquissimum enim erat, vt indiuulse maledictio illis adhæresceret, qui retinebant mordicus impiam idololatriam.

Ahasias rex impius.

VII. *Athalia truculenta bestia.*

ATHALIA filia Achabi & Iesabelis, vxor Iorami regis Iuda, occiso [illegible] hu filio suo Ahasia regnum inuasit Iuda, & obtinuit annis sex. Retinuit & [illegible] fendit omnem à Ioramo introductam impietatem. Crudelis & truculenta [illegible] stia fuit. Trucidauit vniuersam Solomonis posteritatem. Ex ea tamen lanie[illegible] subtraxit Isobetha filia Iorami sorórque Ahasiæ regis, vxor Ioiadæ sacerdo[illegible] Ioas (quem scriptura simpliciter nuncupat filium Ahasiæ, & proinde offen[illegible] hunc fuisse ex posteris Dauidis & Solomonis) abdiditq; ne inuentus ceder[illegible] à regina Athalia. Dominus enim verax est in promissis suis Dauidi factis [illegible] uandis, & admirabilis in liberandis tuendisq; suis, ac hostium consiliis eluen[illegible] dis, tametsi his nonnunquam permittat plurimum, sicut in præsenti Athaliæ [illegible] missum apparet, quæ tamen inopinatò & sub imperio huius ipsius pueri, qu[illegible] ereptum ex cæde nescit, trucidatur.

VIII. *Ioas rex per initia pius.*

IOAS hic octauus rex Iuda, oppressus quidē ab Athalia, sed auxilio [illegible] prudentiaq; & fide Ioiadæ sacerdotis euectus in regnum, septimo ætatis [illegible] no in templo coronatus est, vniuerso acclamante populo, Viuat rex. Cop[illegible] describitur admirabilis hæc historia 4. lib. Reg. cap. 11. & 2. Paral. 23. cap. A[illegible] lia ignara consilij Ioiadæ, sed matura iam ad necem, amens in templum pro[illegible] rit, visoq; rege Ioa iam coronato, exclamat ista fieri conspiratione quadam pe[illegible] da. Cæterùm Ioiada centurionibus militum præcipit, vt extractam ex temp[illegible] iugularēt sceleratam. Quod illi euestigiò & alacriter exequuti sunt ad porta[illegible] per quam equi ingrediuntur in palatium regis. Oportuit enim sanguinaria[illegible] & idololatricam Achabi & Iesabelis familiam, feras atroces, excindi penit[illegible]

Athalia interficitur.

Fit reformatio & restituitur in integrum vera religio.

nullo ne catulo aut vestigio quidem relicto. Protinus verò extinctis Achabi [illegible] Iesabelis reliquijs, Ioiada pepigit adeoq; renouauit fœdus inter Deum, regem [illegible] populum, quem ita vni Deo eiusq; cultui soli obstrinxit. Ac populus soli De[illegible] iam consecratus confœderatúsque, in phanum irruit Baalis, & hoc cupidi[illegible] ipsis eruit fundamentis, aras quoq; euertit, idola omnia minutatim confreg[illegible] ipsum deniq; Mathan pontificem Baalis, ante aram Baalis trucidauit. Sum[illegible] consuetæ in ecclesia Dei vices, quæ & consequentibus temporibus sunt crebr[illegible] rimæ. Hactenus à morte Iosaphati regis pijssimi, per annos plus minus vn[illegible] cim exosa Deo Achabi & Iesabelis prosapia idololatriam & in Israelitica (a[illegible] hac quidē diutius, per annos circiter 33.) & Iudaica prouexit ecclesia, oppre[illegible] pijs passim omnibus: nunc verò trucidatis idololatriæ authoribus oppressa[illegible] & expurgata idololatria, vera restituitur religio. Optimè itaq; speremus sep[illegible] licet videamus petulanter ac diu etiam falsam triumphare religionem. Præ[illegible] dit Deus tempus, quo maturè omnem conterit impietatem.

Ioas & sacerdotes reformat & templum restaurat

Rex Ioas, quod in primis erat necessarium, post expurgatam idololatria[illegible] sacerdotum officia, iniquitate temporum confusa, in templo Dei, pulchri[illegible] sponens, ad normam legis, integrè restituit: sed & templum domini & ædi[illegible] sacra, vetustate iam collapsa partim, partim erosa & fœda, diligenter & ora[illegible] & restaurat, & tantisper boni regis officio fungitur, quo ad viueret sacerdo[illegible] iada, dirigens regem secundum legis diuinæ regulam. Moritur autem Ioi[illegible] anno ætatis suę 130. ac propter beneficia regno Iudæ præstita, sepelitur in se[illegible] chris regum. Infausta autem fuit sacerdotis mors regi. Nam corrumpitur hic

Corrumpitur rex.

morte Ioiadæ à quibusdam principibus, pessimis sanè consultoribus, adeò [illegible] idololatriam Ioas eiectam ex regno Iuda, iterum in regnum reduceret. Cum[illegible] mitteret Deus prophetas, qui reprehenderent impiũ regis facinus, & inter pr[illegible] phetas hos excelleret Zacharias Ioiadæ sacerdotis filius qui acerrime regē ac[illegible] cusabat, rex immemor beneficij à parente Zachariæ accepti, Zachariã in ip[illegible] ædis domini atrio, lapidibus obruere iussit.

Zacharias occiditur.

Ob hanc regis execrandam ingratitudinem, & ob reditũ eius ad vomitum fœdissimũ, immisit Deus, iusto suo iudicio, Syros, hostes acerrimos, in regnum Iuda, qui cæsis regni proceribus malis illis consultoribus regeq; afflicto, vniuersum regnum Iuda diripuerunt. Rex præterea ipse fœdissimis & infandis morbis confectus, tandem à seruis suis, in lecto suo, miserè est confossus, anno regni sui 40. & sepultus est quidem, sed non, vt Ioiada, in sepulchris regũ. Hoc exemplo certè tristissimo declarante nobis domino, quàm oderit reditum ad vomitum, ingratitudinem item, & cædem prophetarum nephariam, seductionem denique miseri populi à vera religione ad idololatriam. Incidit mors huius regis in annum mundi 3101. *Rex omnigenis calamitatibus adobruitur*

IX.

AMASIAS nonus rex Iuda, filius Ioæ, exemplo parentis infelici, haud dubiè territus salubriter, dominum quærere cœpit, licet excelsa interim non aboleret. Quia tamen ad Deum conuersus est, Deus ipsum vicissim præclara ornauit victoria. Vicit enim Idumæos, quorum decem millia in acie cæcidit, decem verò millia è rupe quadam præcipites egit. Interim tamen victoria hæc ipsius culpa, ipsi malè cessit. Inter spolia enim reperta idola Idumæorum, euexit & coluit. Quo nomine reprehensus à propheta, non modò insolenter prophetam respuit, sed in cœpta quoq; idololatria perrexit. Vnde iratus illi dominus tradidit eum in manus Ioæ regis Israelitarum. Qua de re dictum est in rebus regum Israelis. Ad hanc calamitatem accessit etiam alia & propè tristior. Nam 15. annis exactis, ab illo infelici bello, miser ille rex in Lachis, per conspirationem suorum, crudeliter est interfectus, cum regnasset annis 29. dignum vtique idololatriæ suæ, & quòd non perseueraſſet in vera religione, præmium reportans, vt hoc tam lachrymabili exemplo cæteri edocti, rectius sapiant. *Amasias ab initio princeps bonus.* *Defecit rex.* *Affligitur rex.*

Porrò ex collatione annorum huius Amasiæ & filij eius Vsiæ, & Ieroboami 2. regis Israelitici, nullo negotio colliguntur hic anni Interregni vndecim. *Interregnum.*

VSIAS qui & Osias dicitur, & Azarias, X. rex Iuda, filius Amasiæ, regno inauguratus est cum esset annorũ 16. Regnauit annis 52. Vsus est per initia regni, in rebus sacris & religionis doctore sanctissimo & peritissimo propheta Zacharia. Iccirco sublata idololatria, verum Deum verè coluit Deoq; placuit. Interim verò excelsa in populo hæserunt adhuc, neq; sunt expurgata. Prosperam illi fortunam concessit dominus & nomen celebre, ex rebus feliciter gestis per vniuersum orbem, Palestinos ille oppressit. Arabes deuicit. Amonitas sibi tributarios reddidit. Ægyptum terrore nominis sui concussit. Ædificia & in Palestina, & in regno Iuda, præcipuè autem Hierosolymis, amplissima extruxit. Opulentissimus fuit, quippe qui agriculturæ & rei pecuariæ, vnde ditissimus est prouentus, studiosissimus fuit. Milites quoq; expeditissimos habuit. Armamentarium egregiè instruxit. Quæ sigillatim commemorantur in 2. lib. Paralip. cap. 26. Commendant hæc præclarè religionem nostram veram, quippe quæ non semper reddit calamitosos, sed quæ aliquando & quidem frequenter cultores suos omni benedictionum genere ornat atq; cumulans locupletat. Vt autem nihil omni parte beatum esse rectè dicitur, ita felicissimus hic rex, secundis elatus rebus, superbia Deo exosa, sibi sumpsit, quod solis, secundum legem sacerdotibus conceditur, Deo videlicet adolere incensum. Quod dum ille præfractius moliretur, acriter reprehensus est ab Azaria pontifice. Cui cum ille im potenter irasceretur, lepra à Deo percussus, & ex templo protinus exturbatus, in separata domo, ad diem vsq; mortis suæ habitare compulsus est. Mortuus est anno mundi termillesimo centesimo nonagesimo tertio. Distinxerat Deus muria Regum & Sacerdotum, quæ incolumia manere voluit, & non turbari Regum libidine atque audacia. Ita videmus omnibus sæculis, & quidem *Vsias rex pius & glorioſus.* *Vsias leprosus.*

continuè, veram religionem legésque Dei, à Deo, maturè & fortiter c
assertas.

Hoseas propheta.

Sub hoc principe floruerunt duo insignes prophetæ Oseas qui & Hosea
& Isaias. ET HOSEAS quidem non tantum viua voce prædicauit, sed & cu
pendium eorum quæ prædicauit, scripto breuiter comprehendit. Breuitas se
monibus vel Orationibus eius aliquam infert obscuritatem. Primus numera
tur inter 12. prophetas minores. Insensissimus hostis fuit Ieroboamicæ superst
tionis, nec nō & omnium aliarum religionum peregrinarum Constanter erg
& acriter falsam damnat, veram docet & vrget. Vbiq; prædicat pœnitentiam
corripiens x. tribuum in primis ac etiam tribus Iuda scelera. His denunciat m
super dira supplicia, tandem & excidium certissimum. Proinde suader ad Dei
conuertantur, in veritate fide iustitiaq;, ac Deum legitimè colant, ingentia v
ris Dei cultoribus beneficia à Deo promittens. Vaticinatur interim & de Chr
sto domino & seruatore nostro, & de omniū gentium vocatione. Videtur pro
phetasse supra annos 80.

Isaias primus inter prophetas quos vocant maiores.

ISAIAS verò natus ex familia regia, post Mosen, Samuelem & Dauidem
ac Solomonem, inter prophetas, quorum scripta extant, videtur omnium ei
præstantissimus. Scripto reliquit nobis opus plane diuinū. Docuit annos pl
minus 65. aut 80. circiter, quod alijs videtur, nec vero admodùm dissimile ei
Huius prophetæ opus ego dum hæc scribo, pro sacra concione ecclesiæ cui m
seruio, expono, & Homilijs cōscriptis, explano, editurus has, si Dño placuer

Totum eius opus diuidi potest in partes duas. Priore exponuntur variæ
multæ orationes habitæ sub regibus Vsia, Iothā, Achaz & Ezechia, à cap. 1. ad
caput vsq; 26. Istarum diuersa sunt argumenta. Aliæ enim habitę sunt ad popu
lum Dei, x & duarum tribuum: aliæ autem dictæ sunt contra varias gentes, v
Babylonios, Aegyptios, Aethiopas, Syros, Moabitas, & reliquas. Adhortan
illas ad pœnitentiā, sceleribus ipsarum accusatis, & proposito premio et imm
tata pœna, aliquoties etiam insertis de Christo seruatore vaticinijs. Gentium
quoq; scelera accusat, & fata earum ipsis denunciat. Quę quidem omnia ita
prædicta sunt euenerunt. Appendit his à cap. 36. ad 40. vsq; historias quasdam
memorabiles. Pōsteriore parte à cap. 40. ad finem vsq; operis principio elegan
tem contexit orationem, qua captiuos in Babylone consolatur. Deinde varia
nia attexit de Christo domino & seruatore nostro adeò luculenta, vt videantu
planè non futurarum rerum prædictionem sed historiam pręteritarū scripsi

Triumphat vera religio.

Ex quibus iterū claret veram verę religionis doctrinam, & prædicationem
de Christo Domino & mundi seruatore vnico, floruisse & triumphasse p
quam integro sæculo. Nisi enim Achaz felicitatem hanc doctrinæ sanæ inter
pisset, numeraremus à 1. anno Vsiæ ad primum annum regni Manassis anno
pulus minus 113. Sed expungit ex his 16. años infelix Achaz, qui tametsi quo
nus veritas hæc inuicta prædicaretur, prohibere non potuit, veritatem tamē
neglexit, & palàm superstitionem prouexit, ipsumq; adeò templum occlusit.

DIVISIO MONARCHIAE ASSYRIACAE.

RES ipsa postulat vt hic nonnihil dicam de diuisione monarchiæ Assyriacæ
cuius paucis per initia huius operis memini: & pertinet hæc tractatio
sacram historiam, quæ hactenus populum Dei ab Assyrijs, ante tēpora Achaz
afflictam, non commemorat: at paulò post hæc tempora cœperunt Assyrii na

Assyrij affligūt populum Dei.

Israelitis tùm Iudæis maximas inferre calamitates. Ergo vltimus Chaldæorum
vel Assyriorum regum, qui integram tenuit monarchiam, dicitur fuisse Sarda
napalus. Nullis hic ornatus fuit regijs virtutibus, sed scorto quouis corrupto
Vac

Vnde principes eius, non temerè ipsum oderunt. Inter hos præcipui Phul Belochus Babyloniæ præses, & Arbaces prefectus Medorum, coniuratione facta bello Sardanapalum petunt, & acie victum, in arcem se recipere compellunt. Ibi propudium portentumq; illud hominis semetipsum vnà cum opibus perdidit incendio. Victores autem Assyriacam monarchiam ita inter se partiti sunt, vt Phul Belocho cederet Babylon & Assyria, Arbaci verò Media & Persia. Et vt reges Arbacem sequentes, Medorm reges dicti sunt: ita Belocho succedentes, nuncupati sunt reges Assyriorum & Chaldæorũ, postea etiam Babyloniorum. Ab initio Niniuen, postea regnante Merodacho Baladano, Babylonẽ regiam inhabitarunt. Sequetur mox in tabula prima, series regum Assyriorum ac Babyloniorum. Catalogus verò regum Medorum hic est. *Sardanapalus vincitur.*

1	Arbaces.	6	Phaortes, quem & Arphaxat dictum aiunt.
2	Sosarmus.	7	Cyaxares 1.
3	Medius.	8	Astyages qui & Assuerus.
4	Cardiceas.	9	Darius 2. & priscus, & Medus,
5	Dioces.		& Cyaxares 2. dictus.

Reges Medorũ

Hic monarchiam Cyro reliquit coniunctam rursus, sed Persico nomine appellatam.

Huc vsq; iuuante me Dei gratia, perduxi primam huius operis mei partem, qua exposui tempora & res ab exordio mundi ad primum vsq; annum Iothani regis Iuda, eas inquam quæ pertinere videntur ad literas sacras illustrandas, & ad veram antiquamq; religionem, & eius certitudinem, progressum item, & mutationem cognoscendam.

PARS SECVNDA HV. IVS OPERIS.

Ordo & ratio huius secundæ partis.

ACCEDIMVS nunc ad alteram huius operis nostri partem, qua primò construemus collocabimúsque Tabulas illas nostras Chronicas quæ ad oculum commonstrabunt tempora, quorum ferè Daniel noster mentionẽ facit & quæ passim in Homilijs nostris occurrunt. Deinde adiuuante Deo, Annotationibus subiectis, illas nonnihil illustrabimus, continuantes in primis res istorum temporum, præcipuè ad res sacras pertinẽtium seriemq; religionis veræ & eius mutationes exponentium, reddemus denique rationes supputationis temporum, sicubi ad scopulum aliquem peruenerimus.

TABVLA CHRONICA PRIMA AB ANNO IOTHAN PRIMO AD CAPTIVIT. VSQVE Babylonicam continens annos 161. & Monarchiam Babylonicam.

Anni *mundi.*	Olympiades.	R. Iuda	R. Israel	R. Assyr.	
3194		*Iothan.*	*Pekan.*	*Phul Belech.*	
3195	1	2	3	44	
3196	2	3	4	45	
3197	3	4	5	46	
3198	4	5	6	47	
3199	2	6	7	48	
3200	2	7	8	*Phul. Assar.*	
3201	3	8	9	2	
3202	4	9	10	3	
3203	3	10	11	4	
3204	2	11	12	5	
3205	3	12	13	6	
3206	4	3	14	7	
3207	4	14	15	8	
3208	2	15	16	9	
3209	3	16	17	10	
3210	4	*Achaz*	18	11	
3211	5	2	19	12	
3212	2	3	20	13	
3213	3	4	*Interregnum*	14	
3214	4	5	2	15	
3215	6	6	3	16	

Anni mundi.	Olympiades.	R. Iuda	R. Israel.	R. Assyr.	Anni vrbis conditæ.
3216	2	7	4	17	
3217	3	8	5	18	
3218	4	9	6	19	
3219	7	10	7	20	*Roma condita.*
3220	3	11	8	21	2 *Romulus.*
3221	3	12	9	22	3
3222	4	13	10	23	4
3223	8	14	*Osee.*	*Salmanazar.*	5
3224	2	15	2	2	6
3225	3	16	3	3	7
3226	4	*Ezechias.*	4	4	8
3227	9	2	5	5	9
3228	2	3	6	6	10
3229	3	4	7	7	11
3230	4	5	8	8	12
3231	10	6	9	9	13
3232	2	7	*Capitur Samaria, sequtũ exilium ann. 192.*	10	14
3233	3	8		11	15
3234	4	9		*Senacherib.*	16
3235	11	10		2	17
3236	2	11		3	18
3237	3	12		4	19
3238	4	13		5	20
3239	12	14		6	21
3240	2	15		7	22
3241	3	16		*Assar addan.*	23
3242	4	17		2	24
5243	13	18		3	25
3244	2	19		4	26
3245	3	20		5	27
3246	4	21		6	28
3247	14	22		7	29
3248	2	23		8	30
3249	3	24		9	31
3250	4	25		10	32
3251	15	26		*Merodach baladã*	33
3252	2	27		2	34
3253	3	28		3	35
3254	4	29		4	36

Anni *mundi.*	Olympiades.	Reg. Iuda	Re. Assyr.	Roma condita.
3255	16	*Manasses.*	5	37
3256	2	2	6	38
3257	3	3	7	39 *Numa Pom.*
3258	4	4	8	40 *pilius.*
3259	17	5	9	41
3260	2	6	10	42
3261	3	7	11	43
3262	4	8	12	44
3263	18	9	13	45
3264	2	10	14	46
3265	3	11	15	47
3266	4	12	16	48
3267	19	13	17	49
3268	2	14	18	50
3269	3	15	19	51
3270	4	16	20	52
3271	20	17	21	53
3272	2	18	22	54
3273	3	19	23	55
3274	4	20	24	56
3275	21	21	25	57
3276	2	22	26	58
3277	3	23	27	59
3278	4	24	28	60
3279	22	25	29	61
3280	2	26	30	62
3281	3	27	31	63
3282	4	28	32	64
3283	23	29	33	65
3284	2	30	34	66
3285	3	31	35	67
3286	4	32	36	68
3287	24	33	37	69
3288	2	34	38	70
3289	3	35	39	71
3290	4	36	40	72
3291	25	37	*Ben Merodah.*	73
3292	2	38	2	74
3293	3	39	3	75

3294

Anni mundi.	Olympiades.	Reg. Iuda	Re. Babyl.	Roma condita.
3294	4	40	4	76
3295	26	41	5	77
3296	2	42	6	78
3297	3	43	7	79
3298	4	44	8	80
3299	27	45	9	81
3300	2	46	10	82 *Tullus*
3301	3	47	11	83 *Hostilius.*
3302	4	48	12	84
3303	28	49	13	85
3304	2	50	14	86
3305	3	51	15	87
3306	4	52	16	88
3307	29	53	17	89
3308	2	54	18	90
3309	3	55	19	91
3310	4	*Amon.*	20	92
3311	30	2	21	93
3312	2	*Iosias.*	*Nabuch. priscus.*	94
3313	3	2	2	95
3314	4	3	3	96
3315	31	4	4	97
3316	2	5	5	98
3317	3	6	6	99
3318	4	7	7	100
3319	32	8	8	101
3320	2	9	9	102
3321	3	10	10	103
3322	4	11	11	104
3323	33	12	12	105
3324	2	13	13	106
3325	3	14	14	107
3326	4	15	15	108
3327	34	16	16	109
3328	2	17	17	110
3329	3	18	18	111
3330	4	19	19	112
3331	35	20	20	113
3332	2	21	21	114 *Ancus Mar.*

Anni *mundi.*	Olympiades.	Reg. Iuda	Re. Babyl.	Roma condita.
3333	3	22	22	115
3334	4	23	23	116
3335	36	24	24	117
3336	2	25	25	118
3337	3	26	26	119
3338	4	27	27	120
3339	37	28	28	121
3340	2	29	29	122
3341	3	30	30	123
3342	4	31	31	124
3343	38	*Ioachaz &*	32	125
3344	2	2 *Ioachim.*	33	126
3345	3	3	34	125
3346	4	4	35	128
3347	39	5	*Nabuch. magnus.*	129
3348	2	6	2	130
3349	3	7	3	131
3350	4	8	4	132
3351	40	9	5	133
3352	2	10	6	134
3353	3	11	7	135
3354	4	*Iechonias.*	8	136

ANNOTATIONES IN TAB. I. QVIBVS POTIORA EIVS PAVLO COPIOSIVS EXPLICANTVR.

De Regibus Iuda.

XI. *Iothan pius & felix.*

IOTHAN XI. rex Iuda, filius Vsiæ regis, princeps fuit pius, felix & clarissimus. In religione enim vera satis integer fuisse legitur, nisi quòd populum ipso excelsa, Deo inuisa, frequentare non desijt. Floruere sub eius imperio Oseas & Isaias prophetæ, de quibus in rebus Vsiæ est dictum. Floruerunt ergo studia pia, floruit & religio vera, contempta iacuit falsa. Contemporaneus illorum fuit Micheas.

Micheas prophetia.

MICHEAS hic numeratur inter duodecim prophetas minores. Vixit munere prophetandi vsus esse supra annos 46. Nam prædicauit etiam sub Achaz & Ezechia regibus. Imitator non infelix fuit Isaiæ prophetæ. Declamauit præcipuè contra regnum Iuda, sed & contra regnum Israelis, mox corruturum. Accusauit vtriusq; scelera, denuncians eis iudicium Dei. Vaticinatus est item de Christo & regno eius, adeoq; de prædicatione euangelij in omnes gentes. Celeberrima fuit semper in ecclesia Dei huius prophetæ prophetia. Prænunciauit hic Christum verum Deum esse & verum hominem futurum, ipsiusque natiuitatis Christi locum, secundùm naturam humanam, veluti de

commo-

commonstrauit, Bethlehem. Simul & in eodem vaticinio officium Christi attigit dicens,

ET TV BETHLEHEM EPHRATA, PARVA ES VT SIS IN MILLIBVS IVDA, EX TE PRODIBIT MICHI, QVI DOMINATOR SIT IN ISRAELE, ET EXITVS (emanationes) EIVS A SAECVLO A DIEBVS AETERNITATIS.

Micheæ illustris prophetia de Christo.

Et hoc quidem prophetæ de Christo testimonium illustratum est in celebri synodo Hierosolymitana, conuocata ab Herode, ob aduentum & quæstionem Magorum orientalium, vt à Matth. describitur cap. 2. Moneo autem in præsenti omnes sacræ theologiæ studiosos, imò omnes verę religionis cultores, vt hoc prophetæ testimonium illustre, & reliqua alia huius generis prophetarum omnia elogia, diligenter obseruent, & penitius animis ipsorum insculpentes infigant, ipsq; firmiter mordicusq; & securè inhæreãt, ab acutis verò contraria asserentibus disputationibus refugiant, & nouationes inductas cõtra fidẽ Christi simplicem constantissimè abominentur.

Porrò Iothan rex ædificia passim per regnũ nobilia & vtilissima extruxit, imperium prudenter & prosperè administrauit, bellis quoq; ac victorijs felix fuit. Nam gentem Ammoniticam bello domitam, tributum præstare coegit. Cumq; annis 16. feliciter regnasset, spiritum suum Deo tradidit, & illatus est in sepulchrum regum Iuda.

XII.

Achaz impijssimus & in electissimus princeps.

ACHAZ XII. rex Iuda filius Iothan impijssimus princeps, ab auo & parente degenerauit prorsus. Scriptura enim affirmat nihil illum fecisse, quod placuerit Domino. Deficiens enim à Deo & religione vera, ambulauit in vijs regũ Israelis, neq; hac impietate cõtentus fuit, quin fusilia quoq; parauit Baalim, sacrificauitq; in valle Hinnom, traducens filium suum per ignem. Amouit præterea vnicam illam Dei aram loco suo, cathedram sacram deiecit, tandẽ & templum clausit, & aras sibi in omnibus extruxit angulis, dijs alienis sacrificans in excelsis & sub omni arbore frondosa. Ac mirũ est sanè post tam felicia & beata tempora, in quibus floruerat religio in Iuda, & in tanta excellentissimorũ prophetarum copia, tempore, vsq; adeò breui, tam turpi & horrenda deformatione ecclesiam potuisse defœdari. Sed admonemur hoc memorabili & fœdissimo exemplo vices esse in ecclesia, ad quas pij animos despondere debeant minimè, esse item hominum mentes ad omnem impietatem procliues, quas si principũ authoritas impellat, in omni impietate sese volutantes atq; defœdantes, prorsus furant.

Vicissitudo in ecclesia admiranda.

Sicut autem Achaz rex factus est exemplum exquisitæ impietatis, ita in eodem ostendit nobis Dominus, impios non impunè impietatem diu exercere, sed propter impietatẽ grauiter et horribiliter puniri. Iratus ergo Achazo Deus, tradidit ipsum in potestatem Syrorum & Israelitarum præterea. Quanta verò ab his clade sit affectus atq; oppressus, submonui in rebus Pæka regis Israelitarum. Neq; verò semel vexatus est ab his regibus: qui & ipsum deleuissent penitus, nisi Deus respexisset in Christum verum illum messiam, & vrbi regnoq; Dauidis pepercisset. Qua de re disseruit Isaias in cap. 7. prophetici sui operis. Irruperunt præterea in Iudæam Idumæi & Palestini, veteres populi Dei hostes acerrimi, ac auarè & crudeliter depopulati sunt eam. Breuiter, Propter extremam Achazi huius impietatem humiliauit Deus, vt habet scriptura, regnum Iuda, & denudauit prorsus: vt hoc exemplo triſti omnes admoniti reges & populi, sibi caueant ab Achazica illa impietate nepharia.

Grauissimè punitur impietas.

Achaz implorat auxilium regis Assyrij & Assyrios attrahit in regnum.

Denicp cum rex tantis premeretur malis, & Isaias ipsi suaderet pœnitentiam ageret, Deum inuocaret, & non pergeret humano eocp pestifero consilio, confugere ad regem barbarum Assyriorum, & ab hoc petere auxilium, nihil tamen oratione quantúmuis instructa & vehementi (quæ extat apud Isaiam in cp. 7.8.9.10.) apud regem obduratum effecit. Achaz enim obstipo collo perrumpens, missis legatis & muneribus, exhausto in hanc rem ærario regio publico & sacro, seruiliter admodùm se regi prophano Teglatphalazar subiitraut, ab ipso auxilium contra Syros petiuit. Sicut enim Manahem ante annos circiter triginta, primus reges Assyriorum prophanos, in terram Israelis, ad incrementum vniuersi regni, quod ille imprudenter huiusmodi confœderatione saluum conseruare cupiebat, induxit: ita & Achaz Assyrios primus in regnum Iudæ illexit. Id quod vniuerso regno pessimè cessit, & Isaias pessimè cessurum omnem prædixit. Cumcp Damascum occupasset Assyrius, venit eò ad Assyriũ Achaz salutandi & officij gratia. Nam per omnia se barbaro & impio regi approbare contendit. Ideocp & idololatriam & peregrinum cultum auxit Achaz. Damasci didicit cultum Deorum Syriæ, & inde hunc Hierosolymam, nimis obsequens Vriæ pontifici, transmisit, & mox ipse insequens, Dijs Syriæ nepharie sacrificare uit, eo potissimum nomine, vt ipsi opem ferrent. Quia enim Achaz victus fuerat à Syris, sperabat se quocp ope Deorum Syriæ, victorem futurum. Fecit rex impius, quod hodie adhuc solent plurimi, maximo rerum suarum cum detrimento facere, coniungentes se fœderum nexu cum peregrinarum religionum principibus atcp hominibus, quò res suas retineant saluas, quas hac ipsa tamen ratione amittunt, denicp & se & suos suacp omnia euertunt: qui item eos demum religiones & veras & omnium optimas esse arbitrantur stolidissimi, quarum cultores vincunt & in hoc sæculo secunda vtuntur fortuna.

Achaz colit Deos Syrorum

Postquam verò 16. annis Achaz impiè & infelicissimè regnum lacerauit verius quàm administrasset, infelicissimè tandem mortuus est, & sepultus quidem, sed non in sepulchris regum Iuda, vtpote qui indignus erat honore regio.

XIII.
Ezechias rex pius & felix.

EZECHIAS XIII. rex Iuda Achazi filius, longè diuersissimis à patre moribus. Cum enim pater sit omnis impietatis exemplum fœdissimum, filius factus est exemplum pietatis & religionis synceriſſimum. Nam ambulauit in omnia in vijs Dauidis patris sui, atcp adeò fuit diligens & syncerus in studio ræ religionis, vt scriptura ipsi huiusmodi ferat testimonium, Fiduciam collocauit Ezechias in domino Deo Israelis, vt non fuerit ei similis ante eum, nec post eum in omnibus regibus Iuda. Adhærebat enim domino, nec deflexit abeo uans domini mandata Mosi tradita. Ita sanè benignus dominus iterum seren afflictæ suæ ecclesiæ, & toto Achazistempore caligine tetra inuolutæ, illuxit stitiacp oppressam, gaudio rursus perfusam erexit.

Reformatio plena ecclesiæ & reformationis exemplum pulcherrimum

Primo enim mox anno regni sui, templum, quod pater occluserat, aperuit & reparauit. Synodum deinde conuocauit celebrem, in qua cum Leuitis maximè, de restauranda reformandacp religione consultauit. Causas in eo omnium malorum, quibus hactenus regnũ fuit attritum, refert ad neglectam religionem veram & ad receptam falsam. Præcepta quocp Leuitis dat, quibus ipsorum format officia. Sed & manum adijcit consilijs. Protinus enim templum purgari ab omnibus sordibus, eiectis inde omnibus ad idololatriam pertinentibus, & rursus ijs inductis, quæ secundum verbum Dei, ad verum debantur pertinere cultum. Quibus summa perfectis diligentia, ante omnia similians se Rex coram Domino, & suum & vniuersi regni peccatum confitens sacrificat pro peccato, & veniam implorat à misericorde Deo delictorum scelerum admissorum omnium. Et hac quidem in re, cum fide imbutus

viua & vera, admodùm liberalis fuisse legitur, sicuti & populus. Holocausto enim absumpti sunt boues 70. arietes 100. oues autem 200. & gratulationis ergo mactati sunt boues 600. ouiumq; 3000. In primis verò muticam sacram, vti à Dauide erat ordinata, pulchrè restituit Rex, vt laudibus celebraretur Deus & gratiæ ei agerentur quam copiosissimæ. Præterea instituit & Pæsa celebre domino, multis hactenus annis neglectum. Ideoq; missis literis & nuncijs, nõ modò in regnum Iuda, sed in regnum etiam Israelis vsq;, omnes inuitat ad sacramenti sanctissimi celebrationem. Ex Israelitis nondum in captiuitatem abductis, sed mox abducendis, plericq; studium regis sancti petulanter irriserunt, multi tamen sponte Hierosolymam festinantes, celebritati sanctissimæ & maximæ, sese adiunxerunt. Celebratum est enim Pæsa celebritate maxima & religiosissima, & ingenti omnium cum gaudio. Donauit rex cœtui iuuencos 1000. & ouiũ 7000. addiderunt his principes iuuencos 1000. & ouium 10000. Et scriptura quidem testificans, A diebus, inquit, Solomonis, non fuit in Hierusalem talis tantaq; lætitia. Recensemus censum oblationũ libenter, non modò vt ostendamus populi Dei opes, quàm vt patefaciamus sanctam & profusam fidelium liberalitatem cultu dei exhibẽdo, atq; vt ob ista oĩa laudetur Deus qui populo suo benedixit. *Ezechias Pæsa celebrat celebritate maxima.*

Absolutis his & purgata regni metropoli, digressi sunt ministri regij passim in regnum, sed & populus ipse vbiq; sustulit excelsa, confregit statuas, succidit lucos, adeoq; serpentem illum æneum, quem erexerat Moses, contriuit rex, eò quod abuteretur eo populus, adolens illi: cum reuera non in hunc finem à Mose erectus fuisset, sed vt typum Christo & redẽptioni nostræ præferret. Id quod Gualtherus noster eleganti adumbrauit carmine, *Deijcitur & conteritur æneus serpens.*

Æneus ex alto suspensus stipite serpens,
Exhibitæ in Christo signa salutis habet,
In cruce qui moriens, mundi peccata piauit,
Huius consortes nos facit alma fides.

Quoniam verò pro singulari sua prudẽtia intelligebat rex reformationem ecclesiæ rursus in deformationem degeneraturam, nisi doctores & ministri ecclesiarum foueantur, atq; hi vicissim sua faciant officia, totus in eo fuit rex, vt Leuitis sua cederent, iuxta verbum Dei, vectigalia, ac ipsi pariter suis diligẽter fungerentur officijs. Describuntur hæc omnia copiosius in 2. Paral. lib. cap. 29. 30 & 31. Et exhibent illa nobis absolutissimũ bene reformandæ restaurandæq; ecclesiæ, varijs errorum abusuumq; & abominationum spurcitijs obsitæ atque defœdatę, exemplum. Quod vtinam iusta expendatur trutina ab ecclesiæ præsidibus, &c. *Rex ministros fouet ecclesiæ.*

Benedixit autem regi pio Dominus, ac concessit, vt in omnibus prosperrima vteretur fortuna. Palestinos feliciter deuicit, omnibus vicinis regibus terrori fuit. Et quod multa admiratione dignum est, ipse cum regno suo incolumis & in pace mansit, dum x. tribus vicinæ, à rege Assyriorum Salmanazare, flãma & ferro vastarẽtur, ac reliquiæ in Mediã vsq; captiuę abducerentur. Quin imò ausus fuit rebellare Ezechias regi Assyrio, cui imprudenter Achaz se dediderat. Eam ob rem grauem conficiebat Assyrius expeditionem, bellum Ezechiæ illaturus. Quocirca metuens sibi Ezechias societatem ambiuit regis Ægyptiorum, missis in Ægyptum legatis. Quod institutum Isaias damnauit vehementer atque constanter: sicuti adhuc testatur Oratio eius comprehensa 30 & 31. cap. Isaiæ. Persuasus tamen imò seductus à nonnullis suis consiliarijs, perrexit in hoc suo instituto, & cõtra Dominum grauiter peccauit. Adest itaq; Assyriorum rex Senacherib, & totum regnũ Ezechiæ & occupat & ferro flamma vastat. *Victoriæ Ezechiæ.* *Ezechias confœderatur regi Aegyptio.* *Bellum Assyrium vel Hierosolymitanum.*

In hac ſumma rerum perturbatione, & metu omnium propè deſperatio ripitur letali morbo, peſte inquam graui, rex, ſed per miraculum reſtitutus Domino, vt inde colligat, vſurum ſe propitio Deo, etiam in horrendo illo bel Intulit hoc Ezechiæ Aſſyrius regni Ezech. anno 14. At adduntur in morbo tæ regis adhuc 15. anni. Eos ſi coniungas cum 14. annis, colliges vniuerſos regni Ezechiæ annos, colliges item certò, regem ex peſte 14. anno regniſu ipſo inquam bello, decubuiſſe & conualuiſſe. De morbo hoc regis diligen monet Iſaias, & 2. liber Regum, qui per omnia congruit cum narratione Iſa Breuior hic ſum in enarrandis, quòd ſingula copioſius explicarim in Hom illis meis breui ad Iſaiam edendis.

Reſtitutus Rex ſanitati cogitat hoſtem vrbi iam imminentem armis de lere. Conſilium ergo init cum principibus ſuis, & vrbem munit. Hoſtem tam prius blanda legatione & muneribus ampliſſimis auertere tentauit, exhau in hanc rem & ſacro & regio ærario. Sed cum cerneret fruſtra ſe illa conat hoſtem perfidum vrbi & capiti regis inhiare, ſuos hortatur ad conſtantiã fortitudinem, neq; quicquam earum negligit rerum, quæ ad obſidionem vr ſuſtinendam & ad depellendum à mœnijs hoſtem, pertinere videbantur.

Funditur rex Aegyptius.

Interea Ægyptius inſtructiſſimo cum exercitu adeſt ſuppetias Ezech contra Senacheribum allaturus: ſed ſicut prædixerat Iſaias, intercipitur Ægy ptius, funditur atq; fugatur exercitus, maximo haud dubie cum dolore & m rore regis & Hieroſolymorum. Confortabat ac conſolabatur tunc trepi Iſaias, regemq; & populum hortabatur ad preces aſſiduas, et ad veram in D fiduciam. Cui cum obſequerentur fideliter, factum eſt, vt Aſſyrius non mo nihil efficeret, per oratorem ſuum eloquentiſſimum Rapſaken, ciuibus Hie ſolymitanis deditionem ſuadentem, ſed ea ipſa nocte, qua ſtatuerãt ad prim diluculum inſequentis diei vrbem adoriri & expugnare, ſternerentur adm nia Hieroſolymorum, angeli vnius à Deo miſſi gladio, centena & octoge quinq; Aſſyriorum millia. Rex verò turpi elapſus fuga, paulò poſt iaculo a priſs transfigeretur filijs, idq; in Niniue, & quidem in templo, ac in ipſo ere ctu ipſius Dei ſui. Memorabile eſt hoc bellum Aſſyrium, & memorabilis ac rendus eſt hoſtium Ezechiæ interitus, admiranda verò etiam vrbis liber & regis victoria ſplendidiſſima. Quibus ſanè omnibus vniuerſo mundo os tum voluit Dominus, ſe nuſpiam ſynceros ſuos deſerere cultores, ipſum v fide inuocantes. Voluit præterea Deus memorabili hoc ſuo facinore, com lias & blaſphemias veræ religioni ab Aſſyrijs aſperſas, abſtergere, veramq gionem ornare atq; illuſtrare.

Gloria Ezechiæ.

Parauit hæc victoria Ezechiæ magnam in orbe, apud omnes principe riam, adeò vt potentiſſimus Babyloniorũ rex Merodach Baladan legatos honeſtiſſimam ad Ezechiam ipſi gratulatum vnà cum maximis muneribus teret. Qua re cum nimium efferretur Ezechias, audit ab Iſaia liberos ideſi naſſem & nepotes eius captiuos aliquando in aula Babylonica ſeruituros quod humili & prompta in ſe mente recepit, commendans ſe gratiæ domi quem feliciter migrauit anno regni eius 29. Commemorat autem ſcriptur lum in inſignioribus filiorum Dauidis ſepultum eſſe ſepulchris, atq; ita bea tum in morte ſua, ab omni Iuda omnibusq; ciuibus Hieroſolymitanis.

De Iohele propheta & eius prophetia.

Floruerunt ſub hoc principe clariſſimi prophetæ Oſeas, Iſaias, Micheas el & Nahum. IOELIS prophetia continetur in libro prophetarum, qui inquam, qui dicuntur Minores. Videtur concionatus eſſe ea, quæ ſcripto be ter comprehendit, paulò ante bellum Aſſyriacum, cuius modò memini. N prænunciat populo Iudaico horrenda illa mala, quæ ei poſtea Aſſyrius in uit, hu

uit, longè & latè vastans omnia. Hortatur ergo omnes ad pœnitentiam, quam & graphicè qualẽ esse oporteat, describit, & vnicã esse viam ostendit, per quam impendentia declinentur mala. Prædicit etiam hostibus Dei & ecclesiæ, quibus sint excarnificandi supplicijs, ne quis offendatur horum felicitate temporaria & victorijs. Differit item de regno Christi ecclesia, eiusq; charismatibus. Cuius interpretem habemus Petrum Apost. Act. cap. 2.

De Nahumi prophetia.

NAHVM verò numeratur & ipse inter prophetas 12. minores. Fingit hic (quem Hieron. ait prophetasse 6. anno Ezechiæ regis) scribi à Deo Niniuitis, vtpote Assyriorum metropoli, literas feciales, quibus indicatur bellum, ostendaturq; eis, quis nam ille & quam potens sit Deus ipsorum hostis, & quas ob causas vrbem statuerit euertere vetustissimã, simulq; subiecta hypotyposi, qua ob oculos modus perdendæ euertendæq; vrbis subijcitur. Egregium ea prophetia vniuerso mundo exhibetur exemplum, Deum licet tardè ad vindictam videatur procedere, tandem tamen & opportuno tempore ad ipsam peruenire, suorumq; non obliuisci, sed eos semper & certò vindicare & liberare.

XIIII. *Manasses impius & infelix rex.*

MANASSES XIIII. rex Iuda, patri Ezechiæ succedẽs in regno, nec micam quidem paternæ pietatis reliquam habuit, sed auum Achazum imitatus est, per omnia sceleratissimus & infelicissimus princeps. Nam omnem idololatriam à patre dirutam, ille restituit, & verum Dei cultũ restitutum à patre ipse deiectum conculcauit, templũ domini prophanauit, aras Baali erexit, omnemque cœli exercitum infelix adorauit, lucos plantauit, filium suum traduxit per ignem, ac in valle Hinnom imolauit, breuiter, nihil omisit quod ad absolutissimam impietatem pertinere putauit, atq; eò tandem res deuenit, vt populus Iuda longe superaret impietate ipsas gentes impurissimas. Mittẽte verò Deo prophetas suos & adhortante omnes ad pœnitentiam, & minante certum exitium ni reuerterentur, non tantùm recta monentes non audierunt, sed insuper prophetas persequuti sunt & interfecerunt. Aiunt Manassem serra medium dissecuisse clarissimum prophetam Isaiam, Et scriptura disertè, Manasses, inquit, plurimum fudit sanguinis, donec Hierosolymam adimpleret ad summum vsque, &c.

Isaiæ interitus.

Sors sanctorum ministrorum & ecclesiæ.

Diligenter obseruabunt pij sortem sanctorum, in primis ministrorum Dei deplorandam planè & admirandas in ecclesia vicissitudines. Florebat sub Ezechia ecclesia & triumphabat, eadem nunc post paucos annos affligitur defœdatur & discerpitur plus quã lugubriter atq; crudeliter: ac Deus ea interim ignorare aut dissimulare videtur quæ tamen palàm inspicit, & suo tempore requirit. Discamus ergo in ecclesia patientissimè ferre, si paribus iactemur exceamurq; casibus, obsecrantes dominum, vt nos seruet in integritate fidei, per tollerantiam, donec ipsi placeat in ordinem redactis idololatris liberare nos.

Capitur Manasses & agit pœnitentiam.

Sicut autem dñs per prophetas regi & populo maturè prædicari curauerat, si in impietate sic pergerent, fore vt atroci bello à gentibus crudeliter affligerentur: ita opportuno tempore adduxit in Iudæã Deus Merodachũ Baladanum, vel eius filium potius regem Babylonis, qui vinctum regem Manassen abduxit in Babylonem. Vbi cum aliquandiu in vinculis detentus esset, gratia diuina ipsi affulgente, in semetipsum descendit, scelerumq; suorum atrocitatem agnouit, & ea sibi à clementissimo Deo condonari, liberari se & restitui in integrum, feruida & assidua oratione petiuit. Exaudiuit autem ipsum misericors Dominus, & in regnum reduxit, vbi mox verè pœnitentis opera fecit. Nam idololatriam prius à se restitutam, iterum disiecit & aboleuit, verumq; Dei cultum reparauit: factus vtique memorabile maximumq; vniuerso terrarum orbi veræ pœnitentiæ exemplum, quod imitentur illi quoque, qui infandis sceleribus

offenderunt Dominum. In sua verò illa pœnitentia mortuus est feliciter, cu regnasset annos 55.

De prophetia Abacuk.

ABACVK propheta & ipse numeratus est inter prophetas 12. minor sub hoc principe docuisse & scripsisse dicitur. Videbatur multis Deus segnit atrociter in pios & in omnem pietatem Manasse rege, suam negligere eccles minime, neq; curare, quòd impij quiq;, iustissimos quosuis opprimerent. Datus e ergo à Deo insignis hic propheta ecclesiæ, qui & pios consoletur in grauis tentatione, & impijs denunciet interitum cùm certissimum tum horrendu Proinde monet propheta pios ne desperent in suis afflictionibus, prædicto ui adfuturos Chaldæos, qui supplicium sumant de sceleratis: quia tamen n dum sint ipsi quoq; excessuri, ideò & ipsos fore vastandos. Iudæos autem ma festè prædicit reducendos in patriam &, tunc quidem venturum Christum, d quo futura sint aurea sæcula. Singulare habet hic propheta auream illam se tentiam quã Apostolus ad Rom. ad Galat. & ad Hebr. adducendo, inculcau

IVSTVS FIDE SVA VIVET.

XV.
Amon grauiter peccat contra Deum.

AMON XV. rex Iuda, filius Manassis, patrẽ impietate expressit, sed non imitatus est eiusdem pœnitentiam, imò nihil commotus patris horrendo exi omnem restituit iterum idololatriam, vix à patre nec dum plenè prorsus co uulsam & deiectam. Grauissimè ergo peccauit contra Deum. Vnde vix bie nio regnauit. Interfectus est enim mox, in sua illa impietate, à propriis serui suis. Dignus enim erat, qui omnigena perfunderetur ignominia, qui in Deu extremè blasphemus erat.

XVI.
Iosias rex pijssimus.

IOSIAS XVI. rex Iuda impijssimi patris, longe religiosissimus sanctis musq; fuit filius. Octo annorũ erat hic princeps cum regno præficeretur. M xima per hunc principem iuuenem adeoq; puerum adhuc beneficia eccles suæ, Deus præstitit, vsus vtiq; hoc iuuene organo infirmo, vt agnosceretur a omnibus, magnifica hæc Iosiæ opera, & maxima eius ecclesiæ collata benefi proficisci à Deo: qui ecclesiæ suæ rursus reformatorem dedit, qui sordes omn expurgaret, falsam doctrinam cum religione falsa eliminaret, & veram doctr nam cum vera religione restitueret, rursusq; conculcato mendacio veritatem umpharet. Fuit hic princeps Iudaicorum regum pietate & innocentia studio & zelo sanctissimo omnium præstantissimus laudatissimusq;. Fecit enim qui rectum erat in oculis Domini, sicut Dauid, nec deflexit vel ad dexteram vel a stram, sed syncerè & constantissimè institit viæ Domini. Promiserat eximiu hunc principem Deus per prophetam illum, qui Ieroboamo se opposuit, & re ligionem ab ipso inuentam, non diu incolumem permansuram prædixit, dicẽ Ecce nascetur filius Domini Dauidis Iosias nomine, qui excelsorum sacrific sacrificabit, &c.

Reformat ecclesiam suam dominus per Iosiam.

Ergo octauo anno regni sui cum natus esset 16. annos, admodùm adhuc u uenis cœpit quærere Dominũ, & seriò cogitare de rebus religionis rectius co ponendis. Ac anno regni sui 12. cœpit expurgare vrbem à sordibus idolorum Præstat audire ipsa scripturæ de his verba, vt habeamus in Iosia aliud rursu sicut in Ezechia, bene reformandæ ecclesiæ exemplum, vnde etiam omnes pr cipes, quid ipsos deceat discant, Cœpit Iosias, ait verbum Domini, expurga Iudam & Hierusalem ab excelsis, lucis, sculptilibus & fusilibus. Diruerunq; co ram eo altaria Baalim, & simulachra quæ superiore ætate superfuerunt adhuc ea omnia demolitus est. Ossa quoq; sacerdotum combussit in altaribus eorum & mundauit Iudam & Hierusalem. Idem fecit per vniuersam terram Israelis per desolata ipsorum loca circumquaq;, & ijs absolutis Hierosolymam reuer

sus ca

sus est. Anno regni eius 13. cœpit concionari in Iuda celeberrimus propheta Ieremias, sicut ipsemet de se testatur Ierem. 25. Is haud dubiè sua sponte currentē principem, calcaribus verbi Dei adhibitis, subinde magis & magis incitauit. *Ieremias sub Iosia concionatur.*

Proinde anno regni eius 18. cum rex templum iam collapsum restaurari iussisset, in adytis templi liber legis Domini, Deo ita volente, per Hilkiam sacerdotem Dei repertus est, & delatus ad regem, mox item recitatus ante regem: qui absq; mora missis ad Holdam prophetissam legatis, Dominū, quid faciat, consuluit. Mox responso accepto, synodum ex vniuerso regno conuocauit generalem: in ea curauit recitari librum legis, deinde fœdere sancto & se & vniuersum populum cum Deo quàm arctissimè constrinxit. Inde verò quæ adhuc superarant idololatriæ reliquiæ vestigiaq;, eius mandato ad mundum sunt expurgata. Perstiterant à temporibus Solomonis ad tempora vsq; Iosiæ, excelsa, quæ Solomon, in gratiam alienigenarum vxorum suarum, extruxerat, in monte oliuarum è regione Hierosolymorum (montem eum scriptura Vastationis montem, nuncupat, quòd idololatria in eo exercitata vastarit regnū) quæ Iosias omnia funditus euertit: sicuti & sacellum Tophet, in valle filiorum Hinnom. Diligenter recitantur & enumerantur hæc in 23. cap. postremi libri Regum, vnde copiosiora peti possunt. *Repertus liber legis.*

Eodem 18. anno, mox à fœdere inito cum Deo & repurgato templo ad mundum, maxima cum lætitia celebrauit Rex cum vniuerso populo Pæsa, ac dono dedit populo agnorum & hœdorum triginta millia, boum autē tria millia. Cui addiderunt principes ouium 7600. boum verò 800. Et scriptura, Nō est factum tale Pæsa, inquit, à diebus Samuelis prophetæ, quin regum Iuda nullus tale fecit Pæsa. Et addit iterum scriptura, Sed & Pythones magos & cūctas abominationes ex terra Iuda & Hierusal. expurgauit Iosias. Ante quem nō fuit talis rex, qui conuersus fuerit toto corde suo ad dominum, toto inquam corde suo, tota anima sua, totisq; viribus suis, iuxta vniuersam legē Mosis, nec exortus est post eum talis. Quod testimonium ipsi scriptura dedit non absq; insigni causa, certè ne quis suspicetur nimium illum fuisse, in ijs maximè rebus abolendis, quæ Solomon virorum sapientissimus posuerat, & quibus tot tantiq; reges, & ipsi sancti, tot sæculis, pepercerant. Vnde probatur laudaturq; imò omnibus alijs regibus præfertur Iosias à domino, vt intelligamus facta eius non improbari Deo. Fuit hic præterea vltimus Dei conatus, quo voluit populo suo integram restituere religionem, & omnem ex eo penitus expurgare superstitionem, adeoq; etiam rectè iam institutam, seruare incolumem: si modò habuisset ille cor docile & obsequens. Quoniam verò Iosia occiso, filij eius extemplò redierunt ad vomitum, omnemq; idololatriam & spurcitiam restituerunt ex integro, frustra reclamantibus prophetis, apparet sanè vniuerso mundo, Deum iudicio iustissimo sceleratissimam, & desperatæ salutis gentem, omnis generis grauissimis calamitatibus rectè adoperuisse, & supplicijs perdidisse dignissimis. *Celebrauit Iosias Pæsa.* *Testimonium Iosiæ exhibitum amplissimum.*

Et quidem admirandus est in omnibus suis rebus inclytus & clarissimus princeps Iosias, cæterùm illud in viro tanto probari nō potest, quòd bello non necessario, obiecit se regi Ægyptio, cui non magno, vel suo, vel suorum discrimine, transitum per regnum suum concedere potuisset. Quod enim pertinacius id illi negauit, & aciem cōtra eum instruxit, repentè in acie cecidit, & mortuus regi Ægyptio transitum concessit. Conflictus horum regum factus est in Mageddo. Herodotus in Euterpe huius belli pugnæq; meminit, & appellat locum Magdalum. Ac potuerat videri Iosiam nunc demum dignas suæ illius infelicis idolomachiæ pœnas dedisse, nisi iam audiuissemus palàm idolomachiā eius vehementer placuisse Domino. Præterea cum populus magis ad idolola- *Iosias bello nō necessario opponit se regi Nechao.* *Iosiæ miserabilis interitus.*

triam tunc quoq; quàm ad verum Dei cultum propenderet, indignus sanè er
principe tam sancto. Dignior erat qui haberet Ioachazos, Ioachimos, Zed
chias, vt sic similes haberent labra lactucas: dignior erat, qui calamitatibus v
rijs obrueretur, sub idololatris, quàm qui pace frueretur sub sancto principe
sia synceriſsimo Dei cultore. Oportuit ergo sanctiſsimum hunc Dei seruum
li è medio nationis prauæ, vt educto Loth ex Sodoma, ignis cœlitus descend
consumeret gentem Deo inuisam. Huc illud Holdæ pertinet responsum, ex cu
& sententia Dei pronunciatum, sic, Quandoquidem audisti Iosia, quæ mina
tus sum contra locum istum, & tu quidem humiliatus es & fleuisti coram me, e
ego te quoq; exaudiui, ideoq; colligam te ad patres tuos in pace, vt oculi tui n
la ista non videant, quæ ego inducam super locum istum. Proinde quod Iosia
infeliciter cecidit in acie, ideò cecidit, vt effugeret infeliciſsima tempora imm
nentia, & transferretur in sedes illas beatas atq; feliciſsimas. Regnauit piè & fe
liciter annis 31. Scripsit Elegiam in mortem Iosiæ beatus Ieremias, quam opto
quiq; multis cecinerunt sæculis, tantum plangentes principem, &c.

Floruerunt sub hoc principe scholæ & sacra studia, floruerunt item propheta
tæ præclariſsimi, Ieremias, Baruch, Sophonias, Ezechiel, Abdias & alij.

De Ieremia & prophetia eius

IEREMIAS è sacerdotali genere præsigni prognatus, & vocatus in ad
uentute ad prædicandi functionem, in ea perdurauit supra annos quadraginta
& vnum: in quibus variam sanè sicut & Isaias expertus est fortunam. Nam di
cuit sub optimo principe Iosia ad annos 19. in ecclesia felici, pacata & bene po
gata, absq; discrimine & summa cum laude. Rursus idem ille prædicauit sub m
pijs principibus Ioachimo & Zedechia, per annos 22. in ecclesia afflictiſsima
& corruptiſsima turbulentiſsimaq;, in persequutione graui & multorum ob
& insectatione implacabili. Quid quod tandem vrbis, templi & patriæ ruinam
coactus est spectare, infando incredibiliq; suo cum dolore? Quò & illud acc
dit, quòd licet inuitus, à suis tamen hominibus perfidè fugientibus in Ægyptu
vsq;, pertractus, atq; ibi ob præconium veritatis liberum, lapidibus adobrutu

Opus Ieremiæ.

atq; crudeliſsimè interfectus est. Reliquit post se librum pulcherrimum & sa
berrimum, continentem partim aliquot historias excellentes, partim veros
mones, & alios quidem habitos ad suum populum, alios verò dictos cõtra g
tes varias. His denunciat sua vata arguens eas, propter sua scelera. Accusa
sui populi scelera, denuncians ei destinata à Deo supplicia, ideoq; hortans
pœnitentiam. Diserte verò suis annunciauit captiuitatem 70. annorum, ex
diumq; vrbis, templi & gentis perfidæ. Passim consolatur fideles quoq; osten
dens Deum suorum fidelium eximiam gerere curam. Promittit liberationem
ex captiuitate Babylonica. Vaticinatur item, vt omnes prophetæ, de Christ
subindicans quis & quantus hic sit futurus, quantáue bona orbi suo in mũdi
aduentu allaturus: vbi & de nouo Testamento, de restitutione Israelis, & voc
tione omnium gentium manifeſtiſsimè disserit. Singulares eximiæq; eius pr
phetiæ de Christo & remissione peccatorum per ipsum, leguntur Ierem. 23.

Threni Ieremiæ carmen lugubre.

31. cap. Quæ testimonia pijs lectoribus cõmendo. Scripsit idem & Threnos
Carmen inquam lugubre, quo deplorat clariſsimæ vrbis & regni florentiſs
interitum. In eo prædicatur iustitia Dei, & accusantur varia populi Dei pec
ta, quibus in semetipsum prouocarũt furorem domini. De quibus omnibus
pioſè disserui in Homilijs meis, ad Ieremiam interpretandum nuper editis.

Baruch propheta.

BARVCH scriba & amanuensis Ieremiæ prophetæ, cuius in Ieremia
quens fit mentio, scripsit libellum in captiuitate Babylonica, quo ostendit
pa sui ipsius eã vniuersæ obuenisse genti, cuius peccata cõfitetur & veniam p

Epistola Ieremiæ.

catur, promittens Israeli restitutionẽ. Adiecta est libello huic Epistola Ieremi
inscri

inscripta, qua grauiter accusatur idololatria, suadeturq; vt omnes solum verum Deum adorent. Sed epistola illa, vnà cum libello Baruchi deputantur inter apocrypha.

SOPHONIAS ponitur inter prophetas minores. Prædicauit cum Ieremia temporibus Iosiæ, eosq; accusauit maximè, qui sub optimo principe, non verè conuertebantur ad dominum, sed idololatriam clàm exercebant, & restitutionem eius cupidè expectabant. Hortatur hos ad pœnitentiam, prædicens interim impœnitentes per Babylonios certò fore euertendos, sed & Babylonios, ob crudelitatẽ & impietatem delendos. In fine vaticinatur de Christi tẽporibus. *Sophonias propheta.*

EZECHIEL numeratur inter 4. prophetas maiores cum Isaia, Ieremia & Daniele. Adoleuisse videtur docente in Iuda Ieremia, sub rege Iosia: sed non antea docuisse publicè legitur, quàm cum Iechonia raptus esset in Babylonem. Ortus fuit & ipse è sacerdotibus, eademq; in captiuitate Babylonica docuit, quę Ieremias in Iudæa. Prophetauit & contra gentes: & testimonia illustria de Christo operi suo inseruit. Inter ea singulare & excellens illud est, *Ezechiel propheta.*

SVSCITABO SVPER OVES MEAS PASTOREM VNVM, QVI PASCAT EAS, DAVIDEM SERVVM MEVM, ATQVE IS ERIT EIS PASTOR, EGO AVTEM DOMINVS ERO EIS DEVS, ET SERVVS MEVS DAVID PRINCEPS IN MEDIO EORVM. Ezech. 34.

Dubium autem non est prophetam non loqui de Dauide rege ante sæcula aliquot mortuo, sed de filio Dauidis, Iesu Messia nostro, qui nisi eiusdem diuinitatis essentiæue diuinæ esset cum patre, non posset esse princeps in medio ecclesiæ vniuersalis, imò ne pastor quidem catholicus. Distinxit autem pulchrè propheta inter patrem & filium, quo ad personas & redemptionis dispensationẽ. Conferatur hic prophetæ locus cum 10. cap. euãgelij Ioannis. Sub finem copiosus est in noui templi nouaq; vrbis descriptione. Qua nobis creditur mysteria cõmendasse ecclesiæ. Vt incertum quanto docuerit tempore, ita ignoratur vbi & quo genere mortis extinctus sit. Isidorus arbitratur ipsum occisum à duce populi Israelitici, quòd libertus ipsum corripuisset ob sacrilegium. Addit sepultum esse à populo in agro Maurim in captiuitate, &c.

ABDIAS numeratur inter 12. prophetas minores, videtur vixisse docuisse & scripsisse sub Achabo rege Israelis: sed alijs videtur synchronos fuisse Ieremiæ, quem & imitatus sit. Siue verò Abdias Ieremiam, siue hic Abdiam sit imitatus, constat hunc Idumæis prædixisse suum interitum, & addidisse causas interitus: ostẽdisse item salutẽ esse in Zion, in Christo inquam & fideli ecclesia. *Abdias propheta.*

Iosiæ porrò regi nati fuerunt filij quatuor, Iohannan, de quo nihil commemorat scriptura, vnde verisimile est ipsum in iuuentute excessisse è viuis. Secutus est hunc Ioachim qui & Eliachim dicitur, & Zedechias qui etiam Matthanias nuncupatur & Ioachaz qui & Sellum appellatur. Cæterùm cæso patre Iosia & recluso vel aperto Ægyptijs in Syriam aditu, Ægyptius rex Nechao nihil moratus in Iudæa, rectà mouit in Syriam, pugnaturus cum rege Babylonio Nabuch. prisco. Interim verò dum bellum gerit cum Babylonio Ægyptius, populus Iuda, Ioachazum regem loco patris Iosiæ instituit. *Iosiæ filij & posteritas.*

XVII.

IOACHAZ XVII. rex Iuda, simul ac regnare cœpisset, verum Dei cultum euertit, & superstitionem cum idololatria, à patre oppressam & deletam, reuocauit atq; restituit. Quo nomine ac in vindictã sacrilegæ huius impietatis *Ioachaz idololatriam restituit euersam à patre.*

mirificæ in regno Iudæorum exortæ sunt turbæ, cædes, incendia, seditiones, parricidia, maximè quòd filij Iosiæ omnes degeneres, idololatriæ addictissimi essent. Nam quod vix legas in alijs historijs, intra paucos annos capti sunt ac abducti ex regno suo reges quatuor, Ioachas, Ioachim, Iechonias & Zedechias, regnum insuper Iuda sæpius petitũ est vastatumq; bello, nunc ab Ægyptijs, modò, mox verò à Babylonijs, qui & vrbem Hierosolymorum obsederunt semel, tandem & captam diripuerunt, incenderunt soloq; æquarunt. Præmium hoc, hoc inquam erat condignum præmium, quod meruerat occæcatus Iudæorum populus diligenti studio idololatriæ suæ peruicacis. Olim Solomonis idololatria regnum diuiserat, nunc idololatria filiorum Iosiæ populiq; peruicax regnum ex integro euertit. Atq; vtinam tristi horrendoq; hoc exemplo moniti principes Christiani rectius aliquando sapiant, & conculcata idololatria, recurrantur ad Christũ, & hunc syncera fide colant. Rediens verò è Syria victor Pharao Nechao Ægyptius, euocatũ Hierosolymis in Ribla, Ioachazum, coniectum in vincula, quòd regnum Iuda, ipso victore inconsulto, sibi temerè vsurpasset, fratrem verò eius Ioachimum regem constituit, & Ioachazum secum abductum in Ægyptum, vbi mortuus est, dubium an mœrore cõtabuerit, an à Nechaone interfectus sit, certè in aliena terra (iuxta Dei maledictionem) miserè interijt.

Præmium idololatriæ.

Mors Ioachazi

XVIII. *Ioachimus rex impijssimus.*

IOACHIM XVIII. rex Iuda, à rege Nechaone constitutus, idololatria à fratre reparatam diligentissimè fouit, auxit atq; prouexit, ac impijssimus vbi Dei prophetarumq; contemptor fuit. Nam Vriam Semeidem prophetam eadem cum Ieremia prophetantem, & iram regis declinantem in Ægyptum vsq; prosequutus, inde retractum, gladio conscidit, sicut Ieremiæ 26. cap. exponitur. Sed & sermones Ieremiæ in volumen conscriptos regiq; oblatos, legere non modò dedignatus est, sed cultello quoq; discissos scriptorio, in focum vicinum, ad quem considebat, coniectos, concremauit, quantumq; colligere licuit ex Ieremiæ Sermonibus, impiè agendo, & semetipsum, & maiores suos impietate superauit. Ideoq; per omnia fuit infelix eius gubernatio, & status ecclesiæ Iudææ sub ipso per omnia afflictissimus.

Bellum Syriacum reparatum à Nabuchodonosore.

Sub finem anni Ioachimi quarti adeoq; in principio anni eius quinti (quæ supputationem temporum series ostendit) magnus ille Nabuchod. patri suo succedens in imperio Babylonico, vlturus illatam patri iniuriam, Syriamq; recuperaturus ademptam ab Ægyptio, Syriacum restaurat bellum. Quocirca Pharao Nechao, maximis contractis ex multis varijsq; gentibus copijs, Babylonicum inuiam it. Congrediuntur ergo potentissimi hi reges vtrinq;, iuxta Euphratem ad Charchamis. Vbi Nechao vincitur, cæditur, totaq; Syria exutus ejicitur victore Babylonio insequente hostes Ægyptios, ad Pelusium vsq;. Meminit huius belli Ieremias in cap. 46. Cæterùm in occupandis vrbibus & bello perficiendo, à Babylonio plusculum temporis est insumptum, vt Nabuchod. non citius quàm sub finem anni 4. adeoq; in principio 5. anni regni sui, qui est

Iudæa occupata à Babylonio

principium anni 9. regni Ioachim, Iudæam tandem bello aggressus, vt etiam Iosephus cõmemorat, ipsam subigeret, & regem Ioachimum in fidem receptum rebusq; omnibus pulchrè compositis, Babylonem rediret.

Ioachimus sceleratus & perfidus.

Interea Ioachim, licet in seruitutem venisset, nihilo tamen factus melior, reliquis illis tribus regni sui annis, pergit impietatem propagare & scelera sceleribus accumulare, quibus & illud addidit, quod fidem Babylonio præstitam non seruat, sed noua tractans consilia defectionis, cũ Ægyptio colludit. Vnde scriptura refert regnum Iuda, perpetuis incursionibus vexatũ esse crudelissimè à grassatoribus Chaldæis, Syris, Moabitis & Ammonitis. Eadem scriptura addit, Ascendit autem Nabuchod. rex Babylonis contra Ioachimum, &

eum catenis duabus, vt duceret eum in Babylonem. Atq; in præsenti autumãt nonnulli mortuum Ioachimum in itinere, & demersum corpus eius in sterquilinium. Alij arbitrantur Hierosolymis captis, iussum à Babylonio interfici, & cadauer eius projci ante vrbem, inter cætera cadauera. Vtrum ex his receperis, verum profectò & impletũ esse cernis, quod Ieremias huic infelici regi prædixerat, fore vt miserè intereat, & asini sepeliatur sepultura. Hoc enim desperata & proiecta eius impietas meruerat: ac ita perire & ignominia adoperiri debent, qui spreto verbo Dei atq; prophetis gloriam Dei contaminant. *Interitus Ioachimi.*

Incidit hæc calamitas regni Iudaici in 11. annum regni Ioachim, qui idem apud Danielem 1. cap. dicitur esse tertius Ioachimici regni annus, ab eo nimirum tempore, quo ei regnum delatum est à Babylonio, non ab Ægyptio. Nam hinc supputantur anni 11. 2. Reg. 23. cap. Idem Ioachimi annus fuit 7. vel finis septimi anni regni Nabuchodonosoris. Quo Ieremias testatur in vlt. cap. abducta esse Iudæorum 3023. Hos captiuos cum vasis aliquot sublatis è templo, sicut monet author lib. Paralip. vnà cum Daniele Nabuchod. ablegauit in Babylonem, ipse verò cum exercitu mansit adhuc aliquanto tempore, anno inquã integro circiter, in Iudæa atq; in Ægypti confinijs. *Temporum supputatio.*

Porrò nati sunt Ioachimo filij duo, Zedechias quidam qui in his turbis periit inglorius, & Iechonias qui Ierem. 22. & Chonenias nuncupatur & Neri, & alibi Iehoiakim & item Ioachin per n & nõ per m, id quod Hieronymus quoq; monuit. Ab eo deducitur linea Messiæ per Salathielem & Zorobabelem. *Filij Ioachimi regis.*

XIX.

IECHONIAS XIX. rex Iuda surrogatus est à Nabuchodonosore parenti Ioachim in regno, in quo administrando & ipse dicitur malum designasse in oculis domini. Vnde non legitur regnasse diutius quàm 3. mensibus & 10. diebus. In Tabula 1. integrum ei ascripsi annum. Nam cæteri chronographi vt menses Ioachaz, ita & tempus hoc Iechoniæ, non supputant, quod tamen mihi omittendum minimè videtur. Et quidem dubium nõ est Iechoniam diutius non regnasse, quàm hoc duntaxat temporis, quod ei ascribit sacra historia: at verò non est dissimile, capta vrbe, & cæso rege Ioachimo, Nabuchod. non ilicò sed absoluto penè anno substituisse Iechoniam, ideoq; aliquid intercessisse temporis, quo Babylonius captiuis ablegatis in Babylonem, res Iudæorum ordinauit, sed & viciniam, Ægyptum versus, munijt atq; disponsuit, ne ab ea aliquid remaneret metuendum periculi, ac ne nouis expeditionibus cogeretur molestari. Huius certè aliquid videtur innuere scriptura, quæ dicit, Rex Ægypti terram suam amplius non est egressus, quòd rex Babylonis occupasset omnia, quę fuerant regis Ægyptij ad Euphratem vsq;. Omnia ergo hæc collata, arbitror conficere annum, tempus inquam vniuersum, quod inter captiuitatem Ioachimi & captiuitatem atq; abductionem Iechoniæ intercurrit. Cui & sacra historia ratioq; temporum vel annorum fauere videtur. Legimus enim 2. Paral. vlt. cap. Vertente anno, misit rex Nabuchod. & duxit Iechoniam in Babylonem. Qui locus in versione vulgata sic redditus legitur, Cumq; anni circulus volueretur, misit Nabuchod &c. Alij eadem verba sic verterunt. In reuersione autem anni misit rex, &c. Vt vt autem legantur verba, simpliciter certè sic exponuntur, Post reuolutionem illius anni, vel reuoluto illo anno, nimirum à capto Ioachimo, abductus est Iechonias captiuus in Babylonẽ. Cui etiam illud accedit, quod secundo Regum vicesimo quarto sic legitur, Et tulit eum (Iechoniam) octauo anno regni sui. Cæterùm paulò ante audiuimus ex Ieremiæ prophetæ testimonio, sub finem anni Nabuchodonosoris septimi adeoq; in principio regni eius octaui Ioachimum esse captum vnà cum vrbe. Præterea si supputaueris ab hoc octauo anno Nabuchodonosoris ad decimum nonum eiusdẽ imperij annum,

Iechonias idolatriam quoque retinet, et non diu regnat.

Ratio temporum.

peruenies ad 11. Zedechiæ annum. Et hiſtoria ſacra 2. Reg. 25. diſertè teſtatur 19. Nabuch. anno, Zedechiæ autem 11. anno inflammatam exuſtamq; eſſe bem. Habes meas rationes cur inter captiuitatem Ioachimi & primum Zedechiæ annum, integrum in Tabula poſuerim annum.

Dedidit ſe Babylonijs Iechonias.

Cur verò exercitus Nabuchod. redierit, poſt throno impoſitum Iechoniæ & exactis regni eius tribus menſibus & aliquot diebus, vrbem iterum obſed rit, diſertè non exprimitur in ſacra hiſtoria. Videtur tamen exercitus Babyloniſ à capto Ioachimo aliquandiu occupatus fuiſſe (quod & ſupra monui, in partibus Ægyptum ſpectantibus, in ordinem redigendis. Quod vbi perfecisse diſſe, regemq; præcepiſſe redeunti, vt in tranſitu vrbem occuparet, regem Iechoniam non tantùm caperet, ſed & quod reliquum erat facultatum prætiumq; virorum & militiæ ſecum in Babylonem abduceret. Ita enim à rege Zedechia Iechoniæ ſubſtituto, & exarmatis atq; pauperibus regni præfecto, exhauſto denicq; ærario minus exiſtimabat futurũ periculi quàm à Iechonia. Quare tamen Babylonium falſum fuiſſe, euentus comprobabit.

Porrò Iechonia obſeſſo ſuaſit Ieremias, qui & 70. annorum captiuitatẽ prædicebat, & captiuos, Iechoniam maximè ſi ſe Babylonio dediſſet, Deo curæ futuros affirmabat, vt vrbe dedita, fidei Babylonici principis ſe crederet. Cui prædicationi cum credidiſſet Iechonias, dedidit ſe & vrbem Babylonijs. Et Babyloniſ quidem, ex ſententia regis ſui, & vt diſertè teſtatur ſcriptura, tranſtulerunt regem Iechoniam, matrem item regis, vxores regis, & potentiores regni omnes, & quicquid excellens in eo erat, decem inquam millia, vnà cum thesauris domus domini & domus regis, auexerunt vtiq; hæc omnia captiua in Babylonem. Sigillatim quoq; ſcriptura decem illa millia abductorum, diſtribuit poſtea in ſuos ordines. Militum enim numerat 7000. artificũ 1000. Vnde reliquum eſt vt reſidua duo millia tribuantur ſeruis vel aulæ regis, præfectis quoq; regni que excellentioribus viris. Ergo ab huius 8. anni Nabuch. fine videtur auſpicanda eſſe ſupputatio annorum captiuitatis 70. De quo plura dicentur in principio Annotat. Tab. 2.

DE OLYMPIADIBVS GRAECORVM, ET SVPPVTATIONE TEMPORVM PER OLYMPIADES.

Olympia.

QVoniam in Tabula & Homilijs memini ſæpius Olympiadum, de quoq; paucula ex alijs adferendum eſt ſcriptoribus, ne quis hic aliquid deſideret. Olympia, Euſebio authore, ludi erant, qui in honorem Iouis Olympij, apud Piſam & Elidem, Græciæ oppida, celebrabantur, quod quinto quoq; anno fieri ſolebat. Iphitus primus inſtituit Olympiadem, ex quatuor tantùm annis ad ordinem temporum dirigendum. Vnde Olympias dicta apud Græcos quatuor annorum continet ſpacium, vt etiam Phlegon, Euſebius, Aphricanus, Solinus, Dionyſ. Halicarn. & alij plures affirmant. Et exinde Græci tempora per Olympiades computare cœperunt, ita numerantes, Olympiadis primæ ſecundæ aut centeſinæ, anno primo vel ſecundo vel tertio aut quarto. Et qui exiſtimauerunt Olympiada eſſe ſpacium quinq; annorum, non intellexerunt annum conſequentis Olympiadis, qui quintus eſt prioris, principium primum eſſe annum conſequentis. Dicit autem Aphricanus Annalium lib.

Certiſſima ſupputatio per Olympiades.

vſq; ad Olympiades, nihil exploratum in Græca inueniri hiſtoria, ſed omnia cõfuſis ſcripta eſſe temporibus. Poſt Olympiades verò, quoniam quadrienni diligentiſsimè omnia notabantur, nullã porrò factam eſſe confuſionẽ pe-

Prædicanda & Græcæ historiæ præferenda hic est historia sacra, quæ certissimum nobis annorum numerum reddit ab exordio rerum, ad captiuitatem vsq; Babylonicam & longius.

Cæterùm supputationem Olympiadum, non omnes ab eodem deducunt principio. Nam Iulius Aphricanus collocat initium earum in regnum Iothan regis. Eusebius verò in 49. regis Vziæ vel Asariæ. Quanquam ille idem in 10. lib. de Præparat. euangel. collocat principium earum in initium regni Achaz. Ioan. Lucidus ponit in Vsiæ annũ 46. H. Glareanus in Asariæ 50. Paulus Phrygio in 12. Iothan. Theod. verò Bibliander in 31. Iothan. Porrò Ioan. Funccius diligentissimus chronographus & insignis supputator temporum, assignat in 2. annum Iothani regis. Quæ quidem sententia & Aphricani confirmata testimonio, omnium videtur esse exactissima. Etenim Dionysius Halicarn. scribit 7. Olymp. 21. Aprilis die, mœnia Romæ cœpta esse extrui. Præterea constat initium regni Alexandri, post mortem patris Philippi, incidisse in annum primum Olymp. 111. Vnde si retro numeres, peruenies ad 2. annum Iothani. Præterea consentiunt vnanimiter probatissimi quiq; scriptores, eundem Alexandrum incipiente Olymp. 114. vita functũ esse. Vnde deinceps anni regni Lagidarum supputantur, ad imperium vsq; Augusti. Et quidem Ptolemęus in fine lib. 3. numerat à morte Alexandri Magni, ad primum annum Augusti, annos 294. At refertur hoc principium imperij ad monarchiæ Augusti principiũ, quod cœpit à victoria Actiaca, qua extincto Antonio cũ Cleopatra, nõ modò solus cœpit regnare (antea enim cum ipso Antonius imperabat) sed & Ægyptium vel Lagidarum sibi subiecit regnum. Huc nonnihil facit quod Suetonius, Cęsar, inquit, cum M. Antonio & M. Lepido, dein tantum cum Antonio, per 12. fere annos, postremò per 44. solus rempub. tenuit. Sed & Dion imperij Augusti annos, deduciait, ab illa victoria. Iam verò obtigit Augusto ea victoria, circa annum regni eius 13. Vnde anni 12. de eius imperio sunt detrahendi, vt principium imperij Augusti incidat in annum ab vrbe condita 723. Cæterùm mors Alexandri incidit in annum ab vrbe condita 429. Intermedij ergo illi Ptolemęi anni colliguntur certò 294.

Initium supputationis Olympiadum.

Addit Ioan. Funccius aliam quoq; probationem euidẽtem huiusmodi, Supputat Ptolemęus lib. 3. Magnæ constructionis cap. 8. ab initio regni Nabonassaris, vsq; ad mortem Alexandri magni, vel ad initium regni Lagidarum in Ægypto, annos 424 spacium inquam vel numerũ Olympiadum 106. Atqui si detraxeris has 106. olympiades à 114. olympiadibus, peruenies ad 8. olymp. cuius primus annus dat initium regno Nabonassaris, qui in scriptura nominatur Salmanazar. Idem Ptolem. lib. 5. cap. 14. Construct. mag. ait 127. annos intercurrere inter 5. annum regni Nabopollassaris, qui nobis est Nabuchodonosor & primum Nabonassaris. Supputa ergo ab 8. olympiade ad 40. vsq;, quæ habet 5. annum Nabuchod. aut ab anno vrbis cond. 5. ad vrbis conditę 133. ac inuenies annos illos Ptolemæi 127. Consumitur enim redundans ille in 1. Salmanassaris & 5. Nabuchod. Et hæc hactenus de Olympiadibus.

DE ROMA CONDITA, ET ROMANORVM REGNO.

PRæterire non possum, quin dicam aliquid etiam, & quidem obiter & breuiter de Roma condita, supputationeq; annorum ab vrbe condita, & Romanorum regno, quòd frequentissima eius fiat mentio in omnibus historijs, tum & à Daniele quoq; nostro regnum hoc attingatur.

Quo anno condita Roma.

De anno quo vrbis fundamenta sunt iacta, inter scriptores per omnia non conuenit. Plutarchus enim author modis omnibus excellentissimus, cum quo faciunt Eutropius & Orosius, collocat Romæ initium in 3. annum Olympiadis, id est in 8. Achaz regis Iuda annum. Dionysius verò Halicar. historiæ scriptor doctissimus, omniumq; diligentissimus, & Solinus ponũt in 1. annum Olympiadis 7. Diem quoq; indicant Aprilis 21. Dissidium non est vsque adeò grande, quod Ioan. Lucidus lib. de Emen. temp. 1. cap. 9. componere contendit. Video autem eruditiores plerosq; sequi authoritatẽ Dionysij & Solini, quòd hi recitatis aliorum refutatisq; sententijs, suam ipsorum sententiam firmissimis certissimis rationibus tueri & asserere videantur. Aiunt Romam conditam post Troiam captam anno 430. Alij tres annos addunt.

Romæ etymõ.

Ῥώμη Græcis robur significat. Solinus cap. 2. Valentiam ait Latinè primùm à Latinis nuncupatam. S. Hieron. contra Iouinianum, Roma fortitudinis nomen est, inquit, apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos. Heraclidi placet à Rome nobilissima Troianarum Romam esse denominatã, quòd fugitiui Troiani eius suasu, incensis nauibus quibus vecti Troia, in Tiberim peruenerant, mœnia prima Romæ extruere cœpissent. Alij Romam à Romulo, primo eius conditore, cognominatam volunt, in qua sententia est & Varro author receptissimus & celeberrimus. Sunt rursus, qui nominatam Romam dicant, à Roma, hoc est, mamma lupæ, quam Romulus & Remus infantuli suxisse dicuntur. Certè ingenium lupinum inexplebile sanguinis, imperij, atq; opũ, Romam semper retinuisse, non modò Mithridates rex Ponti, sed & ipse Daniel noster asseruit, qui vt in Homilijs dictum est, Romam appellauit bestiam & quidem anonymam.

Initia Romæ inauspicata & cruenta.

Inauspicatissima certè Romæ initia fuisse luculentus testis est Orosius historicus, qui lib. hist. 2. cap. 4. Vrbs Roma in Italia, inquit, à Remo & Romulo geminis authoribus condita est: cuius regnum continuò Romulus parricidio imbuit, pariq; successu crudelitatis, sine mora raptas Sabinas improbis nuptijs confœderatas, maritorum & parentum cruore dotauit. Itaq; Romulus interfecto primùm auo Numitore, dehinc Remo fratre, arripuit imperium, vrbem constituit. Regnum aui, muros fratris, templum soceri, sanguine dedicauit, collectis latorum manum, promissa impunitate, collegit. Primus illi ad bellum creditus, forum vrbis fuit, mixta simul externa ciuiliaq; bella nunquam defuturi significans. Hactenus Orosius. Nolo autem in rebus Romanorum commentandis lectorem detinere, quòd ea res ad institutum nostrum non admodũ pertinere videatur. Discere possunt ea, qui cupiunt, ex Dionysio Halicarn. Liuio, alijs scriptoribus Romanis. Catalogum regum duntaxat Romanorum hic texam. Constat enim Romam ab initio reges habuisse & ab his fuisse gubernatam.

Romulus.

Romulus primus Romanorum rex regnauit annis 38. Dionysius tribuit 37. sed annum interim interregno.

Numa Pompilius.

Numa secundus rex imperauit annis 43. Pacis hic & religionis studijs floruit. Is enim sacra & cæremonias omnemq; Deorũ cultum docuit, idem pontifices aliosq; sacerdotes creauit. Vitam eius Plutarchus doctè descripsit.

Tullus.

Tullus Hostilius 3. rex Romanorum regnauit annis 33. Numæ hic non modò dissimilis, sed Romulo quoq; ipso ferocior atrociorq; fuit. Idem adiecto monte Cœlio vrbem ampliauit.

Ancus.

Ancus Martius 4. Romanorum, rex præfuit regno annos 24. Gessit hic bella maxima septem. Et supra mare 26. ab vrbe miliario Hostiam condidit. Aventinum quoq; montem & Ianiculum vrbi addidit.

L.T.

L. Tarquinius Priſcus 5. Romanorum rex regnauit annis 38. ſicut commemorat Dionyſius & Liuius: Alij ipſi tribuũt 37. annos, vt Meſſal. Eutrop. Solinus. Pluribus prelijs Latinos, Hetruſcos & Sabinos domuit. Eutropius & Florus hunc primum Romę triumphaſſe ſcribunt. Hic Capitolium extruxit, cuius fundamenta primus iecerat rex Numa Pomp. Circum item Romæ ædificauit, numerum ſenatorum auxit, & Romanos ludos inſtituit. *Tarquinius.*

Seruius Tullius 6. Romanorum rex imperauit annis 44. Diuturnum bellum per annos 20. cũ rebellantibus Hetruſcis geſſit, quos & contudit, & de eis triumphauit. Tres præterea montes vrbi addidit Quirinalem, Viminalem & Exquilinum, ac foſſas circum murum duxit. *Seruius.*

L. Tarquinius Superbus 7, & vltimus Romanorum rex, regnauit annis 25. Superbus nominatus eſt ex moribus. Sabinos ille parere recuſantes, duobus bellis comminuit, Volſcos quoq; bello aggreſſus domuit. Regno exutus & vrbe eiectus eſt, non tam ob ſtuprum Lucretiæ à filio Sexto Tarquinio illatum, quàm propter dominationem inſolentiorem. Rectè enim Oroſius, Si vnius tantum ſuperbia, inquit, fuiſſet in culpa, ſolum ipſum expelli oportuerat, ſeruata regia dignitate melioribus, nunc verò ipſum quoq; nomẽ regiũ exoſum fuit Romanis. Dionyſius & Liuius regem hunc Romanorum vltimũ vrbe expulſum referunt anno vrbis conditæ 244. qui eſt 4. annus olymp. 67. Darij verò Hyſtaſpis 14 à mundo condito 3462. Nam ijdem illi authores collocant primos Coſſ. in annum vrb. cond. 245. *Tarq. Superbus.*

Ergo ſub regum gubernatione cœpit quidem Rom regnum, ſed mutata eſt, exactis videlicet annis 244. Poſt annos verò 462. quibus Coſſ. præfuere rei pub. Romanę, iterũ deuoluta eſt gubernatio ad reges vel imperatores, id quod Euſeb. in Chronicis ſuis ſic expoſuit, Romę poſt exactos reges, inquit, primùm Coſſ. duo à Bruto eſſe cœperunt, deinde Tribuni plebis & Dictatores, & rurſus Coſſ. rempub. obtinuerunt vſq; ad Iulium Cęſarem, qui primus ſingulare arripuit imperiũ Olymp. 183. Hæc ille. Sub imperatoribus verò cum imperaſſent annis à Iulio ad Odoacrem Germanum, 424. concidit tandem imperium atq; ſenſim euanuit, domino Deo noſtro in hoc & in omnibus alijs vniuerſi orbis & omnium ſæculorum regnis demonſtrante nobis, ſolum Chriſti regnum eſſe incorruptum atq; perpetuũ, omnia alia orbis regna imò res mundi vniuerſas eſſe fragiles flaccidas mutabiles & perituras: id quod copioſius oſtenſum eſt in 2. & 7. Danielis capite. *Mutatio varia Rom. regni.*

DE REGIBVS ASSYRIORVM ET BABYLONIS.

CAtalogum & tempora regum Aſſyriorum & Babyloniorum poſuimus in tabula hac noſtra prima, nũc verò breuibus perſtringemus res regum iſtorum quatenus ſeruiunt hiſtoriæ ſacræ, quam præſenti opere noſtro illuſtrare conamur.

PHVL BELOCHVS primus, à morte Sardanapali & à diuiſo regno, Aſſyriorum rex, videtur magnificus fuiſſe princeps & felix. Euſebius in Chronicis Aſſyrios Medis tandem præualuiſſe dicit. Alioqui ſcimus Medos fuiſſe potentiſſimos. Memini huius regis Belochi in rebus Manahemi regis Iſraelis & Ionæ prophetæ. Niniuen enim Phul Belochus inhabitauit. *Phul Belochus.*

PHVL ASSAR cognomento Tiglath ſecundus Aſſyriorum rex, ruina & euerſor Aſſyrius ex nominis interpretatione eſt dictus, ſicut Germanorum ille rex quondam, qui Romanas legiones ad Ticinum fudit & Romam *Phul Aſſar.*

occupauit, dictus est Odacer, quasi tu dicas ὁδ ἀχθ, agrorum inquam vas-
tor. Cecinit ille, Conueniunt vatis nomina sæpe suis. Nam vastauit hic rex Ga-
læam & tribus aliquot abduxit in captiuitatem.

Salmanazar. SALMANAZAR tertius Assyriorum rex, ex nominis quidem inter-
pretatione pacificus est dictus, sed regno Israelis non fuit pacificus, sed nimis
quietus & bellicosus. Vastauit enim Salmanazar regnum Izraeliũ, Samariam
obsedit, cœpit ac diruit, regem ipsum interemit, & populum qui residuus erat
ex calamitate belli captiuum, in Mediam vsq; abduxit. Vnde intelligimus eo
tempore regem hunc & in Media aliquam tenuisse potestatem. A Ptolemæo
nominatur hic Assyriorum rex Nabonassar. Memini eius in Olympiadum nu-
meratione, & in rebus Hoseæ regis Israelitarum.

Senacherib. SENACHERIB quartus Assyriorum rex, Sargon aliàs dictus, pro-
ceps fuit superbus impius & bellicosus, celebris quidem in sacris literis, sed non
ex suis virtutibus, verũ ex bello illo maximo, quod Iudæis intulit & Ægypto,
cuius memini in rebus Ezechiæ regis. Memorabilis est autem in primis huius
principis interitus palnè admirandus. Qui enim fastu nephario contra verum
Interitus regis Senacherib. Deum intumuerat eundemq; sacrilego ore blasphemarat, indignus erat, qui
deret aliqua cum gloria inter fortes suos milites militúmque duces ad mœnia
Hierosolymorum. Seruari talem oportuit ad maiora tormenta, vt priusquam
extingueretur, omni perfunderetur ignominia, mœrore item cõtabesceret, ac
dem inopinata morte interiret, interemptus à proprijs suis filijs, in tẽplo, ado-
Statua posita Senacheribo in Aegypto. que in conspectu Dei sui. Dixi hac de re in Homilijs meis, propediem Deo vo-
lente, ad Isaiam explicandum, edendis. Porrò vehementer horrendus hic hosti
principis interitus, regem commouit Ægyptium, qui non ita pridem, in bel-
inquam Hierosolymitano, infeliciter cum Senacheribo conflixerat, nũc autem
felicius nuncium de fuso illius exercitu ab angelo, & de admirãdo illius inter-
tu acceperat: quocirca statuam Senacheribo in templo Ægyptio suo, erigen-
dauit, qua & memoriam rei tantæ, posteris consecraret commendaretque, &
vsum eius commonstraret, addita ad hanc rem animis omnium insculpendam
inscriptione huiusmodi.

εἰς ἐμὲ τίς ὁρέων εὐσεβὴς ἔσω,

id quod perinde est, ac si dixisset Senacherib, Quisquis me inspexerit, discat
meo miserando casu, vt pius sit, & religiosus Dei cultor, non impius & blas-
mus, sicut ego fui, & miserè interij. Commemorantur hæc ab Herodoto in Eu-
terpe, vel in 2. eius historiarũ libro. Deus ergo gentibus quoq; opera illa sua
Historia Tobiæ. luit innotescere, in memoria retineri, ac ab ipsis timeri. In tempora huius Se-
cheribi referunt plerique historiam TOBIAE. Exhibet illa inter cætera ad-
lissima exempla, præcipuè typum piæ œconomiæ, patris inquam familias pi-
ac piè instituentis gubernantisq; familiam, filij item familiàs obsequentis pa-
ti per omnia. Ostenditur præterea perspicuè, afflictiones sanctorum, si in ve-
ra fide & patientia perseuerent, felici fine à Deo clementissimo terminãdas.
paret omnino Deum per initia captiuitatis Israeliticæ, exemplo hoc Tobiæ me-
morabili, voluisse consolari populum in Media captiuum. Certum est enim
Deum in ipsis etiam pœnis, quas de suis sumit, suos nunquam negligere. Pro-
Ecclesia vera in captiuitate rea ex hac vnica Tobiæ domo vel familia colligere possumus, fuisse in capti-
tate Assyriaca relictam Deo ecclesiam, quæ coluerit Deum in medio genera-
vera pietate, licet sacrificijs & ritibus externis careret penitus. Neq; enim
biũ est inter captiuos in Media plurimas huiusmodi fuisse domos, quales hanc
videmus Tobiæ. Non desunt qui existiment & Tobiæ & Iudith historias non
esse historias, id est res gestas, sed ficta argumenta ad consolandum docẽdum
infra

instituta, &c. Sciendum est etiam historiam Tobiæ non recensèri inter libros canonicos, sed inter apocryphos, vt ait Hieronymus, & secundum alios, inter ecclesiasticos, hoc est inter eos, qui legi quidem possint in ecclesia à fidelibus, sed non proferri ad dogmata fidei controuersa, vel affirmanda, vel refutanda.

ASSARADDON quintus Assyriorum rex, patri Senacheribo successit in regno. Nam fratres eius Adramelech & Sarezer, qui patrem impiè & crudeliter in templo iugularunt in vrbe Niniues, confugerãt in Armeniã, fratricq; ipsorum Assaraddoni regnũ reliquerant. Sed non erat hic princeps felix. Nam viuente adhuc patre, cœperant dilabi & euanescere vires regni Assyriaci, clade ista prodigiosa ad mœnia Hierosolymorum accepta, plurimum accitæ. Infe rebat præterea bellũ parenti & filio princeps potens Merodach Baladan Chal dæus, qui mox à clade illa Senacheribi Babylonem occupauit, qua potitus est, sicut & alijs Assyriorum terris,, vsq; ad mortem Assaraddonis, à cuius interitu il le vniuersum occupauit regnum. *Assaraddon.* *Merodach Baladan.*

MERODACH BALADAN, primus Babyloniorum rex, qui interim ob veterem vetustissimi regni Assyriaci memoriam & celebritatem, Assyriorum quoq; rex nuncupatur, sicuti & sequentes ipsum reges, primus regni Assyriaci maiestatem videtur transtulisse ad Babylonem, adeoq; ad Chaldæos vel Babylonios. Niniues enim gloria vbi hactenus fuerat regni sedes, ab hoc tempore obscurata, translata est ad Babylonem. Propter hoc certè beneficium Babylonijs præstitum, videtur Merodach ille, à morte sua, inter Deos relatus, & à Babylonijs pro Deo esse cultus, sicuti innuere videtur Ieremias in cap. 50. Idem ille Merodach, is est, qui misit ad Ezechiam legationem, sicut in rebus Ezechiæ meminimus. Nuncupatur Merodachus hic à Ptolemæo lib. 4. cap. 7. Mardocempadus.

BEN MERODACH, id est filius illius magni Merodachi, secundus fuit rex Babyloniorum, potẽtissimus & ipse princeps. Videtur hic Manassem impijssimum Iudæorum regem captiuum abduxisse in Babylonem, Deo ita visitante peccata Manassis, per Babylonium illum regem, qui tamen benignè reditum pro sua clementia Manassi in patriam concessit: sicut admonuimus in rebus Manassis. Scriptura alioqui illud non exprimit diserte, sed ratio temporum, vt in tabula apparet, vtcunq; innuit. *Ben merodach*

NABVCHODONOSOR priscus vel primus, tertius à Merodacho Babyloniorum rex, pater fuit magni illius Nabuchodonosoris, qui Hierosolymam euertit & primam magnamq; illam monarchiam Babyloniorum constituit. Gessit pater grauia bella duo, alterum quidem contra Phaortem, qui alias nuncupatur Arphaxat, regem Medorum. Illũ regni sui 17. anno, collatis signis vicit, omnemq; eius potentiam euertit, denicq; assequutum in mõtanis Ragu, iaculis suis confixit. Quæ res exponitur in libro Iudith. Alterum verò bellum gessit contra potentissimum regem Ægyptiorum Nechaonem, à quo superatus, & vniuersa Syria legitur exutus, quam patre mortuo, recuperauit iterum filius Nabuchodonosor magnus. *Nabuchodonosor primus.*

Per hunc Nabuchodonosorem priscum arbitrantur nonnulli euersam esse Niniuen, prout Nahum prædixerat futurum. Cæterùm cum historia Iudith referat Nabuchodonosorem hunc inhabitasse Niniuen vrbem illam amplissimam, Arphaxat verò Medorum regem, Egbathanas, nõ video quomodo Nabuchodonosor suam sibi euerterit vrbem. Alijs ergo visum est Niniuen subuersam esse à Cyaxare, Medo, qui Phaorti successit, circa ea fermè tẽpora qua Hierosolyma capta & exusta est à Nabuchodonosore magno. S. Hieronymus in Præfatione Ionæ, Quantum ad historias Græcas & Hebræas pertinet, ait, & *Niniue euersa.*

maximè Herodotum, legimus Niniuen, regnãte apud Hebræos Iosia, ab Ast-
ge rege Medorum, fuisse subuersam. Interim non video, quomodo hæc cum
quæ referuntur de Astyage congruant cum exacta temporum serie. Prom
relinquimus in medio, quis nam, & quo tempore Niniuen euerterit, quam
prophetia Nahum certò euersam esse nouimus, ac maximè videatur vero
le esse temporibus Iosiæ esse deletam.

Historia Iudith In hæc Nabuchodonosoris prisci tempora collocatur historia IVDIT
quæ vt historia Tobiæ, à potissima persona nomẽ habet. Sunt qui eam long
extendentes collocant in tempora Darij Artaxerxis Ochi regis Persarum. P
ponitur ea nobis historia fastus impiorum intollerandus, persequutorũq; p
puli Dei felicitas & ferocia indomita, & crudelitas sæuissima. Quæ omnia ch
runtur, in Holoferne spectanda. Obijcitur huic vidua humilis modesta & a
bellis, sed casta fide vitæq; puritate, et precibus potens. Vincit hæc inuict
lum triumphatorem. Qua in re apparet Deum populum suum sub cruce ex
cere, nec liberare protinus, vbi tamen tempestiuum illi fuerit visum, & pop
lus suus perstiterit in fide & tollerãtia, nullo sane negotio nec sine risu, omn
impiorum dissipari potentiam. Docet ergo historia illa fidem in Deũ cum pa
tientia, deniq; gratiarum actionem pro beneficijs à Deo acceptis. Restat tam
scrupulus quomodo regnante in Iuda Iosia, principe optimo & fortissimo, Be
thulia potuerit venire in tantum discrimen, vt nullam Iosias, qui nõ ita prid
ipsos tum ad consortium religionis inuitauerat, significationem ediderit bu
principis, in communicandis consilijs, in consolando aut liberanda ab obs
ne Bethulia: aut quomodo pontifex Ioachim vel Eliachim, rege suo nescio, ta
multa gessisse videatur, quæ in illa historia fecisse dicitur, nulla prorsus Iosiæ
cta mentione. Itaq; S. Hierõ. ait authoritatem eius apud Hebræos ad robora
da illa, quæ in contentionem veniunt, minus idoneam iudicari, adeoq; inter
nonicos libros non deputari. Chaldæo tamen sermone conscriptum libru
computari inter historias, & Nicenam synodum in numero sacrarũ literar
computasse. Philo refert historiam Iudith ad tempora Cambysis vel Dari
staspis. Cui repugnat contextus ipsius historiæ. Idem affirmat eam histori
conscriptam esse à Ioachim pontifice filio Iesu filio Iosedech, &c.

Nabuchodonosor magnus. NABVCHODONOSOR magnus, Nabuchodonosoris Prisci fili
quartus & omnium præstantissimus Babyloniorum rex, celeberrimus est in
storia sacra. Ptolemæus nuncupare ipsum videtur Nabopollasarem. De
cum multa dixerim in hoc opere nostro, in Danielem, & in rebus Ioachim, e
choniæq;, & plura dicam in rebus Zedechiæ, abrumptam modò annorum
nostras in tabulam primam.

TABV

TABVLA CHRONICA SECVNDA

CONTINENS 70. ANNOS CAPTIVITATIS BABYLONICAE.

Anni *mundi.*	Olympiades.	Re. Iuda	Re. Babyl.	Roma condita.
3355	41	1 *Zedechias*	9	137
3356	2	2 *Captiuitas.*	10	138 *L. Tarqui-*
3357	3	3	11	139 *nius Priscus.*
3358	4	4	12	140
3359	42	5	13	141
3360	2	6	14	142
3361	3	7	15	143
3362	4	8	16	144
3363	43	9	17	145
3364	2	10	18	146
3365	3	11 *Capitur vrbs*	19	147
3366	4	12 *Hierosoly.*	20	148
3367	44	13	21	149
3368	2	14	22	150
3369	3	15	23	151
3370	4	16	24	152
3371	45	17	25	153
3372	2	18	26	154
3373	3	19	27	155
3374	4	20	28	156
3375	46	21	29	157
3376	2	22	30	158
3377	3	23	31	159
3378	4	24	32	160
3379	47	25	33	161
3380	2	26	34	162
3381	3	27	35	163
3382	4	28	36	164
3383	48	29	37	165
3384	2	30	38	166
3385	3	31	39	167
3386	4	32	40	168
3387	49	33	41	169
3388	2	34	42	170
3389	3	35	43	171

Anni *mundi.*	Olympiades.	Captiuitas	Re. Babyl	Roma condita.
3390	4	36	44	172
3391	50	37	45	173
3392	2	38	*Euilmerodach.*	174
3393	3	39	2	175
3394	4	40	3	176 *Seruius Tu.*
3395	51	41	4	177
3396	2	42	5	178
3397	3	43	6	179
3398	4	44	7	180
3399	52	45	8	181
3400	2	46	9	182
3401	3	47	10	183
3402	4	48	11	184
3403	53	49	12	185
3404	2	50	13	186
3405	3	51	14	187
3406	4	52	15	188
3407	54	53	16	189
3408	2	54	17	190
3409	3	55	18	191
3410	4	56	19	192
3411	55	57	20	193
3412	2	58	21	194
3413	3	59	22	195
3414	4	60	23	196
3415	56	61	24	197
3416	2	62	25	198
3417	3	63	26	199
3418	4	64	27	200
3419	57	65	28	201
3420	2	66	29	202
3421	3	67	30	203
3422	4	68	*Baltazar.*	204
3423	58	69	2	205
3424	2	70	3	206

ANNOTATIONES IN TABVLAM II. QVIBVS POTIORA EIVS COPIOSIVS EXPLICANTVR.

De Zedechia vltimo Iudæorum rege, & capta deletaq; vrbe Hierosolymorum.

ZEDECHIAS XX. rex Iuda, filius fuit Iosiæ, patruus verò Iechoniæ, omnium infeliciſsimus princeps, quia impius erat, perfidus, maximusq; prophetarum & diuinarum admonitionum contemptor. Surrogatus fuerat à Nabuchodonosore Iechoniæ in regno, eneruato quidem illo, vt dictum est. Prædicauit ipsi Ieremias propheta, ac cum resipiscere nollet, prædixit ei apertè miserabilem interitum, vrbis excidium, & reliquiarum gentis captiuitatem luctuosiſsimam, simulq; ipsum & vniuersum populum seriò adhortatus est ad pœnitentiam. Sed operam & impensam perdidit propheta. Rex enim verbis prophetæ non credidit, ac se illis, quos habebat à consilijs, homines prauos & hostes Dei fideiq; ducendũ, imò seducendum præbuit. Populus quoq; corruptus per omnia, nihil mouebatur, neq; assidua verbi Dei prædicatione, neq; præteritis calamitatibus suorum, vnde dignus erat duce cæco. Ac ausus tandem fuit rex, à pseudoprophetis vana spe imbutus, in gratiam regis Ægyptij contra Nabũch. comitia in vrbe Hierosolymorum peragere, cum vicinis regulis, Idumæorum, Moabitarum, Tyriorum, & aliarum gentium commemoratarum à Ieremia in cap. 27. Istorum consilia Ieremias accusauit, & ad fidem Babylonio seruandam hortatus est, alioqui enim rebelles atq; perfidos à Nabuchod. pro merito fore mulctandos. Et quò plus fidei præconium hoc inueniret vehementiusq; ipsorum animos commoueret, iugum, mox & catenam à collo suspensam gerit propheta, veluti ob oculos demonstrans inobsequentibus captiuitatem longè certissimam & grauissimam esse paratam. Venturum enim certò Nabuchod. & perfidiam sceleraq; ipsorum puniturũ. Multa verò ob hanc dicendi libertatem propheta, viro tanto indigna, sustinuit.

XX. *Zedechias impius & infelix*

Ieremias suadet obedientiã

Nabuchodonosor ergo perspectis perfidorum consilijs, colludentium cum Ægyptio, copijs validiſsimis contractis, in Iudæam mouet, vrbemq; obsidione cingit & vrget anno integro & menses aliquot. In vrbe autem obsessi ringuntur inopia rerum omnium, fameq; & peste contabescunt. Iterum ergo iterumq; prædicat miseris pœnitentiam Ieremias, & suadet regi deditionem faciat. Sed conniciebatur in carcerẽ propheta, ex quo vix liberatus est principis cuiusdam Æthiopis fide & opera. Et obsessi, tandem & calamitatũ magnitudine fracti, scinduntur inter se. Quidam enim transeunt ad Babylonios, quidam noctu per occultam quandam viam ex vrbe se subducunt. Inter hos erat rex cum suis proceribus præcipuis, nihil porrò de miseris ciuibus obsessis solicitus, quid eis eueniret, dummodo ipse effugisset vita incolumi. Babylonij verò hos persequuti imò & assequuti, captum regẽ, in medijs cãpis Ierichuntinis, in castra retrahũt.

Nabuch. obsidet Hierosol.

Irrumpitur interea & capitur vrbs quoque Hierosolymorum, confodiuntur & obtruncantur in omnibus plateis obuij quiq; omnis generis ætatis atq; sexus homines: opes ab hoste passim inquiruntur & diripiuntur, ac igne deinde iniecto, conflagrat incendio (visu horrendum) antiqua illa pulcherrimaq; vrbs tota. Rex cum suis principibus Riblam abducitur ad regem Nabuchodonosorem, à quo Zedechias iudicio publico damnatus, cogitur primò quidem suis inspicere oculis miserabilem liberorũ suorum necem, deinde spectare item principum suorum mactationem, postremò cum ingenti tristitia hæc vidisset vni-

Capitur Hierosolyma & comburitur.

Supplicium Zedechiæ.

uersa, eruti sunt ei oculi, quibus hactenus uti noluit, ac catenis innexus, cū ma-
gna captiuorum turba abducitur in Babylonem. Vbi sanè refertur à Ieremia
cap. 34. mortuus esse, in pace, haud dubiè ex insigni Dei misericordia, à qua cc
sequutus est, quod malæ actæ vitæ suę, vt quondam Manasses, egit pœnitentiā
& patienter sustinuit, sicut & de imperatore Mauritio referunt historiæ, qua
cunq; iusto Dei iudicio patiebatur.

Fuit hic Zedechias regum Iuda vltimus, in quem Ezechiel durā hanc, sc
iustissimam pronunciauit sententiam, Et tu prophane impie dux Israelis, cuius
venit dies, vt iam adsit opportunum tempus, quo finiatur iniquitas. Sic dic
dominus Deus, Tolle Cidarim, & depone coronam, ista non erit sic. Et quæ s
quuntur Ezech. 21. cap. Videmus in hoc principe rursus, quodnam præmium
persoluatur idololatris idololatriæq; propagatoribus, & verbi Dei veraq; re
gionis contemptoribus, vt vel huius vnius tristi & horrendo exemplo omn
in orbe homines moniti rectius sapiāt auribusq; beneuolis & animis obsequ
tibus verbum Dei audiant. Huc pertinet & præclarissimæ totius Orientis ci
rosolymorum vrbis excidium, quæ hactenus à Dauidis temporibus in tota
rarum orbe famigerata & florentissima fuit, nunc verò propter idololatriam
ruinis atq; cineribus diruta atq; exusta ingloriaq; iacebat. Et scriptura multi
& diligentissimè quidem causas huius calamitatis maximę, refert in peccata p
puli, in contemptum maximè verbi Dei. Legatur vlt. cap. post. lib. Paralip.

Ieremias seruatus vrbe capta.

In confusis his tristibusq; turbis, Deus Ieremiam & alios syncerè nomē De
inuocātes, mirabiliter seruauit. Licet enim & ipse cum cæteris vinctus aliquā
diu in turba captiuorum traheretur, maturè tamen solutus à summo illo milit
imperatore Nabuzardano, qui iussus fuerat à rege Nabuch. Ieremiæ diligē
tem gerere curam, ne quid ei eueniret sinistri, plena donatus est libertate, ac
to & honorario munere, optione præterea oblata, vt quò vellet concederet:
inquam vel aulam regis sequeretur, vel apud suos in terra Iuda remaneret. Ie
enim Nabuch. victoria sua non abusus, singulari clementia reliquis popul
daici pauperibus alioqui, & agros diuisit, & in patria manere, terramq; co
Godolias. benignè concessit. Præterea eis ex sua gente virum optimum Godoliam præ
cit, qui ipsos Nabuchod. nomine, gubernaret. Quibus se adiunxit Ieremias c
que ledulò sui admonens officij, sermonibus sanctis instituit. Cæterùm vt vi
uerso mundo appareret Deum non leuibus de causis, hanc gentem tradidis
manus prophanarum gentium, neq; tantillum amplius superfuisse in ea imp
tatis & spei, incipiunt & hi, malè grati, omniumq; admonitionum calamitat
que obliti, medium Deo ostentare, quod dicitur, digitum, adeoq; & inter
micare, & Ægyptum, patrum carnificinam illam, respectare. Mox itaq;
fosso truculenter Godolia, multum reclamāte Ieremia, reliquis illis popul
lectis, descendunt in Ægyptum, secum ipsum etiam Ieremiam rapientes m
tum, quem & ibidem, ob veritatis liberam prędicationem, crudeliter interem
runt. Atq; hæc fuit pertinax illa & inuincibilis incurabilisq; gentis Iudaicæ
bellio, tantoperè à multis prophetis, nequicquam accusata. Historia illa tra
sanè copiosè exponitur tricesimo nono capite per capita aliquot à Ieremia

Regum libri duo.

Priusquam hinc prograediar vlterius, cōmemorandum est aliquid de fa
istorum temporū libris historiarum. Rabbi Moseh Kymhi affirmat duos
LIBROS, quos Hebræi Melachim, nos REGVM appellamus, a Ie
mia illo tempore esse conscriptos. Verùm hoc relinquimus in medio, vt
certum: hoc autem certum est satis, eos à spiritu sancto inspiratos aut dict
ab eximio aliquo Dei vel sacerdote vel propheta ministroue, esse exara
in vtilitatem ecclesiæ, quæ sanè tanta inde hauritur, vt breuibus hoc ex

ni non queat. Vsus enim huius varius, multiplex, & copiosissimus saluberrimusq; est.

In his Regum libris frequens fit mentio librorum annalium Regum Israelis & Iuda, quas tamen temporum iniuria intercidisse satis constat. Sunt qui existimẽt Esdram illum in lege Dei doctissimum sacerdotem, ex illis Annalium hb. composuisse ceu compendium, ac reliquisse nobis summam illorum in libris PARALIPOMENON, quod tamen & ipsum non est certum, hoc tamen rursus est certissimum, libros illos computari inter Canonicos libros, sicuti & Regum libros, Annales item illas apud Hebræos vno comprehendi libro, Græcos & Latinos distinxisse in duos, & Græca nuncupasse appellatione παραλειπομένων, quod perinde est, ac si tu dicas: Libri derelictorum vel præteritorũ, quòd quædam in Regum libris intermissa aut præterita contineant. Hebræi vocarunt דברי הימים Verba dierum, id est, Diaria, vel Annales, vel librum annalium Nam dies alicubi & pro anno accipitur. Diuisus hic liber in duos ideò videtur, quòd in priore parte scribitur de regno Israelis nondum diuiso, in posteriore de regno diuiso. Excellentissimę vtilitatis sunt libri isti, sicuti & Regum libri, suppeditantes nobis elegantissima exempla seruatæ & neglectæ legis, pietatis item & impietatis, veræ quoq; religionis & falsæ, virtutum deniq; & vitiorum, regni vel feliciter vel infeliciter administrati, imò & ecclesiæ, vel in pace, vel in afflictionibus feliciter vel infeliciter agentis. *Libri Paralip.*

DE CAPTIVITATE BABYLONICA, ET IIS, QVAE IN EA POPVLO DEI EVENERVNT.

COntrouertitur in supputatione 70. annorum Captiuitatis Babylonicæ ab interpretibus scripturarum & à chronographis. Nõ enim omnibus inter se conuenit in longitudine exilij, & vnde sit captiuitatis supputatio auspicanda & quousq; producenda. Aliquorum ergo sententias adducam in medium, & annotabo breuiter, quid verisimiliter videatur posse colligi ex scripturis sanctis, vt singulis expensis Lector sibi deligat quod videtur omnium esse simplicissimum. *De supputatione 70. annorũ captiuitatis Babylonicæ.*

Clemens scriptor antiquissimus, quem & Eusebius citat in Chronicis, captiuitatis tempus extendit ad 2. vsq; annum Darij Hystaspis, propterea quod Zachariæ 1. cap. dicantur 70. anni captiuitatis tunc esse impleti. Cæterùm videri poterat angelus, cui dolebat populum Dei iugibus diuexari afflictionibus, tale quippiam dixisse, Mirum est populum tuum nouis subinde calamitatibus fatigari, cum tu promiseris exactis 70. annis, meliora successura tempora. Ac certum est dudum 70 illos captiuitatis annos esse completos. Plerique auspicantur captiuitatis 70. annorum supputationem à capto Zedechia, & ab vrbe vastata. Et Ioan. Lucidus lib. 2. de Temporibus ca. 11. ex Philonis Breuiario, inter transmigrationem Iechoniæ, & desolationem, quę cœpit ab vrbe vastata, distinguit, & hanc nuncupat veram captiuitatem. Proinde ait Philonem à transmigratione Babylonica numerare annos 81. sed à desolatione 70. illos fatales. Præterea ad confirmandam suam sententiam, quod supputatio 70. annorum captiuitatis incipienda sit à capto Zedechia & vrbe desolata, & non à transmigratione Iechoniæ, adducunt testimonia ex 25. cap. Ieremiæ, ex 9. Danielis, & maximè ex 2. Paral. vlt. capite vbi dicitur, Cunctis diebus desolationis egit terra sabbatum donec complerentur 70. anni.

Alij verò qui supputationem captiuitatis 70. annorum ineunt, non à capto Zedechia, sed à Iechonia, non negant distinctionem inter transmigrationem

& desolationem: sed aiunt transmigrationem Iechoniæ quoq; apertè nunc
ri captiuitatem, neq; eam fuisse prorsus sine desolatione. Quando enim sub
chonia capta fuit, penitusq; direpta vrbs, & optimi quiq; in captiuitatem
abducti, Hierosolyma certè regnumq; Iuda euacuatũ fuit, & veluti desola
licet mœnia nondum fuerint diruta, & plenior sub Zedechia insequuta sit
statio desolatioq;. Ergo pro sua etiam sententia aliquot proferunt scriptura
stimonia, quæ breuiter recensebimus.

Ieremias cap. 25. sigillatim & apertè de captiuitate hac 70. annorum vati
nans dicit, Sic dicit dominus, Accipiam vniuersas familias Aquilonis, & N
buchod. regem Babylonis, & adducam eos in hanc terram, & super habita
res eius, & super omnes gentes, quæ circumquaq; sunt, & funditus exci
eos, redigeturq; terra vniuersa in solitudinem & vastitatem, & seruient gen
istæ regi Babylonis 70. annos. Porrò à desolatione & vastitate terrarum, ac
candum est initium 70. annorum captiuitatis, certè à 23. aut 24. anno Nab
ineunda est supputatio, quo videlicet gentes illæ, quarum hic fit mentio, sub
ctæ, terræq; earum sunt vastatæ, & nõ à 19. Nabuch. anno, qui fuit Zedechiæ
Atqui à 23. anno Nabuchod. ad tertium vsq; Baltazaris non inuenies plures
quam 55. & non 70. annos. Oportet itaq; per synecdochen eum locum pro
phetæ interpretari, vt his includamus annos Nabuchod. 15. antecedentes vs
ad 8. annum regni eiusdem, quo abductus est ab eo Iechonias.

Videamus ergo quid dicat scriptura de captiuitate illa Iechoniæ. 2. Reg.
ita legitur, Rex Babylonis Nabuchod. venit contra vrbem, & serui eius ci
debant eam. Et egressus est Iechonias ad Nabuch. mater eius, serui & princ
& eunuchi eius, & suscepit eum rex Babylonis 8. anno regni eius (nimirũ N
buch.) Et extulit inde omnes thesauros domus domini & domus regiæ, & c
cidit vniuersa vasa aurea Solomonis, sicut loquutus fuerat dominus (nimirũ
per Ieremiam) & transtulit totam Hierosolymam (obseruetur hoc, totam Hie
sol.) & vniuersos principes, & viros fortes, & omnes artifices & inclusores
ptiuorum decem millia. Nemo relictus est (obseruemus & hoc) præter pauper
populi terræ. Et transtulit Ioachin in Babylonem cum suis in captiuitatem
in captiuitatem ait. Vera ergo hæc fuit captiuitas, prædicta per Ieremiam
calamitas postea Zedechiæ exilio, & vrbe excisa sit vehementer aucta.

Addamus his iam alios Ieremiæ locos, quibus hanc causam ipse illustre
semetipsum explicet. Ieremiæ ergo 24. cap. transmigrationis Iechoniæ mem
vt captiuitatis, ita & 28. cap. At 29 cap. scribit epistolam ad captiuos in Bab
ne, ad Iechoniam inquam, & concaptiuos eius, & ait, Sic dicit dominus exe
tuum Deus Israelis omni transmigrationi, quam transmigrare feci de Hier
lem in Babylonem. Cum impleti fuerint in Babylone 70. anni, visitabo vos
reducam vos in locum istum. Et mox, Et reducam captiuitatem vestram.
sanè locus euidentissimus est, ceu digito nobis indicans, vnde auspicemur
ptiuitatem 70. annorum, à captiuitate inquam Iechoniæ. Quis autem melio
remiæ interpres est quàm ipse sui ipsius? Ex hoc enim loco discimus quom
locum eius in 25. cap. & eum qui est Danielis 9. intelligamus. In eadem epi
ad captiuos vaticinatur de ea calamitate, quæ postmodum obuenit Zedec
& vrbi. Huc accedit, quod idem Ieremias in vltimo cap. primum annum E
merodachi facit 37. captiuitatis. Eadem historia repetitur 2. Reg. 25. Cæt
hi 37. anni colliguntur, si ascendas ad 8. annum regis Nabuch. qui fuit anno
ptiuitatis Iechoniæ, & non ad 19. Nabuchod. qui fuit 11. Zedechiæ.

Huc pertinet & 40. cap. Ezech. prophetæ, in quo apertè & transmigrati
id est captiuitatis 70. annorum, & euersionis vrbis, id est solitudinis fit me

Nam verba Prophetæ sic habent, Anno transmigrationis nostræ, anno 25. in exordio anni 10. mensis, anno 14. postquam percussa vel euersa fuit vrbs. Quod si detraxeris à 25. annis, annos 14. remanebunt tibi 11. illi anni Zedechiæ regis ad vsq; captum Iechoniam. Principium ergo supputationis 70. annorum captiuitatis Babylonicæ deducendum est à captiuitate Iechoniæ. His ego permotus rationibus, illis accedo, qui captiuit. Bab. initium deducunt à capto Iechonia, & à fine 8 anni Nabuchod. Et hactenus quidem de ratione temporum captiuitatis Babylonicæ.

Quæ euenerint populo Dei in captiuitate Babyl.

Porrò quæ in illa captiuitate populo Dei euenerint mala, scriptura æstimanda relinquit ex prophetarum minis, historia alioqui illa operosius non commorat, imò tacet potius. Constat enim satis populum in captiuitatē abductum præmodum fuisse afflictum, in terra peregrina, ac inter gentes, quæ odio quodam natiuo & implacabili exardebant in gentē Iudaicam, cui & ob victoriam insultabant insolentius. Referebant enim victoriam illam suam ad Deos suos, religionemq; imò superstitionem suam Babylonicam. Ac cogebatur coràm spectare miser Dei populus felicitatem idololatrarum, ipsorumq; phana opimis sumare hecatombis, idola ipsorum habere maiestatem quandam, & vniuersa eorum sacra apparatu splendoreq; fieri admirādo. Cogebatur audire Deum Israelitarum victum, iacere deiectum in cœno, ac templum eius combustū, regiam eius solo æquatam, instrumenta sacra omnia direpta, & ipsa sacra penitus esse conculcata. Neq; dubium est hac tentatione grauius esse Dei populū afflictū, quàm vllis alijs quantúmuis grauibus & multis iniurijs corporibus ipsorum irrogatis. Præuidit hæc olim Deus benignus & misericors, qui etsi statuisset propter peccata punire grauissimo hoc supplicio populum suum, eundem tamen prorsus negligere noluit, ideoq; ante captiuitatem annis circiter 115. Isaiam prophetam inspirauit, qui pro captiuis in Babylonem ducendis egregiam composuit consolationem, qua & contra scandalum hoc insolentiæ felicitatisq; idololatrarum, eos munit, falsam religionem vituperat fugiendamq; docet, & veram ornat atq; inculcat, ac pios in vera religione & in officio confirmās retinet. Extat illa in opere prophetico Isaiæ, conscripta à cap. 40. ad caput vsq; 49. Consolatus est & Ieremias populum captiuum, ac apertis verbis prædixit 70. annis euolutis captiuitatem feliciter fore terminandam. Idem propheta fortiter se opposuit nonnullis pseudoprophetis, qui miseros captiuos turbantes, vanis lactabant promissionibus. Extat ea de re epistola Ieremiæ pulcherrima & vtilissima in cap. 29. Sunt & alij sermones eiusdem prophetæ, qui huc pertinent.

Grauis captiuorum tentatio.

Prophetæ in ipsa captiuitate.

Quid quod in ipsa captiuitate habuerunt excellētissimos prophetas, ipsum Danielem hunc nostrum, virum maximum, & Ezechielem prophetam præstantissimum? Qui haud dubie, pro insigni illa sua pietate, nihil eorū neglexerunt, quæ pertinere videbantur ad veram pietatem conseruandam & propagādam in populo captiuo, & quidem in medio idololatrarum. Huc pertinent ingentia illa beneficia, quæ Deus populo suo, per initia propè captiuitatis, præstitit mirabiliter per Danielem & socios, sub victore & triumphatore illo Nabuchod. Satis enim certum est Nabuchod. constituta monarchia, somnium illud mirādum de statua & monarchijs orbis quatuor habuisse, ac statuam mox auream illam erexisse adorandamq; proposuisse: postea & arborem illam portētosam rursus in somnio vidisse. Somnia illa felicissimè regi exposuit Daniel, quo nomine charissimus regi factus, ac inter primos vniuersi regni gubernatores, constitutus est, vt plurimum captiuo suo populo prodesse oneribusq; eum potuerit leuare. Dixi autem in explicatione Danielis istis temporibus Dei veri Israelis nomen, inter gentes, multo magnificentius esse glorificatū, quàm in Iudæa fuerit.

Quanta beneficia captiuis & exhibita.

ſub quatuor illis regibus Ioachazo, Ioachimo, Iechonia & Zedechia hoc tum. Ornauit Deus eccleſiam & veram religionem ſuam, quod per vnius nielis doctrinam & confeſſionem ad verã fidem attraxit monarchas orbis ximos Nabuch. Euilmerod. Darium & Cyrum. Ex factis edictisq; eorum cl

Danielis maieſtas.

quales fuerint. Ac dubito ſæpe, num ex poſteris Dauidis, vixerit quiſquam quam Daniele in hoc ſæculo princeps excellentior. Scriptura enim aperte ſtatur Danielem in regnis vniuerſi orbis Babyloniorum & Medorũ maxim principatum à regibus ipſis proximum obtinuiſſe. Quantulũ verò eſt regn Iſraelis, ſi conferatur cum imperio totius mundi? At Deus potentia ſua et uum præfecit Danielem.

Danielis liber.

DANIEL hic reliquit nobis librum planè aureum, qui adiungitur q quatuor maiorum prophetarum canonico, quem cum Homilijs noſtris illu uerimus, non eſt quod plura de ipſo dicam. Iſidorus arbitratur ipſum ſuperã annos vitæ 110. Adiungitur vulgo Danielis operi Hymnus triũ in fornace p rorum, item hiſtoria Suſannæ, & certamen Danielis & ſacerdotum Bel, pter Draconẽ. Quæ tametſi nonnullis fabuloſa videantur, minimè tamen nanda ſunt, vt pote quæ & ipſa vſum fructumq; ſuum habent in eccleſia, etſi illa non agnoſcat pro canonicis, vt eccleſiaſticos tamen libellos legi c pari concedit.

In quæ tempora referatur hiſtoria Heſther.

Ad conſolationem captiuorum pertinere videtur & hiſtoria illa ita Heſtheræ & Mardochæi. Alij quidem eam hiſtoriam referunt ad tempora byſis, quem illum Aſſuerum fuiſſe aiunt. Alij referunt ad tempora Darii ſpis, quem Aſſuerum hunc faciunt. Alij exiſtimant hunc Aſſuerũ fuiſſe Longimanum. Alij putant fuiſſe Darium Artax. Ochum Perſam. Alijs ali detur. Certum eſt tamen à Daniele 9. cap. patrem Darij priſci vel Medi, Cyaxares vocatur, & Babylonem vnà cum Cyro deuicit, cæſo Baltazare, cupaſſe Aſſuerum. Fuit is Aſtyages auus maternus Cyri, qui in Media reg uit, imperante apud Babylonios Nabuchodonoſore & Euilmerodacho, pore captiuitatis Babylonicæ. Vnde vero diſſimile non eſt Aſſuerum hũ ritum fuiſſe Heſtheræ, & hiſtoriam illam in tempora captiuitatis Babyl eſſe collocandam.

Liber Heſther.

HESTER enim liber numeratur inter libros canonicos, & teſt quomodo Deus populum ſuum mirabiliter ſeruarit à furoribus impiorum ſtium populi ſui, deiecto Hamano idololatra, et euecto in ſummam dignit Mardochæo, ad conſolationem afflicti ſui populi. Exhibet eadẽ hiſtoria ſã plura alia variarum rerum nobilia exempla, ſicuti dictum eſt aliàs. Fragm quoq; quædam ea habet hiſtoria, quæ in Hebræo non extant, leguntur tam non ſine omni vtilitate in eccleſia Dei.

Captiui externo Dei cultu deſtituti.

Ergo vt hoc negotium captiuitatis abſoluamus, apparet ſingulari De ſericordia, in captiuitate tantisq; calamitatibus ſeruatã eſſe eccleſiam, ſic Ieremias apertè dixit, Miſericordiæ Domini eſt, quòd non ſumus conſu Cæterùm eccleſia illa fuit diſperſa. Caruit tẽplo, caruit cœtibus publicis mibus priuatis, vt in rebus Thobiæ apparuit, docuerunt, ſicut & in ſuis Daniel inuocauit Deum, conuerſus tamen ad templum. Caruit enim eccle la in Babylone ſacrificijs & vniuerſo illo cultu externo. Et cum his careret tamen pij ſe coniunxerunt cum cœtibus idololatrarum, ſed ab ijs, vt abom tione maxima, mundos ſe cuſtodiuerunt, & confeſſionem veræ fidei re runt. Notiſſima eſt enim doctrina Ieremiæ 10. cap. dicentis, Sic dicetis uos captiuos tenebunt) Dij qui cœlum & terram non condiderunt, perde de terra, de ſub cœlis ipſis. Licet itaq; eccleſia eſſet ſine cultu illo externo

ribus vel cæremonijs sacris, non erat tamen sine religione, sine verbo, sine oratione, & sine studio iustitiæ charitatis & innocentiæ. Sicuti hodie quoq; videre licet multos teneri captiuos inter Turcas & pseudochristianos, qui nunquam intersunt, neq; interesse possunt corpore cœtibus Christianorum sacris & publicis, neque sacramentis participant, attamen animis cœtibus intersunt, et sine religione nõ sunt, & ab ecclesia vera Dei resecti non sunt, cũ qua spiritu suo per fidem cohęrent indiuulsè. Quid quod isti qui caruerunt externo Dei cultu, plurimos ex gentibus ad consortium verę fidei ab idololatria retraxerunt, innumeros vtiq; Babylonios, Medos, Persas aliasq; gentes prophanas? Interim tamen sedulò orarunt Deum vt eos reduceret in patriam, & vniuersum Dei cultum eis restitueret: id quod exactis illis 70. annis, cõsequuti sunt. Hæc dixi hactenus de captiuitate Babylonica, vt omnes apertè videant, qualis fuerit ecclesiæ facies in maximis illis calamitatibus, quodq; vera nostra religio, quod antea quoque non semel euidenter apparuit, premi & affligi possit, opprimi & deleri non possit.

DE ANNIS ET REGNO REGVM BABYLONIS. IN CAPTIVITATE BABYLONICA.

Anni regũ trium Babylonæ in captiuitate Babylonica.

IN Annis Regum Babylonis, qui regnarunt in captiuitate illa Babylonica, hi historici atq; chronographi inter se variãt atq; dissẽtiũt. Etenim Ioseph. Antiq. lib. 10. cap. 12. tribuit regno Nabuchodon. duntaxat annes 21. Euilmerodacho autem ascribit 18. annos. Subiungit ei filium quendam, qui ei in regno succesrit, quem vocat Nigliſſar, aitq; hunc regnasse annos 40. Alij omisso Nigliſſ. collocant hic Regassarum qui regnarit annis 11. Iosephus verò suo Nigliſſaro addit alium quoq; regẽ Labosardach, cuius regno tribuit menses 9. Et demum successisse dicit Baltazarem, quem vult nominatum fuisse Naboandelum, Herodotus nuncupat eundem Labynetum, qui imperitarit annis 17. Conficit horum annorum summa, annos 96. multo plures quàm scriptura supputet.

Metasthenes tribuit regno Nabuchodonosoris annos 45. Euilmerodacho 30. & filio eius primo Regassaro 3. secundo autem Labosardacho annos 6. & tertio Baltazari 5. Anni hi coniuncti, conficiũt annos 89. Quod & ipsum cum scriptura non congruit. Sunt alij qui in annis Nabuchod. & Euilmerodachi Metasthenem sequuntur, cæterùm omissis illis intermedijs regibus Baltazarem subiungunt Euilmerodacho, sed hi annos Baltazari tribuunt 14. Colligunt ergo hi quoq; annos 89. At scriptura captiuitati Babylonicæ non tribuit plures annos quam 70. Eadem apud Ierem. in 27. cap. non numerat quinq;, vel sex Babyloniorum reges, sed tres duntaxat. Ac compertissimum & antea ostensum est, 8. Nabuchod. anno abductum esse Iechoniam in Babylonem. Iubet autem sacra historia, cum Ieremia, ab abducto Iechonia, ad primũ vsq; Euilmerodachi annum numerare annos 37. Quibus certè si addas 8. annes Nabuchod. quibus regnauit priusquam abduceret Iechoniam, colliges 45. illos inquam regni Nabuchod. annos, vt rectius mihi sentire videantur qui ascribunt imperio Nabuchod. annos 45. Iam verò Græci & Latini plerique attribuunt Euilmerodacho annos 30. quos si coniuxeris cum illis superioribus 37. habebis annos 67. His si Baltazaris tres addideris, habebis septuaginta captiuitatis Babylonicæ annos, vt omnium optimè supputasse videantur, qui tribuunt regno Nabuch. annos 45. Euilmerod. 30. Baltazari verò 3.

Nabuchodonosor rex.

NABVCHODONOSOR Regum orbis inter gentes omnium præstantissimus, capto & abducto Zedechia & vrbe Hierosolymorũ deleta, exer-

citum suum in orientem non mox reduxit, sed dispositū per nationes victa gentes omnes subegit, quas Ieremias ipsum subacturum prædixit, Moabitas delicet, Idumæos, Palestinos & reliquas. Ægyptum quoq; ingressus & ig flamma & ferro vastauit, Regem Hophran, qui vulgo dicitur Apries, vic interfecit, sed & templa Deorum euertit, & Iudæos in Ægyptum profugos cum Ægyptijs hospitibus ipsorum captiuos in Babylonem abduxit. De ptionem harum rerum satis copiosam habes apud Ieremiam in 44 cap. & orationibus quas in vltima operis sui parte contra varias gentes edidit. M nit huius belli & Iosephus Antiq. lib. 10. cap. 11. Videtur autem census pop daici abducti per Nabuzardam 23. Nabuchod. anno cuius Ieremiæ vlti mentio non alius esse, quàm is ipse qui nunc abductus est ex capta Æg Eodem tempore Tyrum oppugnauit maximis laboribus Nabuchod. & tandem. Qua de re multa disseruit Ezechiel. Confecit bellum hoc maxi intra quinquennium, sed & in Hispaniam vsq; penetrauit, cuius rei auth Strabo Geograph. lib. 15. Magni ergo nomen indeptus est, ex præclaris a ximis facinoribus. Omnium maximam certè orbis monarchiam cōstituit, Babylonica est nuncupata. Deinde illis omnibus perfectis omnia illa eg Daniel à 2. cap. operis sui ad 5. vsq; cap. commemorat. Ideoq; sunt qui mo chiam eius ab anno regni eius 24 deducunt.

Euilmerodach rex.

EVILMERODACH magni Nabuchod. filius parenti successit gno. Pacificus fuit princeps pius & felix. Ex eo enim apparet ipsum religi veræ ex animo fauisse, adeoq; eandem amplexum esse, quòd primo mox sui anno Iechoniam regem Iudæorum, à Nabuchod. patre captum, è carc beratum, regiæq; dignitati restitutum omnibus suis prætulit principibus. ria enim sacra & Ieremias aiunt, Loquutus est cum eo humaniter, et consi solium eius, super solium regum, qui erant cum eo in Babylone. Et reliqua Reg. 25. & Ierem. 52. Arbitrantur nonnulli Euilmerodachū ab impijs suis cipibus, Euilmerodachum esse nuncupatum, quod exnominis interpretatio sonat insipiens vel stultus Merodach, certè quòd & Iudæum principē alij tulisset, & peregrinam sequeretur religionem. Appellatur aliàs hic Euilme dach Amilinus Euilmerod. & Amildapacus & Abimadatocus.

Baltazar rex

BALTAZAR filius degener Euilmerodachi, virtutum vel aui v rentis nihil omnino ne vmbram quidem habuit. Fuit enim princeps stulto pius & tyrannicus, qui idololatriam restituit defendit atq; propagauit, pro moderatos homines contempsit adeoq; afflixit, luxu sceleribusq; omnibus turpissimè defœdauit. Quocirca regnum eius non fuit diuturnum. Tri enim duntaxat regnauit, & vltimus regnum Chaldæorum vel Assyriorum byloniorúmue fuit, interfectus à Dario Medo & Cyro Persa, capta etiam censa vrbe Babyloniorum, & monarchia illa omnium maxima dissipata. hac re copiosissimum contexuit vaticinium ceu historiam quandam Ierem in cap. 50. & 51. Sic autem vindicauit Deus iniurias & sanguinē populi ram quoq; religionem asseruit atq; illustrauit, falsum verò falsitatis con omniq; ignominia contaminauit. Sequuta est Babylonicā Persica Monar de qua dicetur sequente Tabula 3.

SAPIENTES GRAECORVM.

Sacri scriptores antecellunt omnes gentiū sapientes.

TEmporibus Captiuitatis Babylonicæ aiūt floruisse septē illos Græciæ sa tes laudatissimos, Thalem Milesium, Biantē Prieneum, Pittacū Mityle Cleobulum Lyndium, Chilonem Lacedęmonium, Periandrum Corinthiu & Solonem Athenienſem. Constat & illis ipsis temporibus floruisse ver

poetas Lyricos, Alcmanum, Steſichorum, Alceumq; Mitylenæum & Sapphò Lesbiam. Floruiſſe denicp inter gentes Anacharſim illum, Epimenidem, & Anaximandrum Mileſium. Hæc non aliam commemoro ob cauſam, quàm vt omnibus appareat, quanto poſt ſe temporis interuallo, relinquant ſanctiſſimi noſtri prophetæ & religionis noſtræ doctores, omnes omnium gentium ſapiẽtes, vel ſophos, philoſophos, atcp poetas, quantocp noſtra iſtorum ſint præſtantiora.

TABVLA CHRONICA III. CONTINENS MONARCHIAM PERSICAM, ANNOS 217. A CYRO VSQVE ad Alexandrum Magnum.

Anni mundi.	Olympiades.	Pontifices & Duces.	R. Perſ.	Roma condita.	
3425	3	*Ieſus Pontif.*	*Cyrus.*	207	
3426	4	72	2	208	
3427	59	*Zorobabel D.*	3	209	
3428	2	67	4	210	
3429	3		5	211	
3430	4		6	212	
3431	60		7	213	
3432	2		8	214	
3433	3		9	215	
3434	4		10	216	
3435	61		11	217	
3436	2		12	218	
3437	3		13	219	
3438	4		14	220 *L. Tar-*	
3439	62		15	221 *quinius Su-*	
3440	2		16	222 *perbus.*	
3441	3		*Cambyſes.*	223	
3442	4		2	224	
3443	63		3	225	
3444	2		4	226	
3445	3		5	227	
3446	4		6	228	
3447	64		7	229	
3448	2		8	230	
3449	3		*Darius Hy-*	231	
3450	4		2 *ſtaſpis.*	232	
3451	65		3	233	
3452	2		4	234	

Anni *mundi*.	Olympiades.	Pontifices & Duces.	R. Perſ.	Roma condita.
3453	3		5	235
3454	4		6	236
3455	66		7	237
3456	2		8	238
3457	3		9	239
3458	4		10	240
3459	67		11	241
3460	2		12	242
3461	3		13	243
3462	4		14	244 CONSV
3463	68		15	245 LES RO.
3464	2		16	246 MANI
3465	3		17	247
3466	4		18	248
3467	69		19	249
3468	2		20	250
3469	3	*Ieſus ad Da-*	21	251
3470	4	*riũ profectus*	22	252
3471	70	*ſubſtituit ſibi*	23	253
3472	2	*Ioachimum fi=*	24	254
3473	3	*lium.*	25	255
3474	4		26	256
3475	71		27	257
3476	2		28	258
3477	3	*Ieſus iterum*	29	259
3478	4	*à Dario reuer*	30	260
3479	72	*ſus fungitur*	31	261
3480	2	*ſacerdotio.*	32	262
3481	3		33	263
3482	4		34	264
3483	73		35	265
3484	2		36	266
3485	3		*Xerxes.*	267
3486	4		2	268
3487	74		3	269
3488	2		4	270
3489	3		5	271
3490	4		6	272
3491	75		7	273

Anni mundi.	Olympiades.	Pontifices & Duces.	R. Perſ.	Roma condita.	Hebdomadæ Danielis.
3492	2	*Rheſa Menſol-*	8	274	
3493	3	*lam Dux 66*	9	275	
3494	4		10	276	
3495	76		11	277	
3496	2		12	278	
3497	3	*Ioachim Pont.*	13	279	
3498	4	30	14	280	
3499	77		15	281	
3500	2		16	282	
3501	3		17	283	
3502	4		18	284	
3503	78		19	285	
3504	2		20	286	
3505	3		21	287	
3506	4		*Darius Arta-*	288	
3507	79		2 *xerxes Lon-*	289	
3508	2		3 *gimanus.*	290	
3509	3		4	291	
3510	4		5	292	
3511	80		6	293	
3512	2		7	294	*Hebdomada*
3513	3		8	295	2 *prima Da-*
3514	4		9	296	3 *nielis.*
3515	81		10	297	4
3516	2		11	298	5
3517	3		12	299	6
3518	4		13	300	7
3519	82		14	301	2
3520	2		15	302	2
3521	3		16	303	3
3522	4		17	304	4
3523	83		18	305	5
3524	2		19	306	6
3525	3		20	307	7
3526	4		21	308	3
3527	84	*Eliaſib Pont.*	22	309	2
3528	2	40	23	310	3
3529	3		24	311	4
3530	4		25	312	5

Anni *mundi.*	Olympiades.	Pontifices & Duces.	R. Perſ.	Roma condita.	Hebdomadæ Danielis.
3531	85		26	313	6
3532	2		27	314	7
3533	3		28	315	4
3534	4		29	316	2
3535	86		30	317	3
3536	2		31	318	4
3537	3		32	319	5
3538	4		33	320	6
3539	87		34	321	7
3540	2		35	322	5
3541	3		36	323	2
3542	4		37	324	3
3543	88		38	325	4
3544	2		39	326	5
3545	3		40	327	6
3546	4		41	328	7
3547	89		42	329	6
3548	2		43	330	2
3549	3		44	331	3
3550	4		*Darius No-*	332	4
3551	90		2 *thus.*	333	5
3552	2		3	334	6
3553	3		4	335	7
3554	4		5	336	7
3555	91		6	337	2
3556	2		7	338	3
3557	3		8	339	4
3558	4	*Ioanna ben Rhe*	9	340	5
3559	92	*ſa Dux annis*	10	341	6
3560	2	52	11	342	7
3561	3		12	343	8
3562	4		13	344	2
3563	93		14	345	3
3564	2		15	346	4
3565	3		16	347	5
3566	4		17	348	6
3567	94	*Ioiada Pont.*	18	349	7
3568	2	*annis* 24	19	350	9
3569	3		*Artaxerxes*	351	2

Anni mundi.	Olympiades.	Pontifices & Duces.	R. Perſ.	Roma condita.	Hebdomadæ Danielis.
3570	4		2 *Mnemon.*	352	3
3571	95		3	353	4
3572	2		4	354	5
3573	3		5	355	6
3574	4		6	356	7
3575	96		7	357	10
3576	2		8	358	2
3577	3		9	359	3
3578	4		10	360	4
3579	97		11	361	5
3580	2		12	362	6
3581	3		13	363	7
3582	4		14	364	11
3583	98		15	365	2
3584	2		16	366	3
3585	3		17	367	4
3586	4		18	368	5
3587	99		19	369	6
3588	2		20	370	7
3589	3		21	371	12
3590	4		22	372	2
3591	100	*Ioannan vel*	23	373	3
3592	2	*Ionathan.*	24	374	4
3593	3	*Pont. 52.*	25	375	5
3594	4		26	376	6
3595	101		27	377	7
3596	2		28	378	13
3597	3		29	379	2
3598	4		30	380	3
3599	102		31	381	4
3600	2		32	382	5
3601	3		33	383	6
3602	4		34	384	7
3603	103		35	385	14
3604	2		36	386	2
3605	3		*Darius Ar-*	387	3
3606	4		2 *taxer. Ochus.*	388	4
3607	104		3	389	5
3608	2		4	390	6

Anni *mundi.*	Olympiades.	Pontifices & Duces.	R. Perſ.	Roma condita.	Hebdomadæ Danielis.
3609	3		5	391	7
3610	4		6	392	15
3611	105	*Hyrcanus primus Dux 30.*	7	393	2
3612	2		8	394	3
3613	3		9	395	4
3614	4		10	396	5
3615	106	*Iaddo vel Iaddua Pont. 28.*	11	397	6
3616	2		12	398	7
3617	3		13	399	16
3618	4		14	400	2
3619	107		15	401	3
3620	2		16	402	4
3621	3		17	403	5
3622	4		18	404	6
3623	108		19	405	7
3624	2		20	406	17
3625	3		21	407	2
3626	4		22	408	3
3627	109		23	409	4
3628	2		24	410	5
3629	3		25	411	6
3630	4		26	412	7
3631	110		*Arſames Ochi filius.*	413	18
3632	2		2	414	2
3633	3		3	415	3
3634	4		4	416	4
3635	111		*Darius Arbelas.* ALEXANDER	417	5
3636	2		2	418	6
3637	3		3	419	7
3638	4		4	420	19
3639	112		5	421	2
3640	2		6	422	3

ANNOTATIONES IN TAB. III. QVIBVS POTIORA EIVS PAVLO COPIOSIVS EXPLICANTVR.

De liberatione populi Dei ex captiuitate Babylonica, & eccleſia Dei reſtituta.

Veritas promiſſionum Dei indubia.

VERITAS promiſsionum Dei omnibus quidem ſæculis certa & immutabilis illuſtrisq; apparuit, omnium autem ſignificantiſsimè euidentiſsimè

que indubiam & infallibilem se esse, exactis 70. captiuitatis Babylonicæ annis, comprobauit. Promittens enim Deus per Ieremiam, dixerat, Euolutis in Babylone annis 70. captiuitatis vestræ, memor vestri, adero vobis, liberatosq; reducam Hierosolymam in patriam. Quinimò ante annos circiter 180. Isaias disertis verbis, & liberatoris è captiuitate nomen edidit, & reparationem vrbis & politiæ disertis verbis expressit, dicens, Excito verbum serui mei & consilium nuntiorum meorum perficio. Dico Hierosolymæ, Habitaberis, & ciuitatibus Iuda Ædificabimini, cuius desolationes erigam. Qui dico Cyro, hic pastor meus est, & omnem voluntatem meam perficiet. Et reliqua quę leguntur Isaiæ 44. & 45. Ergo historia sacra, Anno primo, inquit, Cyri regis Persarum, cum consummatum esset verbum domini, prædictum per os Ieremiæ, excitauit Deus spiritum Cyri regis, qui populum captiuũ libertate donauit. Iosephus Antiq. lib. 11. cap. 1. affirmat Cyro regi exhibitum esse Isaiæ librum, quo lecto, admiratũ esse regem vatis diuinitatem, atq; correptum cupidine ea exequendi, quæ scripta legerat. Certè animus eius, à Deo dicitur commotus, vt vinctos dimiserit. Prius tamen, quod superius est annotatum, & copiosè apud Danielem in 5. cap. expositum, capta est Babylon, interfectus Baltazar, direpta & vastata vrbs, supplicium q; sumptum de impijs, sicuti prænunciarant sæculis aliquot prophetæ Dei.

Illa ergo fidem omnium sanctorum quàm validissimè corroborãt, dum cernunt ne apicem quidem promissionum, & quidem in turbis tantis, inq; rebus tristibus & tantum non desperatis, euanescere. Commendant hæc præterea insignem Dei misericordiam, qua sola ille commotus, oppressis de repentè hostibus populi Dei, reliquias populi sui dispersas & contritas, recollegit, roborauit, & in patriam reduxit. Plurima in his simul admiranda planè occurrunt, & principio quidem, tam breui tempore, & nullo alioqui negotio, dissipari potuisse regnum Babylonium in orbe longè maximum & potentissimum adeóque inuictissimum, deinde potuisse ex tot & tam remotis prouincijs regnisq; Medorum & Persarum, congregari populum Dei, hũc item sponte reliquisse loca, tot iam annis inculta, ac credere se itineri remotissimo difficillimo periculosissimoq;, ac in ea proficisci loca, quæ vasta erant. Vrbs enim in ruinis iacebat, & hostes, barbari homines, Iudæam iam occupabant, inter quos oportuit ædificare Iudæos, parum instructos ad ædificationẽ, & vt paucis quod res est dicam, omnia quæ à mundanis & sapientibus hominibus in primis expenduntur, absterrebant eos à reditu in patriam. Sed Deus qui corda tenet & mouet, & impedimenta quęlibet tollit è medio, impulit populum suum ad profectionem illam suscipiendam.

Misericordia & potentia Dei exeriè se liberatione populi.

Ac certum est satis, sermones prophetarum cum viuos viuentium, tum scriptos mortuorum, mœstos ac trepidantes multorum animos erexisse atq; confirmasse. Dominus quoq; regis primum Medi Darij filij Astyagis mentem, erga Zorobabelem, prout exponitur 3. Esdræ 4. & 5. cap. studio fauoreq; singulari inflammauit: deinde Cyri etiam regis animum impulit, vt libertate donatos amplissima incredibiliq; prosequeretur beneuolentia & liberalitate. Quæ res multorum quoq; mentes consolata est & roborauit. Etenim edicto publicato, amplissimè prædicat gloriam Dei Israelitici Cyrus, & hortatur populum Dei ad extruendum Deo Israelitico templum in Hierusalem. Quò autem facilius extruerent templũ, reditus regiaq; munera addit: sed & vasa templi Domini, in Babylonem translata per Nabuchod. restituit reducibus, nempe aurea argentea q; vasa quinq; millia & quadringenta. Quæ omnia exponuntur 1. Ezrę cap. In 2. cap. eiusdem libri census ponitur vniuersæ multitudinis ad profectionem apparatę, quadraginta duo millia trecenti & sexaginta, præter seruos & ancillas, quorum fuisse scribuntur 7336.

Deus mouet hominum mentes

Obseruandum autem puto singulariter, quod quemadmodum olim multi plures egrediebantur ex Ægypto, quàm fuerant ingressi, ita nunc quoq; vniuersi plures redire in patriam plures, quàm vincti in Babylonem fuerant abducti. Dignissima sunt hæc opera Domini quæ admiremur, sicut & illud admiratione dignum est, quòd vasa templi integra sunt asseruata in Babylone, & nunc quoque restituta. Quid ergo difficile creditu videatur sacros libros vitiis sacris longè præstantiores, in Babylone ac in consequentibus temporibus turbulentissimis licet, incorruptos, Dei potentia, esse asseruatos?

Captiui liberati redeunt in patriam duce Iesu.

Cæterùm instructi atq; congregati Iudæi libertate donati, committunt se per turmas itineri. Duces habuere plures, sed primarios duos, Iesum filium Iosedech pontificem, & Zorobabelem pronepotem Iechoniæ regis Iuda. Sicut autem Deus promiserat per prophetas, ita itineri profectioniq; ipsorum benedixit, & vt quondam proficiscentes ex Ægypto commodè & tutò duxit per desertum, ita nunc etiam felicissimè ex Babylone reduxit in Iudæam. Terram patrio ingressi promissam, mox qua possunt diligentia passim & in ruinis vrbium per totius regni loca parant sibi hospitia. Intelligunt autem rerum periti, quæ modicis per initia, hospitijs, contentos esse oportuerit. In primis tamen ea quæ diuini erant cultus curabant. Nam ara posita, sacrificabant, & cætera secundum legem Dei obibant sacra, templi quoq; fundamenta cupidè iaciebant, sicut latè in 1. lib. Esdræ 3. cap. exponitur. Atqui lætis his initijs progressus non respondebat. Præfecti enim ijs regionibus Persici, & gens Samaritana in primis, timentes nouis incolis non infelicia initia, metuentesq;, ne ipsi arctius habitare tandem & loco cedere cogerentur, legationibus artibusq; in aula Persica impetrarunt, vt edicto publico, inhiberetur templi extructio. Accedebat in dies his gentibus vicinis vexatio, Dei populo grauis & varia. Durauit ea afflictio annis circiter 30. ad Darij vsq; Hystaspis annum 6. quo ædificium templi absolutum est. Descriptionem ædificij vel reparati templi habes 1. Esdræ 5. & 6. cap.

Lætæ initia turbantur.

Restituitur ecclesia sed afflictionibus nõ liberatur.

Cernere hic licet ecclesiam hactenus dispersam inter gẽtes, sacra iterùm operagere sua, sed aliquandiu sine templo, & satis quidẽ modico & accisо cultu, multaq; cum afflictione. Sed placuit Deo splendor cordis sacra modica peragentium, vera fide imbuti, & per patientiam constantiamq; in fide, & per omnia bona opera, se exerentis. Ac prodest sæpè intueri huiusmodi afflictæ ecclesiæ faciem, indeq; discere plus probari Deo splendorem interni, quàm externi cultus, & omnes pios Dei cultores, nunquam nõ exerceri cruce. Neq; dubium est placuisse Deo eos quoq;, qui nondum reuersi ex captiuitate & cum hac visibili ecclesia coniuncti, interim in vnitate fidei ab ipsa non erant diiuncti. Nondum venerat adhuc Hierosolymam Esdras, cum non modica fidelium turba. Sed & Daniel in Oriente dicitur migrasse ad dominum, sepultus Ecbathanis vrbe. Et dominus apud Malachiam in 1. cap. testatur se per orbem terrarum habere, qui ipsum purius colant, quàm ipse eius in visibili Iudæorum ecclesia populus. Singulariter tamẽ in hac ecclesia vniuerso ostendere voluit mundo, quæ se pro vera habere religione, quæ ab ipsa exerceatur atq; profiteatur, quæ tandem adobrui & miserè vexari, non tamen vnquam opprimi & extingui magis possit. Ideò enim hactenus tot tantaq; eius pericula vices atq; casus videndos oculis nostris expositos, vt per omnia discrimina in vera religione corroboremur. Prædicarunt atq; scripserunt hisce in ecclesia Dei temporibus, excellentes prophetæ Dei, Haggæus, Zacharias ac Malachias, qui annumerantur minoribus prophetis, & agnoscuntur ab omnibus pro canonicis.

Viri illustres vel prophetæ horũ temporũ.

Haggæus.

HAGGAEVS sermonibus aliquot breuibus verbis, sed sententijs piosissimis ingratitudinem populi accusat nuper liberati, increpans eos

non tam socordiam, quàm malitiam, qui tardius templum extruant, in suis autem ædibus extruendis nimis sint diligentes. Hortatur ergo eos, vt totis incumbant animis, quò Templum maturè ædificetur, neq; metuant, in hoc opere necessario & optimo, vllos aduersarios. Deum enim ipsis certò adfuturum. Vaticinatur item de Christo eiusq; ecclesia.

ZACHARIAS idem argumentum tractat cum Haggæo, nisi quod ille omnia copiosius prosequitur, & in Visionibus multa comminiscitur cum Daniele habet. Luculentissima de Christo & ecclesia texit vaticinia. Singulare hoc est, *Zacharias.*

EGO ADDVCO SERVVM MEVM GERMEN, EN LAPIS QVEM POSVI ANTE IESVM, SVPER LAPIDEM VNVM SVNT OCVLI SEPTEM, EN EGO APERIO APERTVRAM EIVS, ET AVFERAM INIQVITATEM TERRAE ILLIVS VNO DIE. CHRISTVS.

Constat certè Christũ ab antiquioribus prophetis, & germen Dauidis, & lapidem vel petram esse nuncupatũ. Positus imò omniũ veterũ oculis propositus est lapis ille, omniumq; sanctorum oculi (per septenariũ significati) in Christum sunt intenti, qui in cruce transfixus fundit cruorem & aquam, semelq; oblatus hostia pro peccatis vnica, omnia mundi peccata expiauit. Id quod Apostolus ad Hebræos fusissimè exposuit. Zacharias verò hic & Christum vehit asino, & precium quo venditus est çstimat, fodit denicq; latus eiusdem & ab Euangelistis adducitur singulariter.

MALACHIAM nonnulli arbitrantur non alium fuisse quàm Esdram sacerdotem, ac ob dignitatem eximiam nuncupatum esse Malachiam, id est nuncium vel angelum domini. Alij affirmant illum eundem esse cũ Zacharia, qui quòd acerbior fuerit in castigandis sacerdotibus, per sermones huius sui vaticinij, ab ipsis interemptus sit, cuius & in euangelio dominus mentionem fecerit. Epiphanius & Isidorus aiunt Malachiam nec Zachariam, nec Esdram, sed illius temporis certum alium quendam pium hominem atq; prophetã fuisse. Vltimus certè prophetarum videtur propheтasse Nehemiæ temporibus. Accusauit hic grauiter populi, & in primis sacerdotum vitia, negligentem scilicet socordiam in obeundis sacris, auaritiam inexplebilem, libidinemq; fœdam: populi quoq; murmur contra Deum. De Christo & præambulone eius, & fine mundi iudicioq; vltimo, apertissima edidit vaticinia. Ac videntur fine libri huius Malachiæ, libri veteris testamenti terminari & connecti cum libris noui testamenti. Nam propherans de reiectione sacerdotij testamenti veteris, induxit præcursorem Domini, & ipsum Dominum Iesum in ecclesia docentes, & corruptissimum statum ecclesiæ reformantes. S. Marcus certè, Initium, inquit, euangelij Iesu Christi filij Dei, ita habet, prout scriptum est in prophetis. *Malachias.* *Matth. 23.* *Connectuntur in fine libri Malachiæ veteris, & noui testamenti libri.*

Cæterùm vt res omnes vsu ac tempore deteruntur & vergunt ad interitũ, ita vidimus hactenus propter infirmitatem humanam naturæq; nostræ corruptionem natiuã & calamitosissimã, res ecclesiæ quoq; fieri deteriores tempore. Vnde etiam nunc in reducta ex Babylone & reparata Dei ecclesia, non leuia cernuntur succreuisse vitia, cùm in populo, tum maximè in ordine sacerdotũ. Turpiter enim in instaurando Dei cultu (vt iam dictũ est in argumento Malachiæ) cessant lenteq; in rebus quibuslibet bonis procedunt, in suis verò priuatis rebus procurandis nimis festinabant, sed & maligni sordidiq; erãt omnes in offerendis Deo sacrificijs, dum reiectitia ex opimis deligentes, declararent cor- *Restituta ecclesia iterum corrupta reformatur ab Esdra.*

da ipsorum erga Deum in religione insyncera esse, auari atque iniurij
erant, iniustęq; vxores suas, quæ obsoleuerant quidem diuturnæ captiu
culpa, sed maritis fideles tamen semper fuerant, repudiabant, & ethnicar
diores puellas prophano sibi connubio coniungebant, obliti deniq; benef
rum Dei & miserabilis sui in captiuitate status, mirum in modum insolesc
adeoq; sceleribus suis in nouum se rursus demersissent barathrum captiu
nisi gratia sua misericors Deus immersos malis clemẽter ac maturè extra
Septimo enim anno regis Artaxerxis Longimani reformatorem popul
Esdras. ex oriente, Hierosolymam misit, Esdram sacerdotem. Erat hic Esdras filius
raiæ illius sacerdotis, quem Nabuchodonosor rex in Ribla, vnà cum alio
dechiæ principibus gladio cõscidit. Fuit ergo frater Iosedek, licet Hieron
in Trad. Hebr. existimet eundem fuisse Esdram qui Iosedek. Multis nec
bus Esdras patrem vicit pietate, fide, sedulitate & felicitate. Adduxit secũ
rosolymam magnam captiuorum libertate donatorum turbam, priuileg
item omnium præstantissimum de restaurãda ordinandaq; Hierosolym
vrbe, vnà cum thesauris maximis religioni cultuiq; reparando impend
Simul autem atq; hic Herosol. venit, atq; corruptum ecclesiæ statum vidit,
que mora serio de emendatione vel reformatione iusta cogitauit consulta
Longum autem esset commemorare, quæ quantaq; fide diligentia & celer
Hierosolymis perfecerit, ecclesiámque Dei à vitijs sceleribusque repurg
Quàm acriter deniq; sui ordinis homines increparit, omnes deniq; propter
ruptelam fœdissimam obiurgarit, prophana connubia disciderit, consort
pharia cum ethnicis dissiparit, & tandem nouo perpetuoq; fœdere popu
cum Deo coniunxerit, exquisitaq; puritate cultum Dei exercuerit. Copio
mè illa exponuntur ab ipsomet Esdra in historia, quę ab ipso nomen obti
Esdræ historia vocatur vulgo ESDRAE historia, & in vnum librum cum Nehemia co
tur apud Hebręos. Liber is est canonicus. Sed liber qui 3. Esdrę dicitur, &
tus, qui eiusdem nomine intitulatur, in canone non sunt. Habent tamen
vtilia quædam, si legantur cum iudicio, adhibita fidei & charitatis regula.

Nehemias ve- Paulò post ista tempora, cum ecclesia Dei reformata purius viueret
niens ex orien gẽtes, Deus miseri populi sui amplius misertus, Nehemiam ex aula Persic
te Hierosoly- Artaxerxes Longim. Hierosolymam misit, qui vrbem, bona adhuc sui part
mam restaurat ruinis iacentem & mœnijs carentem, restauratam muris cingeret, porta
ret, fossas item aggeres atq; propugnacula pararet. Fuit hic Nehemias vi
ctus in aula Persica clarus, regis pincerna, & apud regem singulari in gr
Qui ideò sua authoritate & opibus priuilegijsq; Nehemiam iuuit, vt opu
qui impensarum maximarum & laboris immensi, perficere posset. Neq;
grè & imprudenter hoc opus perficiendũ in se suscepit Nehemias. Simul
atq; à rege dimissus, cum suis Hierosolymam venisset, euestigiò ædificare
pit. Et quamuis ab opere cœpto vicinorum minis atq; molitionibus sedul
sterreretur & pericula occursarent passim ingentia, tretus tamen ille Dei
lio atq; promissis, adiutus item populi constanti obedientia fide & diligen
liciter opus absoluit. Præstitit hic Nehemias alia quoq; ingentia populo be
cia, liberans ipsum ab vsurariorum exactorumq; auaritia atq; rapinis. Sed
idem repullulãtia quædam vitia, ordinauit in repub. plurima, sed & nouo
dam fœdere populum cum Deo cõiunxit, deniq; omnia boni principis m
Nehemiæ liber adimpleuit. Quę omnia exponuntur fuse in libro qui in vnũ volumen cũ Es
libro conuoluitur, & vulgo NEHEMIAS nũcupatur. Est is liber canonicus
librorũ canonicorũ vltimus, qui res ecclesiæ Dei propè perducit adtẽpora
Alex. magni. A cuius morte ad natiuitatẽ vsq; dñi numerãtur anni circiter

Nemo autem miretur cur intra 300. hos años nulli sint exorti scriptores, qui historiam ab exordio mundi hucusq; producram, continuarint ad tempora vsque Christi, & quòd ista tempora nullos habuerint scriptores canonicos. Nam à sæculo Mosis ad Samuelis vsque tempora, nulli reperti sunt in Israele scriptores canonici, licet per Samuelem postea continuaretur historia. Sufficiebat tunc illis lex Dei scripta: nunc ergo cum haberent eandem legem Dei cum historia & propheticis libris, quomodo quicquam eis defuisse existimabimus? Iesus filius Syrach, qui istis creditur scripsisse tẽporibus, in præfatione operis sui palàm attestatur, doctrina legis & prophetarum absolutam contineri traditq; sapientiam. Quòd si eorum temporum historiam, vt præcedentem à mundi exordio, in literas referri voluisset dominus, non defuissent illi idonei homines, quorũ opera id nobis præstitisset. Extant quidem libelli aliquot in Bibliorum opere, sed non numerantur inter canonicos De istis paucula hæc habemus. *Nulli scriptores canonici à temporibus Alexandri magni ad Christũ.*

IESVS SYRACH circa tempora Iosephi iunioris ducis Iuda, & regnãte in Ægypto Ptolem. Euergete F. Philadelphi regis, dicitur librum suum scripsisse, qui inscribitur Ecclesiasticus. Nam Euseb. in Chron. in anno Euergetis 18. Iesus filius Syrach, ait, composuit librum Sapientiæ, quem vocant παναρετον (id est eximium) & facit in eo mentionem Simonis, nimirum Oniæ filij summi Iudæorum pontificis. S. Hieron. ait, se illum reperisse Hebraicum, attamen non Ecclesiasticum, vt apud Latinos, sed Parabolas prænotatũ Nostra tempora Græcum duntaxat habent. Contexit altera sui parte liber ille Sententias, sicut & liber Solomonis, qui inscribitur Prouerb. Altera sui parte prosequitur laudem sanctorum. *Ecclesiasticus Iesu Syracide.*

Coniungitur cum libro alter quidam eiusdem propè argumenti, ac inscribitur SAPIENTIA SOLOMONIS, non quòd Solomone authore sit conscriptus, sed quòd doctrinam contineat Solomonis dignam sapientia, vel quòd scriptus sit ad imitationem Solom. Præcipuè verò exagitat & accusat idola cum idololatria ac etiam tyrannidem. Alioqui incertum est quo authore & quo tempore sit scriptus. Hieron. Liber hic apud Hebræos, inquit, nusquam est, quin & ipse stylus Græcam redolet eloquentiam, & nonnulli scriptorum veterum hunc esse Philonis Iudæi affirmant. Ita verò scriptus esset post aduentum Christi temporibus C. Caligulæ imp. *Sapiẽtiæ liber.*

MACHABAEORVM quoq; libri duo, hic veniunt commemorandi, qui historiam nobis tradũt rerum gestarum à Iuda Machabæo & eius fratribus, ab ipso deniq; Antiocho Epiphane, & ducibus eius. Sed ne hi quidem recensentur in canone: ac præfertur simplicitate prior posteriori. Quibus & tertius ab aliquibus adijcitur. *Machabæorum libri.*

Et quidem quantum attinet ad historiam illorum temporum, ab Alexãdro inquam ad Christum, & quantum scire nos refert, abunde discere ea possumus ex scriptoribus prophanis, vt ex Antiquitatibus Iosephi, cui Eusebius in Chronicis addit Iulium Aphricanum, quibus nos cõiungimus Diodorum Siculum, eos item qui res Alexandri conscripsere. Liuium quoq;, Dionem, Appianum, & horum similes. Interim nemo nescit ingens esse inter sacras & prophanas historias discrimen. De qua re alij copiosius disseruere. Nos redimus ad historiam nostram.

A Nehemiæ temporibus, satis bona & diuturna pace vsa est est ecclesia Dei, quam inter gentes mirificè Deus defendebat, vt tranquillis his temporibus, per Zachariam promissis, respiraret, rectiusq; se colligens, oppida restauraret, doctrinam, studia honesta, & politiam ordinaret, firmiusq; illa inter gentes roboraretur. Quæ restant dicenda de ecclesia, annotabuntur in rebus regũ Persarũ, *Pace vtitur ecclesia Dei.*

DE PONTIFICIBVS ET DVCIBVS POPVLI IVDAICI.

Pontifices in populo reduci.

DIcendũ hic quoq; fuerat aliquid de Pontificibus & Ducibus à captiua Babylonica populo Dei præfectis, sed tacente scriptura quid dicere sim, non video. Solus Nehemias cap. 12. catalogum, & successionem pontificum à captiuitate soluta, ad sua vsq; tempora nobis tradidit. Nomina eorum in Tabula 3. recensui. Et Philo in Breuiario suo reddit nobis duntaxat quorundam pontificum catalogum. Iaddua vltimus est, cuius Nehemias meminit, qui

Iesus.

git Alexandri magni tempora. IESVS filius Iosedek primus est inter Pontifices, sub quo, sicut Esdras memorat, populus è Babylone Hierosolymam ductus est in patriam. Typum verò is gessit Christi domini nostri, ducentis ex captiuitate sathanæ mortis atq; peccati, in sedes illas beatas atq; æternas. Aliis Pontificibus paucula tradit Nehemias.

Deus dat ecclesiæ suæ antistites.

Prædicanda autem hic venit singularis Dei bonitas & cura, quam gerit terno planè studio erga suum populum. Non potest hic diu manere salutis columis, nisi sonet in populo doctrina sana, eaq; retineatur syncera, qua sale aspersa, asseratur à putredine caro alioqui ad corruptionem sua sponte prona, omnesq; retineantur in officio. Dedit ergo Deus ecclesiæ suæ Sacerdotes vel doctores, qui doceãt populum & sacramenta administrent: dedit & Pontificem tam docentium, quàm omnium sacrorum antistitem, qui moderetur omnia ad regulam verbi diuini, puritatemq; ac simplicitatem doctrinæ & sacrorum

Deus dat duces & magistratus populo suo.

asserat atq; prouehat. In eundem finem dedit Deus & DVCES populo, qui videlicet doctrinam & ipsi defendant atq; promoueant, iudicijs quoq; præsint publicis, id est populum iudicent, iuxta institutionem Domini Deut. 16. 17. atq; iustitiam, æquitatem, honestatem, pacem vel tranquillitatem in republica conseruent. Primus inter Duces populi liberati ex captiuitate Babylonica

Zorobabel.

ZOROBABEL fuit, prognatus semine Dauidis regio, ex Iechonia, Nerihoc nomine nuncupato, quòd lucem mundi aliquando Deus daturus esset ex hanc Dauidis prosapiam. Promiserat enim Deus tribui Iuda atq; Dauidis principes nunquam eis defuturos, qui populum gubernent, dum veniat aut in

Ianna Hyrcanus.

pinquo sit Messias. Et quidem dux Ianna Hyrcanus ducum vltimus fuit ex familia vel stirpe Dauidis. Post ipsum præfuere populo Dei Machabæi, Leuitici stirpis homines, mixti tamen connubijs cum tribu Iuda. Supputantur autem à morte huius Hyrcani anni circiter 166. ad Natiuitatem vsq; Domini. Refert Iosephus Antiq. lib. 12. cap. 5. Hyrcanum hunc, cum prius Arabes multis victis prælijs, interijsse sub Antiocho Epiphane, in expugnatione arcis cuiusdã, inexpugnabilis admirandę, quam trans Iordanẽ construxerat. Lucas in cap. 3. contexens

Genealogia Christi apud Lucam in 3.

genealogiam Domini nostri Iesu Christi, Iannæ Hyrcano subiungit adhuc alios tres quatuor, Melchi videlicet, Leui, Matthat, & Heli, qui dicitur aliàs Ioacim, & est pater virginis Mariæ matris Domini nostri Iesu Christi. Oportuit enim lineam generis Christi domini, multa diligentia ex ipsis primis deduci fontibus Adamo, Abrahamo, Iuda, & Dauide, cùm ob veritatem humanæ naturæ in Christo demonstrandam, tum propter veritatem promissionum Dei factarum patribus, de semine benedicto, renouandam confirmandamq;, adeoq; propagandam fidem electorum firmissimè roborandam, quæ quidẽ per omnia secula in Christum Iesum defixa, omnes fideles in Christum viuificauit atq; seruauit.

DE HEBDOMADIBVS DANIELIS.

Insignis & in primis obseruandus est locus Danielis 9. de 70. septimanis, dignus qui sæpius legatur à pietatis studiosis, & ab omnibus animis infigatur penitius. Nam vix alius locus est in tota veteris testamenti scriptura, qui clarius Christum nobis cum omni sua gloria, & cum omnibus donis suis, nostris contemplandũ oculis subijciat, qui item fidem nostrã suffulciat firmius, Iudæos deniq; reuincat validius, & hæreses omnes, opiniones quoq; phanaticas, & errores omnis generis pestiferos, fortius confutet, quàm vnus hic Danielis locus. Quem cum in Homilijs meis atq; Tabulis illustrauerim, qua potui fide & diligentia, maximopere commendatum omnibus, iam prætereo & ad alia transeo. *Hebdomades Danielis.*

DE REGIBVS PERSARVM.

ET quando historia Regum Persarum coniuncta est cum rebus ecclesiæ, commemorataq; illustret sacras literas, perstringã nunc breuibus res quasdam Regum Persarum, quas copiosissimè prosequitur Herodotus Halicarn.

CYRVS Persicæ monarchiæ primus princeps, prædecessorem habuit in monarchia Darium Priscum, Astyagis vel Assueri filium, ad quem capta Babylone imperium est deuolutũ, sed eodem anno, moriente Dario, monarchia quæ rursus in vnum regnum coijt, ex Medis & Persis, delata est ad Cyrũ. Scripturæ hic plus tribuendum est meritò, quàm prophanis historijs, regnum Astyagis & Baltazaris non Dario, sed Cyro attribuentibus. At Daniel qui illis vixit temporibus & apud reges illos maximo in precio fuit, Interfecto, inquit, Baltazare rege Chaldæo, Darius Medus successit in regnum. Et iterum, Anno primo Darij filij Assueri, de semine Medorum, qui imperauit super regnum Chaldæorum, &c. Et Hieron. Danielem interpretans, Quod vincente Cyro Persarum rege, & Dario Medorum rege, solus Darius in regno successisse scribitur, ordò ætatis & propinquatis & regni est. Darius enim 62. annorum erat, & maius regnum Medorum, quàm Persarum legimus, & auunculus qui prior erat iure naturæ, successor regni debuit numerari. Deniq; Cyrus apud Persas regnans, pro sua modestia auunculo & socero libens cessit regni titulo. Nam & apud Xenophontem offert ei præcipuum palatium, vt eò veniens, in hoc, tanquam in suum diuertat. Et Rabbi Leui author est, Darium hunc nõ integro regnasse anno, ideoq; monarchiam ex Medis & Persis integram Cyro reliquisse. *Cyrus.* *Darius Priscus monarcha.*

Iam ergo in annis regni Cyri numerandis, nõ consentiunt inter se Chronographi. Nam Metasthenes, Interfecto Baltazare, inquit, regnarunt simul Darius & Cyrus annis 2. Solus autem Cyrus 22. Hunc sequutus Ioan. Lucidus Cyro tribuit annos regni 24. Eusebius quem plerique sequuntur, ascribit ei annos 30. Et Cicero de somnio illius, 30. annorum imperium prædictum ei fuisse scribit. Alij verò numerant annos regni eius duntaxat 7. alij 9. Hi tamen omnes concorditer in fine vel morte Cyri, perueniunt numerando in Olymp. 62. Ego itaq; sequutus Herodotum, monarchiæ Cyri tribuo 16. annos. in vniuersum autem regno eius 29. annos. Certum est enim Cyrum ante monarchiam indeptã, regnasse in Persia. Vnde & Eusebius in Chronicis cæteriq; chronographi, constanter principium regni Cyri, collocarunt in 55. Olymp. & Theophilus ad Autolycum lib. 3. Cyrus, inquit, interfectus est Olymp. 62. Itaq; iuxta hunc calculum Cyrus regnasset in Persia, Dario imperitante in Media, nondum tamen in Babylone, annis 13. in monarchia 16. in vniuersum 29. Bellum gessit maximum Cyrus contra Ionios & Lydos, ac cœpit regem horum opulentissimum Crœsum, ante occupatam Babylonem. Ingens fuit eius in rebus bellicis gloria, in *De temporibus vel annis Cyri.*

quibus exercitatus est à puero. Princeps hic fuit optimus & sanctissimus, ... luculenta habet testimonia in Isaia cap. 44. & 45. item apud Esdrã in hist... cap. 1. Libertate populum Dei, vt antea est expositum, donauit remisitq; ... triam. Inter laudatissimos orbis principes non postremum locum hic obtinet.

De morte eius dissimiles sunt sermones. Herodotus refert in acie ipsum ... tra Massagetas pugnantem, interfectum esse, & mortuo resectum caput, quo... Thomyris regina sanguini humano immerserit, &c. Xenophon autem plane ... mortuum esse affirmat, reddita etiam oratione, quam moriens ad filios habu... eosq; adhortatus est ad studium iustitiæ & concordiæ.

Cambyses.

CAMBYSES II. Persarum rex, degener Cyri filius, patri in regno ... cessit. Eius imperio tribuunt nonnulli annos 7. & menses 5. Smerdi mag... fratri eius menses 7. qui cum 5. illis mensibus coniuncti faciant annum. ... iungitur regno Cambysis, dicitur q; imperitasse annis 8. In libro Esdræ nun... patur hic princeps & Assuerus & Artaxerxes, atque is ille est, qui bona per... initia & ingens illud gaudium conceptum de positis templi fundamentis, ...

Persequutioni rursus subditur ecclesia.

bauit, & ædificium templi cœptum impediuit, ecclesiamq; Dei persequi cœp... homo alioqui truculentissimus & sceleratissimus impurissimusq;. In eo app... ret inconstantia felicitatis humanæ, cum videlicet optimo patri, succedit ... pessimus, qui priuilegia patris populo Dei concessa, rescindit. Sed non diu ... xit, neq; sicca morte, quod fatum tyrannorum est proprium, periit. In equ... enim conscensurus, in proprium gladium, qui ex vagina exciderat, incubu... Deo rursus commonstrante se vigilem esse suæ ecclesiæ, iuxta illud prophet... Ecce non dormitabit neq; dormiet qui custodit Israel, &c.

Darius Hystaspis.

DARIVS à parente suo cognominatus Hystaspis, III. Persarum Re... bonus fuit princeps, qui nec religionem veram, nec Dei populum odio pro...

Pax ecclesiæ restituta.

quens, persequutus est. Rursus ergo pacem à Cambyse & aulicis præfectisq; ... sicis turbatam, restituit Darius ecclesiæ. Sub huius enim imperio docuer... Haggeus & Zacharias, & Templum domini sub Cyro cœptum, nunc demu... est absolutum. De quo Esdras in historia sua, Perfecerunt templum, inquit ... præcepto Dei Israelis, & ex præcepto Cyri & Darij & Artaxerxis regis Per... rum, perfectaq; est domus hæc, vsq; ad 3. diem mensis Adar, qui erat 6. ann... Darij regis. In quibus verbis obseruandum est Darium hunc etiam Artax... xem esse nuncupatum. Ergo particula Et expositiua est, quasi dixerit Esdr... Ex præcepto Darij & Artaxerxis, id est qui aliàs dictus est Artaxerxes. In qu... sententiam exposuit & Aben Esdra, & scholia Bibliorum habent, Vos ... taxerxes, est expositiua particula (qui & Artaxerxes) significans.

Anni templi extructi 46. Ioan. 2.

Cæterùm inuenitur hic diuersitas in numero annorum à Cyro ad 6. ... hunc annum Darij. Eusebius enim, & qui ipsum sunt sequuti numerant ... 44. Alij verò 21. alij 23. supputant annos. Ego verò sequutus Olympiadũ ... lum, tribuo tempori isti annos 30. Interim non ignoro obijci, A Iudæis Ioan... dici, Quadraginta & sex annis extructum est templum hoc. Cæterùm si sequ... ris Eusebianam supputationem, deerunt aliquot anni. Plures desiderabuntur ... sequare aliorum supputationem. Ergo videntur mihi quidem verba Iudæo... non astringenda esse ad certum annorum numerum, sed ita esse intelligen... sicuti ea verba, quæ proferunt Ioan. 8. dicentes ad Dominum, Quinquagi... annos nondum habes, & Abraham vidisti? Nemo enim hinc colligit, nisi v... Irenæus (sed perperam) Christum egressum annos 40. nondum tamen c... plesse 50. Nam certum est ex temporum supputatione, Christum mortuũ ... 33. ætatis suæ anno. Alij referunt hos 46. annos ad templum ab Herode reæ... ratum; sed incertum an tot annis fuerit reparatum: cum ne ipse quidem Hero... dot...

des 46. annis regnauerit, nisi placuerit dicere, à sacerdotibus & proceribus populi postea esse ad plenum perfecta, quæ Herodes imperfecta reliquerat. Rursus tamen quam certò hęc affirmari possint non video. De Dario plura referuntur in lib. Esdræ & Homilijs meis ad Danielem.

XERXES Darij filius, IIII. Persarum rex, infelix fuit princeps. Plus ille hausit sanguinis humani, quam quisquam regum alius. Crudelis alioqui erat, superbus & valdè temerarius. Cuius res diligenter prosequitur Herodotus. Nos quantum satis est ad illustranda Danielis vaticinia, res eius adumbrauimus in nostris Homilijs. Ab Artabano tandem est interfectus. *Xerxes.*

ARTAXERXES Longimanus, sic dictus videtur quòd dextera eius longior fuerit quàm sinistra manus, V. Persarum Rex, felix, pacificus & religioni veræ populoq; domini fauentissimus fuit princeps, & erga Dei ecclesiam munificentissimus. Sub eius imperio Esdras ex Persia Hierosolymam redijt, & populum Dei reformauit, & amplissima à Rege priuilegia vrbi attulit, quam Nehemias ab eodem rege missus, non diu postea reparauit: sicut superius est expositum. *Artaxerxes Longimanus.*

In imperium huius Artaxerxis, vt hoc obiter quoq; moneam, collocat Ioan. Func. ex historicis & chronologis initium regni FRANCORVM. Aiunt illi Francos primùm ex finibus Scythicis egressos in fines peruenisse Germanorum vel Theutonum consedisseq; iuxta ostia Rheni, in Batauia videlicet Geldria ac Phrysia, ibidemq; nouum condidisse regnum. Quòd si ineas supputationem à 30. Artaxerxis anno, progrediarisq; ad annum vsq; Domini 1565. quo hæc scribo, colliges annos plus minus 2000. quibus regnum floruit Francorũ. FRANCORVM *regnum & Franci.*

Gentem hãc aiunt à principio ab incolis Germanis appellatam Newmage/ id est, noui cognati, pro humanitate sua agnoscentes eam pro amicis imò agnatis. Certè in istis partibus non procul ab eo loco, quo scinditur Rhenus in Vuahalim (die Whcal) & Isalam (die Yſel) ac Lecum (die Lech) sic enim Rhenus priusquam in mare euoluatur, nuncupatur, oppidum cernitur Nouiomagum ad Vuahalim situm in ducatu Geldriæ, quod retinet adhuc antiquum illud nomen, ac dicitur Niiwmagen. Deinde dicti sunt populi isti à Cambra, ex Britannia nobili regina, vxore Antenoris filij Marcomiri, Sicambri. Postremò autem nuncupati sunt FRANCI à Franco rege suo, Antharij F. Collocatur hic Francus in imperium Octauiani Augusti Cæs. Francus hic misit subsidia sua, sub duce Clogio F. suo, Germanis, contra quos Augustus Cæs. M. Lollium miserat. Verùm hunc cum suis Romanis fugatum tota eiecerunt Germania. Suetonius in Octauio, affirmat eiadem Lollianam fuisse infamiæ maioris, quàm detrimenti. *Sicambri.*

Cœpit autem Francorum nomen per historicos demum celebrius fieri, sub imperio Gallieni Imperat. Ab eo enim tempore grauia gesserunt bella Franci, cum multis Imp. Roman. lateq; in ripa Rheni Germanica processerunt: sed & Rheno superato in Galliam demum penetrarunt, imperij Honorij anno 8. à nato Domino 406. Primum ipsorum regem post hunc transitum in Galliam, nuncuparunt Pharamundum, quæ est Germanica appellatio, Warmund. Sed & Franci Germanicè vocantur die Fryen. Nunc verò redeo eò vnde sum digressus.

DARIVS Nothus Artaxerxis F. VI. Persarum rex, non legitur vel religionem veram vel populum Dei afflixisse. Reliquit post se duos filios Artaxerxem Mnemonem & Cyrum, sed Artaxerxem regem constituit, Cyro regiones aliquot gubernandas tradidit. Quibus tamen hic non contentus, fratri bellum intulit, in quo interijt. *Darius Nothus*

Artax. Mnemō ARTAXERXES Mnemon ergo VII. Persarum rex, magnus est cognominatus. Incestu fœdo polluit se hic princeps, ac reliquit post se alastorem quendam Darium Ochum.

Darius Ochus. DARIVS enim Artaxerxes Ochus VIII. Persarum rex, cruenta erat stia, qui interemptis duobus suis fratribus, regnum occupauit. Bella gessit Ægyptijs, eaq; occasione & Iudæos crudeliter vexauit. Rursus itaq; ecclesub hoc principe & ad tempora vsq; Alexandri magni calamitatibus adoper est maximis. Referunt historiæ & Iosephus Antiq. lib. 11. cap. 7. pollutum templum Hierosolymitanum à præfecto Persico Bagoa, vel Bagoseo, vel gose, tributum quoq; impositum esse populo Dei, & adempta quoq; omnitera priuilegia, à Cyro, Dario & Artaxerxe concessa, multas denig; Iudæorum familias captiuas esse ductas in Hyrcaniam. Ita verò per vices afflixit Dominus & exercet ecclesiam suam, igne tribulationis, expurgans ipsam a peccatorum rubigine assuetudinéue peccandi. Rursus tamen impunè impij non eutant diu. Nam Ochus hic Persarum rex, interfectus est à Bagoa.

Reparatur populi Dei persequutio.

Arsames. ARSAMES Ochi F. IX. Persarum rex, regno impositus est à Bagoa, ab eodem rursus confossus. Interijt in ipso vniuersa Ochi familia, vt mundo pareat non tantùm Ieroboamos & Baasas, & Achabos, sed omnium gentium culorumq; hostes religionis & ecclesiæ Dei veræ, deleri à Deo cum suis fautijs vel vniuersa sua cum posteritate.

Darius Arbelas. DARIVS X. Persarum rex & vltimus, vulgò nuncupatus Arsami filius Melas item & Arbelas. Aiunt enim hunc non fuisse ex posteris Ochi, iam latis per Bagoam, sed alterius cuiusdam Arsami filium, accitum ex Armenia regno à Bagoa inauguratum. Vicit hunc, vt dictum est in Homilijs, & occi-

Anni regni Persarum. Alexander magnus, monarchia Persica ad Græcos translata. Imperium Persæ annos 216. Alij numerant 228. Alij 230.

DE REBVS ROMANORVM ET SAPIENTIBVS GRAECORVM.

Romani eiectis regibus creant Coss. IN Tabula hac exhibentur anni vrbis conditæ, proinde dicam pauca de nonnullis rebus Romanorum. Eiecto rege Tarquinio & libertate recuperata, imperium duobus viris annuum est mandatum, qui postea quòd comitijs rent reipub. CONSVLES (vt in lib. de Legibus ait Cicero) nominati sunt. Creati autem sunt à P. Valer. Sp. Lucretio interemptæ Lucretiæ patre inter rege, comitijs centuriatis. Primi Coss. fuere L. Iunius Brutus, & L. Tarq. Collatinus. Cæso autem illo ab Arunte surrogatus est ei Sp. Lucretius, imo him sibi Tarq. Collat. cooptauit. Omnia iura, omnia insignia regum primi Coss. habuere. Patritij autem ambo ab initio sunt creati, cum postea etiam ex plebe creari cœpti. Cæterùm annum quo primi Coss. inierunt, non eodem modo merari ab omnibus inuenio. Liuius enim ac Dionysius post Romam condi 245. creatos aiunt, alij verò 244. Quorum opinionem sequitur Sigonius, ptor Fastorum diligentissimus & doctissimus, qui & huius discrepantiæ cas ostendit.

Roma capta à Celtis. Galli Romano exercitu, qui eis occurrerat ad Albiam fuso fugatoq;, vrbem ingressi, tecta omnia disturbarunt atque incenderunt. Robustior pars vrbis Capitolinam confugerat arcem, in qua obsidebatur à Gallis septem menses. Interea M. Camillus, qui Ardeæ exulabat, reuocatus & absens Dictator ctus, Gallos inter pendendum aurum, adortus, Roma expulit, & de ijs triumphans in vrbem rursus redijt. Plutarchus certũ annum vrbis captæ ait dubium inuenire.

inueniri, captam tamen esse post annis amplius 360. quàm vrbs condita sit. Dionysius ait captam post exactos reges anno 120. expleto. Liuius 365. Plinius lib. 34. cap. primo, anno 364. Hunc casum vrbis maximæ præcipuè commemoro, vt diligenter obseruetur rerũ vicissitudo & fragilitas roboris humani, & quòd Deus semper etiam inter gẽtes grauibus supplicijs in scelera animaduertit, rursus tamen oppressos erexit.

Sub Persica hac monarchia floruerunt Pythagoras, Anaximentes, Empedocles, Parmenides, Diagoras, Democritus, Heraclitus, Prothagoras, Hippias, Prodicus, Zeno, Antiphon, Gorgias Leontinus, Aristarchus, Xenophanes, Socrates quoq;, Plato & Aristoteles, Pindarus & Simonides, Aristophanes & Æschilus, Sophocles & Euripides, Phocylides & Anacreon, Pherecides item, Herodotus & Xenophon, Thucydides quoq;, Æschines & Demosthenes, &c. Quem eruditissimorum hominum gentilium catalogum non aliam rursus ob causam recenseo, quàm vt omnes eruditi videant iterum, doctores religionis nostræ prophetas & historicos multis sæculis antecessisse omnes omnium gentium philosophos, poetas, oratoresq; omnium vetustissimos, nostramq; doctrinam & religionem omnem omnium aliarum gentium, modis antecellere infinitis. *Viri illustres gentium.*

TABVLA CHRONICA IIII. CONTINENS PARTEM MONARCHIAE GRAECORVM PER ANNOS 155. AB ALEXAND. MAG. VSQVE ad Machabæos.

Anni mundi.	Olympiad.	Roma cond.	Pontifices & Duces.	ALEXANDER.	Reges Ægypt.	Reges Asiæ.	Reges Maced.	Hebdomadæ.
3641	3	423	*Ioseph*	7 1				4
3642	4	424	*Dux 7*	8 2				5
3643	113	425	*Onias*	9 3				6
3644	2	426	*Priscus*	10 4				7
3645	3	427	*Pont. 25*	11 5				20
3646	4	428		12 6				2
3647	114	429			*Ptole-*		*Philippus*	3
3648	2	430	*Abner*		2 *mæus*		2 *Aridæus*	4
3649	3	431	*Semei*		3 *Lagi*		3	5
3650	4	432	*Dux 11*		4		4	6
3651	115	433			5		5	7
3652	2	434			6		6	21
3653	3	435			7	*Anti-*	7	2
3654	4	436			8	2 *gonus*	*Cassander*	3
3655	116	437			9	3	2	4
3656	2	438			10	4	3	5
3657	3	439			11	5	4	6
6538	4	440			12	6	5	7

Anni *mundi.*	Olympiades.	Roma cond.	Pontifices & Duces.	ALEXANDER	Reges Ægyp.	Reg. Asiæ.	Reges. Syriæ	Reges Maced.	Hebdomadæ
3659	117	441	*Mattha-*	REG-	13	7		6	22
3660	2	442	*tia Eli D.*	NVM	14	8	*Seleu-*	7	3
3661	3	443	12	*Græco*	15	9	*cus Ni*	8	4
3662	4	444		*rum*	16	10	3 *canor*	9	5
3663	118	445			17	11	4	10	6
3664	2	446			18	12	5	11	7
3665	3	447			19	13	6	12	23
3666	4	448			20	14	7	13	2
3667	119	449			21	15	8	14	3
3668	2	450	*Simõ Pri-*		22	16	9	15	4
3669	3	451	*scus Pont.*		23	17	10	16	5
3670	4	452	13		24	18	11	17	6
3671	120	453	*Asar Ma-*		25	*Deme-*	12	18	7
3672	2	454	*hat Dux*		26	2 *trius*	13	19	24
3673	3	455	9		27	3 *Anti-*	14	*Alexid.*	2
3674	4	456			28	4 *goni*	15	2 *& An-*	3
3675	121	457			29	5 *Pont.*	16	3 *tipater*	4
3676	2	458			30	6	17	4	5
3677	3	459			31	7	18	*Deme.*	6
3678	4	460			32	8	19	2 *trius*	7
3679	122	461			33	9	20	3 *Anti-*	25
3680	2	462	Na. Ar. D.11.		34	10	21	4 *geni*	2
3681	3	463	*Eleazar*		35	11	22	5 *Filius*	3
3682	4	464	*frater Si-*		36	12	23	6	4
3683	123	465	*monis Põ.*		37	13	24	*Pyrrh.*	5
3684	2	466	20		38	14	25	*Lysima*	6
3685	3	467			39 *Pto*	15	26	2 *chus*	7
3686	4	468			40 *le.*	16	27	3	20
3687	124	469			3 *Phi-*	17	28	4	2
3688	2	470			4 *ladel*		29	5	3
3689	3	471			5 *phus.*		30	6	4
3690	4	472			6		31	7	5
3691	125	473	*Haggai*		7		*Antio-*	*Ptol Cer Ad*	6
3692	2	474	*Eli Dux*		8		2 *chus*	*Sosthenes*	7
3693	3	475	8		9		3 *Soter*	*Antigo-*	27
3694	4	476			10		4	2 *nus Go*	2
3695	126	477			11		5	3 *natas*	3
3696	2	478			12		6	4	4
3697	3	479			13		7	5	5

Anni *mundi.*	Olym-piades.	Roma cond.	Pontifices & Duces.	Reges Ægyp.	Reges. Syriæ	Reges Maced.	Hebdo-madæ.
3698	4	480		14	8	6	5
3699	127	481	*Maßl. Na*	15	9	7	6
3700	2	482	*hum D.7*	16	10	8	7
3701	3	483	*Manaſſes*	17	11	9	28
3702	4	484	*Pont. 27*	18	12	10	2
3703	128	485		19	13	11	3
3704	2	486		20	14	12	4
3705	3	487		21	15	13	5
3706	4	488	*Amos Sy-*	22	16	14	6
3707	129	489	*rach Dux*	23	17	15	7
3708	2	490	13	24	18	16	29
3709	3	491		25	19	17	2
3710	4	492		26	*Antiochus*	18	3
3711	130	493		27	2 *Theos*	19	4
3712	2	494		28	3	20	5
3713	3	495		29	4	21	6
3714	4	496		30	5	22	7
3715	131	497		31	6	23	30
3716	2	498		32	7	24	2
3717	3	499		33	8	25	3
3718	4	590		34	9	26	4
3719	132	500	*Mattha-*	35	10	27	5
3720	2	502	*tia Siloah*	36	11	28	6
3721	3	503	*Dux* 10	37	12	29	7
3722	4	504		38	13	30	31
3723	133	505		*Ptolemæ.*	14	31	2
3724	2	506		2 *Euerge-*	15	32	3
3725	3	507		3 *tes*	*Seleucus*	33	4
3726	4	508		4	2 *Callinicus*	34	5
3727	134	509		5	3	35	6
3728	2	510	*Sim. Iuſt. P.28*	6	4	36	7
3729	3	511	*Ioſeph Iu-*	7	5	*Deme-*	32
3730	4	512	*nior Dux*	8	6	2 *trius*	2
3731	135	513	60	9	7	3	3
3732	2	514		10	8	4	4
3733	3	515		11	9	5	5
3734	4	516		12	10	6	6
3735	136	517		13	11	7	7
3736	2	518		14	12	8	33
3737	3	519		15	13	9	2

Anni *mundi.*	Olympiades.	Roma cond.	Pontifices & Duces.	Reges Ægyp.	Reges. Syriæ	Reges Maced.	Hebdomadæ
3738	4	520		16	14	10	3
3739	137	521		17	15	*Antigo-*	4
3740	2	522		18	16	*nus*	5
3741	3	523		19	17	3	6
3742	4	524		20	18	4	7
3743	138	525		21	19	5	34
3744	2	326		22	20	6	2
3745	3	527		23	*Seleucus*	7	3
3746	4	528		24	*Ceraunus*	8	4
3747	139	529		25	3	9	5
3748	2	530		26	*Antiochus*	10	6
3749	3	531		*Ptolemæ.*	*magnus*	11	7
3750	4	532		*Philopa.*	3	12	35
3751	140	533		3	4	*Philipp.*	2
3752	2	534		4	5	2	3
3753	3	535		5	6	3	4
3754	4	536		6	7	4	5
3755	141	537		7	8	5	6
3756	2	538	*Onias*	8	9	6	7
3757	3	539	*Pont.* 39	9	10	7	36
3758	4	540		10	11	8	2
3759	142	541		11	12	9	3
3760	2	542		12	13	10	4
3761	3	543		13	14	11	5
3762	4	544		14	15	12	6
3763	143	545		15	16	13	7
3764	2	546		16	17	14	37
3765	3	547		17	18	15	2
3766	4	548		*Ptolemæ.*	19	16	3
3767	144	549		*Epipha.*	20	17	4
3768	2	550		3	21	18	5
3769	3	551		4	22	19	6
3770	4	552		5	23	20	7
3771	145	553		6	24	21	38
3772	2	554		7	25	22	2
3773	3	555		8	26	23	3
3774	4	556		9	27	24	4
3775	146	557		10	28	25	5
3776	2	558		11	29	26	6

Anni mundi.	Olympiad.	Roma cond.	Pontifices & Duces.	Reges Ægypt.	Reges Syriæ.	Reges Maced.	Hebdomadæ.
3777	3	559		12	30	27	7
3778	4	560		13	31	28	39
3779	147	561		14	32	29	2
3780	2	562		15	33	30	3
3781	3	563		16	34	31	4
3782	4	564		17	35	32	5
3783	148	565		18	36	33	6
3784	2	566		19	*Seleucus*	34	7
3785	3	567		20	2 *Philopat.*	35	40
3786	4	568		21	3	36	2
3787	149	569		22	4	37	3
3788	2	570		23	5	38	4
3789	3	571	*Ianna* 2	24	6	39	5
3790	4	572	*Hyrcanus*	*Ptolemæ.*	7	40	6
3791	150	573	*postremus*	2 *Philome.*	8	41	7
3792	2	574	*Ducum ex*	3 *tor*	9	42	41
3793	3	575	*posteris Da*	4	10	*Perses*	2
3794	4	576	*uidis* 16	5	11	2	3
3795	151	577	*Iason P.*3.	6	12	3	4

ANNOTATIONES IN TABVLAM IIII. QVIBVS POTIORA EIVS COPIOSIVS EXPLICANTVR.

De Ecclesia istorum temporum.

Ecclesia afflicta simul & refocillata.

ECCLESIAM Dei à temporibus Alexandri ad Antiochi Epiphanis vsque imperium, varia vsam fortuna dixi in Homilijs meis ad capita Danielis 8. & 11. Deus enim nunquam desijt eam afflictionibus exercere varijs propter admissa peccata probationemq; suorum: rursus verò eximia illa sua misericordia nunquam desijt electos suos consolari refocillareq;, concessis nonnullis respirationibus, collatisq; nõ exiguis aliquot beneficijs per principes Syros atq; Ægyptios: quod paulò significantius explicabo in regibus Ægypti & Syriæ, de quibus mox dicam.

Ecclesia istorũ temporum idoneos habuit doctores.

Nullos habuit ecclesia Dei prophetas per hæc tempora, quorum scripta, sicut antea quoq; dixi, ad nos peruenerint: interim certum est satis non destitutam esse ecclesiam doctoribus idoneis, qui in populo & doctrinam & cultum Dei integra retinuerunt. Certè hoc sæculo floruisse & scripsisse Iesum filiũ Syrach, dixi in annotationibus Tabulæ superioris. Sed & recens erat adhuc Esdræ Nehemiæ, Haggæi, Zachariæ, & Malachiæ memoria, & horum libri, vnà cum legis & aliorum prophetarum monumentis legebantur ab omnibus. Quanquã rursus dubium non sit, sub finem horum temporum, auaritia ambitione & discordia põtificum Iudaicorum factum esse, vt puritas tam doctrinæ, quam cultus cœperit vergere ad corruptelam & spectare ad declinationem. Certè Aug. 18. lib de ciuitate Dei affirmat Iudæorum cultum ab eo tempore quo prophetæ

apud illos esse desijssent, quotidie in deterius collapsum, elanguisse. Et quidē dimus hactenus simili vicissitudine, ecclesiam omniū temporum, esse vexatam & nihilominus tamen in turbis his omnibus apud electos Dei incolumem permansisse veram fidem atq; religionem. Ergo de pontificibus & ducibus populi Dei nihil possum illis addere, quæ in annotationibus proximæ attuli Tabulæ.

DE ALEXANDRO MAGNO ET MONARCHIA GRAECA.

Alexander magnus rex Macedonum.

ALEXANDER Macedo ex præclaris suis factis & virtutibus quibus ab initio claruit, Magnus cognominatus, filius fuit Philippi regis Macedonum, ex Olympia matre nobilissima, patre apud Ægeas oppidum insidias intercepto à Pausania, in regno successit patrio, hoc est Macedonico. Cœpit regnare in Macedonia eo tempore, quo Darius Arbelas factus est rex Persarum. Olymp. 111. Ab initio regni sui Illyrijs & Triballis tumultuantibus sedatis, Graecorum principem pacem petere coegit, Thebas deinde funditus euertēs delevit.

Alexander monarcha.

Inde mouit in Asiam, vbi Dario rege Persarum victo atq; interempto, monarchiam à Persis transtulit ad Græcos, quæ incipit à 7. anno regni Alexandri Alexandria Ægypti vrbs nobilissima dicitur condita ab Alexandro, anno eodem, hoc est in principio monarchiæ. Estq; hæc Alexandrina quæ & Græca dicitur tertia in mūdo post Assyriacam vel Babylonicam & Persicā, monarchia. Haec vt & alias, à Deo esse institutam, ostendi in Homilijs. In quibus exposui ex Josephi Antiq. quomodo exceptus fuerit Alexander à Iaddo pontifice, Hierosolymam veniens, vbi & in templum ascendens, lætus Deo, ex sacerdotis præcepto, immolauit. Refert Iosephus ibidem ei Danielis exhibitum esse librum, ac eo commonstratum Græcum principem adeoq; ipsum Alexand. Persas dicturum. Non iniquus tum quidem vel religioni vel populo Dei fuit: ac tributa

Alexāder fauet populo Dei.

ab Ocho, Iudæis imposita, remisit. Grauissima deinde gessit in Oriente bella & multas domuit gētes plurimosq; deiecit principes. Quod multis exponit ab historicis. A deuicto autem oriente, Babylonem rediit, vbi sese voluptatibus tradens, & vino nimio ingurgitans, in lethalem morbum coniecit, quo & post dies 11. extinctus est. Breuibus hęc perstringo. Nam copiosius dixi de Alexandro cap. Dan. 8.

Discissa Alexandri monarchia.

Mortuo Alexandro miserè lacerata est eius monarchia, ciuilia q; & interna bella sunt gesta inter ipsos Alexandri duces, mutuùm sese horrendis confictes latrocinijs. Postremò demum quadrifidum factum est imperiū, sicuti & Daniel prædixerat futurum, Ptolemęo sibi vsurpante Ægyptū, Antigono Asiam, Seleuco Nicanore Syriam, & Philippo Aridæo Græciam. Initium huius regni collocatur à chronographis cōcorditer in principium Olymp. 114. mox à morte Alexandri, licet Antigonus & Nicanor tum nondum imperitare cœperant. Fuerunt enim inter ipsos Alexandri duces, mox ab Alexandri morte, quos iam dò etiam dixi, bella grauia annis circiter 12. aut 13. dum quiuis illorum sibi monarchia potiri frustra nititur.

DE REGIBVS AEGYPTI.

Ptol. Lagi durus populo Dei

PTOLEM. Lagi F. primus Ægypti rex, nomen regno dedit, vt Lagidarum quoq; fuerit nuncupatum. Præcipuus hic fuit dux Alexandri, celebris inter cæteros habuitq; suas virtutes. Sed in populum Dei durior fuisse legitur. Nam vrbem Hierosolymorum, nihil hostile metuentem, occupauit, & ciues acerbissimè tractauit. Multos enim secum in Ægyptum captiuos abduxit. Mortuus

est cum regnasset annos 40. Pausanias numerat plures eius filios, quos reliquerit. Philadelphum tamen regno præfecit. Ab hoc primo Ptolemæo omnes posteà Ægyptiorum reges dicti sunt Ptolemęi.

Ptol. Philadel. benignus est in ecclesiam.

PTOL. PHILADELPHUS 2. Ægypti rex, pacificus fuit princeps. Studia maximè literarũ artesq; iuuit, melius multò esse iudicans artibus excellere quã armis. Et hoc regnante principe, aliquãdiu non malè habuit ecclesia Dei. Nam populum Dei singulari complexus est fauore, Iudæosq; qui in Ægypto erant. libertate donauit, & præterea multa in eos contulit beneficia, & à Hierosolymitanis vicissim postulauit Interpretes seniores sacerdotesq;, qui leges lingua scriptas patria, id est Hebræa, in Græcum verterẽt sermonem, dignas cognitu, & bibliotheca regia, cui præfecerat Demetrium Phalereũ. Misit ergo in Ægyptum Eleazar pont. frater Simonis prisci, interpretes LXX. viros celebres ex senioribus sacerdotibusq; : qui intra paucos dies legem Dei, ex Hebræa in Græcam conuerterunt linguam. Asseruatus est hic liber diligenter in regiam bibliothecam, vnde postea dimanauit ad populos gentesq; plurimas. Volebat Deus Græcos vel gentes non multos post annos, vocare, per prædicationem euangelij, in consortium ecclesiæ populi sui & in participationem salutis æternæ. Quocirca curauit maturè codicem sacrum in vulgarem maximè linguam conuerti, quò legi passim posset ab omnibus per orbem gentibus. Et Græca quidem lingua longè lateq; patebat tunc quidem, sed & Christi temporibus, cùm ob commercia tum ob monarchiam Græcorum,

LXX. interpretes.

Non dissimulabo tamen in præsenti veterum iudicia, vt in multis alijs, ita nec hic quidem de LXX. interpretibus, vel versione Bibliorum Græca, inter se cõgruere per omnia. Etenim Irenæus, Iustinus, Hilarius, Chrysostom. Augustin. Theodoretus & alij, quam plurimum huic versioni tribuunt, & arbitrantur interpretes illos ab inuicem seclusos in cellulas, idem ex Hebræo expressisse sermone Græco, & quidem totum testam. vetus. At S. Hierõ. in 5. cap. Ezechielis Aristeas, inquit, Ptolemęi ὑποθεσιν, & Iosephus, & omnis schola Iudæorum, quinq; tantùm libros Mosis à LXX. translatos asserunt. Id ipsum repetit in 2. cap. Micheæ & in Præfat. quæstion. Hebraicarum ad Genesin. Et in Præfat. in Pentateuchum ad Desyderium, Nescio, inquit, quis primus author septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus diuisi eadem scripsisse dicantur. &c. In Ezech. cap. 47. affirmat versionem LXX. interpretũ auditoris animum confundere. Idem & Origenes ait, Translationem LXX. in Daniele præsertim, multum differre à veritate Hebraica. In Præfat. ad Paralip. queritur versionem Græcorum LXX. nõ ita puram & integram venisse ad manus eius, sicuti illi fuerãt interpretati. Alibi dicit illos interpretes locos de fide nostra precipuos vel omisisse prorsus, vel aliter esse interpretatos, ne euulgarent fidei arcanum. Et huius generis alia multa passim legere est apud S. Hierõ. Sed & Santes Pagninus in Isagoge sua ad sacras literas cap. 9. & 12. multis euincit versionem LXX. quæ vulgo circunfertur, non congruere cum veritate Hebraica. Vtvt verò hæc res habeat, certum est Apostolos domini Græco libro, aut versione Græca esse vsos, & Græcam versionem post Apostolos passim ab omnibus lectam esse ecclesijs, quanquam & hic diuersis vsi sint exemplaribus. Rursus enim S. Hieron. in Præfat. ad librum Paralip. Alexandria, inquit, & Ægyptus in LXX. suis Hesychium laudat authorem. Constantinopolis vsq; Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has prouinciæ, Palestinos codices legũt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus euulgarunt, totusq; orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. Quæ cum ita se habeant, peroptimè S. Hieronymus & Augustinus consuluerunt, vbicunq; in

Veterũ iudicia de Septuaginta interpretibus.

Recurrendum est ad fontes cũ variant interpretes.

terpretationum varietas se offert, ad primam scripturæ recurrendum esse o nem, ita vt synceritas vet. testam. ex Hebraica veritate, noui autem ex Gr exemplaribus examinetur. Refertur hæc sententia & in Decret. Grat. Dist 9. Sed hæc hactenus de LXX. interpretibus dicta sufficiant. De quibus co sius scripsit Aristeas & Iosephus in Antiquitatibus, vt & de variis interpre tionibus Græcis Eusebius Ecclesiasticæ historiæ libro Sexto capite 13. Fuer enim veteribus quondã & aliæ vet. test. Græcæ versiones. De quibus scrip Epiphanius, & nostro sæculo ex illo clariora, clarissimus & doctissimus vir Ioachimus Camerarius in Chronol. Nicephorianam. Redimus iam in via Quæ ergo restabant hic dicenda de Philadelpho & Antiocho Theo, recu sunt Homil. ad Danielem 53.

Vices ecclesiæ.

PTOL. EVERgetes IIII. Ægypti rex, filius fuit Philadelphi, qui & sicut pater, studia literarum fouit. Postea tamen bello implicitus Syriaco populo non parum incommodauit. De quo dixi Homil. 54. Ergo qui sub Ptol ladelpho pacem habuerant Iudæi, sub hoc Rege rursus affliguntur & exerc tur. Sicut & sub consequente.

PTOL. enim PHILopator Euergetis filius, IIII. Ægypti rex, ma strum fuit hominis & exuuium nequitiæ, qui populum Dei atrociter vexa & ingens bellum cum Antiocho magno gessit, Quod dixi Homil. 55.

PTOL. EPIphanes V. rex Ægypti, successit patri Philopatori, in regn puer admodùm. Quare Senat. Rom. ipsum in suam suscepit tutelam. Nam p pillo bellum inferebat Antiochus magnus. Id dictum est Homil. 56.

PTOL. PHILometor VI. Ægypti rex. filius fuit Epiphanis ex Cleop tra filia Antiochi magni, soror Antiochi Epiph. De quo annotata sunt quæd

Aristobulus peripateticus.

Homil. 57. Ait Eusebius Aristobulum quendam Iudæum, philosophum Pe patheticum, scripsisse ad Philometorem hunc explanationum libros in Mo

Templum Heliopolitanum.

Sub hoc rege Philomet. Onias filius Oniæ pij profugus in Ægyptum turbas bellicas, à rege impetrauit, vt licuerit ipsi templum Heliopoli extru Hierosolymitano simile. Affirmabat se eo ædificio implere vaticinium Is 19. cap. Sed falsum esse docui in Homilijs meis ad Isaiam. De hoc Onia & Te plo lege Iosephi Antiq. lib. 13. cap. 6. de & Bello Iudaico lib. 7. cap. 30.

DE REGIBVS SYRIAE.

Regnum Græcorum incipit sub Seleuco.

SELEVCVS cognomento Nicanor primus Syriæ Rex, regnare cœpit anno à morte Alexãdri. Incidit is annus in annum 2. Olympiadis 117. V author libri primi Machabæorum suam init supputationem, regnũ hoc S nuncupans regnum Græcorum. Quod hic diligenter est obseruandum. E xit hic Seleucus vrbes admodùm claras, Antiochiam, Seleuciam, Appam Laodiceam & alias: in quas multos postea ex populo Dei transtulit hom ac in eis ius, vt Iosephus ait, ciuitatis concessit, voluitq; eos pari ibi cum G cis conditione degere. Diu hic contra Antigonum, Syriam fortiter defe quem & in pugna non procul ab Epheso commissa, multis confossum vu ribus, & iam octogenarium interfecit, occidit & Lysimachum principem p clarum. Demetrium quoq; Antigoni F. prælio superatum, ad deditionem c pulit, & regnum Asiæ cum regno Syriæ coniunxit, vno ex vtroq; constituto perio: vt porrò tria duntaxat numerẽtur regna Ægypti, Syriæ & Macedo Proinde Seleucus hic filijs suis amplissimum reliquit imperium, Babylon Persidem, Medos, Bactra, Parthiam, Asiam & Syriæ partem. Nam Ptolem ipsum iuuerat, contra Antigonum, & ipse partem obtinebat. Attigimus h Seleuci præpotentem dominationem Homil. in Danielem 53. Cæteru

qui viros claros interfecerat, & plurimum humani sanguinis fuderat, septimo mense à morte Lysimachi, interficitur & ipse 80. ætatis suæ anno à Ptolemęo Ceraunno, fratre Philadelphi, ad Lysimachiam. Sed & Ceraunus ille paulò post occisus est à Galatis vel Celtis, Macedoniam occupantibus atque vastantibus. Vbi obseruandum monemus, propter peccata hominum grauibus bellis implicari regna, & homines cruentos cruenta extingui morte, denique ambitionem mirum in modum turbare res mortalium. Constat enim bella illa suscepta esse ab illis Alexandri successoribus propter monarchiam restaurandam atque obtinendam. *Ambitio turbat res mortalium.*

ANTIOCHVS Soter III. rex Syriæ, filius Seleuci Nicanoris, σωτὴρ cognominatus est. Significat autem Soter saluatorem vel conseruatorẽ. Et quamuis non nesciam ex singularibus beneficijs regno collatis, huiusmodi appellationem principibus quibusdam esse inditam, videntur tamen ex institutione & officio omnes principes ita appellari posse. Sicut & Iudices quondam Israelitarum nuncupati sunt in libro Iudicum saluatores, & Dominus in euangelio loquens de regibus, εὐεργέται, inquit, καλοῦνται, id est benefici nuncupantur: interim scimus singularibus ex causis principes aliquot vocatos esse Euergetas, vt Ptol. Euergetem, &c. Admonẽt huiusmodi appellationes principes sui officij, vt quoties se ita audiunt nuncupari, cogitent de officio faciendo, imò vt omnes intelligant, in quem finem Deus magistratum in mundo instituerit. De quo Apostolus Christi loquens, dixit, Magistratus non sunt terrori bonis operibus sed malis. Dei enim minister est tibi in bonum. Quòd si feceris quod malum est, metue. Non enim temere gladium gestat. Nam Dei minister est, vltor ad iram ei qui quod malum est fecerit. Pulchrè ergo magistratus appellantur Soteres & Euergetæ, conseruatores inquam & benefici. *Principes seruatores.* *Officium & finis magistratus.*

ANTIOCHVS Theos III. Syriæ rex, θεὸς cognominatus est. Significat autem θεὸς Deus, ergo appellabatur hic rex Antiochus Deus. Ac testantur alicubi historiæ, princeps aliquot, blasphema quadam ambitione & superbia diabolica, sibi & diuinos impendi honores, & tribui nomen Dei, expetiuisse. Quod quidem nepharium atque horrendum est flagitium. Rursus tamen legimus ipsum met Dominum Deum verum, principibus seu magistratibus, nomen illud suum Dei palàm communicare, vt Psal. 82. Ego dixi Dij istis, & filij excelsi omnes. Id autem nulla alia causa factum apparet, quàm quod in eminentia constituti à Deo sunt instituti & quia sunt ministri Dei: & sicut Deus iustè iudicat, nec munera accipit, nec personas respicit, ita vult & in eminentia constitutos facere omnes. Ergo Deos appellari homines principes, liberatores, conseruatores atque benefactores, interim agnoscere syncerè beneficia illa omnia nos, opera vel ministerio principum à Deo accipere, inter nephanda referri nõ debet. Quæ autem de hoc Antiocho Deo commemoranda erant ad Danielis explicationem, dicta sunt Homilia 53. *Principes Dij.*

SELEVCVS Callinicus IIII. rex Syriæ, filius fuit Antiochi Dei ex Laodice. Quæ ille gesserit bella expositum est Homil. 54. Reliquit post se filios Seleucum cognomento Ceraunum, & Antiochum magnum.

SELEVCVS Ceraunus V. Syriæ rex, non diu regnauit, sed fratri Antiocho magno imperium reliquit.

ANTIOCHVS Magnus ex factis magnificis dictus, VI. Syriæ rex, ingentia gessit bella cum Ægyptijs & Romanis. Dictum est de hoc quantum quidem ad nostrum institutum pertinet satis, Homil. 55. & 56. Ibidem monui ecclesiam Dei bellis Antiochi non parum fuisse turbatam atq; afflictam. Quibus nunc illud adijcio, eandem rursus magna ab eodem principe beneficia acce- *De Antiocho magno.*

pisse, vt hic iterum appareat Deum pro bonitate sua vicibus refocillare ali-
ctã suam ecclesiam. Ac profuerit hic recitare ex Iosephi Antiq. libro 12. cap.
Beneficia Antiochi collata in ecclesiã Dei
quæ beneficia in populum Dei Antiochus hic magnus contulerit. Scripsit
ab Antiocho epistolam ea de re historiæ suæ Iosephus inserit, in qua inter alia
Quoniam Iudæi, inquit, simul ac regionem eorum ingressi sumus, studiose
ga nos suum declarauerunt, visum est nobis gratiam aliquam eis reponere,
vrbem eorum refouere, variis calamitatibus affectam, & in pristinam frequen-
tiam restituere, reuocatis in eam, qui nunc dispersi sunt, habitatoribus. Ac pri-
mùm decreuimus, pietatis ergò, præberi eis in precium pecudum mactan-
rum, vini, olei, thuris, argenteorum viginti millia, & ad similam, secundum pro-
uincialem legem, tritici medimnos mille quadringentos sexaginta, & salis
dimnos trecẽtos septuaginta quinq;, voloq; vt hæc eis præbeantur, sicut pri-
pi: & quod deest templo absoluatur, &c. Remisit in eadem epist. & tribus
permisit omnibus viuere iuxta leges patrias. Edictum quoq; in honorem tem-
pli & ad religionis defensionem edidit. Et in Epistola quadam ad Zeuxidem
populo Dei insigne fert testimonium, dicens, Persuasum habeo illos fore be-
strarum rerum custodes beneuolos, tùm quia COELESTE NVMEN
PIE COLVNT, tum quia fides eorum & promptum obsequium erga
maiorum nostrorum comprobatur testimonio.

Hęc ideò cõmemoraui, quod à morte Antiochi magni annis 12. Antiochus
Epiphanes, Antiocho magno parenti succedens in regno, prorsus dissimilis fi-
Bonitas Dei ecclesiam refocillantis.
cit. Templum enim ipse spoliauit, religionem veram validè concussit, & pop-
lum Dei plus quàm vllus vnquam princeps in regno Syriæ imperitãs affli-
Voluit autem Deus per beneficia populo Dei ab Antiocho magno collata p
pulum vtcunq; apparare futuro certamini, & aliquantulum cõcedere oci
roborati, facilius postea negocium ab Antiocho filio exhibendum superare
Tametsi enim veritatem Deus sinat aliquando adoperiri à mendacibus impo
que hominibus, & obscuriciat ecclesiam suam hostibus suis lacerandam, semper
men per vices opportunas, & veritatem suam singulariter illustrat, & afflict
fessamq; suam ecclesiam refocillat. Proinde bonus est dominus noster, & mi
cordiæ sapientiæq; eius nullus est numerus.

SELEVCVS Philopator, VII. Syriæ rex, degener filius fuit Antiochi
magni, nullis virtutibus clarus. De quo dictum est Homil. 57. Hic Seleu
quod & modò dixi, fratrem habuit Antiochum Epiphanem, tyrannum cru
lissimum, vt rectè cecinerit Homerus Odysseæ E,

Γαῦροι γὰρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δ' ἐ τε πατρὸς ἀρείους.
Æquat rara patrem soboles, sed plurimi ab illis
Degenerant, pauci superant probitate parentem.

Prosequitur hoc argumentum multis Ælius Spartianus in Seuero Cęsare.

DE REGIBVS MACEDONIAE.

Cur de his regibus hic differatur.
DE Regibus Ægypti & Syriæ disserui hactenus, quòd eorum historia pro-
tineat ad elucidandam scripturam, quam hoc meo opere modis omnibus
illustrare, & veræ falsæq; fidei vel religionis historiam pertexendo perstrin-
re contendo. Quoniam verò historia Regum Macedoniæ nihil ad instituti
nostrum pertinet, nil operæ in ipsa consumo. Res Romanas interim leuiter at-
tingo, vt omnibus patefaciam, quid præuiderit Daniel, quidue voluerit quo
do dixit, Et ecce animal quartum formidabile, & terrificum, & eximiè ro-
stum, quod habebat grandes ferreos dentes, deuorauitque & comminuit, et
reliqua

reliquum pedibus suis proculcauit. Qua ratione paucula & de regibus Macedoniæ delibabo.

Primus in Macedonia post Alexãdrum Philippus Aridæus imperauit. Fuit hic frater Alexandri, ideoq; rex dictus à ducibus Alexandri, donec Roxane relicta Alexandri vxor, pareret hæredem. Adiunctus est tamen illi Perdiccas ceu tutor & gubernator. Sed cum Perdiccas ipse regnum appeteret, bellum non necessarium mouit, in quo & interijt. Aridæus quoque capitur ab Olympiade matre Alexandri, ac interficitur. Tunc verò Cassander, non postremus inter Alexandri duces, regnum Macedoniæ occupat. Longa esset Cassandri historia de atroci eius crudelitate, interficientis Olympiadem, Roxanem cum filio, & derelictis eius actis cruentis. Perijt tandem Phthiriasi, morbo & morte tyrannis ferè propria. *Philippus Aridæus.* *Cassander.*

A morte Cassandri regnum Macedoniæ cessit filijs Cassandri, Alexãdro & Antipatri, qui in mutua stringebant viscera ferrum. Cum enim Antipater matrem propria matrem suam confodisset, intulit ipsi bellum Alexander, euocato in societatem belli Demetrio Antigoni F. principe Asiatico, qui Antipatrem occidit, & Macedoniam occupauit, quam & 6. annis obtinuit. Deinde verò pepulit eum regno Pyrrhus rex Epirotarum, sed ne ipse quidem regnum diu obtinuit. Mox enim electus est à Lysimacho, quẽ supra à Seleuco occisum esse diximus. Regnum itaq; Macedonicum inuadit Ptolem. Ceraunus Philadelphi frater, sed mox interficitur à Celtis in Macedoniam irruentibus. Succedunt deinde in regno Meleagrus, Antipater & Sosthenes. Continuis enim tumultibus concussum regnum sanguine exundabat, nec stabilem diu consequi potuit tranquillitatem: Domino Deo, iusto suo iudicio rependente regno sanguinario. Tandem verò redijt imperium ad Antigonum Gonatem, Demetrij regis Asiæ, qui Macedoniam ante Pyrrhum obtinuerat, filium. Cuius posteri imperium regni huius retinuerunt, viquedum occuparetur à Romanis, & redigeretur in formam prouinciæ. Post Antigonum enim hunc, subit in regnum filius eius Demetrius 2. & post hunc regnat Antigonus 2. post quem rex Philippus, sicut cernitur in Tabula, cuius seriem hactenus ostendi. *Cassandri filij* *Demetrius.* *Pyrrhus.*

Philippus Macedoniæ rex natura alioqui sæuus, & moribus obscœnus, infensos sibi fecerat Romanos, quòd auxilia & pecunias Hannibali misisset in Aphricam. Cui accedebat & illud, quòd bello Athenien. diuexabat, qui cum à Romanis petiuissent auxilium, Philippo hi bellum denunciant. Factum td aiunt regni Philippi anno 23. & anno ab vrbe cond. 555. Gestum est integro biennio, vocatumq; primum bellum Macedonicum, & bellum Philippicum. Victus est autem Philippus hoc bello à Romanis terra mariq;. Nam T. Quintius Flaminius Coss. contra Philippum in faucibus Epiri prosperè pugnauit, fugatumq; coegit reuerti in regnum. Eodem tempore L. Quintius Coss. frater, nauali prælio Philippicos deuicit, ac Euboeam maritimamq; oram occupauit. Rursus verò Flaminius cum Philippo, qui copias reparauerat, congressus in Thessalia ad Cynoscephalas, acie victum, debellauit. Nam Legatos misit rex Romam, qui quæcunq; Senatus censuisset, id regem facturum esse dixerunt. Pax itaq; data est Philippo, sed vt certam interim penderet pecuniam, & à tota abstineret Græcia. Doluit hoc Philippo, ideoq; nouum dicitur bellum contra Romanos instituisse: sed morte præuentus, ea quæ apparauerat Perseo filio, ex concubina nato reliquit. *Philippus Macedo rex.* *Bellum Macedonicum.*

Perseus hic vel Perses paulò antea fratrem Demetrium è medio sustulerat, ne regno excideret, viuente nobiliore. Hic bellum quod secundum Macedonicum & Persicum vocatur, Romanis intulit, imò prius à patre comparatum *Perses vltimus rex Macedoniæ.*

accepit potius, quàm ipse excitarit. Bis Romanos commissis prælijs equest-
Bellum Persicũ bus nauálibusq; vicit. Tandem L. Paulo Æmilio Coss. Macedonia euent-
eam cum peruenisset, 3. die mensis Septembris collatis apud Pidnam signis i-
seum, XX. millibus occisis, vicit, castris exuit, atq; Macedonię vrbes in dedi-
nem accepit. Postea rex ipse apud templum Samothracũ captus est, à Cn. C-
uio classis. Rom. præfecto. Traiecit post hæc in Epirum Paulus, oppidorum-
quæ Persen iuuerant, circiter LXX. muros diruit, prædam vendidit, & pecu-
militibus diuisit. Macedoniam verò ipsam Romanis, redactam in formam pr-
uinciæ, subiecit. Vides itaq; quomodo Bestia nobile quoq; regnum hoc de-
rauerit, & residuum calcauerit pedibus. Perseus ipse in carcere animi moer-
confectus est. Alij mortis eius nouum scribunt modum. Nam milites custo-
pertæsos & aduersus eum infensos, somno arcere instituisse, cum aliter nec-
di potestatem non haberent, & vices inter se partitos diligenter obseruasse
dormire posset, quoad per hunc modum confectus, interijt. Ita apud Plutarc-
in Vita Pauli Æmilij legitur.

DE REBVS ROMANORVM, ET ETHNICIS SAPIENTIBVS.

IN tertia monarchia vehementer creuit Romanorum potentia, nomenq; i-
manum & celebrè & terrori esse cœpit toti terrarum orbi. Bellis & his-
dem feliciter gestis hoc sibi peperere. Commemorabo dũtaxat bellorum hu-
temporis seriem adeoq; & catalogum.

Bellum cum Pyrrho. Anno ab vrbe cond. 477. alij numerant annum 471. Tarentini Pyrrh-
Epirotarum regem euocarunt ex Sicilia in auxiliũ, contra Romanos. Hic n-
ad Italiam venit, tumq; primùm Romani, vt ait lib. 2. Eutropius, cum trans-
rino hoste dimicauerunt. M. Curium Dentatum scribit Plutarchus Pyrrh-
vicisse, eiusq; vires fregisse. Sæpius hoc bello Romani conflixere cum hoste.

Bellum Punicũ primum. Anno ab vrbe condita 489. vt Solinus & Polybius supputant, cœpt-
primum bellum Punicum. Quod durauit annis 24. Eutropius numerat 22.
entissimum fuit bellum, in quo infinitæ Pœnorum & Romanorum copię p-
erunt. In eo bello enituit maximè virtus fidesq; M. Attilij Reguli, qui à Car-
ginen. miserè excarnificatus, tandem etiam interemptus est. Nunquam in-
tantis pugnatum est copijs. Luctatius Catulus classi præfuit instructæ nau-
300. Pœni contra 400. parauerant. Pugnatum est autem ingenti Romano-
virtute. Nam Carthaginen. naues 73. captæ sunt, 125. demersæ. 22000. hos-
capta, 13000. occisa. Pugnatum 6. Idus Martias, anno vrbis 511. Statim acc-
hac clade Carthaginenses pacem petierunt & impetrarunt.

Bellum Illyricum. Anno ab vrbe condita 525. Romani Coss. Fuluium & Posthumium m-
runt contra Teutam Illyriorum reginam, ad vlciscendum Legati necem. F-
Teuta, & Legatos Romam prò pace misit. Dicitur hoc bellum Illyricum.

Bellum Gallicũ Anno ab vrbe condita 527. ingruit bellum Gallicum. Galli enim & T-
tones ingressi Italiam, à C. Flaminio & P. Furio, non procul à Mediolano
duntur & fugantur. Rursus verò peregrinis exercitibus duce Viridomar-
Viridomarus. fusis in Italiam, M. Marcellus Coss. Viridomarum in prima acie manu sua
dit, & hostium triginta millia, vt ait Orosius, deleuit.

Bellum Punicũ secundũ cruentissimum. Anno ab vrbe condita 536. bellum secundum Punicum initum est. Ha-
bal enim Pœnus Saguntum, sociam Romani populi vrbem, in Hispania, o-
dit, à qua nisi abstineret Romani bellum Pœno indixere. At Pœnus à cep-
non destitit, sed Saguntum oppugnauit, cœpit, deleuit. Inde per Gallias in-
liam

liam accessit. Oppositi se descendenti ex alpibus P. Corn. Scipio, sed hunc ad Ticinum, mox & T. Sempronium ad Trebiam, acie fudit. Rursus pugnatum est à Romanis infeliciter ad Thrasimenum. Cecidit enim C. Flamminius & tru cidati sunt Romanorum 1500. Porrò ad Cannas vicum in Apulia multò infelicius Romani cum Pœnis conflixere. Ingentem enim cladem Rom. accepere. Nam L. Paulus Cos. cum Roman. quadraginta millibus, senatoribus LXXX. Consularibus Prætorijs & Ædilitijs multis occisus est. Vnde Romæ incredibilis trepidatio tantusq; obortus est luctus, vt vix maior vrbi obuenerit vnquam. Oppositi tamen sunt iterum Hannibali Fabius Max qui cunctando dicitur restituisse rem, & M. Claud. Marcellus, qui rursus confligere cum Hannibale ausus, bis ipsum acie ad Nolam vicit: nihilominus tamen Hannibal biennio post castra sua ad vrbem locauit, quam tamen capere non potuit. Et Marcellus cum non semel vicisset Hannibalem, ab eo tamen per insidias est peremptus. Hannibalem verò Cl. Nero paulò post etiam vicit, denicq; Hasdrubalem Hannibalis fratrem cum ingenti exercitu propè Senarum vrbem deleuit. Qua ex re Hannibali plurimum animi decessit, Romanis contra multum accessit.

Pugnatur infeliciter à Romanis contra Hannibalem.

Fabius Max. M. Marcellus.

Porrò 15. anno belli huius Punici funestissimi, Scipio in Aphricam traiecit, Aphros vicit, Hannonem occidit, Syphacis & Hasdrubalis castra cœpit atque deleuit, Syphacemq; regem captum Romam misit. Tristia hæc cum Hannibal audisset reuocatusq; à Carthaginen. esset, relicta Italia reuersus est in Aphricam: vbi victus à Scipione memorabili illa pugna ad Zamam commissa, miser fuga sibi consuluit, & ad Antiochum Syriæ, Prusiamq; Bithyniæ reges transijt, & apud hunc veneno sumpto, 70. ætatis suæ anno mortem sibi conscisuit, apud Libyssam in finibus Nicomedienſium sepultus. Interim Carthaginen. missis Legatis, à Romanis pacem impetrarunt. Protractum est hoc bellum in annum 17. ac inter orbis cruentissima & maximè sæua horribiliaq; bella Punicum hoc secundum, secundum non habet. Deo grauiter sic puniente gentium idolomaniam & conscleratam vitam.

Scipio in Aphricam.

Hannibalis mors.

Vix sopito bello Punico secundo, susceptum est bellum Macedonicum primum contra Philippum regem Maced. & secundum contra Persen regem. De quibus antea dictum est.

Bellum Macedonicum.

Anno ab vrbe condita 563. suscipiunt Romani bellum contra Antiochum, quod Antiochinum & Syriacum nominatur. De quo dictum est in Homilijs ad Danielis cap. 11.

Bellum Antiochicum vel Syrum.

Grauissima quoque bella post ista sunt gesta in vlteriore & citeriore Hispania, à varijs Romanorum ducibus, qui de Hispanis sæpius triumpharunt. Ita apparet omnibus, Romanorum arma nobilissimas orbis partes fatigasse & sibi multo cum sanguine potentissima magna subdidisse.

Bella Hispanienſia.

Sub monarchiæ huius tertiæ consignata parte floruerunt inter Ethnicos, viri illustres philosophi, poetæ & historici, Anaximenes, Epicurus, Theophrastus, Menedemus, Theodorus Athenæus, Palæmon, Archesilas, & Crates, Zeno item, Conon, Cleanthes, Eratosthenes, Hipparchus, Appollonius, Metasthenes quoq;, & Aratus Solensis, Menander, Neuius, Plautus, Ennius, Callimachus, Theocritus, & Statius Cæcilius, &c.

Illustres viri illorum temporum.

TABVLA CHRONICA V. CONTINENS RELIQVAM GRAECORVM MONARCHIAM PER ANNOS 173. A MACHABAEIS AD NATVM vsq; Christum.

Anni *mundi.*	Olympiades.	Roma cond.	Machabæi & Pontifices	Reges Ægyp.	Reges. Syriæ	Reges Maced.	[illegible]
3796	2	578		7	*Antiochus*	4	5
3797	3	579		8	2 *Epipha-*	5	6
3798	4	580	*Menelaus*	9	3 *nes*	6	7
3799	152	581	*Pont.* 12	10	4	7	42
3800	2	582		11	5	8	2
3801	3	583		12	6	9	3
3802	4	584		13	7	10	4
3803	153	585		14	8	11	5
3804	2	586		15	9		6
3805	3	587	*Iudas Ma-*	16	10		7
3806	4	588	2 *chabæus*	17	11		43
3807	154	589	3	18	12		2
3808	2	590	4	19	*Antiochus*		3
3809	3	591	5	20	2 *Eupator*		4
3810	4	592	6 *Alcim P.*	21	*Demetrius*		5
3811	155	593	*Ionathan*	22	2 *Soter*		6
3812	2	594	2	23	3		7
3813	3	595	3	24	4		44
3814	4	596	4	25	5		2
3815	156	597	5	26	6		3
3816	2	598	6	27	7		4
3817	3	599	7	28	8		5
3818	4	600	8	29	9		6
3819	157	601	9 *Ionathan*	30	10		7
3820	2	602	10 *Pont.* 9	31	*Alexãder*		45
3821	3	603	11	32	2		2
3822	4	604	12	33	3		3
3823	158	605	13	34	4		4
3824	2	606	14	35	5		5
3825	3	607	15	*Ptol. Euer*	*Demetrius*		6
3826	4	608	16	2 *getes*	2 *Nicanor*		7
3827	159	609	17	3 *Physcon*	*Antiochus*		46
3828	2	610	18	4	2 *Sedetes*		2

Anni mundi.	Olympiades.	Roma cond.	Machabæi.	Reges Ægyp.	Reges Syriæ	Hebdomadæ.
3829	3	611	Simon Fra-	5	3	3
3830	4	612	2 ter Iudæ	6	Triphon	4
3831	160	613	3	7	2	5
3832	2	614	4	8	3	6
3833	3	615	5	9	Antiochus De-	7
3834	4	616	6	10	2 met. frater, qui	47
3835	161	617	7	11	3 & Soter	2
3836	2	618	8	12	4	3
3837	3	619	Ioann. Hyrca-	13	5	4
3838	4	620	2 nus Simonis	14	6	5
3839	162	621	3 Filius	15	7	6
3840	2	622	4	16	8	7
3841	3	623	5	17	9	48
3842	4	624	6	18	10	2
3843	163	625	7	19	11	3
3844	2	626	8	20	12	4
3845	3	627	9	21	Demetrius Ni	5
3846	4	628	10	22	2 cator iterum	6
3847	164	629	11	23	3 regnat	7
3848	2	630	12	24	4	49
3849	3	631	13	25	Alexander	2
3850	4	632	14	26	2	3
3851	165	633	15	27	Antiochus	4
3852	2	634	16	28	2 Gryphus	5
3853	3	635	17	29	3	6
3854	4	636	18	Ptolemæus	4	7
3855	166	637	19	2 Lathurus	5	50
3856	2	638	20	3	6	2
3857	3	639	21	4	7	3
3858	4	640	22	5	8	4
3859	167	641	23	6	9	5
3860	2	642	24	7	10	6
3861	3	643	25	8	11	7
3862	4	644	26	9	12	51
3863	168	645	27	10	13	2
3864	2	646	28	11	14	3
3865	3	647	29	12	15	4
3866	4	648	30	13	16	5
3867	169	649	31	14	17	6

Anni *mundi.*	Olympiades.	Roma cond.	Machabæi.	Reges Ægyp.	Reges. Syriæ	Hebdo
3868	2	650	*Aristob. R. Iud.*	15	18	7
3869	3	651	*Alexander*	16	19	51
3870	4	652	2 *Rex Iudæo-*	17	20	2
3871	170	653	3 *rum*	*Ptol. Alex.*	21	3
3872	2	654	4	2	22	4
3873	3	655	5	3	23	5
3874	4	656	6	4	24	6
3875	171	657	7	5	25	7
3876	2	658	8	6	26	53
3877	3	659	9	7	27	2
3878	4	660	10	8	28	3
3879	172	661	11	9	29	4
3880	2	662	12	10	*Seleucus*	5
3881	3	663	13	*Lathurus*	2 *Grypi*	6
3882	4	664	14	2 *iterum re-*	3 *Filius*	7
3883	173	665	15	3 *gnat*	4	54
3884	2	666	16	4	5	1
3885	3	667	17	5	6	3
3886	4	668	18	6	7	4
3887	174	669	19	7	8	5
3888	2	670	20	8	9	6
3889	3	671	21	*Ptolemæus*	10	7
3890	4	672	22	2 *Auletes*	*Tigranes*	55
3891	175	673	23	3	2	1
3892	2	674	24	4	3	3
3893	3	675	25	5	4	4
3894	4	676	26	6	5	5
3895	176	677	27	7	6	6
3896	2	678	*Alexandra v-*	8	7	7
3897	3	679	2 *xor Alexan-*	9	8	56
3898	4	680	3 *dri*	10	9	1
3899	177	681	4	11	10	3
3900	2	682	5	12	11	4
3901	3	683	6	13	12	5
3902	4	684	7	14	13	6
3903	178	685	8	15	14	7
3904	2	686	9	16	15	57
3905	3	687	*Hyrcanus Ari*	17	16	1
3906	4	688	2 *stobulus*	18	17	3

Anni mundi.	Olympiad.	Roma cond.		Machabæi.	Reges Ægypt.	Hebdomadæ.
3907	179	689		3	19	4
3908	2	690		4	20	5
3909	3	691	*Pompeius ca-*	*Hyrcanus*	21	6
3910	4	692	*pit Hieroſoly-*	2	22	7
3911	180	693	*mam & præfi-*	3	23	58
3912	2	694	*cit ſacerdotio*	4	24	2
3913	3	695	*Hyrcanum*	5	25	3
3914	4	696		6	26	4
3915	181	697		7	27	5
3916	2	698		8	28	6
3917	3	699		9	29	7
3918	4	700	*Mar. Craſſus*	10	30	59
3919	182	701	*templum Hie-*	11	*Cleopatra*	2
3920	2	702	*roſolymitanum*	12	2	3
3921	3	703	*ſpoliat*	13	3	4
3922	4	704		14	4	5
3923	183	705		15	5	6
3924	2	706	*Iulius Cæſar*	16	6	7
3925	3	707	2	17	7	60
3926	4	708	3	18	8	2
3927	184	709	4	19	9	3
3928	2	710	5	20	10	4
3929	3	711	*Auguſt. Cæſar*	21	11	5
3930	4	712	2	22	12	6
3931	185	713	3	*Antigonus*	13	7
3932	2	714	4	*Herodes Rex*	14	61
3933	3	715	5	*declaratur &*	15	2
3934	4	716	6	*bellum gerit*	16	3
3935	186	717	7	*cũ Antigono*	17	4
3936	2	718	8		18	5
3937	3	719	9	*Herodes Rex*	19	6
3938	4	720	10	*Iudææ*	20	7
3939	187	721	11	2	21	62
3940	2	722	12	3	22	2
3941	3	723	13	4		3
3942	4	724	14	5		4
3943	188	725	15	6		5
3944	2	726	16	7		6
3945	3	727	17	8		7

Anni *mundi.*	Olympiades.	Roma condita	Romani Imperat.	Herodes.	Reges Ægypti.	Hebr. mach.
3946	4	728	18	9		63
3947	189	729	19	10		1
3948	2	730	20	11		2
3949	3	731	21	12		3
3950	4	732	22	13		4
3951	190	733	23	14		5
3952	2	734	24	15		6
3953	3	735	25	16		7
3954	4	736	26	17		64
3955	191	737	27	18		1
3956	2	738	28	19		2
3957	3	739	29	20		3
3958	4	740	30	21		4
3959	192	741	31	22		5
3960	2	742	32	23		6
3961	3	743	33	24		7
3962	4	744	34	25		65
3963	193	745	35	26		1
3964	2	746	36	27		2
3965	3	747	37	28		3
3966	4	748	38	29		4
3967	194	749	39	30		5
3968	2	750	40	31		6
3969	3	751	41	32	*Nascitur Christus Dominus*	7

ANNOTATIONES IN TAB. V. QVIBVS PO TIORA EIVS PAVLO COPIOSIVS EXPLICANTVR.

De Ecclesia istorum temporum.

Respiratio ecclesiæ cõcessa.

Monui respirationem qualemcunq; datam esse ecclesiæ Dei sub Anto magno, licet antea ab eodem quoq; fuerit afflicta, datam verò esse pacem, ut res pij recolligerent fortiusq; Antiochicam sustinerent persequutionem. Nam enim fuit ea persequutio, quã ecclesiæ Dei intulit Antiochus Epiphanes, alia, & ideò maturè prædicta à Daniele propheta, animiq; piorum solidan resisterent malo tanto alacriter. Sicut dictum est in Homilijs in cap. 8. & 11.

Malum omne ex pontificibus

Cæterùm ingens hoc malum exundabat in ecclesiam Dei, ex impiet bitione & auaritia pontificum. Nam propter pontificatum exorta sunt certamina inter Iasonem & Menelaum, donec Iason profugus, patria exc Narrantur hæc fusius 2. Machab. 4. cap. & Antiq. lib. 12. cap. 6. à Iosepho. P

Corruptio populi.

infaustis his initijs, corrupti sunt mores populi factionibus sese addicen eo vsq; est processum, vt populi pars, quæ Menelaũ sequebatur, ab Anto poscceret permitti sibi gentilium viuere more. Quod cum à rege non gra

esset permissum, certatim pessimi quique perrexerunt delubra extruere idolis, supplicare Dijs alienis, et legē Dei sacrilega audacia temerare atq; prophanare.

Restabat interim in populo non exigua portio (minor tamen factione impiorum) quæ veram religionem amplectebatur fouebat ac profitebatur. Tunc verò cum quisq; suam religionem quam profitebatur defensam & euectam vellet, oborta sunt in ecclesia maxima certamina, ac dissidijs pertinacibus conuulsa sunt omnia. Et quidem erant tunc in ipso Dei populo non pauci, qui inuitabant Antiochum attrahebantq; Hierosolymam, cuius armis potentiaq; adiuti, sua factione perrumperent, ac pios omnes cum syncera doctrina & cultu Dei opprimerent. Nec destitere prius homines nepharij, quàm in ipsam Hierosolymorum vrbem introduxissent lupum istum sanguinarium. Potitus autem ille vrbe, nemini pepercit, & sæuitiam in pios maximè exercuit atrocissimam. Vrbem enim diripuit, templum domini & prophanauit & spoliauit, cunctaq; sacra conculcauit, omnia item longè & latè vastauit, insuper & idololatriam cum omnigena & nepharia impietate in sacram vrbem induxit. Mox etiam sacrilegum promulgauit edictum, quo mādauit, vt omnes relicta vera patriaq; religione, gentilium ritu viuant. Nolle se in regno suo diuersas inter se religiones ferre, quòd diuersis studijs religionibusq; inter se cōpugnantibus firma pax subsistere non posset. Tum verò fœdum se offerebat spectaculum, dum alij ex populo Dei abiecta & proculcata vera religione, falsam amplecterentur, & impudēter ac palàm Dijs alienis īmolarent, alij verò quòd īmolare nollēt, exquisitis excarnificarentur tormentis. Exoriebantur hic magna & memoranda certamina dum tyrannus pollicitis minis & horrendis carnificinis fidem pietatemq; sanctorum Dei martyrum debellare & frangere satageret, martyres verò tolleranti incredibili pertinaciq; constantia, diuino suffulti auxilio, vincētes, ne latum quidem pilum à vero recederēt. Excelluit hic maximè Eleazari pij senis virtus fidesq; & septem martyrum nobile martyrium: quod fusè descriptum legitur 2. Machab. lib. cap. 6. & 7. Tandem eo vsq; atrox cruentaq; ecclesiæ Dei persecutio processit, vt fideles deserta hominum consuetudine relictisq; oppidis & villis, in syluas se ad feras reciperent, & in antra & cauernas terræ, sese abderent. Vsque adeò seueriter Deus suorum fidem & patientiam probabat.

Antiochus Hierosolymam inuitatur.

Martyria sanctorum.

Idem tamen inuocantibus Dei auxilium & liberationem implorātibus prę sto adfuit dominus, qui Matathiam sacerdotem, virum pium fortemq; & instar Phinees zelo feruentē heroicis instruxit facultatibus. Hic correptis armis, initijs prosperrimis liberationem populi Dei incœpit, quam postea filij eius, in primis Iudas Machabæus, feliciter absoluerunt. Extat in 1. lib. Machab. 2. cap. oratio huius Matathiæ morituri, habita ad filios elegantissima & pijssima, qua ipsis & studium veræ religionis & populi oppressi curam salutemq; commendat. Digna illa est quæ sæpius legatur & animo infigatur altissimè. Fauit verò Deus sanctis Machabæorū cœptis. Nam Iudas collectis aliquot viris pijs & fortibus, exercitus hostium instructissimos manu modica dissipauit fuditq;, præsidia exterorum militum attriuit, repurgatoq; templo, omnē ex terra Iuda idololatriam eiecit, verumq; Dei cultum veluti postliminio reducens restituit, & synceram doctrinam reparauit. Vicit ergo iterum veritas, & falsa religio conculcata in cœno & sordibus iacuit. Quod in Homilijs 8 & 11. capitis Danielis etiam inuenies perstrictum.

Restituitur ecclesia & religio.

A reformatione restitutioneq; hac annis circiter triginta, nēpe Olymp. 162. annis ante Christū paulò minus 130. noua eaq; pestifera calamitas cœpit exercere Dei ecclesiam. Hactenus armis ac persequutionibus ecclesia est afflicta ac dissipata, nunc verò lacerari miserè cœpit sectis, opinionumq; dissidijs, quibus

In ecclesiam Dei irrepserūt sectæ vel ordines.

doctrina legis & prophetarũ syncera & clara corrupta est atq; obscurata. N
sufficiebat huic sęculo amplius, quod beatis patribus satis fuerat hactenus a
sis temporibus, lex ipsa Dei & hierarchia & ordinatio ecclesiastica diuinitus
stituta. Noui enim ordines sub Ioañe Hyrcano Simonis Machabæi filio, ex
sunt, sectæ inquam in populo Iudæorum, institutis viuendiq; genere dispa
Pharisæos se nuncupabant, qui nouo se viuendi docendiq; generi addicebat
Sadduceos item atq; Essenos. Erant enim hi præcipui, quodq; nobis nostro
culo monachi sunt, id veteri populo erãt ordines vel sectæ illæ. Sicut enim
ximè primum seruatoris nostri aduentum præcessere sectæ illæ, ita secun
domini aduentum antecedunt monachi nostri, mendicantium ordinum
mis. Et vt monachi nostri, prædicatores maximè, se opponunt prædicato
sti euangelio, ita olim Pharisæi vbiq; leguntur in historia euangelica adu
domino nostro Iesu Christo euangelium prædicanti. Vestitu Pharisæi
bãtur à reliquo Dei populo, quod eis opprobrat dominus, apud Matth.
23. Dilatãt, inquit, phylacteria sua & magnificant fimbrias palliorum
Qua re imitantur illos nostri quoq; monachi, atrati incedentes, in stolis illis
significantibus, & nescio quæ mysteria præ se ferẽtibus. Doctrinam corru
tradebant, mixtam patrum traditionibus, quarum maiorem habebãt rat
quàm diuinæ legis. Id quod in Pharisæis rursus accusat dominus apud M
in cap. 15. & apud Marcũ in 7. cap. Philosophia quoq; imbuti imò fœdati
ca, Pythagoricam μετεμψύχωσιν docuerunt. Iosephus enim, Pharisæi, inqu
corruptam quidem animam esse dicunt, sed eas transire in alia corpora. E
item corrupti philosophia viribus hominum nimium attribuẽtes, iustitia
ribus adeoq; meritis hominum ascribebant. Qua re demẽtati (vt Paulus ad
man. 9. ostendit) nec Christum verè agnoscebant, neq; doctrinã veterem d
fideiq; gratuita iustificatione, & de promissionibus Dei, synceram retine
Quod apost. Paulus per omnes synagogas grauiter in eis persequitur. Q
imò cum illi ipsi Pharisæi credidissent postea in Christum, legem tamen m
bant euangelio, Paulo aduersabantur, ecclesiamq; Dei corrupta illa sua d
na vel mixtura sic obturbabant ac lacerabant, vt decretum eis concilij Hie
lymitani opponi oportuerit. Quod Lucas in Actis apost. cap. 15. describit. H
bant item opiniones de Christo messia carnales, de regno inquam Christ
porali & politico. Neq; enim tropicas prophetarum loquutiones recte ve
telligebant, vel interpretabantur. Iccirco grauiter offendebuntur humili
cruce Christi. Nam alium illi sibi Christum imaginabantur, triumphatore
bis terrarum, & qui suis ludæis regna donaret terrena. Præterea in lege q
rabant spiritum, literam legis duntaxat vrgebant. Ergo legi satis factum
mabãt, si quis hominẽ non occidisset, aut vxorem proximi nõ oppressisset
admodũ soliciti interim de affectu interiori corrupto, de ira, indignatione
libidine, & concupiscentia. Proinde legem suis ineptis expositionibus co
pebant, & populum seducebant multisq; implicabant erroribus. Quocir
minus in euangelio secundum Matth. cap. 5. diligenter eiusmodi pharisa
terpretationes confutans elidit. Dictum est antiquis, inquit, cui mox opp
Ego verò dico vobis. Alibi verò satis copiosè docui, dominũ per antiquos
intelligere vetus illud prophetarum sæculũ, sed illud potius quod iam ab
tis interceſſerat sectis. Nec miraberis antiquitatis vocabulum neotericæ m
Deuterotarum traditioni, si cogitaueris hodie quoq; veterem nũcupari h
& religionem, nõ eam quidem quæ ab apostolis accepta, conseruata est in
mitiua ecclesia, sed eam potius, quæ ab inclinatione doctrinæ, superiorib
culis inoleuit per traditiones humanas, nũc autẽ cõfutatur per prędicatio
euan

De Pharisæis.

Pharisæi tropos scripturarum non intelligebant.

Dictum est antiquis, ego verò dico vobis. Matth. 5.

euangelij, quam tradit. humanarum defensores nouam fidem per collationem cum sua fide illa vocant, quæ ipsis videtur esse antiquior. Nam prædicationem nostram falsò nouam esse autumant. Et Pharisæos nonnulli à separatione denominatos volunt, quòd à vulgari instituto vitæ populi Dei, se separauerint: cum rectius ab interpretatione scripturarum, id nominis accepisse videantur. Erant enim Pharisæi interpretes legis & doctores populi. Vnde & celebris ille vir D. Ioan. Reuchlinus in 1. lib. Cabalę suæ, פרשי Pharisæi, inquit, sunt expositores, qui è suggestu & cathedra Mosis semper instant operi, prædicantes & hortantes populum, &c. Ita & Iosephus lib. de bello Iud. 2. cap. 7. Pharisæi, inquit, dicuntur, qui certiorem legalium rituum notitiã profitentur. Copiosiorem Pharisæorum descriptionem habes apud Matth. in cap. 23. Et vt in hac vltima mundi senecta proximè ante secundum Christi aduentum, monachi non modò penetrarunt in omnium principum aulas, sed & primatum obtinent vbiq; ita sanè Pharisæi illi nostri in summũ apud populum Iudaicũ emerserant rerum fastigium. Hierosol. enim senatores erãt atq; primores ante primũ Christi aduentũ.

De Sadducæis.

Sadducæi verò corrupti & ipsi philosophia Græca, multa cum Epicuræis habebant communia. Negabãt enim resurrectionem carnis, quod & Lucas de ipsis testatur, neq; angelos neq; spiritus esse credebant, repudiabãt item doctrinam prophetarum, solam Legem agnoscebant, hoc est omnem reuera contemnebant scripturam. Et cum corruptissimi essent, voluerunt tamen nuncupari ab omnibus Zadducæi, id est iusti vel iustitiarij. Zaddic enim iustum sonat Hebræis. Cum enim nulla præmia vitæ æternæ agnoscerent, & tamen amore iustitiæ duntaxat, operam darent iustitiæ, id nominis optimo sibi iure vendicare videbantur. Cæterùm hypocritæ & scelerati erant nebulones, sicuti & Pharisæi. Interim grauia certamina & dissidia perpetua erant inter Pharisæos & Sadducęos: sicut & in Actis apost. patet. Et similis concertatio inter monachos quoq; nostros Prædicatores & Minoritas, Thomistas & Scotistas cernitur: Pharisæi enim resurrectionem corporum agnoscebant, quam Sadducęi negabant. Ideò enim in euangelio secundum Matth. cap. 19. Sadducæus quidã impudens Epicureus, disputat contra Dominum, volens mortuorum resurrectionẽ conficta suspicione absurda prægrauare. Sed doctè & argutè confutabatur à Domino. Et quamuis Epicuraico veneno corrupti essent Sadducæi, locum tamen habuerunt in populo Dei eminentem. Vnde colligere licet, quàm corruptam inuenerit ecclesiã Dominus noster: ac verisimile est plures dominũ Epicureismo corruptos in populo suo homines inuenisse, quàm facile credi possit.

De Essenis verissimis monachis.

Porrò Esseni id est operarij, verè erant monachi. Secedebant enim à vulgo, non miscebantur negotijs secularibus, contemplationibus indulgebant. Habebant omnia communia, & certas legendi precandiq; horas. Cœnobia nuncupari potuissent eorum cœtus atq; collegia. Habitabant in suis cellulis. Viuebãt abstinentissimè, vilissimo vestis genere vtebantur, fastidebant coniugia, & mulieribus nullum habebant honorem. Legant quibus tantum est ocij diligentem horum descriptionem apud Ioseph. lib. de Bello Iudaico 2. cap. 7. & conferant cum his quæ scribuntur ex Philone apud Euseb. eccles. iast. hist. lib. 2. cap. 17.

Vltima ecclesiæ Dei corruptela curata est per Christũ & Apostolos.

His sectis atque pseudodoctoribus debemus vltima synceræ doctrinæ & puræ religionis corruptionẽ, quę vt tempora Christi proximè antecessit, ita ab eodem confutata est validissimè, & pura cùm doctrina tum religio pulcherrimè est reducta in ecclesiam ac plenissimè restituta. Prædixerat hoc futurum beatus propheta Malachias, qui inter alia sic loquitur, Quis verò diem aduentus eius sustinuerit? aut quis stare poterit cũ ille (Messias) apparuerit? Est enim veluti ignis repurgans, & vt borith fullonum. Sedebit itaq; repurgans argen-

tum, filios Leui mundabit expurgabitq; eos ceu aurum & argentum. Ex ex omnibus tribubus, ex Leuitica quoq;, quæ olim gratia synceræ doctri ecclesia conseruandæ, consecrata à Deo erat, nomina sua sectis illis nun bant. Nam Paulum & Beniamitam & pharisæum fuisse certissimum est.

Reliquiæ veræ Dei ecclesiæ.

Interim dubium non est, veram doctrinam inter modicas populi Dei quias incorruptam permansisse. Simeon enim iustus, qui Hillelis dicitur filius vel discipulus, Zacharias item pater Ioan. Baptistæ, maiores item ris nostri, sed & alij quorum nomina ignorantur & men genua sua Baal ditionario & sectario non flexerunt, integram haud dubiè conseruarunt gionem. Omnibus enim temporibus retinet sibi Dominus ecclesiam etia medio corruptissimi mundi, & in medio hæresum, schismatum atq; corru num. Tempora illa typum prætulere vltimis illis nostris temporibus in qu hodie viuimus. Dominus misereatur nostri. Et hęc dixi hactenus de statu siæ proximè Christi tempora præcedentis. Quæ porrò dicenda restant, pe gemus in prosapia vel successione Machabæorum.

DE REGIBVS AEGYPTI.

QVia semel in hoc meo opere cœpi reges Ægypti ordine suo recen licet regum sequentium res non admodùm faciant ad illustrandu pturas, nisi quantum nobis demonstrant regnũ quoq; hoc potentissimum qui, à Bestia esse deuoratum, subijciam tamen breuem eorum seriem, do pressi à Romanis, regnum his reliquerunt.

Ptol. Physcon.

PTOL. EVERgetes 2. frater Philometoris, à deformatione corp Physcon dictus, VIII. rex Ægypto præfuit. Grãmatici aiũt, φύσκη crassum e testinum, vel venter, intestinum inquam, ex quo iniecta farina cum carn minutatim sectis, farcimẽ paratur. Ita sane nobis in nostra lingua dicere lemæus wurſt, sicut hans wurſt. Vel Ptolem. wanſch/buch/oder bu Obscœnus & impurus fuit princeps, regio indignus honore. Ironicè quo ctus est εὐεργέτης, cum fuerit truculenta bestia. Sororem prius fratri suo nu duxit vxorem, & filium eius, nepotẽ ex fratre iugulauit, sed & ipsam m rem mox trucidauit. Tandẽ ab Alexãdrinis, regno, propter tyrannidẽ, pe

Ptol. Lathurus regno pulsus.

PTOL. LATHurus, id est clàm reuersus, qui & Lamyrus, id est cu nũcupabatur, VIII. Ægypti rex, exercuit & ipse tyrannidẽ in subditos. P de Cleopatra Ægypti regina, Lathurum hunc filium suum regno epulit fratrem Lathuri PTOL. Alexandrum IX. Ægypto regem substituit. La rus in Cyprum aufugit. Alexander non diu regnauit. Metuẽs enim matri delitatem, aufugit & ipse ex regno. Cleopatra itaq; propè integro imper decennio. Hanc occidit filius Alexander, & iterũ regnum sibi vsurpauit. ptij verò eiectum Alexandrum, propter crudelitatem, reuocarũt ex Cyp thurum, qui cum aliquot regnasset annis, interijt. Trucidauit hic multa rum millia, Thebasq; Ægyptias funditus dicitur euertisse.

Ptol. Musicus.

PTOL. AVLetes, αὐλητὴς tibicen, XI. rex Ægypti, si X. loco Cleopatram, pater fuit Ptol. Dionysij & Cleopatræ. Musicæ fuit dedit Cl. Nero Cæs. Propter tyrannidem verò eiectus regno, Romam profugit amicitiam Cn. Pompeij se insinuauit, qui iussit ipsum reduci in regnum. Aul. Gabinius præstitit.

Turpis ingratitudo.

PTOL. DIonysius Auletis filius XII. rex Ægypti, frater fuit Cleop quæ post ipsum & aliquanto tempore cum ipso regnauit. Malam Pomp gratiam retulit. Cum enim Pomp. patrem Auletem regno profugum, rec reg

regnum iussisset, Dionysius hic Auletis filius, Pompeium fugientem in Ægyptum ex pugna Pharsalica, interfici iussit. Cæterùm non diu post condignas suæ ingratitudini pœnas luit, dum & ipse miserè periit. Cum enim Cleopatram sororem reginam regno pepulisset, restituta est hæc iterum per Iulium Cæs. De prehẽdebatur autem Dionysius vitæ Cæsaris insidiari, proinde à Cæsare iussus est occidi. Alij affirmant fugientem in mari submersum miserè interijsse.

Mortuo Dionysio sola & vltima Ægypti regina Cleopatra regnum obtinuit, donec Antonium amore sibi deuinxisset, & Augusto Cæs. rebellaret. Victi hic Antonium & Cleopatram ad Actiacum promontorium. Victi mortem sibi consciuere. Ægyptus verò redacta in formam prouinciæ, Romanorum monarchiæ est subdita. Regnarunt Lagidæ annos 294. *Cleopatra regina Ægypti vltima.*

DE REGIBVS SYRIAE.

QVo consilio recensui Reges Ægypti, vsq; ad monarchiam Romanam, eodem consilio pertexam consequenter, & paucissimis quidem, Reges Syriæ, donec & ipsi à fera illa Danielis bestia deuorantur.

ANTIOCHVS Epiphanes VIII. Syriæ rex, celebris factus est, non ex virtutibus, sed ex sceleribus. De hoc principe dixi quantum nostro instituto seruit, satis, opinor, Homilijs ad 8. & 11. cap Danielis. Exitum sortitus est suis dignũ moribus. Fœda enim fuga ex Perside elapsus, mœrore cœpit contabescere, tandem & phthiriasi lentis infandisq; cum doloribus consumi. Describitur horrenda eius ægritudo & mors elegantissimè ab authore 2. lib. Machab. cap. 9. Apparent in morte eius iusta Dei iudicia, quæ omnes homines absterrent, ne cum Deo & sanctis eius bella suscipiant. A morte Antiochi huius perditi, continuis calamitatibus familia regia est afflicta & conscissa, reges ipsi inter se commissi sunt, mutuisq; cecidere parricidijs, regnum verò ipsum fœdissimè laceratum, tandem Romanis est subiectum. Deo sic sanguinarijs rependente principibus sanguinem in suamet ipsorum capita. *Antiochus Epiphanes.*

ANTIOCHVS Eupator IX. Syriæ rex, bellum à patre cœptum contra Iudam Machabæum, continuari nullo cum fructu curauit. Sed mox à Demetrio patruo suo, Roma vbi hactenus obses fuerat, Tyrũ veniẽte, interẽptus est. *Ant. Eupator.*

DEMETRIVS Soter cognominatus, frater Antiochi Epiphanis, X. rex Syriæ, duces suos misit in Iudæam contra Iudam Machabæum. Cæterùm Pseudoalexander quidam, qui se mentiebatur filium Antiochi Epiphanis, adiutus auxilijs Ægyptij regis Philometoris, ingenti prælio victum Demetrium, interfecit, & regnum Syriæ occupauit. *Demetrius Soter.*

ALEXANDER XI. rex Syriæ, non diu regnum Syriæ obtinuit. A Philometore enim rursus ex eo est deturbatus. Fugit in Arabiam, vbi cæsus est. Porrò regnum cessit Demetrio Nicanori. *Alexander.*

DEMETRIVS Nicanor XII. rex Syriæ, iterum regno Syriæ exutus est à fratre suo Antiocho Sedete, quem iuuabat Tryphon. Nam Demetrio fratri Antiochi Epiphanis obsidi Romæ, nati sunt duo filij, Demetrius Nicanor & Antiochus Sedetes, qui nunc mutuis se bellis perdunt. *Demet. Nicanor.*

ANTIOCHVS Sedetes XIII. rex Syriæ, non diu potitus est regno, ex quo fratrẽ suũ expulerat. Crudeliter enim à suo illo Tryphone interfectus est.

TRYPHON XIIII. Syriæ rex, militũ fauore regno est prępfectus. Hunc sustulit Antiochus cognomento σωτὴρ, accersitus Seleuciam à Cleopatra.

ANTIOCHVS Soter XV. Syriæ rex, εὐσεβὴς appellatus fuit à Iudæis, quòd cum obsideret Hierosolymam, non modò incidentibus feriis Taberna- *Antiochus pius*

culorum oppugnationem distulisset, sed hostias etiam ad immolandum, ad p
tam misisset, interq; illas ταύρους χρυσοκέρωτας, itemq; aromata in vasis aureis
genteis. Non post diu occisus est hic Antiochus, in prælio inito cum Arsac
ge Parthorum.

DEMETRIVS Nicanor, dimissus ab Arsace fit Syrorum rex XV
ter hic erat Antiochi Sedetis, ante quem etiam regnauerat, vt antea dictum
Huic Demetrio immittitur à Ptolemæo Physcone, Alexander quispiam
nere Seleuci, cognomento Sabinæus, qui deuicto Demetrio regnum occ
uit Syriæ. Demetrius Tyri captus, necatur.

ALEXANDER XVII. Syriæ rex, celeriter rex factus, celeriter re
se desijt.

ANTIOCHVS ab aquilo naso appellatus γρῦπος, Grypus vel Gry
XVIII. Syriæ rex, exercitum comparat, cum quo congressus Alexander vic
cadit in prælio. Fuit Gryphus hic Demetrij Nicanoris filius. Cum Gryph
lum gessit Antiochus Cyzicenus, sic dictus ab vrbe, in qua fuerat educ
Alioqui enim filius erat Antiochi Sedetis. Hi duo inter se multis annis
carunt de regno.

Bellis intestinis se mutuo lacerant.

SELEVCVS Gryphi filius, XIX. rex Syriæ, bellum prosequutus e
uersus Cyzicenum, quem captum interemit. Mox bella oborta sunt inte
ac perpetua inter fratres, quæ res adeò affecit Syros, vt ciuilium bellorum p
tæsi, accersiuerint Tigranem Armeniæ regem, qui tantisper Syria potit
dum victus à Pompeio, Syria in prouinciæ formam redigeretur & Rom
subijceretur. Stetit Syriæ regnum annis 248.

DE MACHABAEIS ET PRINCIPIBVS EX HIS ORTIS, VSQVE AD HERODEM MAGNVM.

Matathias sacerdos.

SIcut Mosis sæculo inter omnes Israelitas soli Leuitæ sunt reperti, qui zel
gis Dei flagrantes, & Mosi se adiungerent, & idololatras punirent: in
cientibus passim Iudæis sub Antiocho Epiphane ad idololatriam, solus M
thias reliquis cessantibus est repertus, qui se Antiochi impijs mandatis in
dè opponeret & idololatras coherceret. Fuit Matathias sacerdos ex tribu L

Assamonæi.

filius Ioannis, qui fuit, vt ait Iosephus, Simonis ex Assamonæo genitii, g
Hierosolymitanus. Habuit filios quinq;, iustitia pietateq; & felicitate pra
risimos viros, qui vnà cum posteris suis ab attauo nuncupati videntur As
næi, licet non desint, qui existiment, Hassmonai, id est, Simonianos esse di

Machabæi.

Illi ipsi alio quoq; nomine Machabęi vel Maccabæi nuncupantur. Nome
sumptum volunt ex literis pictis in vexillo, his nimirum מכבי, quæ signi
bant, QVIS SICVT DOMINVS IN ISRAEL? Nam Hebr
scribitur, מי כיהוה בישראל Matathiæ pia & fortia facta adumbrauit auth
lib. Machab. cap. 2.

Iudas Machabæus.

A morte Matathiæ exercitui, quem hic parauerat, Iudas filius, pier
fortitudine patrem probè referens, præfectus est, p. osperéq; frequentibus
lijs pugnauit. Laus eius ab initio 3. cap. 1. Machab. pulchrè cõmemoratur.

Apollonius.

Ionium Antiochi ducem, qui primus magnis in conflictum copijs ex Sam
& aliunde contractis, descenderat, cum omni exercitu deleuit. Ex ca
Appollonij gladium reportauit Iudas, quo postea semper legitur vsus in
lijs. Erat tunc Syriæ præfectus Seron quidam, homo ferox, qui cum aud

Seron.

Apollonium cum exercitu à Iuda esse cæsum, conscriptis nouis legion

ad Bethoron vrbem, validè in Iudam irruit: sed diuina virtute victus atq; fugatus, octingentis desideratis, in Syriam est regressus.

Hæc cum ad Antiochum essent delata, vehementissimè ob deletas copias suas alioqui selectissimas, indoluit, communicatoq; cum suis consilio, nouas parat copias, paratasq; partitur cum Lysia, & huic committit Syriam, ipse verò in Persiam est profectus. Igitur Lysias duces belli deligit præclaros, Ptolemæum, Gorgiam, & Nicanorem, quorum signis addit peditum quadraginta millia, & *Lysiat.* equitum septem millia. At tam instructum & numerosum exercitum Iudas, pre cibus fidelis populi, & paucorum militum fide & infracto robore, feliciter superauit. Post hæc Lysias rursus nouas cogit copias, equitũ 5000. & peditũ 60000. quas & ipsas diuino adiutus auxilio, Iudas prosperè vincit, & in fugam agit. Lysias victus Antiochiam se recepit.

Porrò Iudas hostibus feliciter pulsis, lætus ad templum domini ascendit, & *Iudas purgat templum.* hoc purgat. Nam prophanatum erat ab Antiocho, sicut alibi dictum est. Repurgatio illa templi eleganter describitur 4. cap. primi lib. Machab. Templum tunc quoq; muniuit, ne in posterum facilè captum, ab impuris hostibus iterum nephariè contaminaretur. Vbi rursus apparet veram Dei religionem & verum Dei cultum, opprimi quidem posse ad tempus, sed deleri nunquam posse, quin ipsa opportunè per diuinam gratiam atq; potentiam restituatur. Quæ res consolari debet persequutionibus implicitos.

His subijcit scriptura, Iudam profectum cõtra Ammonitas, conflixisse cum *Iudas contra Ammonitas.* Timotheo duce, & hostes multis vicisse prælijs. Liberasse deinde etiam Galilæam (in quam infusæ erant maximæ alienigenarum copiæ) submisso fratre Simone, qui hostes domuit. Multa alia prælia Iudę & fratrum eius commemorantur in 5. cap. 1. lib. Machab.

Interea Antiochus rex, quem antea profectum diximus in Persiam, inde fu *Antiochi mors* gatus, incidit in morbum, quo & miserè, vt alibi dictum est, interijt. Successit ei in regno filius Antiochus Eupator. Eo tempore obsidebat Iudas præsidium Syrorum collocatum in arce Zionis, ex qua excursionibus factis populum domini obturbabat. Adeò verò nunquam plenè à persequutionibus seu afflictionibus liberantur pij. Obsessi ab Eupatore petunt auxilia. Conscribit ergo Eupa- *Iudas contra Eupatorem.* tor ex omnibus nationibus exercitum pedestrem, centũ millium, & equestrem viginti millium, quem in Iudæam mittit. Præibant aciem, ingenti cum terrore, elephanti triginta duo. Iudas verò obsidione soluta, & diuino auxilio inuocato, & castrensi, sed pia oratione animatis suis militibus, aduentanti exercitui intrepidè occurrit, cum Syris acriter confligit, eos vicit atq; fugauit. Emicuit eo in prælio singularis virtus cuiusdam Eleazari Iudæi, qui suæ vitæ periculo ele- *Eleazar.* phantem cõfodit. Rex Iudæ admiratus virtutem, pacem cum Iudæis fecit. Quare illud Dauidis in memoriam reducitur, Non in equis, neque in tibijs viri, beneplacitum erit domino, sed in ijs qui timent dominum, & sperant in misericordiam eius. Ac vtile est diligenter legere, & retinere orationes illas Iudæ castrenses, quas pugnaturus, ad suos milites habuit. Dignæ enim sunt quæ probè obseruentur.

Atqui pax illa non fuit diuturna. Etenim Demetrius Antiochi Epiphanis frater, cum quo Romæ obses fuerat, Roma elapsus, venit in Syriam, ac Eupatorem nepotem ex fratre, vnà cum Lysia & alijs multis interfici curauit, ipseq; regnum occupauit, & eodem tempore Alcimum quendam nebulonem nepha- *Alcimus.* rium, pontificem summum Iudæorum esse iussit. Hic fraude vrbem ingressus, viros aliquot præclaros obtrũcat, deinde in obuios quoslibet sæuit. Quod cum Iudæ significatum esset, Alcimum aggressus, egit in fugam. At Demetrius Ni-

canorem quendam submittit cum copijs, cum quo Iudas etiam congressus citer vicit ad Bethoron. Occiso autem Nicanori dexteram & caput resec ad templum Domini suspendit, quòd dux ille Senacheribi instar blasphe effudisset in Deum, & templo sacrisq; nepharie fuisset minatus. Oportun victori Deo statui trophæum hoc, in perpetuam admonitionẽ, ne quis vra simili exemplo Deum blasphemaret, aut sacra Dei se subuersurum diceret.

Iudas fœdere se cum Romanis coniungit & cadit.

Post hæc Iudas Romam misit legationem, & domino non consulto, tiam init cum Romanis: id quod copiosè describitur 1. Machab. 8. cap. stea ea felicitate vsus non est, qua antea. Demetrius enim Bachidem

Bachides.

Alcimo instructum peditibus 20000. & equitibus 2000. in Iudæam, cõtra misit. Diffugientibus verò militibus Iudæ, nihilominus cum 800. ausus est gredi cum hostibus, quibus sanè cruentam reliquit victoriam, ip acie occubuit. Ipsum fratres eius Ionathan & Simon, patrio intulere sepul idq; vniuersi populi maximo cum luctu atq; planctu. Cæterùm vt quon

Fœdera cum infidelibus.

Isaias Ezechiam monuit, ne fœdus pangeret cum rege Ægyptio, quòd ni inutile, quàm noxium sit futurum: Ita nunc quoq; Deus defenderat hac populum suum, non hominum armis, sed sua gratia & potentia, ideoq; vn ti casu commonstrare voluit, ipsi non probari cõtracta huiusmodi fœdera infidelibus, sed magis velle, vt humiles speremus in eius misericordiam.

Ionathan frater Iudæ.

IONATHAS vel Ionathan frater Iudæ in locum subijt demortu tris. Vicit hic prælio Bachidem ad Iordanem, & vrbes non paucas in luci tra incursiones hostium muniuit. Hinc Bachidem rursus vicit, & pacem pere compulit. Eodem ferè tempore mortuus est Alcimus summus pontif bulo maximus, & mortuus est quidem morbo horrendo, suis moribus co gno. Vnde pax reddita est populo Dei aliquandiu. Simul etiam reges Syri

Alexander confert Machabæis pontificatum.

metrius & Alexander Ionathæ amicitiam ambiuere. Alexãder ipsam obt eiusq; rei gratia missa Ionathæ corona aurea, summum etiam contulit p ficatum: qui in ea mansit prosapia ad Herodis vsque gubernationem. Co alioqui Alexander hic multa magnaq; in Ionathan beneficia; sicut expo 1. Machab. 10. cap.

Post ea confligit rursus Ionathan cum Appollonio duce Demetrij, fil metrij ac vincit. Regibus quoq; Syris mutuum inter se pugnantibus mis ductitium militem Iudæum: & reparat fœdus quoq; non tantùm cum R nis, sed etiam cum Spartanis. Vnde & paulò post Tryphonis insidijs apu lemaidem interfectus est, vir alioqui religiosus & immortali gloria digna gantur hæc 12. cap. 1. lib. Machab.

Simon frater Iudæ.

SIMON frater Iudæ & Ionathæ delectus est à populo dux contra lium incursiones. Fregit hic Tryphonis consilia & potentiam. Gazam de ne accepit, & ab abominationibus expurgauit. Arcem igitur Zion obs pugnauit & occupauit, ac eandem mundauit ab omni contamination

Simon liberator Iudææ.

vniuersam Iudæam liberauit à præsidijs Syriacis. Vnde primus est fal Pont. Max. Dux & Princeps Iudæorum: sed modestior erat, quàm qui tur huiusmodi titulis, aut sumeret sibi regium diadema: sicuti mox audie fecisse posteros eius. Pacem certè populo restituit Simon. Renouauit & micitiam cum Romanis & Spartanis. Cumq; consenuisset sublatus est in Doch, in conuiuio, per dolum generi sui Ptolemæi. Quod describitur ca lib. 1. Machabæorum.

Ioannes Hyrcanus.

IOANNES Hyrcanus patri successit Simoni. Nomen Hyrcani ac cepit, quòd aduersum Hyrcanos gentem validissimam prosperè pugnau sessus legitur hic Hyrcanus ab Antiocho Sotere, qui cum in ea obsidione

niam præstitisset pietatem, sicuti superius expositum est in rebus regum Syrię Hyrcanus cum ipso coaluit amicitia. Antiocho autem rege mortuo, Syriæ & Idumeæ aliquot vrbes cœpit. Multa sub hoc principe vsi sunt Iudæi fœlicitate. Debellauit hic quoq; Samaritanos. Samariam anno integro obsedit, & captam æquauit solo, deleto etiam templo illo prophano, contraq; Deũ extructo, quod superius dixi ædificatum esse ab apostatis impurissimis in monte Garizim. Tandem feliciter diem suum clausit.

ARISTOBVLVS defuncto patri successit, & primus magistratum populi Dei, Deo inconsulto neq; iubente, ad regiam dignitatem trãstulit, & primus à captiuitate Babylonica morteq; Zedechiæ regis, coronam vel diadema regium capiti suo imposuit. Mox coniecit in vincula matrem & fratres, ex quibus Antigonum virum optimum interfici curauit. Doctrinæ & religionis non magnam curam habuit. Nunc ergo vehementer incipiebat declinare syncerítas doctrinæ & fidei, ac vicissim cumulari c..amitas ineluctabilis, qua populus Dei horribiliter inuoluebatur. *Aristobulus primus rex Iudæorum.*

Subegit Aristobulus hic Ithuræos, & imperium Iudæorum longè ac latè dilatauit. Porrò moriens sanguinem vomuit, quem Iosephus narrat per puerum effusum, proculdubio non citra diuinam prouidentiam, in illum ipsum locum, qui cæsi Antigoni fratris adhuc recentia & cruenta habebat signa. Fiebat hic iterum, quod quondam in historia Nabothi & Achabi regis factum scimus. Vix annum integrum crudelis regnauit Aristobulus.

ALEXANDER II. rex Iudæorum, qui & Iamnæus & Iannæus vocabatur, filius erat Hyrcani, frater Aristobuli regis, natu minimus, quem Salome, quæ & Alexandra nuncupatur, è vinculis liberatum regem constituit. Bellum hic non prosperè gessit cum Ptol. Lathuro. Collegit Alexander è sua ditione circiter 50000. vel vt quidam scriptores malunt 80000. & cum his Ægyptio iuit obuiam. Hic verò ex improuiso Asochim Galileæ oppidum vi aggressus occupauit, & circiter decem millia captiuorum, præter aliam multam prædam, abduxit. Deinde abijt & cum Alexandro conflicturus. Cui occurrit ad Iordanem fluuium. Sed Ptol. milites acriter instando Iudæos in fugam impellunt, fugientesq; crudeliter cædebant, donec lassatis manibus ferrum pariter hebesceret. Ferunt 30000. Iudęorum eo cecidisse prælio. Timagenes 50000. in suis scriptis retulit. Victor Ægyptius in vicos quosdam à pugna se recipit, quos vbi vidit refertos pueris & mulieribus, mandauit militi, vt promiscuè iugulatos & in frusta cõcisos, in lebetes feruentes membratim conijcerent, vt qui effugerant è prælio, hostem crederent humanis vesci visceribus, & eò maior terror incuteretur reliquis. Et huius crudelitatis tam Strabo, quàm Nicolaus meminit, apud Ioseph. in Antiq. lib 13. cap. 21. Ea verò commemoro vt appareat quàm grauia sumat Deus supplicia de illis, qui superbia nimium efferuntur, qui denicq; synceritatem fidei & doctrinæ negligunt. Quã verò grauiter hæc doluerint pijs in populo Dei, facilè à quouis æstimari potest. *Alexander rex Ptol. Lathurus multos in Iudæa crudeliter occidit.*

Multas & magnas præterea clades idem ille Alexander accepit & intulit alijs, princeps per omnia crudelis & vix homo, sed fera bellua. Quod multis exponit Iosephus eo ipso in loco, quem iam adduxi, & cap. 22. vbi & immanissimum hoc eius facinus refert, quòd captos Iudæorum potentiores 800. iusserit affigi crucibus, & in conspectu adhuc viuentium, iugulari vxores eorum ac liberos, quod spectaculum funestissimum ipse inter epulas, ex loco æditiore inspexerit. Nihilo faustiora cõmemorat idem ille author de eodẽ cap. 23. Morbo tandem, quem sibi contraxit ex temulentia, extinctus est, cum triennio integro antea probè morbo illo fuisset excarnificatus, vt scilicet alijs fieret exemplum. *Alexander crudelis princeps.*

Alexander duos reliquit post se filios Hyrcanum & Aristobulum, regni men administrationem testamento reliquerat Alexandræ vxori.

Alexandra Salina.

ALEXANDRA ergo quæ & Salina dicebatur, regnum administra post Alexandrum III. loco. Pontificatum concessit Hyrcano. In regno au ex Pharisæorum sententia, reginæ permissu, gerebantur omnia. Nomen re regni, vt ait Iosephus, erat penes reginam, penes Pharisæos verò administra De qua re Iosephus plura narrat lib. Antiq. 13. cap. 14. Matre verò mortua, ma viuente adhuc matre parata contra fratrem Hyrcanũ arripit ARISTO

Fratres inter se pugnant.

BVLVS, obsessumq; in vrbe Herichuntina ad deditionem compellit, & imper omne ipsi eripit, factus IIII. Iudæorum rex. Inde exorta sunt funesta fratr parricidia, seditiones horrendæ, bella cruentissima, & calamitates maxima bus Dei populus attritus & doctrinæ puritas magis magisq; corrupta & pressa est. Et quidem ambitiosa fastuosorum regnandi cupiditas, sacerdot in primis odia dissidiaq; & distractiones, miseram plebem adeoq; & felicis regna omnibus sæculis, dilacerarunt, atq; malis omnigenis & inexplicabil adoperuerunt. Quapropter libera nos à malo tãto, ô Deus noster, & seru propter misericordiã tuam, & per Christum dominum nostrum.

Hyrcanus.

HYRCANVS vt erat natura bonus, nihil commouisset turbarũ ob

Antipater.

ptum sibi à fratre regnum, nisi Antipater quidam Idumæus, pater Hered mo natura ferox & factiosus, & qui Aristobulum infensissimè oderat, & qu Alexander rex euexerat & opulentissimũ reddiderat) non desisset Hyrcan stillare, vitã eius in tuto non futurã, nisi matura sibi fuga consuleret. Et qui vrgendo ægrè obtinuit tandem, vt consentiret fugere in Arabiam ad reg Aretam Arabum. Comitatus autem Antipater inquietus homo fugitẽm canum, causam eius diligenter commendauit Aretæ, & vt regno ipsum, p Aristobulo, restitueret, amplissimis additis promissis, impetrauit. Mo

Arabs contra Aristobulum.

Arabs contra Aristobulum expeditionem suscipit, & Aristobulum præ cit, sed & obsidione concluſit. Aristobulus verò missis nuncijs ad Scaur peij bellum in oriente gerentis legatum, qui tunc in Damascena vrbe era ipso grandi oblata pecunia impetrauit, vt Aretæ denunciaret, ni obsidio solueret, hostem Romani populi declarandum.

Aristobulus vincit Hyrcanum & Antipatrem.

Cæterùm obsidione soluta ac Areta digresso rursus in Arabiam, Aristo lus ingentem in Hyrcanum fratrem & Antipatrem ducit exercitum, ac eis confligit, & eos vicit. Et dum hæc ita geruntur, omniaq; in Iudæa di flagrarent, venit ex Oriente, deuicto Tigrane Armeniorum rege, Dama Pompeius: ad quem missi tam ab Hyrcano, quàm ab Aristobulo legati de gno coram Pompeio disceptauerunt. Pompeius itaq; commoda hac arrep

Pompeius Hierosolymam capit.

casione, Hierosolymam venit. At in vrbe erat Aristob. qui excludi Pomp vrbe bellũq; parari iubebat, alijs verò vrbem Pompeio dedendam suade qui & vrbe patefacta Pompeij exercitum intromiserunt. Interea Aristo cum suis templum occuparat. At Pompeius obsidens templum erigebat rem & turres, machinasq; admouebat, tãdem mense demum tertio pon plo, stragem edit acerbam. Nam ea irruptione ceciderunt Iudæorum circ 12000. Describit cladem eam diligẽter Iosephus lib. 14. cap. 8. Incidit acerb calamitas in annum vrbis conditæ 691. Coss. M. Tull. Cicerone & M. Anto Olymp. 170. anno tertio, illo ipso anno quo coniuratio Catilinæ detecta & pressa, & Catilina ipse in acie trucidatus est. Templum verò ipsum adeoq; ctum sanctorum ingressus Pompeius, & vnà cum ipso alij non pauci prim

Reuerentia Pompeij erga sacra.

Romanorum, ea inspexerunt quæ non nisi sacerdotibus phas est inspicere gione tamen quadam prohibitus, nihil eorum attigit, sed in vniuersum ab

vi atq; rapina sibi temperauit. Sed & sequenti die & templum purgare iussit, & Hyrcano pontificatum reddidit. Belli verò authores securi percussit, & Hyrcanum corona vti prohibuit, ac Iudæos Romanorum imperio subiecit. Quorum omnium malorum, inquit Iosephus, causa fuerunt Hierosolymis Hyrcanus & Aristobulus inter se dissidentes inuicem. Nam tum primùm libertatem amisimus, subiecti Romanorum imperio. *Iudæi Romanis subditi per Pompeium.*

Cæterùm Aristobulus à Pompeio vinctus Romam est missus ad triũphum, sed euasit carceres & in Iudæam reuersus bellum reparauit. Rursus tamen captus ab Aul. Gabinio, vinctus Romam iterum mittitur, hausto q; veneno necatur. Reliquit Arist. duos post se filios Alexandrum & Antigonum. Alexander bella gessit in Iudæa varia, victus tandem & captus, à Scipione securi est percussus. Quo tempore Antipater ille de quo antea dixi, Iudæę à C. Cæsare tutor est constitutus, qui & muros Hierosolymorum, deiectos à Pompeio, iterum reparauit. *Aristobulus bellum renouat.* *Alexander Aristob. F. Securi percussus.*

Antigonus verò alter Aristob. filius magnis muneribus Parthos in societatem attraxit. Ac potuit hoc facilius efficere, quòd Parthis inimicitia cum Romanis intercederet, & Romani iam ciuili bello se mutuùm lacerarent. Nã ante 14. annos occiderant M. Crassum vnà cum filio ac totum ferme exercitum eius deleuerant. Omnes tunc fatebãtur Crassum auaritiæ sacrilegiiq; commeritas pendere pœnas. Eodem enim anno quo interijt, eundo ad bellum Parthicum, templum Hierosol. cui Pompeius pepercerat, sacrilegè spoliabat. Quod Iosephus commemorat Antiq. lib. 14. cap. 12. Parthi itaq; exercitum duxere in Iudæam duce primario Barzapharmane Satrapa, Herodes qui tunc erat Hierosolymis, aliquot prælijs cum hoste commissis, vicit, sed cum numero impar esset, rebus suis compositis fuga sibi consuluit. Parthi ergo vrbem Hierosolymorum irrupere ac diripuere. Hyrcanus verò & Phaselus Herodis frater, capti in Parthiam sunt abducti, vbi in carcere Phaselus sibi mortem consciuit: at Hyrcano resectæ sunt aures, ne vnquam ipsi ad pontificatũ spes aut aditus pateret, mox autem in Hyrcani locum substitutus est Antigonus à Parthis. Sed hunc exactis aliquot annis Sosius atq; Herodes obsessum in vrbe, captum deniq; deduxerunt Antiochiam ad Antonium. Eodem bello captum est iterum templum, sed ab Herode defensum ne diriperetur. Quod Iosephus testatur lib. 15. antiq. Idem Herodes multis pecunijs, inquit, induxit Antonium vt Antigonũ tolleret (cerate cruci alligatum, vt Dion inquit, flagrisq; dississum securi percussit (atq; ita Assamonæi principatus desijt post annum 126. (exactiore supputatione paulò plures inueniuntur vt in 5. tabula patet) quæ domus illustris fuit & celebrata propter continuatum in ea gente pontificatum facinoraq; maiorum egregia, quibus propugnauerunt Iudæorum rempub. Verùm hæc familia intestinis seditionibus agitata amisit imperium. Hæc ille. *Antigonus Aristob. F.* *M. Crassus occisus à Parthis.* *Antigonus ab Antonio interficitur.*

Sed & illud tradunt historiæ, Aristobulum (erat hic Alexandri fratris Antigoni ex Aristobulo rege, filius, ex Alexandra Hyrcani filia, natus, frater Mariamnes, quæ Herodi regi nupserat) ab Herode, altero circiter ab Antigoni morte anno, summo præfectum pontificatui, mox tamen nequiter aquis præfocatum, vt sanè familia hæc circiter 30. annos ante natalem Domini ab Herode prorsus sit deleta. Successit autem in regno Iudæorum alienigena hic Herodes rex creatus à Romanis. Qui à Iuda Machabæo primùm fratribusq; eius illecti fœderibus, deinde verò bellis in Iudæam attracti à nepotibus, pro fœderatis & socijs hostes adeoq; dominos & tyrannos se exhibuerunt, vt nunc quoq; non melius populo Dei externa cesserint fœdera quàm olim Ægyptia illa atq; Assyriaca. Videmus præterea in hac serie historica quomodo impleta sint prophe- *Aristobulus pontifex post Antigonum.* *Herodes regibus & pontificibus Iudæis alienigena succedit.*

tarum vaticinia de bestia illa quarta, supra modum sæua omniaq; lacerante proculcante, item de Corona illa curua, & de imperio è tribu Iuda & pop Dei in alienigenam translato, deniq; quomodo populus Dei sacerdotum rum ambitione crudelitate & auaritia, infandis irretitus sit calamitatibus bus haud dubiè omnes pij sese liberari à Deo per Messiam assiduis implora precibus.

DE HERODE MAGNO.

Antipater Herodis pater.

HERODES, cuius iam aliquoties meminimus, Antipatris fuit filius minis Idumæi obscuri, sed opulentissimi, Ascalone, vrbe Idumeæ, genti vnde & Ascalonita est dictus. Hic Antipater primùm vocabatur, vt refert Iosephus, Antipas, eodem quo pater ipsius nomine: quem ab Alexãdra Iudææ rege & eius vxore constitutum ducem totius Idumeæ ferunt. Dux erat vxor Arabicæ gentis Cyprin, primæ nobilitatis fœminam, ex qua quatuor filios scepit, Phaselum, Herodem, Iosephum & Pherorã, filiam quoq; Salomè. Duo ex filijs repentè ad summos prouexit honores. Cum enim cerneret Romanos Iudæorum esse dominos, & qui Palestinam paulò ante fecissent prouincia ideoq; in illorum fauore & suæ & liberorum fortunæ summam consisteret, genti eos coluit studio. Nam Iulio Cæs. Dictatori, graue in Ægypto bellum renti, Antipater gentium & locorum Ægypti & Arabiæ peritissimus adiu incredibili animi prõptitudine ipsum prosequutus est. Vnde Cęsar grani ferens, & ciuitate illum donauit, & Iudęæ tutorem, sine regio tamen nom constituit. Sunt tamen qui hoc honoris illum antea accepisse affirmant Pom peio, nunc verò Cæsarem ei hanc dignitatem confirmasse, idq; ceu auctr adiecisse, vt Herodes filius eius nondum 15. annũ egressus, Galilææ tutor Phaselus autem Hierosolymas gubernaret.

Porrò Iulio Cæs. Romæ à coniuratis trucidato, exarsit bellum ciuile, A nio & Augusto Cassium & Brutũ tyrannicidas persequentibus. Dum ergo Asia ageret Antonius, Antipater Herodis pater, insidijs cuiusdam Malch dæi (quem Herodes postea ad Tyrum occidit) sublatus est veneno. Vnde *Herodes prouehitur ab Antonio.* in spem erecti recuperandæ libertatis, honestam ad Antonium legationem serunt, postulatum ne filios Antipatris populo imponeret Iudaico. Quod intellexisset Herodes, impetrauit ab Hyrcano põtifice, cuius neptis ex fili riamne (quam Alexandra Hyrcani filia Alexandro Aristobuli filio vt supe quoq; dixi, genuerat) nupserat Herodi, vt ad Antoniũ apud quem magni in gratia profectus, conf lia Iudęorum infringeret. Id quod felicissimè succe Antonio Herodem & Phaselum præficiente tetrarchas Iudææ & Galilææ bus rebus ad eum modum compositis Antonius Romam nauigat.

Parthi ab Antigono inducuntur in Iudæam.

Interea Antigonus Aristobuli filius, apud Pacorum Parthorum regem pias impetrat, & in Iudæam inducit, vrbemq; Hierosolymorũ, fugato Herode capit: sicut antea dictũ est. Herodes verò fuga elapsus relictis in Masseth mææ castello vxoribus atq; amicis, repentè Pelusium profectus, inde Alex driam ad Cleopatram Ægypti reginã contendit. Ibi nauim ingressus, alpera cet hyeme & mari tempestuoso, Romã venit, & Antonio singulari suo ordine, quid in Iudæa euenisset, exponit. Mox Antonius causam Herodis gusto Cæs. commendat, eamq; de repentè ad senatum referunt. Cui placuit rodem Iudæorum creare regem. Herodes ergo medius inter Antonium & gustũ, vniuerso cõmitãte senatu, ascendit, Dijs immolaturus, in Capitolium.

Herodes à Romanis rex Iudæorum creatus.

Annorum Herodis supputatio.

Non congruunt hic iterum in principio annorum Regni Herodis collo do chronographi. Sunt enim qui initium regni Herodiani ponunt in Olym

34. Alij collocant in annũ 2. Olymp. 186. attribuuntq; regno Herodis anos 34. Cæterùm iuxta eam supputationem, ipso anno natiuitatis Domini mortuus esset Herodes. Quod sanè discrepat cum historia euangelica. Iosephus Antiq. lib. 15. cap. 14. Initium, inquit, regni Herodis fuit año 2. Olymp. 185 (qui erat annus vrbis conditæ 714.) C. Domitio Caluino, & C. Asinio Pollione Coss. Idem lib. Antiq. 17. cap. 10. & de bello Iudaico lib. 1. cap. 21. Herodes vita functus est, inquit, post detrusum regno Antigonum, anno 34. ex quo autem rex à Romanis declaratus est anno 37. Quòd si ab vrbis conditę año 714. qui est 2. Olymp. 185. numeraueris annos 37. ad mortem inquam vsq; Herodis, peruenies ad annum vrbis conditæ 750. iuxta quam supputationem Herodes mortuus refertur biennio propemodùm quàm Christus nascatur. Id quod rursus dissidet à veracissima sacrosancti euangelij historia. Qui autem natalem Domini in 30. Herodis retrahunt annum, habent ipsi quoq; quod eorum sententiæ aduersetur. Epiphanius collocat natalem Domini in 33. annum regni Herodis. Ego verò malui hac in parte sequi Eusebij calculum, qui in Chronicis suis, Olymp. 186. ait, anno 4. deficiente pontificum principatu, regnauit Herodes alienigena annis 37. Ita verò annus natalis domini incidit in 32. annũ regni Herodis. Sequuntur hanc supputationẽ plerique veteres ecclesiastici scriptores. Quanquam ergo satis constet Herodem à Romanis regem declaratum esse anno vrbis conditæ 714. illud tamen etiam certissimum est, illum nondum tenuisse regnum, sed annis aliquot bella gessisse cum Antigono, & eo deuicto, impedimenta varia priusquam regno plenè potiretur, discussisse, vt nõ temerè videatur Euseb. suam supputationem inijsse à 4. anno Olympiadis 186. Sequatur tamen hic iterum quilibet, quod viderit simplici veritati maximè consentaneum esse. Nos meliora non habemus, & nunc ad contexendam historiæ seriem redimus.

Herodes Galilæam occupat.

Herodes Romæ rex declaratus, rectà ab Italia Ptolemaidem festinat, vbi exercitum conscribit, ac Galilæam inuadit, quam mox deditione accepit, rursus tamen amisit, deinde Romanorum auxilio iterum recuperauit. Interea Parthos vincit Ventidius, & Syria eijcit. Herodes ergo vnà cum Sosio Romanorum duce, Hierosolymas obsidet, & occupat, capto etiam Antigono: sicut antea expositum est in rebus Antigoni. Post hæc tempora cum Herodes iam putaret regnum suum planè confirmatum esse, Hyrcanum pontificem ex Babylone, vbi vinculis solutum rex Parthorum, inter Iudæos liberè viuere permiserat, Hierosolymam reuocat. Diximus enim nuptam Herodi Mariamnem neptem ex Hyrcani filia Alexãdra. Habuit Herodes alioqui vxores minimum nouem, ex quibus multam suscepit prolem. Potiores ex filijs fuere, Alexander, & Aristobulus, ex Mariamne geniti, Antipater ex Dosida, Herodes item Antipas cognominatus, Philippus, & Archelaus, quorum mẽtio fit in euãgelio. Mariamnem verò omnibus prætulit vxoribus, vtpote fœminam formæ spectatissimæ, moribus suauissimis, cum comitate maiestateq; coniunctis, quibus omnes suæ ætatis (vt Iosephi verbis vtar) fœminas superauit. Eam ergo deperibat ille amore immodico, ardentiq; contabescebat zelotypia. Proinde in gratiam vxoris Hyrcanum ex oriente redeuntem summo in honore habuit. Postea tamen cum post pugnam Actiacam festinaret ad Cæsarem, à quo sibi plurimum, ob Antonij deuicti à Cæsare amicitiam, timuit, priusquam relinqueret Iudæam, Hyrcanum iam octogenariũ crudeliter necauit, cum antea quoq;, sicut prius dictum est, Aristobulum Mariamnes fratrem per lusum aquis præfocasset, sed & vxorem Mariãnem vnà cũ matre Alexãdra discedens diligentissimè custodiri mandauit, ne si parũ propitiũ reperissent Cæsarẽ, et sinistri aliquid pateretur, familia hęc regia nouas res, pro recuperãdo regno, moliretur, sed interficeretur potius.

Herodes regnat Hierosolymis.

Vxores & liberi Herodis.

Mariamne.

Herodes Au=gusto Cæs. re=conciliatus.

Exceptus est tamen perbenignè, præter opinionem suam, Herodes a[pud] sare, & dimissus multa cũ gratia & plurimis ornatus beneficijs. Reuersus in Iudæam magnificè hæc prædicat, vxori maximè adamatæ, sed eam [li]b temere admodùm infensam inuenit. Cui infortunio cum multæ etiam adi[ec]tur à maleuolis calumniæ, rex vxorem præproperè interfici curauit, vna amicis aliquot. Mox tamen à perempta, impotentius eius amore flagrare pit, frequentius nequicquam vocato dulci Mariamnes nomine. Tandem diu se afflictasset miserè, in lethalem incidit morbum. Quo nomine Alexa vrbis arces in suam conata est redigere potestatem, ne si ille forsan moreret occuparetur vrbs ab alijs. Quæ res quam primùm innotuisset Herodi, ira-

Alexandra necatur.

ratus, etiam Alexandram Mariamnes matrem, illico occidi mandauit. Cum præterea omnes qui erant ex Hyrcani familia trucidari, quò tutius regnu tiretur solus. Multa alia nepharia & crudelia patrauit Herodes, quæ singu ferre non libet. Copiosè singula illa à Iosepho iunt exposita.

Herodis beneficia.

Miscuit tamen pro singulari sua calliditate insignia trucibus illis scili ficijs beneficia, vt his fauorem apud plebem repararet, maculasq; suas fac mas abluere. Quale illud maximè est, quod post crudelitatem istam exe cum exorta esset fames in Iudæa, ne supellectili quidem regiæ suæ pepe sed conscissam, indeq; pecuniam confectam, in Ægyptum pro frumento & in plebem pro cuiusq; necessitate distribuit: quòd item vrbes per regni didit amplissimas, pulcherrimas & munitissimas, qua re & plebi plurimi modauit, & Romanos honorauit. Nam nominibus eorum vrbes appellau eorum memoriam redderet perpetuã. Inde enim est Sebaste & Cæsarea, a generis alia in Iudæa nomina plurima. Magnus certè dictus est ob res pra ras gestas.

Herodes extruit Hieroſol. templum.

Huc pertinet admiranda planè Templi Hierosolymitani construc eundem Herodem. Nam anno regni sui, vt ait Ioseph. Antiq. lib. 15. cap. 14. mo octauo (In bello Iudaico ait 15) sublatis templi domini veteribus funda tis nouisq; repositis, incredibili ipsum magnificentia, spacio octo annorum xit. De quo Iosephus qui ipsum vidit eo ipso quem iam citaui loco, Templ extruebat, inquit, longitudine centum cubitorum, altitudine totidem. Cin bat autem structura è lapidibus candidis firmissimis, magnitudine 25. cub rum in lõgum, octo in altum, latitudine verò cubitorum 12. habebatq; ba similitudinem, hinc & inde humilius, media sui parte excelsum, à multis conspicuum. Et reliqua, quibus ille Templum eleganter describit, etiam de bello Iud. Recito hæc vt ea rectius intelligantur, quæ de hoc templo Matth. 24. cap. & Marci 13. leguntur dicentibus discipulis ad dominum, Ma ptor, vide quales lapides, &c. Verissimè verò clarissimus vir D. Ioach. Vad

Herodes non habuit religionem puram ſed corruptam gentiliſmo.

nus in doctissima sua Epitome, Certum est, inquit, nõ tam religionis gratia plum ab Herode conditũ fuisse, quã vt hoc modo Iudæorum animos sibi c ciliaret. Volebat quidẽ & legis obseruator videri, verũ diuersum morã dia prodebant, præterea imodica regni cupiditate, studioq; illo perpetuo, Romanis colendis obseruãdisq; impẽdebat, corruptus, legis sanctimoni ganismi imitatione fœdauit. Iã enim antea cum Galilæq; præesset tẽplum D tori, etiamnũ in humanis agenti, candido è marmore, iuxta vrbẽ Panea Iordanis oritur, cõdidit. Sed & Augusto quinquẽnales ludos, theatrumq; phitheatrũ, contra gẽtis morẽ, exædificauit, præterea trophea et statuas p Iudæis omnia illa indignissimè ferẽtibus. Sed & alia id genus animi eius cia de Iudaismi cõtemptu, et amore in deos Romanorũ & gentiũ ritũ magn argumentum erant. Hæc ille. Reliqua Herodis differam in vltimam tab

In hac historia Herodis planè admiranda, cernere licet, quàm corruptus miserabilis & calamitosus fuerit miseri populi Dei status, ergo immensam & in æternum prædicandam esse Dei optimi maximi misericordiã, quæ opportunè oppressis succurrit, filioq; vnigenito misso miserum populum suum visitauit. In Herodis autem persona plurima pij obseruant, illud in primis, quòd diuina bonitas sustinuit sibi templum à latrone illo sanguinario erigi, in quo ipsemet Dei filius docuit atq; versatus est, nimirum vt omnes colligerent, nunc demum illud adesse per Haggæum prædictum tempus, quo commouendæ sint omnes gentes, ad aduentum desyderij omnium gentium, gloriamq; domus posteriorís, ecclesiæ nimirum Christianæ, illustriorem futuram, domus prioris, Iudaici inquam templi & maximè Herodiani, quod funditus euerterunt Romani.

Miseria populi Dei sub Herode.

DE REBVS ROMANORVM.

ANno ab vrbe condita 605. Bellum Punicum 3. Pœnis est indictum, & intra quadriennium, Carthaginis exitio terminatum. Bello Pœni præfecerunt Hasdrubalem, Romani Scipionem Aemilianum, qui nonnullis alijs ducibus successit. Etenim post ingentia & cruenta aliquot prælia, obsessa & capta est à Romanis Carthago, mox direpta quoq; & inflammata, quam Orosius arsisse ait dies decem & septem. Iusserat tamen Scipio priusquã incenderetur, migrare qui se saluos cuperent. Ac migrarunt quinquaginta circiter hominum millia. Reliqui flamma & ferro sunt consumpti. Aiunt Scipionem incendio vrbis exorto, fleuisse, ac dixisse, meminisse se miseriæ humanæ, & quòd simile fatum Romæ impendeat patriæ suæ. Ac veracissimum fuisse vatem euentus docuit. Nam post annos circiter 689. Totila Gotthus princeps, Romam cœpit, diripuit, incendit atq; diruit. Rectissimè ergo dixit diuinus propheta, Væ qui prædaris, an non & tu prædaberis? Certè cum vastare desieris, vastabunt alij te quoque, Isaiæ 33.

Bellũ Punicũ 3.

Incenditur & deletur Carthago.

Carthaginem & Numantiã appellauit Cicero duos terrores imperij Romani.

Circa hoc ipsum tempus susceptum est Bellum Macedonicum 3. contra Andriscum, qui Philippi nomine sumpto, Persei se regis Macedoniæ filiũ ingenti assueratione mentiebatur. Romanum hic prætorem P. Iuuentium contra se missum, ad internecionem deuicit. Cęterùm Q. Cæcilius Metellus, eundẽ mox vicit cœpitq;, cæsis viginti quinq; millibus, & recuperata Macedonia, vnde dictus est Macedonicus.

Bellum Macedonicum.

Mox à Bello Macedonico susceptum est à Romanis Bellum Achaicum. Nam propter iniuriam Romanorum legatis irrogatam, bello coherciti sunt Achæi, & Corinthus nobilissima Græciæ vrbs, à L. Mummio capta, direpta & diruta est, anno vrbis 608.

Bellum Achaicum.

Corinthus.

Sequenti anno Bellum Viriathinum mouit Romanis in Celtiberia apud Hispanos vel Lusitanos Viriathus quidam, qui primò quidem pastor fuit, mox latronum dux, postremò tantos ad bellum populos suscitauit, vt assertor Hispaniæ, contra Romanos, esse crederetur. Verùm à suis est interfectus anno vrbis 613.

Bellum Viriathinum.

Viriatho tamẽ cæso, nondũ plena stabilisq; pax in Hispania est constituta. Etenim cum Numantinis in Celtiberia bellum est renouatum. Quo bello Romanorum duces atque exercitus sæpe fusi atque fugati sunt. Tandem Scipio Aemilianus, qui Carthaginem deleuerat, Numantiam quoq; obsidione clausit & acriter oppugnauit. Numantini verò omnia experti & vltima desperatione ad moriendum compulsi, cum eos se dedere puderet, portis clausis, & se ac duces patriamq; ferro veneno & subiecto vndiq; igni perdiderunt. Sic testantur

Hispaniense bellum.

Numantia excisa.

Florus & Orosius. Scipio postea vrbem ingressus, nihil prædæ imò ne vix quidem Numantinorum inuenit. Horrenda sunt hæc præclarissimarum Carthaginis, Corinthi & Numantiæ vsque adeò calamitosa excidia, ex quibus omnes ciuitates Deum reuereri & suppliciter inuocare pro conseruatione discant. Incidit Numantiæ excidium in annum vrbis 620.

Bellum Aristonicum.

Paulò post mouit bellum Romanis in Asia Aristonicus Eumenis ex concubina filius. Aduersus hunc missus est P. Licinius Crassus, infinitis regum auxilijs. Cæterùm victus & interfectus est ab Aristonico. Hic tamen a M. Perpenna Cos. victus apud Stratonicen ciuitatem, Romamq; perductus iubente Senatu, in carcere est strangulatus. Sic Orosius scribit. Acta sunt anno vrbis 624.

Belli Cymbrici initium.

Velleius tradit effusam immanem vim Germanarum gẽtium, quibus Cimbris & Theutonis nomẽ fuerit, in Italiam, & obuiam missum C. Papyrium bonem Cos. qui eam fuderit fugarit & exercitu exuerit. Inundante Oceano vt Florus, ait, ab extremis Galliæ oris profugi, nouas quærebãt sedes. Acta ea anno vrbis 641.

Bellum Iugurthinum.

Anno vrbis 643. bellum Iugurthinum Romani susceperè, quod elegantèr Sallustius descripsit. Occiderat Iugurtha fratres suos Adherbalem & Hiempsalem Micipsæ regis Numidarum filios, Romani populi amicos, & regnum occuparat. Mittitur itaq; cõtra ipsum principiò L. Calphurnius Bestia Cos. pecunia corruptus, flagitosissimam cum eo pacem fecit. Deinde mittitur A. Albinus, qui & ipse ignominiosè rem administrauit. Inde missus est Q. Cæcilius Metellus, qui Iugurtham ingentibus & varijs prælijs vicit. Cumq; iam illo finem impositurus esset, successorem habuit C. Marium, qui Iugurtham per ter & Bochum Mauritaniæ regem, Iugurthæ socium, superauit, belloq; cui in 5. iam annum erat protractum, terminum posuit, capto Iugurtha per L. quæstorem Corn. Syllam.

Romani fusi à Cymbris & socijs.

Dum bellum in Numidia geritur contra Iugurtham, Romani Coss. M. Silanus (alij legunt C. Manilius, Orosius M. Aemilius) & Q. Seruil. Cœpio i Cymbris & Teuthonibus Tigurinis & Ambronibus iuxta Rhodanum victi a gentibus internecione attriti sunt. Decem modò homines euaserunt, qui hoc nuncium Romanis reportarent. Cæsi sunt supra centena viginti millia manorum sociorumq;. Inde tantus Romę luctus atq; metus est obortus, qui vix Hannibalis ex victorijs. Clades hæc accepta refertur anno vrbis 442.

Cymbri victi & occisi à Romanis.

C. Marius, cui postea additus est Q. Luctatius Catulus, obuiam missi Cymbris cum ijs diuersis grauibus pluribusq; congressi prælijs, eos tandem vicerunt, terierunt hoc bello hominum multa millia, durauitq; annis circiter 8. Breuem eius descriptionem videre est apud Orosium lib. 5. cap. 16.

Sociale bellum.

Anno vrbis 663. cum alia propè bella essent sopita in Italia, grauissimum Picentes, Marsi, Peligniq; cũ vicinis gẽtibus nonnullis mouerũt defectantes à Romanis. Dicitur hoc vulgo bellũ Sociale. Id quadriennio, cum grauissimo pub. detrimento, tractũ, alij in decennium extendunt, ac finitum est tãdem L. Corn. Syllam Cos. cum in eodem se antea & C. Marius strenuè gessissent.

Bellum ciuile Marianum vel Syllanum.

Paulò post, anno vrbis 666. exorta sunt iterum duo maxima bella, Mithridaticum quidem & Ciuile, quod & Marianum & Syllanum nuncupatur. Et hoc quidem ex illo est exortum. Cum enim L. Sylla mitteretur contra Mithridatem, qui Asiam & Græciam occuparat, Marius quoq; eò mitti affectabat. Quo Sylla commotus, cum exercitu ad vrbem redijt, & cõtra Marium & Sulpitium Cos. dimicauit, & hunc quidem occidit, illum verò fugauit. Prosequitur hanc belli seriem Oros. lib. 5. cap. 18. & sequentibus aliquot, ac cap. 22. subiungit

annos decem tractum est hoc ciuile bellum, quod plus quàm centum quinqua ginta Romanorum millia militum selectissimorum consumpsit. Perdidit præte rea viros consulares 24. prætorios 6. ædilitios 60. senatores fere 200. absq; innu meris totius Italiæ populis, &c. Et hactenus quidē Romani cruentissima gesse re per Europam, Asiam & Aphricam bella, proinde fiebat iustissimo Dei iunu cio, vt ipsi inter se quoq; committerentur, immensoq; ciuili sanguine fuso, luerent crudelitatis admissæ pœnas. Confecto autem bello hoc ciuili, Sylla Dicta tor est creatus. Quod Appianus lib. 1. de Bello ciuili pulcherrimè narrat.

Porrò Bellum quod gessere Romani cum Mithridate rege Ponti, cui se po stea adiunxit & Tigranes rex Armeniæ, protractum est propè ad annos 28. Iu stinus lib. 37. numerat annos 46. Sæpius eo bello varia fortuna terra mariq; pu gnatum est. Id quod Appianus & Plutarchus eleganter exponunt. Duces ex Romanis potiores fuere Sylla, L. Murena, L. Lucullus & Cn. Pompeius, qui & de Mithridate triūphauit, anno vrbis 693. quādo & Magnus est consalutatus. *Bellum Mithridaticum.*

Interea suborta sunt & alia Romanis bella grauia, vnum in Hispania, Serto rianum, aliud in Pamphylia & Cilicia, Piraticum tertium, Macedonicum quar tum, quintum Illyricum. Cum Sertorio, qui fuerat partium Marianarum, & cui se coniunxerat Perpenna, vario successu pugnauit Q. Cæcil. Metellus. Sub missus est ergo & Cn. Pompeius, qui & ipse varia cum hoste fortuna dimicauit. Decimo octauo demum belli inchoati anno, Sertorius à suis est occisus, & sic bello datus est finis. *Bellum Sertorianum.*

Piraticum bellum intra triennium confecit P. Seruilius, Ciliciamq; & Pam phyliam propè delens recuperauit, Isauros quoq; bello fractos, in deditionem redegit, vnde Isaurici nomē assumpsit. Macedonianum bellum & Dardanium confecere triennio Ap. Claudius & Cn. Scribonius Curio: sicut Illyricum Cn. Cascrius. *Bellum Piraticum.* *Macedonicum & Illyricum bellum.*

Anno vrbis 682. bellum Seruile, quod & gladiatoriū dicebatur, duce Spar tato, in Italia est suscitatum, penè non ieuius, quàm quod olim Hannibal in ea gesserat. Nam multis Romanorum ducibus & duobus simul Coss. victis, trepi dauit vrbs quàm maximè. Tandem tamen & multo prius sanguine fuso, vicit il los in Apulia M. Licinius Crassus, cæsis supra nonaginta hominum millibus. Atq; ita tertio anno & hoc bellum est finitum. *Bellum seruile*

Anno 686. Creticum bellum est exortum, bello Mithridatico reuiuiscente, quod rex, Lucullo recedente, restaurauit. Ad id restinguendum missus est L. Cæcilius Metellus, qui ingentibus prælijs intra triennium omnem subegit pro uinciam, & Creticus est nuncupatus. *Bellum Creticum.*

Cæterùm Piratis omnia infestantibus (anno vrbis 687,) maria, ita vt Roma ni tutò nauigare non possent, bellum contra Piratas C. Pompeio, lege Manilia, est decretum, id quod mira celeritate, & ingenti felicitate cōfecit. Cicero enim in Orat. pro lege Manil. Hoc bellum, inquit, extrema hyeme apparatum, ineun te vere susceptum, media æstate est confectum. *Bellum piraticum.*

Anno vrbis 691. M. Tullio Cicerone & Cn. Antonio Coss. L. Sergius Cati lina, nobilissimi quidem generis, sed ingenij deprauatissimi vir, ad delendam patriam, cum claris quibusdam, sed improbis viris, conspirarat: cæterùm hi ma gnanimitate industriaq; Ciceronis in carcere strangulati sunt, ille verò ab An tonio Coss. acie victus, cum suis coniuratis est interfectus. Salustius hanc histo riam doctissimè exposuit. *Catilinæ coniuratio.*

Anno vrbis 696. Eutropius numerat annos 698. Orosius 693. C. Iulio Cæ sari decreta est Gallia. Bellum hoc Cæs. ipse æditis Commentarijs, elegantissi mè descripsit. Primò Helvetios vicit, deinde vincendo per bella grauissima *Bellum Gallicū & alia Cæsaris bella.*

vſq; ad Oceanum Britannicum acceſsit. Domuit autem annis ferè 9. omn
Galliam, quæ inter Alpes, flumen Rhodanum, Rhenum & Oceanum eſt. B
tannis mox bellum intulit: ſed & Germanos trans Rhenũ aggreſſus, imm
ſimis prælijs vicit. Inter tot ſucceſſus ter malè pugnauit.

Bellum Parthicum.

Circa eadem tempora mittitur M. Licinius Craſſus contra Parthos. Sed
Charras vnà cum exercitu toto trucidatus eſt. De quo dictum eſt antea. P
verò anno vrbis 715. Parthi victi ſunt à Ventidio, vt ſupra eſt dictum.

Bellum ciuile inter Pompeiũ & Cæſarem.

Succeſsit his bellum Ciuile inter Cæſ. & Pompeium, execrandum plan
lachrymabile. Cæſar enim è Gallia victor rediens conſulatumq; petens, cum
pulſam eſſet paſſus, ab Arimino, vbi milites habebat congregatos, aduerſu
triam exercitum duxit. Conſules cum Pompeio omnisq; Senatus fugere in
ciam ex vrbe, vbi Pompeius contra Cæſarem exercitum parauit. Cæſar R
oppreſſa repub. ſingulare inuaſit imperium dictatorem ſe creans. Hinc ve
Imperium Romanum. cipit noua Romanæ gubernationis forma, mutata videlicet repub. in reg
atq; imperium, vt videre licet in Tabula. Nec tamẽ Romæ diu moratus Cæ
tranſit in Hiſpaniam, vbi validiſsimos Pompeij exercitus ſuperauit. Ne
in Græciam victor transfretauit, & à Pompeio primo prælio, ad Dirrach
ſuperatus, fugit. Reſtaurans tamen copias ſuas in Theſſalia, apud Phar
iterum cum Pompeio, iam nimis ſecuro ob priorem victoriam, congreſſ
genti prælio commiſſo, Pompeium vicit & fugauit, interfectis quindecim
bus, & captis (Cæſare ſubinde clamante ad perſequentes, Milites parcite
bus) viginti quatuor millibus, direptis quoq; Pompeij caſtris.

Pompeius occiſus.

Pompeius in Ægyptum profugit, vbi, ſicut antea expoſui, miſerè per
dias eſt confoſſus. Cæſar autem & ipſe in Ægyptum profectus, Alexandr
venit, interemptoq; Ptolemæo Dionyſio, quod & ipſum antea in rebus rep
Ægypti expoſitum eſt, regnum Ægypti Cleopatræ, cum qua conſuetudi
ſtupri habuerat, dedit. Multum Iulio profuit in hoc bello Ægyptio indu
Antipatri, patris Herodis.

Cæſar vicit Pharnacem.

Rediens inde Cæſar Pharnacem Mithridatis F. qui Pompeium iuuera
cit in Ponto, moriq; compulit. Inde Romam rediit, ac tertiùm ſe Coſſecit.
Bellum in Aphrica. in Aphricam tranſit, & apud Thapſam, cum Iuba rege & Scipione dimic
ingentem hominum multitudinem interfecit. Cato apud Vticam, Scipi
Bellum contra Pompeij F. Petreius, ne in hoſtis poteſtatem venirent, ſemetipſos iugularũt. Inde qu
triumphis vrbem ingreſſus Cæſar, quartùm ſe Coſſ. fecit: & continuò in Hi
niam ad debellandos Pompeij filios eſt profectus. Cum his magna cõtenta
varia pugnauit fortuna, demum ad Mundam Hiſpaniæ ciuitatem, occiſis
ta hominum millibus, ægrè vicit.

Iulius Imperator trucidatur.

Poſtea Cæſar toto orbe bellis ciuilibus compoſitis, quę iam annis con
quatuor toto intonuerãt orbe, Romam rediit, vbi ei noui honores decreti
vt dictator perpetuus & imperator nominaretur, ſumma ipſi tradita pote
Cumq; inſolentius multa contra patriæ libertatem agere pergeret, à conſ
quorum præcipui erant Caſsius & Brutus, in curia Pompeij, quem ante
nium vicerat, Idibus Martijs, anno vrbis 710. confoſſus viginti tribus vul
bus, interijt.

Cæſaris & Pompeij magni exempla.

Stupet ad hanc hiſtoriam horrendam, ſat ſcio, quiſquis ſana vtitur ra
agnoſcitq; magna, iuſta, tremendaq; Dei iudicia. Tametſi enim Cæſar & P
peius magiſtratus munere functi ſunt, citra controuerſiam tamen eſt, comp
ma eos in diuerſis mundi partibus, in bellis illis horridis atq; cruentis parta
clementiæ indigna. Vnde Deus iuſtus, qui ſanguinem ex eorum requirit m
bus, qui temerè clementiaq; præterita, ſanguinem miſerorum fuderunt, hos
con

ces orbis maximos, mutuis sese dilaniantes vulneribus, exempla memorabilia omnibus sæculis statuit ob oculos, quò discant omnes potestate sibi tradita moderatè vti, ac quantum fieri potest clementiam exercere & temperare sibi à sanguine, deniq; agnoscere res hominum quantùmuis felices, fragiles esse tamen, quibus nihil fidant sapientes.

Interfecto Iulio ciuilia bella reparata sunt. Senatus Romanus fauebat Cæs. percussoribus. Hos ergo Antonius qui partium Cæs. erat, opprimere conabatur, & multa sceleratè agebat. Vnde à Senatu hostis est iudicatus, missiq; sunt contra eum duo Coss. Pansa & Hircius cum Octauio Cæsaris nepote. Pugnarunt hi cum Antonio & vicerunt. Antonius verò ad Lepidum confugit, qui ipsum mox Cæsari reconciliauit. *Ciuilia bella reparata.*

Octauius ergo Cæsar, Antonius & Lepidus connectunt sese triumuiratu. Cruentissimus fuit hic triumuiratus. Senatum enim & optimum quenq; proscripserunt ac interfecerunt. Occidit Octauius L. Cæsarem auunculum suum, Antonius M. Tull. Ciceronem, & Lepidus L. Paulum fratrem. Multæ diu & variæ cædes actæ, domusq; proscriptorum direptæ sunt. Interea Cassius & Brutus bellum mouent in Macedonia: quo Cæsar & Antonius cum exercitu profecti sunt, relicto Lepido ad defendẽdam Italiam. Apud Philippos ergo pugnarunt, & primo quidẽ prælio victus est Cęsar atq; Antonius, periit tamẽ Cassius. Secundo prælio vicere Cæs. & Ant. mortem sibi consciuit Brutus. Post eam victoriam Cæs. & Ant. imperium inter se sic diuiserunt, vt Cæs. Hispaniam, Gallias & Italiam teneret. Antonius Asiam, Pontum & Orientem regeret. Quod si hoc iniquo ferat animo Lepidus, Aphrica ipsi cederet. Attamen non diu inter se concordes mansere triumuiri. Cæsar enim Lepidum insolentiorem, in ordinem redegit perpetuoq; exilio mulctauit. Orta est inter Cæs. quoq; & Anton. dissensio. Antonius enim repudiata sorore Cæsaris Octauia, Cleopatram Ægyptireginam duxit, & ciuile bellum contra Cæs. commouit, Ægyptia regina in ipsa etiam vrbe cupiente regnare. Victus est tamen Antonius à Ca[illegible]pauali pugna & illustri, apud Actium Epyri promontorium. Fugerunt Anton. & Cleopatra in Ægyptum, sed insequente Cæsare desperatisq; rebus, semetipsos interfecerunt, Antonio pectus gladio transuerberante, & Cleopatra aspidibus ad vbera admotis. Tunc verò Cæsar Ægyptum Romano imperio adiecit, redactęq; in formam prouinciæ, Corn. Gallum primum præsidem imposuit. *Triumuiri.* *Bellum Bruti & Cassij.* *Diuisum imperium.* *Victoria Actiaca Augusti.*

Cronographi annos imperij Cæsaris Octauiani auspicantur à morte Iulij Cæs. & numerant 12. annos vsq; ad Actiacam victoriam, quibus cum alijs, vt Lepido & Antonio, regnauit. Ab Actiaca victoria numerãt 44 annos, quos attribuunt eius monarchiæ. Constat enim Octauiũ Cæsarẽ in vniuersum regnasse annis 56. Et Orosius lib. 6. ca. 20. Cæsar victor, inquit, ab Oriente rediens 8. idus Ianuarij, vrbem triplici triumpho ingressus est, ac tum primũ ipse Iani portas, sopitis finitisq; omnibus bellis ciuilibus, clausit. Hoc die primùm AVGVSTVS consalutatus est. Quod nomen cunctis antea inuiolatum & huc vsq; cæteris inausum, dominis tantum orbis licitè vsurpatum, apicem declarat imperij. Atq; ex eodem die summa rerum ac potestatum penes vnum cœpit esse & mansit. Quod Græci monarchiam vocant. Alij de vocabulo Augusti aliter iudicant, ac dicunt, Augustus ab augurio deducitur, & fortunatum significat, & quem Deus felicibus signis fœcundat. Facta sunt hæc anno vrbis conditæ 723. *Anni Cæsaris Augusti.* *Augustus.*

Rursus Cæs. Iani portas reserãs, mouit in Cantabros. Cum ageret apud Tarraconem legati Indorum & Scytharum, Garamantum atque Æthiopum, toto orbe transmisso, Cæs. tandem ibi inuenerunt, atq; oblatis muneribus, supplices salutarunt. Quemadmodũ & Persæ aliâs obsides ei obtulerunt, creandiq; regis *Bellum Augusti Cantabricum.* *Augustus dominus orbis.*

arbitrium permiserũt. Parthi quoq; missis eidem signis, Crasso olim ademp
pacem petierunt. Cantabrico autem bello per quinquennium peracto rem
Hispanis pacata Cæsar Romam redijt, & secundùm Iani portas clausit.

Bellum Augusti Germanicũ

Post hæc Claudius Drusus Cæs. priuignus, cum maximis fortissimisq; G
maniæ gentibus bella gessit: sed & Tiberius eiusdem Cæs. priuignus, bell
tinuo Germanos vrsit. Bellum id fuit maximum & formidolosissimum q
cim legionibus per triennium gestum: nec fuit vllum bellum maius post
cum, vt asseuerat Suetonius. Sub eodem tempore Quintilius Varus cu

Quintilius Varus.

legionibus à Germanis est cæsus.

Proinde Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentẽ, à Septentrione in M
ridiem, & per totum Oceani circulum, cunctis gentibus vnà pace compo
Iani portas tertiùm clausit. Quas ex eo per annos ferè 12. quietissimo cel

Pax sub Augusto.

tas otio, ipsa etiam rubigo obsignauit. Tunc verò leges sanciuit plurimas. V
mam quoq; auxit ornauitq; ædificijs multis, isto glorians dicto, Vrbem lat
tiam reperi, relinquo marmoream.

Natiuitas Christi domini.

Eo autem anno quo Cæsar vniuersalem firmissimamq; pacem, prouid
Dei composuit,

NATVS EST CHRISTVS IESVS, DEI AETERNI ET MARIAE VIRGINIS FILIVS.

In huius Natiuitate exultantes angeli cecinerunt, Gloria in excelsis De
in terra pax, hominibus bona voluntas. Eodem anno censum agi singulis
sentit Orosius) vbiq; gentiũ prouinciarúmue, & censeri omnes homines
Idem se dominum vniuersorum vetuit appellari. Alius enim erat natus q
bebantur omnia, & qui reuera omnium Dominus erat, Iesus Christus. P
de his scribit Orosius histor. lib. 6. cap. 20. & 22.

Quando natus sit dominus noster.

Natus est autem Dominus noster Iesus Christus 8. Calend. Ianuarii C
C. Lentulo Getulico, & M. Messalino, anno vrbis cond. 751. Augusti C
sub finem eius anni. Sicut & Irenæus lib. contra hær. 3. cap. 26. Natus est, inq
Dominus noster circa primum & quadragesimum annum imperij Augu
quutus est Irenæum Tertull. in lib. contra Iudæos. Sequitur 41. mox 42. V
alij non malè Natiuitatem Domini ascripsere anno 42. Augusti. In prius
enim huius anni incidit.

Copiosius operosiusq; hanc partem huius Tabulæ rerum Romanarum
sequutus sum, quàm superiorum, ex optimis quibusq; historicis eorum
propemodùm verbis compendium contexens: quòd ex hac serie quàm
dissimè perspiciatur, quid & quam verè & propriè Daniel de Bestia illa lo
ticinatus sit in cap. 7.

DE SAPIENTIBVS VEL DOCTIS ILLORVM TEMPORVM.

HAbuit sæculum illud doctos & excellentes viros inter gẽtes plurimas.
ter hos recensendi veniunt, M. Portius Cato Stoicus, Apollodorus P
meus, Aristarchus grãmat. M. Tullius Cicero, C. Iul. Hyginus, Pollio, M
Coruinus, Titus Liuius Patauinus, Sallustius, Diodorus Siculus, Corn
pos, M. Terentius Varro, Archias, Terentius item Carthaginen. Comicus
cuius Brũdusinus, L. Accius, Turpilius Comicus, C. Lucilius, M. Furius,
cretius, C. Val. Catullus, Corn. Gallus, Æmilius Macer Veronen. Virg
Maro, Horatius Flaccus, Ouidius Naso. & si qui alij floruerunt poetæ. N
culum hoc si quod aliud poetarum fuit feracissimum.

TAB

TABVLA CHRONICA VI. CONTINENS PARTEM MONARCHIAE ROMANORUM, & Tempora Christi vsq; ad excidium vrbis Hierosol. per annos 72.

Anni mundi.	Olympiad.	Roma cond.	Cæsares.	Herodes & Præf. Rom.	Christus.	Hebdomadæ.
3970	4	752	42	33	1	4
3971	195	753	43	34	2	5
3972	2	754	44	35	3	6
3973	3	755	45	36	4	7
3974	4	756	46	37	5	67
3975	196	757	47	*Archelaus*	6	2
3976	2	758	48	2	7	3
3977	3	759	49	3	8	4
3978	4	760	50	4	9	5
3979	197	761	51	5	10	6
3980	2	762	52	6	11	7
3981	3	763	53	7	12	68
3982	4	764	54	8	13	2
3983	198	765	55	9	14	3
3984	2	766	56	*Cyrenius &*	15	4
3985	3	767	*Tiberius*	*Copinius*	16	5
3986	4	768	2		17	6
3987	199	769	3	*Marcus*	18	7
3988	2	770	4		19	69
3989	3	771	5	*Annius Ruffus*	20	2
3990	4	772	6		21	3
3991	200	773	7	*Valer. Gratus*	22	4
3992	2	774	8		23	5
3993	3	775	9		24	6
3994	4	776	10		25	7
3995	201	777	11		26	70
3996	2	778	12		27	2
3997	3	779	13	*Pontius Pilatus*	28	3
3998	4	780	14		29	4
3999	202	781	15		30	5
4000	2	782	16		31	6
4001	3	783	17		32	7
4002	4	784	18		33	*Finiunt*
4003	203	785	19		34	*Hebdom.*
4004	2	786	20		35	*Danielis*

Anni *mundi.*	Olympiades.	Roma cond.	Cæsares.	Herodes & Præf. Rom.	Chr. Rom.
4005	3	787	21		36
4006	4	788	22		37
4007	204	789	23	*Marcellus*	38
4008	2	790	*C. Caligula*	*Pub. Petronius*	39
4009	3	791	2		40
4010	4	792	3		41
4011	205	793	4		42
4012	2	794	*Tit. Claudius*	*Agrippa regiæ-*	43
4013	3	795	2	*dit Iudæa*	44
4014	4	796	3		45
4015	206	797	4	*Cuspius Fadus*	46
4016	2	798	5		47
4017	3	799	6		48
4018	4	800	7	*Tib. Alexand.*	49
4019	207	801	8		50
4020	2	802	9		51
4021	3	803	10	*Cumanus*	52
4022	4	804	11	*Felix*	53
4023	208	805	12		54
4024	2	806	13		55
4025	3	807	14		56
4026	4	808	*Cl. Nero*	*Port. Festus*	57
4027	209	809	2		58
4028	2	810	3		59
4029	3	811	4	*Albinus.*	60
4030	4	812	5		61
4031	210	813	6		62
4032	2	814	7		63
4033	3	815	8		64
4034	4	816	9	*Cestius Florus*	65
4035	211	817	10		66
4036	2	818	11		67
4037	3	819	12		68
4038	4	820	13	*Vespasia. dux belli*	69
4039	212	821	14		70
4040	2	822	*Gal. Otth. Vit.*		71
4041	3	823	*Vespasianus*		72
4042	4	824	2	*Capitur & excindi*	73
				tur vrbs Hierosol.	

ANNOTATIONES IN TABVLAM VI. QVIBVS POTIORA EIVS COPIOSIVS EXPLICANTVR.

De Iesu Christo Dei patris & Mariæ virginis filio, vero Messia, domino ac seruatore vnico vniuersi mundi.

MESSIAS, ORBIS PRAESTITVS.

HACTENVS audiuimus omnium patriarcharum vota, & omniũ prophetarum vaticinia in vnum Messiam Dei & hominis filium, incredibili cum desiderio destinata, tanquam in certissimam vnicam exoptatissimamq; totius mundi salutẽ: nunc verò apertè audimus cernimusq; sub Augusto Cæs. monarcha orbis, hunc ipsum desideratissimum Messiam à Deo exhibitum, per incarnationem venisse in mundum. Longè superat hoc Dei beneficium omnia alia, licet excellentissima Dei beneficia, vt mirum non sit totum exercitũ cœlestem ad rem tantam, tunc cum Christus in Bethlehem natus esset, exultasse ineffabiliter, nobisq; omnibus præcinuisse, ac dixisse, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntas. Et quidem longè certissimum est, omnia vitæ, felicitatis, veræq; salutis in vnico hoc Christo Domino nostro, data esse nobis, Ioanne attestante atq; dicente, De plenitudine eius accepimus nos omnes. Paulo quoq; attestante atq; dicente, Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri potest, vt non & cum eodem omnia nobis donet? Item, Placuit patri in hoc omnem inhabitare plenitudinem: & in ipso estis completi. Repetantur hic quæ dicta sunt Homilia in Danielem 84. &c.

Omnia salutis in Christo nobis præstita.

Certè Christus Dominus noster est prophetarum ille summus nobis promissus, vnicus, & optimus maximus Rex, sanctissimus quoq; & catholicus pontifex, omnium in mundo fidelium. Nam docet ille ecclesiam doctrinã absolutissimã, qua & illustrat & implet doctrinam prophetarum. Proponitur hic vniuersę audiendus ecclesiæ, etiam patris commendatione, cœlitus magna cum maiestate delatæ, dicentis HVNC AVDITE. Vnde rectissimè S. Petrus dixisse legitur, Futurum est vt omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminetur è populo. Idem impleuit omnia sapientissimi, potentissimi & clementissimi regis munia, redimens omnes subditos suos, gubernans eosdẽ atq; conseruans. Ille ipse pontifex est vnicus & maximus, secundum ordinem Melchizedek, vt nihil opus sit alio post Christum sacerdote. Ipse enim est sequester & mediator inter Deum & hominem solus. Ipse intercedit pro nobis: propter ipsum gratæ sunt preces nostræ patri cœlesti. Ipse semel se obtulit in cruce, & expiauit vniuersa mundi peccata. Vnde Ioannes apostolus dixit, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed pro peccatis vniuersi mundi. Et Paulus, Vna pro peccatis oblata victima, perpetuò sedet ad dexterã patris. Vnica enim oblatione perfecit in perpetuum eos qui sanctificantur.

Iesus Christus est messias.

Christus hic dominus noster geminæ est naturæ, verus Deus & verus homo. Alioqui enim non posset is esse, qui reuera est, Mediator inquam & catholicus summusq; pontifex, & rex optimus maximus vniuersi orbis & omnium seculorum. Diuinitate patri est consubstantialis, coæternus & coæqualis per omnia. Humanitate matri virgini MARIAE, est consubstantialis, nobis coæqualis per omnia absq; peccato. Nec obscura eius rei inueniuntur testimonia in scripturis, Ioannes appellat Christum Deũ verum, patri coæqualem, verbũ,

Christus verus Deus & homo vna est induisa persona, retinens duas naturas.

quod est apud Deum, principio, adeoq; Deus, per quem condita sunt
Apostoli passim nuncupant Christum semen Abrahæ, hominem verum
cum esset in forma Dei inaniuit se, forma serui sumpta, & in similitudine
num constitutus, & figura repertus vt homo.

Hæ duæ in Christo naturæ vnitæ sunt inseparabili nexu, sic vt vna
sa filij Dei & filij hominis persona, subsistens interim in duabus diuersis
mixtis aut inter se confusis naturis. Verbum enim caro factum est, &
assumpsit semen Abrahæ, veniensq; manifestatus est in carne, idem ille
uinam naturam ex patre immortalis & æternus, iuxta humanam ex matre
talis. Obseruatur interim in scripturis euagelicis & apostolicis commu-
idiomatum. Vnde est illud domini apud Ioannem, Nemo ascendit in cœ-
nisi qui descēdit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Quæ verba ex-
Theophylact. orthodoxè, Filium, inquit, hominis cum audieris descen-
cœlo, ne existimes, quòd caro de cœlis descenderit. Hoc enim Apollinaris
cuit, quòd Christus habuerit corpus de cœlo, quod per virginem tranſier
lut per canalem. Verū quia vna hypostasis, id est vna persona Christus, ex
bus naturis constituta est, ideò omnia quæ sunt hominis, dicuntur de verb
iterum ea quæ sunt verbi, attribuuntur homini. Sic & hoc loco quoq; filius
minis dicitur descendere de cœlo, eò quod sit vna persona, & vna hypo
Deinde vt ne cum audieris, Qui descendit, putes quòd non sit in cœlo, d
qui est in cœlo. Noli enim suspicari me propterea non esse illic, quia des
sed & hic adsum corporaliter, & illic sedeo cum patre, vt Deus. Tantùm

Communicatio idiomatum.

Incarnatio filij Dei.

Cæterùm Lucas admiranda diligentia & perspicacia incarnationē fil
domini nostri Iesu Christi describit, simulq; demōstrat illum ipsum incarn
verum & expectatum illum esse messiam, per quem seruetur mūdus. Erg
rat archangelum missum esse à Deo, ad virginem MARIAM, & hanc e
ritu sancto concepisse in vtero suo, & virginem peperisse verum Deum
minem saluatorem nostrum. Et quidem eo tēpore, quo Romani oppre
Iudaicam gentem, adeò vt Augustus eam censeret. Prædixerat autem Iac
triarcha ante multa sæcula, eo ipso tempore nascendum Messiam, qui d
eo, in Bethlehem videlicet Iudææ, natus est, vbi Micheas oriturum præ
ex ea deniq; matre, Dauidica vtiq;, ex qua generandum propheta plen
phetarunt. Quibus omnibus adijcitur testimonium angeli Dei cœlitus
tis cum pastoribus, & fructum quoq; incarnationis exponentis atq; d
NE TIMEATIS. Ecce enim annūcio vobis GAVDIVM magnū, q
rum est TOTI populo, QVIA NATVS EST VOBIS HO
SERVATOR CHRISTVS DOMINVS in ciuitate Dauid
cum ita sint, rectè requirit à nobis omnibus S. Ioannes fidem veram, vt
mus in Christum, & recipiamus ipsum fide, dicens, In sua venit, & sui eum
receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem fili
fieri, &c. Ioan. 1.

Gloria filij Dei varie reuelata.

Simeon.

Interim vt gloria Christi magis magisq; illustraretur & fides nostra in
confirmaretur, varijs modis reuelauit Deus nobis gloriam filij sui seruato
stri. Præcellentiores hæ sunt, quibus & Simeoni iusto & Magis innotuit
istos nobis. Acceperat ille promissionem se non moriturum, priusquam
rem etiam in carne vidisset. At hunc non tantùm vidit, sed & vlnis am
sibi & toti mundo gratulatus, se non modò libenter viso seruatore mori
professus est, sed & quantus sit Christus, & quid per ipsum mundo à pa
feratur prædicauit. Hunc scilicet constitutum esse à Deo, vt sit lux mun
omnes gentes illuminet, & Israeli gloriam conferat sempiternam. Per

Magi ex Oriente veniunt.

pra

præclari & primarij sapientesq; viri, ex Oriente veniunt, vt adorent & muneribus honorent Christum Dominum. De qua re copiosè Matth. 2. cap. scripsit, & nos eius rei meminimus in reb. regis Ezechię, disserẽtes de prophetia Micheę.

Quo tempore venerint Magi

De tempore quando Hierosolymam venerint Magi palàm profitentes nacum esse Regem Iudæorum, controuertunt inter se scriptores ecclesiastici. Quidam enim arbitrantur, quorum è numero & Augustinus est, venisse Magos intra 40. dies purificationis. Ac sunt qui notent 12. natiuitatis diem. Alij habent quæ opponant. Quibus elidendis alij affirmant, Iosephum simul & fugisse in Ægyptum, & in fuga, sacra Deo, iuxta legem, persoluisse Eusebius in Chronicis biennium interuenisse putat inter aduentum inquam Magorum & Natiuitatem domini. Cui & Epiphanius & maior doctorum turba accedit. Et Epiphanius adoratum ait Dominum non in casa Bethlehemica, sed in domo alia, ad quam deduxerit digressos ab Herode stella. Ego verò nolo cum quoquam hic contentionis ducere funem. Satis est si credamus euangelio, testificanti Magos venisse, duce stella, ex Oriente, & adorasse Dominum Iesum adhuc puerum.

Pueritia domini.

Suo autem tempore, imperitante pro Herode Archelao, reductus est puer (qui in Ægyptum subductus fuerat) in Galilæam. Inde ascendit duodecim iam annos natus in templum, & in conferta doctorum turba, contulit de rebus religionis cum ipsis, ad stuporem vsque mirantibus eis, de pueri sapientia. At ea res seu prognostico significabat Dominus, quid à Christo expectaret mundus.

Ioan. Bapt. primus prædicat euangelium.

Anno imperij Cæs. Tiberij, 15. cœpit Ioan. baptista, præcursor Christi Domini, sicuti Malachias dixerat futurum, palàm prędicare & baptisare in Iudæa. Summa doctrinæ eius erat. Completas esse prophetias, adesse Messiam vnicũ mundi seruatorem, quem & digito indicauit omnibus, attestans hunc esse Dei filium, & hostiam expiatoriam peccati vniuersi mundi, præfiguratam agno, & cæteris sacrificijs. Proinde hortabatur omnes, vt crederent in Christum, vt resipiscerent. Conciones eius aliquot breuibus exponuntur à Ioanne in cap. 1. & 3. Ac Christus ipse palàm attestatus est, Ioannem primum prædicasse euangelium. Dicit enim, Omnes prophetę & ipsa lex, vsq; ad Ioannem prophetauerunt. Ipse est Helias, qui venturus erat. Vbi sanè apparet ingens Legis & Euangelij discrimen. Licet enim lex ipsa quoq; manuductio sit ad Christum (tam tamen opera tur, inuoluta est vmbris, &c. At Euangelium est clarum gratiæ in Christo prædonium & lux. Sicuti alibi copiosè dictum est.

Legis & euangelij discrimen

Prodit Christus & prædicat.

Porrò vincto Ioanne ab Herode Antipa, magni Herodis filio, prodijt Christus ad docendum, cum tamen prius publicè à patre inauguratus esset ad Iordanem, voce delata cœlitus super ipsum, Hic est filius meus dilectus, &c. ac certauisset etiam in deserto cum sathana, & vicisset. Extant autem in euangelio passim summæ doctrinæ Christi. Præcipuæ sunt, Summa quæ legitur, Lucæ 4. vbi Dominus euangelium prædicat ex Isaiæ cap. 61. Summa item quæ legitur Ioannis 3 vbi Nicodemũ erudit de regeneratione, iustificatione & vera salute. Huiusmodi est item Sermo habitus in synagoga Capernaum Ioã. cap. 6. Ac inter singulares & salutares Domini nostri sententias, illas inter cæteras singulariter obseruandas & retinendas moneo,

Doctrina domini.

EGO SVM VIA, ET VERITAS, ET VITA. NEMO VENIT AD PATREM NISI PER ME. AMEN AMEN DICO VOBIS, QVI SERMONEM MEVM AVDIT, ET CREDIT EI QVI ME MISIT, HABET VITAM AETERNAM, ET IN IVDICIVM NON VENIET, SED TRANSIVIT A MORTE IN VITAM.

Sed & Matthæus ſermonem domini in monte habitum recitat, quo ſu
contexit doctrinæ de vera beatitudine, de lege, & genuino eius ſenſu, & o
nis operibus. Longum eſſet commemorare ſingula. Varia enim eſt doctri
mini, ſed eadem ſimpliciter & plenè comprehenſa & tradita ab euang
hiſtoricis.

Miracula domini.

Addidit doctrinæ miracula, quæ ſunt ingẽtia beneficia claudis, cæcis,
tantibus & varijs calamitatibus oppreſſis præſtita. Curauit enim omnes
bos dominus, neque quenquam miſerum afflictumq; à ſe repulit. Teſta
his ſe eſſe Dei filium, verum Meſſiam à prophetis prædictum, ſicut ipſe
tur Ioan. 10. & ſe illum eſſe quem ſe eſſe prædicabat, qui videlicet veni
ſanare omnium fideliũ corpora & animas. Ideoq; alibi omnes ad ſe vocat

VENITE AD ME OMNES QVI LABORATIS ET ONERATI ESTIS, EGO VOS REFICIAM.

Pertinet hæc vocatio ad omnes omnium ætatum homines. Nam etiam
reſidens ad dexteram patris ita nos ad ſe vocat, vt fide veniamus & appre
damus eum, atq; anima & corpore ſanemur.

Delegit apoſtolos dominus.

Cæterùm delegit ſibi familiares diſcipulos 12. quos nuncupauit Apoſto
nimirum legatos, quos miſſurus erat in orbem ad prædicandum euangeli
Adhibuit ergo hos ſibi per triennium propè, vt eſſent teſtes eorum qua
& fecit, vtq; docti ab ipſo, docerent deinceps vniuerſum mundum. His ad
xit adhuc 70. diſcipulos, in eundem finem. Quos omnes poſtea in die pen
ſtes omnigenis inſtruxit, ad hanc rem neceſſarijs facultatibus, per ſpiritum
ctum, donans eis & virtutem miracula edendi, ad confirmationem doctri

Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit & aſcendit in cœlum.

Porrò abſoluta doctrina, conſecrauit ſe ſacrificio dominus, ſemetipſum
rens vtiq; in ara crucis, pro expiatione peccatorum totius mundi. Proinde
prophetæ futurum prædixerant, capitur, affligitur variè, tandem & cruci
gitur. In cruce offert ſe Deo patri, ſponte poſita anima. Eſt autem mors C
vita noſtra & peccatorum expiatio, qua item diſcimus & crucifigere nos
noſtra peccati, in patientia veſtigijs eius inhærere, ac dum in corpore hoc
mus, viuere Chriſto. Repetenda hic ſunt, quæ dicta ſunt de morte domini

Finiuntur hebdom. Danielis.

mil. ad Danielem 49. & aliàs. Repetendum item eſt ſeptimanas Danielis
num mortis domini terminari. Sicut in Daniele eſt oſtenſum. Cæterùm in
te non manſit Chriſtus dominus noſter. Licet enim ſepultus eſſet, obſigna
hoſtibus ſepulchro, reſurrexit tamen à mortuis tertia die magna cum glori
manifeſtum faceret & peccatum à ſe expiatum eſſe, & mortis vim contrita
& ſpem datam vitæ ſempiternæ fidelibus quo ad animã & quo ad corpus
imò ne dubitarent de veritate reſurrectionis, 40. diebus à reſurrectione
cum diſcipulis, & reſurrectionem ſuam compluribus argumentis aſtruit,
regno ſuo loquitur eis. Tandem eductis ſuis illis in montem oliuarum, vi
bus ipſis aſcendit totus corpore & anima in cælum, & conſedit ad dexter
tris, manifeſtiſſimè declarans, ſicuti & apertis verbis promiſit Ioan. 14. f
ad ſe nos quoq; corpore & anima translaturum. Qui ſane finis eſt omnii
num Chriſti, ſalus vtiq; & beatitudo plena hominis. Ingens myſterium C
& ſalutis noſtræ breui Epitoma complexus, lectores hortor, vt hæc plenius
ſcant ex ſancto Chriſti euangelio.

Tempus prædicationis Chriſti & liberationis.

Quantum verò attinet ad tempora quibus docuit, & nos redemit, vide
Ioannes baptiſta cœpiſſe prædicare menſe 7. anni 15. Tiberij, circa feſtum
naculorum, & vt quidam ſupputant anno 49. trigeſimi iubilei, quo

cris inflatis non sine mysterio significabāt sequentem annum fore Iubileum, quo & Christus dominus erat annos natus circiter triginta, quod Lucas testatur cap 3. Sequenti certè anno Iubilei scilicet, Tiberij videlicet 15. circa paschā (cuius Ioan. meminit cap. 2.) cœpit Christus prædicare remissionem & liberationem veram, per annotationem euangelij, &c. Prædicationem eam continuauit integro 17. Tiberij anno, in quo erat secundum paschā, cuius mentio fit Ioan. 6. cap. Quod tertium paschā, anni Tiberij 18. excepit, quemadmodū Ioan. in 12. & 13. cap. scribit, in quo cruci est affixus, 8. Calendarum Aprilium, sicuti supputat Tertull. contra Iudæos. Facilè peruenitur inde ad diem resurrectionis, ascensionis, & missionis sancti spiritus. Scio interim variè de his quoque à Ioan. Lucido, & alijs disputatum esse: ego verò rationem indico, quæ mihi videtur omnium esse simplicissima.

DE APOSTOLIS APOSTOLICAQVE CHRISTI ECCLESIA, ET SCRIPTIS APOSTOLORVM.

Apostolorum officium.

APOSTOLI Christi domini XII. ante ascensionem domini in cœlos, ab ipsomet domino destinati sunt suo muneri, vt egredientes in orbē terrarum, omnes vbiq; nationes & gentes ipsi adducerent & in vnam ecclesiam per prædicationem euangelij administrationemq; sacramētorum aggregarent. Cæterùm discedens ab ipsis, & ascendens in cœlum, præceperat eis, ne Hierosolymā recederent, sed ibi patris promissum, ipsum inquam spiritum sanctum expectarent, Quod ipsos obedienter & iugibus cum supplicationibus præstitisse, author est Lucas. Qui item attestatur congregatis die Pentecostes discipulis 120. spiritum sanctum specie visibili & audibili, vt sic dicam, flatus vehementis, & linguarum ignearum, singulorum capitibus insidentiū, esse missum. Vnde mox consequutum sit ingens miraculum, loquentibus apostolis omniū gentium linguis, & palàm, in confertissima innumerabilis prope populi turba, ex orbe vniuerso congregata, incipientibus prædicare euangelium Christi, & recipientibus hoc vera fide tribus hominum millibus.

Apostolis datur sanctus spiritus.

Doctrina apostolica.

Ac describit beatus Lucas cap. 2. Actorum integrum sancti Petri apostoli sermonem, vnde omnes eius alios aliorumq; apostolorum sermones vel doctrinam, æstimemus. Eodem consilio nonnulli alij sermones apostolici describuntur in cap. 3. 4. 7. 8. 10. In 13. cap. integra quoq; S. Pauli contexitur oratio vel homilia. Neq; dubiū est, quin breuibus his tota integraq; doctrina apostolica contineatur. Simul autem ac docuerunt apostoli sacramenta quoq; administrārūt, sancti videlicet baptismi & sacræ cœnæ dominicæ, idq; summa cum simplicitate, absq; omni sumptu pompa turbaq; cæremoniarum. Nam multum hic inter se distant vetus atq; nouum testamentum. Et apostolica ecclesia exonerata cæremonijs, nullas restituens veteres nouásue cumulans, paucis contenta rebus necessarijs fuit, doctrina videlicet euangelij, precibus, vsu sacramentorum, & communicatione, adeoq; in fide charitate vitaq; innocentia se totam exercuit, magis pietate hac vera, quàm cæremoniarum splendore annitens præstare excellereq;. Nec dissimulat hanc simplicitatem beatus Lucas, qui paucissimis verbis absolutā Christi per apostolos collectā ecclesiā, in cap. 2. describēs, sic dicit,

Sacramenta administrant.

Apostolica Christi ecclesia

1. Timoth. 4

QVI LIBENTER ACCEPERVNT SERMONEM BAPTISATI SVNT, ET ERANT PERSEVERANTES IN DOCTRINA APOSTOLORVM, ET COMMVNICATIONE, ET FRACTIONE PANIS, ET PRECATIONIBVS.

Dubium autẽ nulli est verè pio, apostolos veram & absolutam habu-
clesiam. At ea interim ijs caruit, quibus nunc integritas eccleſię æstima-
bratione videlicet missarum, imaginum in templis vsu, obediẽtia Roma-
clesiæ, & si quæ sunt alia in Romana vsurpata ecclesia, extra & contra scr-
sanctam, humanitùs inuenta atq; instituta. Quinimò certissimũ est, Dei
minus in nouo, quàm in veteri Testamento districtè velle, vt suis viuamus
bus duntaxat, & nihil prorsus nostro arbitrio indulgeamus. Nam vt P-
Coloss. 2. manifestè ἐθελοθρησκείαν damnauit, voluntariam vtique & nostro
trio, electam & confictam religionem: Ita Dominus in euangelio, ex pro-
tis, apertè dixit, Frustra colunt me, docentes doctrinas hominum. Quo i-
tentia vetustissimi Tertulliani aurea planè pertinet, quæ in Præscript. hæ-
iusmodi refertur, Nobis verò nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, se-
eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habem-
thores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent elegerun-
acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. Ita-
etiam angelus de cœlis aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis-
Tertullianus. Nunc redimus in viam.

Dominus noui testamenti populum vult viuere duntaxat legibus Christi

De vocatione gentium.

Quamuis verò disertis verbis mandasset apostolis Dominus, euangel-
prędicarent omni creaturę, per initia tamen hi non intellexerunt gentibus
que prædicandum esse euangelium. Vnde Cornelio cuidam centurioni le-
nis Italicæ per angelum indicatum, & S. Petro per visionem quandam c-
stem ostensum est, & gentes ad consortium populi Dei pertinere, & his qu-
prædicandum esse euangelium, & non Iudæis tantùm, per orbem dis-
Quod & Petrus, compluribus licet inuitis, fecit. Quæ res pluribus & dil-
ter est descripta in Actis apostolicis. cap 10.

Paulus apostolus & doctor gentium.

Sed & Paulus qui initio ceu lupus rabidus vastabat eccleſiam Christi-
tia diuina, ad Damascum, vocatus est ad ministerium euangelij inter-
administrandi. Vnde & apostolus & doctor gentium est nuncupatus. Hu-
cta et facta beatus Lucas diligentissimè descripsit in Actis apostolicis, à c-
vsq; ad calcem operis. In ea descriptione illud in primis videtur esse obser-
dum, quod quibusdam videbatur prædicatio Pauli discrepare à S. Petri, Io-
nisq; & reliquorum Christi apostolorum doctrina, his quidem prædicare
fidem in Christum quidem iustificare & seruare, sed si legem etiam obser-
ris, Paulo autem contendente, fideles à lege liberatos, iustificari sola Dei g-
per fidem in Christum Iesum, absque præsidio legis. Quo nomine contro-
est Hierosolymis synodus, in qua causa hæc diligenter discussa, & apo-
Christi cum primitiua ecclesia congruentibus pro Paulo est pronunciatu-
cretum insuper publicum conscriptum, contra eos, qui in fidei derogatio-
conabantur fidelibus obtrudere legem, asserta est præterea libertas Christ-
legisq; abrogatio & doctrina gratiæ à Paulo prædicata apertè confirmata
guntur hæc pluribus in Actis apost. cap. 15. & Galat. 2. cap. explicata, & i-
bis quoq; Homil. in Dñ. 50. perstricta. Hactenus breuibus disserui de apo-
& apostolica Christi ecclesia, ex vniuerso orbe, ex Iudæis & Gentibus, in
tatem fidei & in vnum corpus congregata.

Prædicatio S. Pauli concordat cum aliorũ apostolorum doctrina.

De scriptis sanctorum Christi apostolorum.

Restat vt nonnihil etiam dicam de Scriptis sanctorum Christi apostolor-
Eadem verò ratio est scriptorum noui Testamẽti quę fuit, vt priore huius
ris parte dictum est, librorũ veteris Testamenti. Sæculis aliquot ad Mosen
scriptura caruerunt veteres, traditione patrum viua vtebantur ac regeba-
postmodũ verò, certas ob causas, relata sunt in scripturas, quæ scire ac re-
operæprecium videbatur. Ita enim per initia Christianismi & prædicati

gelij, neq; Christus scripsit quicquam, neq; vlli libri extabant euãgelici aut apostolici, præter libros legis & prophetarum, quorum testimonijs ostendebantur & probabantur, quæ prædicabantur à domino & apostolis eius prædicatione viua. Postea autẽ cum in ecclesia variæ exorirentur opiniones, & ingens esset periculum, ne vera prædicatio apud posteros corrumperetur, cum viuentibus etiamnum ipsis apostolis, quidam non erubescerent, sub apostolico nomine nugas proferre in publicum, visum est spiritui sancto excitare aliquos ex apostolis & apostolorum discipulis, qui totam doctrinam Christianam in literas fideliter & synceriter referrent, ac ad posteros transmitterent, conscriptis breuibus aliquot libellis, ne ecclesiam onerarent, alioqui legis & prophetarum libris liberaliter donatam atq; ornatam.

Euangelica historia per 4. euangelistas conscripta.

Primùm autem commemorandi hic mihi veniunt quatuor illi scriptores testam. noui, qui vulgo vocantur Euangelistæ, illi inquam, qui & dicta & facta Christi diligentissimè descripserunt. Ex his duo fuerunt apostoli, qui ipsi omnia viderunt & audierunt, de quibus testantur: duo autem fuerunt apostolici, id est fideles apostolorum discipuli, qui quæ scripserunt, ex apostolis domini didicerunt. Primus omnium creditur scripsisse beatus Matthæus, nono, vt aiunt, anno, ab ascensione domini. Sequutus est hunc S. Marcus, qui creditur & consanguineus & discipulus fuisse beati Petri apostoli. Vnde nonnullis visum est euangelium beati Marci, euãgelium dici posse S. Petri. Scripsit Marcus eadem propè quæ Matthæus, sed breuiore dicendi genere. Accessit his Lucas, S. Pauli discipulus, qui nõ tam ex Pauli traditione, quàm ex viua relatione cęterorum Christi apostolorum, qui Christo familiarissimi fuerunt, historiam suam contexuit. Manifestè enim in prefatione sua dicit, Visum est mihi ad te scribere Theophile, narrationem earum rerum, quarum plena fides nobis facta est, prout tradiderunt nobis, qui à principio spectatores ipsi & ministri fuerũt sermonis. Vnde euangelium Lucæ videri poterat historia ex apostolorum relatione cõtexta. Vt planè insanire videantur, qui post historiam euangelicam, tam certò & plenè traditam, adhuc videre desiderant Euang. Thomæ, Andreæ, Bartholomei, Nicodemi & nescio quorum aliorum. Etenim habemus in vno Lucæ euãgelio, quod haberemus in aliorum apostolorum historia, si quam cõscripsissent. Et si quis tres hos nostros conferat inter se historicos, deprehendet, non modò pulchrè eis conuenire in omnibus, sed eadem quoq; tractare. Vltimus omniũ scripsit Ioannes apostolus in ætate grandæua. Cernens enim quid alij tres ecclesiæ Dei dedissent, ipse illis adiungere voluit coronidem sermonum maximè & rerum, quas alij non attigissent, vt ex his quatuor demum historicis, plenissima historia rerum Christi in ecclesia haberetur.

Pseudoeuangelia.

Acta apostolorum.

Conscripsit item Lucas Acta apostolorum, persequens ea ab ascensione domini ad annum vsq; 28. quot videlicet capitibus librum absoluit. Quòd si adiecisset singulorum apostolorum vitas vt Pauli descripsit, nihil haberemus amplius, quo ad substantiam religionis, quàm quod comprehensum legimus in vita Pauli. Ita enim docuerunt, ita plantarũt gubernaruntq; ecclesias cæteri apostoli, sicut Paulus. Vt ergo in quatuor euangelistis plena euãgelica, ita in Actis apost. absoluta continetur historia rerum apostolicarum. Ac felicissima planè fuit hæc primitiua Christi ecclesia, quæ non tantùm habuit 12. apostolos cum Paulo, aut 70. Christi discipulos, sed infinitos præterea alios doctores, viros prę clarissimos, apostolorum, & Pauli in primis, discipulos, quorum nomina in scripturis recensentur. Nullum certè vnquam felicius fuit sæculum, quod tot tãtisque fulserit stellis, vt non tam stultum quàm insanum esse videatur, vlla alia sæcula insequentia huic præferre aut conferre saltem, aut melius & absolutius ec-

Felicitas apostolicæ ecclesiæ.

cleſiæ exemplum, quod imitemur, velle quærere, aut etiam ſanctiores p
reſq; patres, pro ſtabiliendis dogmatibus cæremonijſq;, velle proferre.
rant hi ſequentes omnes, & pleniſſimam nobis religionem doctrinamq;
cleſiæ formam, ad quam vnicè reſpiciamus & quam pertinaciter re
tradiderunt.

Epiſtolæ canonicæ 7.

Scripſerunt alij quoq; Apoſtoli diuerſis temporibus, diuerſas vel
ſtolas, in primis S. Petrus verè apoſtolicas duas. In priore hortatur ad fide
ſtantiam & ad veram in aduerſis tolerantiam, paſſim officia vitæ inform
cunda hoc ipſum quidem argumentum attingit, ſed copioſius de pſeud
phetis illuſoribuſq; vltimi ſæculi vaticinium contexit, quo fideles matur
moneat, vt ſibi ab his caueant. In eandem planè ſententiam beatus Iudas
cobi frater germanus, epiſtolam breuem compoſuit. Et Iacobus ſcripſit
epiſtolam, contra varia ſui ſæculi imò omnium ſæculorum vitia, in primi
tra eos, qui fidem iactabant verbis, re ipſa autem fidei inquam veritate
fructibus carebant. Ita ternas præterea Ioan. apoſtolus exarauit, quibus
fidei myſterium commendat, quàm charitatem vitæq; innocentiam
vbiq; præmonens eſſe iam ac futuras in eccleſia peſtes, pſeudodoctores,
ſtudioſe oporteat fugere. Hæ omnes epiſtolæ numero 7. nuncupantur
Canonicæ & Catholicæ epiſtolæ.

Apocalypſis Ieſu Chriſti exhibita Ioan. apoſtolo.

Idem ille Ioannes, imperante Domitiano Cæs. mortuis iam omnibus
ſtolis, vno excepto apoſtolo Simone, Apocal. ſibi à Chriſto cœlitus per
& varias viſiones reuelatam, ſcripto mandauit, vt eccleſia de ijs prænonia
paſſura erat ad finē vſq; ſæculi, in vera fide firmius perſisteret, & antichri
in fine ſæculi graſſaturum potius quàm regnaturum, confidentius
ret atq; abominaretur.

14. epiſtolæ Pauli.

Reſtant poſt illa, adhuc 14. S. Pauli epiſtolæ, quæ quo ordine, quo tem
& vnde ſingulæ ſcriptæ atq; miſſæ ſint, ad diuerſas eccleſias, expoſui
nos 17. in libello quo res & tempora illuſtraui, quantum potui, contēta in
apoſtolorum. Opuſculum nuncupaui Seriem, &c. Eminet inter omnes
epiſtolas, ea quæ ſcripta eſt ad Romanos, idq; propter argumenti nobili
præſtantiamq;. Nam 1. cap. ipſe teſtatur, ſe eā comprehēſurum prædicatio
qua apud gentes Chriſtum annunciabat. Cuius quidem generis ſunt illæ
que epiſtolæ, quæ ſcriptæ extant ad Epheſios & Coloſſenſes, breuicula
hæ. Duæ ad Corinth. & duæ ad Theſſalon. multa in deprauatis emendant
ſijs, & ad pietatis officia reducunt, vtq; in vera pietate perſeuerent hort
Sicut duæ ad Timoth. & vna ad Titum, miniſtros eccleſiæ ipſamq; eccleſi
formant & in multis reformant. Epiſtola miſſa Philippenſibus hortatur
deficiant à fide, ſed in ea plus proficiāt. Quæ ſcripta eſt Philemoni, ipſi Onē
reconciliat, & eſt egregium ſynceræ charitatis exemplū. Porrò quæ Gala
miſſa & ipſius manu Pauli ſcripta, aſſerit verum Pauli apoſtolatum, & ſed
Galatas reducit in viam rectam, oſtendens hominem ſola fide, non ope
gis, iuſtificari. Epiſtola autem ad Hebræos demonſtrat Iudæis, in Chriſto
dem omnia legis obtineri, vt fidelis poſt Chriſtum ad perfectionem nulla re
indigeat, ac ne legis quidem ſubſidio, &c. Hæc de ſcriptis apoſtolorū hac
qua potui breuitate perſtrinxi.

Maria virgo Dei mater.

MARIA virgo mater domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctiſſima, cum Ap
lis aliquandiu, quod & Lucas in 1. cap. Act. ſignificauit, vixit, variamq;
fortunam vidit. Dicitur autem migraſſe in cœlum ad filium 15. anno ab
ſione domini, anno natiuitatis eiuſdem 48. cum iam ipſa annos nata eſſet
cer 63. Nicephorus ſupputat 59. Sed eius expoſitioni hac in re in vnu

non multum tribuo: præsertim cum Epiphanius Nicephoro longè vetustior & omnis antiquitatis peritior, illa ignorarit, quæ hic tanta confidentia narrat. Negatur ille contra hæresim Antidicomar. Sed & eruditi quique theologi affirmãt, nihil certi de obitu vel assumptione virginis adferri posse. Certè periculo non caret, ea velle scrutari & pro certis affirmare, quæ tacet scriptura. Satis fuerit nobis credere beatissimam virginem Mariam nunc agere in cœlis cum filio omnigenaque frui felicitate. De qua re olim disserui in Sermonibus De festis Domini nostri Iesu Christi, &c.

PROSEQVVTVS sum autem hac Epitome mea huc vsque per annos circiter 4030. ab exordio mundi ad 6. vsque Neronis annum, Tempora & res, in primis religionis nostræ ortum, progressum, mutationes, casus, calamitates vel persequutiones restitutionesque vel reformationes, & victorias, viros itẽ præclaros pariter & obscuros & acta memoranda, atque in hunc finem prosequutus sum, vt omnibus appareat huius fidei nostræ series probè sibi constans, eiusdem quoque syncera certitudo & inuicta firmitas, ac vt omnes eius accensi desiderio singulariq; studio, vnicam vnicè ambabus, quod dici solet, vlnis amplectãtur, unoq; dicusque in finem vsque vitæ retineant, ad salutem animæ & corporis perpetuam. Simul annotaui passim ea quæ existimaui facere ad illustrandas commendandasque sacras scripturas. *Conclusio operis huius.*

NVNC te sanctissime clementissimeque pater cœlestis, æterne Deus, supplex oro, per vnigenitum filium tuum vnicum seruatorem & dominum nostrum Iesum Christum, vt tu me in vera hac fide, quam celebraui hactenus, conserues, & huic labori meo benedicas, atque per ipsum multos, tua gratia, perducas in cognitionem tui veræque religionis, qua fiat, vt omnibus erroribus relictis, tuam veritatem recipiant ac in ipsa constanter perseuerent, & per te æternùm seruentur. Amẽ. Reliqua quæ ad huius Tabulæ explicationem pertinere videntur paucis porrò perstringam. *Oratio.*

DE HERODE FILIIS ET NEPOTIBVS EIVS.

A Etate Herodis magni ingrauescente, conduplicata est eius atrox crudelitas. Nam in filios suos ex Mariamne genitos Aristobulum & Alexandrum, nil malè meritos efferbuit, ac coniectos in carcerem, strangulari iussit. Ita & Antipatrem filiũ in carcere trucidari mandauit. Quo pertinet & immane illud facinus, quo pueros omnes Bethlehemiticos, qui bimatum attigissent, aut infra eum essent, interfici præcepit. In hac enim turba sperauit se Messiam Iudæorum regem quoque intercepturum, quem didicerat à Magis, iam esse natum, & à pontificibus & scribis intellexerat Bethlehemi nascendum. Historiam texit Matth. in cap 2. Eius non meminit Iosephus, meminit autem Macrobius 2. Saturnal. lib. cap. 7. referens Augusti Cæs. facetè dicta, Augustus cum audisset, inquit, inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudæorum, intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait, Melius est Herodis porcum esse, quàm filium. Hæc ille. Iudaizans enim Herodes porcum non mactasset, qui tamen filium suum vnà cum Bethlehemitis interfecit. Tandem verò per immania volutatus scelera, graui sed lento morbo correptus & consumptus, horribili exitu, vitam suã clausit, propèiam septuagenarius. Recitat ex Iosepho Euseb. Eccles. hist. lib. 1. cap. 8. infandum horrendumque hominis infelicis morbum atque interitum, nimirum vt iudicia Dei iusta & seuera cognoscantur. *Herodes filios suos occidit.* *Innocentes pueros trucidat.*

Reliquit post se tres filios Archealum, Antipam & Philippum. Lite autem inter hos exorta, Augustus Cæs. litem sic diremit, vt sublato regali titulo, filij in *Regnum Herodis diuiditur filijs eius.*

regno paterno Toparchas agerent. Idumæam enim, Iudæam & Samariam chealo designauit. Philippo Bathanæam cum Trachonitide & Auranitide cessit. Herodi Antipæ Galilæa & transiordaninis regionibus contributis.

Archelaus.

ARCHELAVS is est, sub quo ex Ægypto in Galilæam redijt dom noster, mortuo Herode patre. Cuius rei meminit Matth. in cap. 2. Ita verum se præbuit suis principem, mali corui malum ouum, vt vix 9. annis actis, Augustus deiectum, deportari iuberet in exilium. Nam semini impio non bene dicitur. Missus est autem vir consularis Cyrenius, qui eã partem riacæ adiungeret dispensationi, administrandæ per præsides vel præfectos manos, quorum primus fuit Copinius.

Præfectura fit Iudæa.

Herodes Antipa.

ANTIPAS Herodes, Romanis præsidibus Iudæam gubernantibus Galilæam regebat. Nuncupatur rex ab euangelistis. Is enim est qui Ioan. stam interfecit, sicut refert Marcus cap. 6. & domino nostro Iesu Christo in passione eius, apud Lucam in 23. cap. Postremò cum regnasset annis circ 36. deiectus est à Caio Cæs. & relegatus Lugdunum in exilium.

Herodes Agrippa.

AGRIPPA, Herodes cognominatus, filius fuit Alexandri, alij volu stobuli: quorum vtrunq; pater Herodes trucidauit, vt superius est dictum. iecerat hunc Agrippam Tiberius Cæs. in carcerem. At mortuo Tiberio, C liberatum, regem fecit, tetrarchijs Philippi & Lysaniæ, nuper defuncto gne concessis Aggrippæ. Quem postea in regno Claudius non modò confir uit, sed Romam reuocato præside Petronio, Iudæam Samariamq; regno adiecit. Confirmatus ergo in regno multa superbè & crudeliter egit. Ide

Iacobus occisus ab Agrippa.

Iacobum fratrem Ioannis euangelio occidit, & S. Petrum in vincula con etiam ipsum mox perempturus nisi ipsum eripuisset domini angelus. Quæ ponitur Actorum cap. 12. Tandem tyrãnus hic perit Cæsareæ, percussus p riasi ab angelo Domini. Quod & ipsum Lucas in illo ipso loco refert, & cru sius exponit Iosephus Antiq. lib. 19. cap. 8. Reliquit filium quem & ipsum n nauit Agrippam, quem nuncupare ad differentiam patris licet, Iuniorem, v nior dicatur Agrippa Priscus.

Agrippa iunior.

AGRIPPA hic iunior & secundus, patri in regno non successit. C enim Præsidem in Iudęam misit, Cuspium Fadum, regnum Chalcidis Agr dedit, postea verò pro Chalcide, tetrarchiam Philippi concessit. Est hic A grippa, cuius mentio fit in Actis apost. cap. 26. coram quo causam Paulus tenis dixit, & Agrippam sua oratione ita commouit vt dixerit, Propere persuades mihi, vt fiam Christianus. Vixit hic Agrippa adhuc dum bellum mani contra Iudæos molirentur & gererent. In eo autem videtur defecisse rodis prosapia, cum in Iudæa supra 100. annos regnauisset. Non potuit sup nariæ truculentæq; prosapiæ diuturnum esse regnum. Elegans est Senec

Instabile regnum.

Thyeste, sententia, Vbi non est pudor, Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides stabile regnum est.

DE ROMANIS IMPERATORIBVS.

Augustus Cæsar.

AVGVSTVS CAESAR Rom. Imp. II. diuturna pace vsus est: tiuitate seruatoris nostri. Qua cum abuteretur, & libidini seruiret, ad probrũ, vt ait Sex. Aurel. victor, vulgaris fame, adeoq; in cæteris luxu nimium indulgeret, Roma horribili famę est afflicta, ac sene iam Augu ait Suetonius, Ianus patefactus est, sæuieruntq; bella horrenda, ad impe vsque Vespasiani. Ipse verò Augustus Nolæ excessit, anno ætatis septua mo septimo.

TIBERIVS Cæsar Rom. Imp. III. Augusto successit in imperio. Ab initio imperij magna & graui præfuit modestia, princeps non malus: postea tamen ex principe tolerabili factus est truculenta bestia. Nam optimam senatus partem interfecit, & alia horrenda & fœdissima plurima designauit. Sub eius imperio Christus Dominus, quod antea quoq; dictum est, crucifixus est. Tertullianus 5. cap. Apolog. sui author est, Tiberium ad senatum retulisse, vt Christus haberetur prò Deo. Id quod alij quoq; scriptores retulerunt. Seianus verò restitit Cęs. acerrimè: effecitq; vt Christiani vrbe pellerentur. Obijt in villa Lucullana anno ætatis suæ 78. *Tiberius Cæs.*

CAIVS Cæs. cognomento Caligula. Rom. Imp. IIII. arripuit post Tiberium, imperium. Tanta fuit huius bestiæ impietas blasphema, & scelerata ambitio, vt sibi deposceret diuinos impendi honores. Quo nomine gẽtem Iudaicam alioqui hic satis constantem, miserè diuexauit. Quod multis exponit Iosephus. Libidine efferbuit prodigiosa, & sæuitiam exercuit exemplo carentem. Huius scelerata & atrox vox fuit, Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet. Ac tales principes gens Iudaica habere merebatur, quæ clamauerat contra Christum ad tribunal Pilati, Regem non habemus, nisi Cæsarem. Cæterùm vbi mensuram suorum explesset scelerum, à Cassio Chærea & Corn. Sabino est confossus, anno ætatis suæ 29. *Caius Cæsar.*

TIB. CLAVDIVS Cæs. Rom. Imp. V. extincto Caio imperium suscepit. Princeps fuit ignauus & ebrius, quem mater Antonia, monstrum hominis appellare solebat. Imitabantur omnes eius ministri luxu perditum principem, luxuq; perdita erant omnia. Quo minus mirandum est, quod Lucas refert in Actis huius principis anno 4. diram famem Syriam vrsisse. Tandem venenum hausit gurges, propinatum sibi ab Agrippina, anno ætatis suæ 64. *Claudius Cæsar*

NERO Claudius Cæs. Rom. Imp. VI. Claudio est surrogatus. Fuit is per initia regni princeps non malus. Secundo anno imperij eius, Paulus apostolus Romam vinctus est adductus, & biennio in libera custodia asseruatus, in 5. vsq; Neronis annum. Tunc verò liberatus vinculis creditur in Hispaniam esse profectus euangelij prædicandi gratia. Nero autem quinquennio exacto in feram degenerans belluam, infanda quæq; patrauit, indigna prorsus quæ Christianis auribus recitentur. Decimo regni sui anno primam (Iudæi alioqui iam dudum persequi cœperant) ac atrocissimam in Christianos persequutionẽ mouit. Meminit eius in Augustali historia sua Tacitus lib. 15. Creduntur in hac persequutione Neroniana cecidisse doctores nostri primarij, sancti Christi apostoli Petrus & Paulus. Vniuersa enim vetustas concorditer testatur illum Romæ sublatum esse in crucem, hũc verò gladio percussum. Anno regni 13. declarauit contra Iudæos bellum, misso duce Vespasiano. Sequenti mox anno regni sui 14. interijt. Nam pugione immerso, in collum, Deo inuisum, his verbis vitam suam finiuit, Hæc est fides. Suetonius tribuit vitæ eius annos 32. *Nero Cæsar. Rom. 1. Prima Christianorum persecutio à Cæs. Rom.*

GALBA OTTHO & VITELLIVS imp. Rom. sibi inuicem successere, ac alij alios ciuili bello trucidauere. Mox enim à morte Neronis Romanis ædibus principũ, excitatisq; ciuilibus bellis, illatas Christianæ religioni iniurias, luit. Nam Galba apud Hispanos, Neronis morte audita, vsurpauit sibi imperium, ac Romam venit. Verùm iugulauit hunc Ottho: qui simul ac intellexisset creatum imperatorem in Germania Vitelliũ, tribus leuibus cum eo prælijs cõgressus, cum se sentiret vinci, semet gladio trãsfixit. Victor Vitellius Romam intrauit, & Sabinum fratrem Vespasiani (quem imperat. salutatum audierat in Syria) vnà cum Flauijs cæteris, in Capitolium compulit, succensoq; templo, flamma ruinâque omnes in vnum pariter interitum ac tumulum dedit. *Galba Ottho & Vitellius.*

Cæterùm à Veſpaſianis paulò poſt oppreſſus, apud ſcalas Gemonias mi
morum ictuum crebris compunctionibus excarnificatus & vnco tractu
mum ſumma cum ciuium execratione in Tiberim eſt immerſus. Succeſſ
in imperio Veſpaſianus.

Viri clari. Floruerunt temporibus iſtorum Imperatorum viri complures clarſ
Philo, Socio, Seneca, Xyſtus Pythagoricus, Athenodorus, Plutarchus p
phus, Flauius Ioſephus hiſtoricus, Philiſtion, Feneſtella, Palæmon, Do
Apher, Muſonius, Quintilianus, Perſius, Lucanus, Silius Italicus, & mul
oratores & viri præclari.

DE ROMANIS PRAESIDIBVS IN IVDAEAM MISSIS A ROM. IMPERATORIBVS.

Præſides Iudææ. PRimum rectorem vel præſidem Iudææ ſuperius dixi à Cyrenio ordina
Copinium, adhuc viuente Auguſto Cæſ. Mortuo hoc, & ſuccedente
perio Romano Tiberio, datus eſt Iudææ præfectus quidam Marcus. Cu
Pŏtius Pilatus. ceſsit Annius Rufus. Ei ſubmiſſus eſt Valer. Gratus. Quem ſequutus eſt
tius Pilatus, homo crudelis & ſuperbus, ille inquam, ſub cuius iudicio D
nus noſter Ieſus Chriſtus, Iudæorum rabiei permiſſus, ac per milites Pila
cifixus eſt. Deiectus autem præfectura, manum ibi ipſi intulit. Sicuralibi
bis plenius eſt expoſitum. Poſt ipſum præfuit tantiſper Marcellus, quoad
dæam mitteretur P. Petronius. Eo Romam reuocato, Claudius Cæſ. præ
ram addidit regno Agrippæ. Quo mortuo, adimitur iterum præfectura
Herodiano & mittitur nouus præſes in Iudæam, Cuſpius Fadus. Hunc
Tiberius Alexander, Alexandrum ſequitur Ventidius Cumanus. Poſt
gubernauit Iudæam Antonius Felix (is cuius mentio fit in Actis apoſtol
apud Corn. Tacitum) qui biennio apoſtolum in vinculis tenuit. Accepit
ceſſorem Portium Feſtum: cuius mentio etiam fit in rebus apoſtoli Pauli.
hic Feſtus apoſtolum, traditum Iulio centurioni, Romam. Porrò Nero
num ſe dignum præſidem Feſto ſubmittit in Iudæam. Erat enim homo
uarus & libidinibus diffluens. Succeſſorem ille habuit Ceſtium (alij Ge
legunt) Florum, vltimum Iudææ præfectum. Superabat hic malitia Alb
Pugnauit cum Iudæis, bellumq; illud vltimum & fatale, ſub ipſo ſua hab
tia. Iudæis rebellare incipientibus. Nero enim Cæſ. hoc præſide, Veſpa
cum legionibus ad cohercendos Iudæos miſit.

DE IVDAEIS ET VRBIS HIEROSOLYMORVM GENTISQVE EXCIDIO.

Gentem Deo dilectam ob iuſtiſſimas cauſas eſſe repudiatã GEns Iudęorum olim dilecta & electa à Deo, malam beneficio Deo gr
retulit. Nam filium Dei, promiſſum redemptorem, & miſſum etiam
tantũ coram præſide Iudææ Pilato, in publico iudicio, turpiter abnegau
& nequiter calumniari nepharieq; vrgere Pilatum non deſiit, donec imo
in crucem crudeliter adegiſſent. Neq; hac exquiſita ſua truculentia facin
placabili & rabido inſuper odio, ſeuierũt propter Chriſtũ, & in ſanctos
apoſtolos, multis modis annitentes vt prædicatione euangelij oppreſſa,
Stephani martyris mors. los quoq; domini cum omnibus Chriſtianis penitus excinderent. Steph
certè eximium Chriſti confeſſorem Hieroſolymis lapidus adorobruerũ
de proſcripſerunt, & vrbe eiecerunt omnes Chriſti nomen profitentes,
ptis ipſorum facultatibus, ipſisque miſeris ad ſummam adactis egeſtat
inediam. Præterea Paulum apoſtolum, vt Lucas refert in Actis, quoq

niſſet & euangelium, vel in ſynagogis, vel gentibus prædicaret, feruidè perſequuti ſunt, contradicentes ipſi ac ſeditiones etiam contra ipſum & fideles commouentes. Id quod ipſemet ad Theſſal. conquerens, Iudæi etiam Dominum leſum occiderunt, inquit, & proprios prophetas, & nos exegerunt: nec̃ Deo placent, & omnibus hominibus aduerſantur, prohibentes nos gentibus loqui vt ſeruentur, vt ſemper compleant peccata ſua. Occupauit enim eos ira ad extremum vſq̃. 1. Theſſ. 2.

Paulò antequam bellum illud fatale & vltimum ingruiſſet (ſeptennio fortaſſis) S. Iacobum domini fratrem, paſtorem & doctorem Hieroſolymitanæ eccleſiæ, cathedra exturbatum propter euangelij prẽconium, vnà cum nonnullis alijs credentibus, authore Anania ſummo ſacerdote & Sadducæo, crudeliter interfecerunt. *Iacobi fratris domini mors.*

In ea incurabili rebellione & pertinacia inuincibili, cum abſq̃ pœnitentia, ſupra quinque & triginta annos ab aſcenſione Domini, graſſati eſſent, ac impiè longanimitatem Dei conſpuiſſent, exarſit ira Dei contra eos, adeò, vt iam non poſſet amplus extingui. Proinde ſicut ipſe dominus apud Matth. in 24. & apud Lucam in 19. & 21. cap. prædixerat fore, vt & vrbs & gens funditus deleretur propter incredulam impietatem: ita ſanè vaticiniũ hoc triſte, ſed iuſtum, verbotim adeoq̃ & ſyllabatim eſt completum. Teſtis huius rei locupletiſſimus eſt Flauius Ioſephus ſacerdos & inſignis hiſtoricus, & ipſe de gente Iudæa progenatus, adeoq̃ & dux in eo bello, ſpectatorq̃ & pars eorũ quæ teſtatur. Deſcripſit bellum hoc Iudaicũ, quo Iudæi plenè oppreſſi & exciſi ſunt, libris doctiſſimis & elegantiſſimis ſeptem. *Ioſephus Iudæus Iudaicum bellum deſcripſit.*

De tempore huius belli diſſerui in vltima Homilia ad Danielem. Bellum ipſum ingens & atrociſſimum paucis deſcribi non poteſt. Cœpit hoc menſe Maio anno Neronis 13. Veſpaſiano ex Ptolemaide mouente cum inſtructiſſimo exercitu in Galilæam. In hac calendarum Iuliarum die, concremauit Iotopatam, ciuitatem pulcherrimam & munitiſſimam, 6. idibus Decembris captæ ſunt Tarichæi. Gamala verò 23. Octobris eſt exciſa: & eodem menſe tota Galilæa ſubacta eſt & vaſtata. Inde Veſpaſianus Iamniam & Aſotũ profectus, ſubegit vtranq̃. Idem anno Neronis 14. Martij 4. obſidet Gadaram. Placidus quoq̃ tribunus captis Abila Iuliade & vicinis illis locis alijs, totum illum tractum ad Macherunta vſq̃ deuicit. Plurima interim loca & Veſpaſianus expugnauit. Quod Ioſeph. lib. 5. cap. 4. deſcribit. Deinde 5. Iunij Cæſarea egreſſus, Idumeam inuadit oppugnat & vaſtat. Cerealis verò Tribunus concremat Hebronem. Mox ipſe belli dux Veſpas. Hieroſolymam viſit, conſiderans quomodo obſideri ac expugnari poſſit. *Bellum Iudaicum.* *Capta & vaſtata Galilæa.* *Idumæa vaſtatur.*

Ac paranti iam Veſpaſiano Cæſareæ, vt ineunte vere, cum toto exercitu, malorum omnium caput Hieroſolymam petat atq̃ obſideat, nuncius adfertur de Neronis morte. Mox verò & ciuilibus bellis inter Galbam Otthonem & Vitellium ingruentibus, viſum eſt Veſpaſiano à cœpto aliquandiu abſiſtere bello. Profectus autem vnà cum filio Tito Alexãdriam, ducibus exercitus in Iudæa ſubſiſtentibus mandauit, curarent diligenter, ne vrbe Hieroſolymorum Iudæi erumperent. *Bellum aliquandiu intermittitur.*

Compoſitis verò rebus Romæ omnibus, & occiſo 3. die Octobris Vitellio, ipſe Veſpaſianus Romam imperator iam intrat, & filium Titum Alexandria ad Hieroſolymas cohercendas Iudæamq̃, Deo & hominibus inuiſam gentem, delendam mittit. Titus ergo copijs inſtructus externis, Cæſaream venit, atque ibi primo anno regni patris ſui. Veſpaſiani menſe Martio, copias, quas contra vrbem ducat, parat. Et aprilis die 14. obſidione graui & diligenti vrbem Hiero- *Titus proficiſcitur ad oppugnandam Hieroſol.*

ſolymorum cingit, inde eam inceſſanter oppugnare pergit. Ideoq; 15. Mar=
mo potitus eſt muro, & quinq; diebus ſequentibus expugnauit & alium=
rum. Præterea extructi ſunt à militibus aggeres, maximis ſudoribus. Æ=
tus eſt item murus ingens cingens vndique obſeſſos, ne vllus obſeſſis p=
vel exitus vel eruptionis modus. De hoc inſigni malo diligenter eos pr=
nuerat Lucæ 19. Dominus.

Oppugnatur vrbs Hieroſol.

Cæterùm Calendis Iulij (erat ea dies principium 2. anni principatus V=
ſiani) tentata eſt expugnatio vrbis, & cõſequenter incredibili pertinacia c=

Capta Antonia

nuata. 5. Iulij die capta eſt à Romanis Antonia, arx munitiſsima. Proceſſ=
inde ad oppugnationem templi, cuius porticum 24. Iulij die Romani in=
uere. Dum autem conſidero cædes funeſtiſsimas, incendia q; & horribile=
pertinacis expugnationis labores, occurrit illud mihi Æneæ apud Marc=

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut poſsit lachrymis æquare labores?
Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos, &c.

Captũ templũ.

Certè captum eſt tandem Auguſti die 10. & inflammatum à Romanis T=
plum iſtud in toto orbe apud omnes gentes famigeratiſsimum, ac immen=
eo ſanguis effuſus eſt hominum. Porrò 20. die Auguſti ſuperiorem vrb=
tem omnibus viribus oppugnare ſunt aggreſsi. Subacta verò & ipſa ac in=

Capta & exuſta Hieroſ.

mata, arſerũt Hieroſolymæ octaua menſis Septembris die. Inde milites fu=
di ſcrutantur in ruinis latebriſq; abſtruſos ac latentes protrahunt ad nece=
bis item ædificia diruunt atq; complanãt: ſicuti expoſuimus in 9. cap. Da=
Ad hunc verò modum clariſsima vrbium Orientis, vt Plinius ait, Hieroſo=
interijt, atq; gens infelix Iudaica horrendis modis eſt exciſa. Calamitate=
qui ingentes & infandas, & interitum gentis incredulæ ſtupendum in bre=
ſummam recollegit Euſebius Eccleſ. lib. 3. à cap. 4. ad 9. vſq;, à quo petat=
qui cognoſcere cupit. Ioſephus colligit hoc bello peremptorum, ferro, fam=
ediaq; vndecies centena millia, & captiuorum ſeruatorumq; ad triumphu=
metalla, ad beſtias, & vt diuenderentur, ad nonaginta millia. Hoc demum=
copioſum quidem, ſed perfidum ſemen Abrahæ, magna infelicitq; copia,
gnis ſed iuſtis commeritisq; deputare & conſumere ſupplicijs.

Hieroſolymorum interitus vniuerſo mundo exemplum propoſitum ſempiternum.

In horrendo & lugubri hoc ſpectaculo illud in primis cenſeo eſſe ſpec=
dum, Deum veracem & iuſtum patefacere vniuerſo mundo, quã oderu=
num rebellionem, eorum maximè, quorum ſaluti ille conſulens, præcone=
tis mittit, quos iſti tamen aſpernantur, reſpuunt ac perſequuntur. Proinde=
hortari omnes ne annũciatæ nos ſaluti rebelles opponamus, ſed euãgelio o=
te obedientes, Chriſtum ſaluatorem mundi vnicum, vera fide recipiamus=
ipſi Iudæorum inſtar malimus diu antea excarnificati, demum verò dele=
funditus excindi. Teſtantur præterea vrbis tantæ rudera ac ruinæ, te=
item celebratiſsimi fauillæ, Chriſtum mundo, iuxta vaticinium Danielis=
exhibitum, & nullum alium vllis vnquam temporibus eſſe expectandum.
ſtantur item legem eſſe abrogatam, cæremonias abolitas, & politiam Mo=
deletam: velle modò Deum, vt in Chriſto vnico ſeruatore exhibito, vniuer=
acquieſcat mundus, & in illo ſolo omnia vitæ & ſalutis agnoſcat ſibi eſſe p=
ta. Ideò enim Templum nunquam, quod in Danielis 9. cap. annotauimus, re=
tui potuit, vtcunq; Iulianus Imperator hoc reſtituere tentauerit. Adduxi ſi=
ſtoriæ Eccleſiaſt. ſcriptores. Quòd ſi his noſtris non creditur, legatur eade=
ſtificans Ammianus Marcellinus hiſtoriæ ſuæ lib. 23. Super hæc omnia re=
tur hic maximæ vrbis interitus, quod ipſe quoq; Dominus noſter Ieſus de=
Matth. 24. & vniuerſum mundum fore interiturum, ad aduentum iuſti iu=
Deu=

Domini nostri Iesu Christi. Tu ergo Domine Iesu Christe, qui constitutus es iudex viuorum & mortuorum, illumina mentes nostras, vt tibi ex animo fidentes, & vera pietate in conscelerato hoc mundo seruientes, venientem mox in nubibus cœli, pleno cum gaudio, non tam videamus, quàm excipiamus, & ad te, cum omnibus sanctis, in beatas illas sedes transferamur, laudaturi te vnà cum patre & sancto spiritu in sæcula sæculorum, Amen.

AETERNO DEO SIT GLORIA LAVS ET GRATIARVMACTIO SEMPITERNA.

1. 5. 7. 6.